



P. F. JOANNIS VINCENTII

PATUZZI

ORD. PRÆDICATORUM

IN VENETA CONGREGATIONE B. JACOBI SALAMONII

S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS



ETHICA CHRISTIANA

SIVE

THEOLOGIA MORALIS

EX PURIORIBUS SACRÆ SCRIPTURÆ DIVINÆQUE TRADITIONIS FONTIBUS DERIVATA, ET

S. THOMAE AQUINATIS DOCTRINA

CONTINENTER ILLUSTRATA.

TOMUS QUINTUS

CONTINENS

TRACTATUM VII. DE CONTRACTIBUS TUM IN GENERE, TUM IN SPECIE; TRACTATUM VIII. DE RESTITUTIONE; AC TRACTATUM IX. DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.





MEDIOLANI MDCCLXXXI.

APUD FEDERICUM AGNELLUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

ETHICÆ CHRISTIANÆ
SIVE
THEOLOGIÆ MORALIS
TRACTATUS VII.
DE CONTRACTIBUS
TUM IN GENERE, TUM IN SPECIE.

POST illa quæ ad dominium pertinent dogmata, Theologorum judicio, & communi ferme praxi ea Moralis Doctrinæ pars locum occupat, quæ de Contractibus disserit: & merito quidem, cum per contractus fere rerum omnium comparetur dominium, & modi sint quibus de uno ad alium transit. Continet autem Tractatus de Contractibus doctrinam, & propter argumenti amplitudinem latissimam, & propter implexionem rerum difficillimam, & propter frequentiam casuum confessariis, & animarum curatoribus scitu maxime necessariam. Sunt enim contractus quotidiana humanæ necessitatis, immo & cupiditatis palæstra, in quibus mirum est, quot avaritia, & humana cupiditas technas excogitaverit, & decipiendi artes, quæ etiam oculatissimis imponere valent. Nos ita brevitati consulemus, ut nihil omittamus ad doctrinæ cognitionem, & tyronum eruditionem necessarium, atque opportunum. Sed, ut hactenus peregimus, eas præsertim quæstiones agitabimus, quæ etiam senioris doctrinæ sectatores in diversas abripiunt sententias, non quidem quasi Judices & Magistri ex tribunali definientes, aut ex cathedra pronunciantes, sed solum ut meri veritatis indagatores. Quod si veritatem invenire, vel in apricum ponere datum fuerit, non frustra laborasse gaudebimus; sin minus, saltem doctiorum animos excitabimus ad eam melius illustrandam, & errata nostra, quæ non certe ex prava aliqua animi affectione, sed humani ingenii tenuitate progredientur, corrigenda, & emendanda. Tres amplectetur Tractatus noster Dissertationes: in prima de Contractibus in genere, in secunda de Contractibus onerosis; in tertia demum de lucrativis, & gratuitis disputabimus. Jam itaque laboriosam, & difficilem spartam aggrediens a D. O. M. enixe efflagito, ut sapientiam mittat de Cælis sanctis suis, & de sede magnitudinis suæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam, & doceam quod acceptum sit apud ipsum, & ne auferat de ore meo verbum veritatis usquequaque.

DISSERTATIO I.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

Contractus definitio, ejusque multiplex divisio exponuntur.

DOCTRINA.

I. CONTRACTUS vocabulum tum apud Juristas, tum apud Theologos non una gaudet significatione, sed ad plura plane distincta indicanda usurpatur. Quare priusquam ad exactam contractus progrediamur definitionem, hæc tria sunt distinguenda, *Contractus*, *Quasi contractus*, & *Distractus*. *Contractus* est, quo *per consensum verum eorum, qui contrahentes dicuntur, & ad quos rei, de qua agitur, facultas, atque dominium spectat, aliquid dandi, vel faciendi obligatio suscipitur*; ut in emptionibus, venditionibus, locationibus, donationibus, commodato, deposito &c. *Quasi contractus* est *conventio ad similem obligationem inducendam, & contrahendam inita, voluntate alterius ex contrahentibus nec expresse, nec tacite interveniente*, immo & fortassis dissentiente; quia nimirum ad hujus supplendum defectum, & vices sustinendas altera persona per vim, & deputationem legum substituitur; ut in conventionibus & pactis, quæ fiunt a matre de rebus posthumi, a Tutore de rebus pupilli, a Curatore de rebus minoris furiosi, vel prodigi. Denique *distractus* est *conventio ad destruendum ipsum contractum, & obligationem ex illa productam*, quod fieri quandoque potest etiam altera parte invita, & reluctante; ut in solutione debiti, vel ejus condonatione, renunciatione hæreditatis, vel legati &c. Constat autem *Quasi contractum*, & *distractum*, præcipue vero hunc secundum, nonnisi impropriissime, & abusive nomine Contractus donari.

II. Sed & Contractus proprie sumptus non unam habet usurpationem: aliquando enim latius accipitur, prout comprehendit omnem conventionem, unde quidpiam dandi, vel faciendi obligatio consurgit; licet hæc obligatio non singulos contrahentes, sed alteram dumtaxat partem afficiat; aliquando strictius, cum scilicet ex utroque latere parit obligationem. Et in hac arctiori significatione a Jurisconsulto Labeone in Lege Labeo ff. de verb. signif. definitur *Contractus ultro citroque obligatio*; quam definitionem, propter juris, & Jurisconsulti auctoritatem, omnium Jurisperito-

rum

rum schola, & Theologorum pars magna recipit, & amplectitur.

III. Verbum manifeste patet, eam solis onerosis convenire contractibus, præter quos tamen aliæ mere lucrativæ conventiones reperiuntur, quæ tamen passim a Juristis, & Theologis ut veri contractus habentur. Quapropter alia universalis notio, & definitio quærenda est, quæ omnibus valeat contractibus accomodari. In hac stabilienda variant Doctores, & plerique aut defectu peccant, aut redundantia. Ipse præ ceteris limatiorem, & justiorem existimo desumptam ex Petro de Onacte disp. 1. sec. 3. n. 26. his verbis conceptam: Contractus *est Pactum obligans ex justitia commutativa*. In qua prima dictio *pactum* genus explicat; sequentes vero essentialem contractus exprimunt differentiam. Ad clariorem itaque datæ definitionis intelligentiam, & ad plures, quæ se ingerere possunt, æquivocationes de medio tollendas singulæ sunt evolendæ dictiones, & quid pactum, quid obligatio, & quid ex commutante justitia importet, est enucleatius aperiendum.

IV. *Pactum* igitur (cujus etymon D. Isidorus etymol. lib. 5. a pace deducit, eo quod pacta vel a pacem colentibus, vel ad pacem stabiliendam maxime celebrantur) definitur ab Ulpiano lege 1. ff. de pactis *duorum, aut plurium in idem placitum consensus*. Ubi illud notandum, licet in communi loquendi modo pactorum, conventionum, & contractuum promiscue usurpentur vocabula, presse tamen singula accipiendo, plane diversa significare. Nam omnes contractus sunt quidem pacta, & pacta quælibet conventione fiunt; at non reciproce. Convenire enim dicuntur, & qui ex diversis locis in unum colliguntur, & in unam coeunt sententiam & opinionem; nec propterea hæ conventiones sunt pacta; hæc enim non solum corporum, aut judiciorum, sed & voluntatum ad quidpiam agendum consensionem important: & propterea pactum dicitur plurium consensus, aut conventio in idem placitum, cum placitum objectum voluntatis significet. Rursum pactum magis late patet, quam Contractus: non enim si qui voluntate in idem placitum conveniant, & paciscantur c. ex. ut eant in agrum, vel simul ad audiendum sacrum, continuo contractum inisse intelliguntur; etenim plura ad contractum desiderantur; quam ad simplicissimum pactum, ut infra ostendemus. Itaque pactum solam genericam in contractus definitione rationem proponit.

V. Quæ sequuntur verba, *obligans ex justitia commutativa*, essentialem complectuntur differentiam contractus ab aliis pactis. Pro cujus rei intelligentia oportet, ut primum, quid importet obligatio, explicemus. Obligatio [ex Justin. Instit. definitur: *Juris vinculum, quo necessitate constringimur secundum nostræ civilitatis jura*. Sed hæc postrema verba satis indicant, ibi de obligatione civili dumtaxat sermonem esse; cum tamen alia, & longe potior sit obligatio, quæ a naturali, & divina lege descendit, hominemque ligat in conscientia & coram Deo, & sub pœnarum æternarum interminatione. Licet enim plerique contractus jure gentium, & civilibus legibus invecti sint, & in divisione dominiorum post peccatum inducta fundentur, unde permutandarum rerum orta est necessitas; hac tamen supposita, ut etiam superius notavimus, jus naturale subintravit, fidem & æquitatem in pactionibus servandam præcipiens. Ex hac itaque naturalis legis, quæ Deum habet Auctorem, præceptione,

naturalis provenit obligatio, cui civilem obligationem superaddit Respublica suis civilibus legibus, & ipsa adstringens contrahentes ad servandos contractus, & si nolint & detrectent, certo juris ordine ad servandum compellens: multum enim interest Reipublicæ ad suam prosperitatem & pacem pacta servari, & homines sibi invicem datam fidem non frangere, sed fideliter, & sancte custodire.

VI. Non qualiscumque tamen naturalis obligatio ad pacta contractuum constitutiva internoscenda sufficiens est. Potest siquidem quis alteri, cum se aliquid daturum, vel facturum affirmat, obligare se titulo fidelitatis, poterit Patri, & consanguineo ex pietate, pauperi ex misericordia, benefactori ex gratitudine, amico ex amicitia, vel liberalitate, quin proinde ullus fiat contractus. Propria ergo contractuum obligatio est obbligatio *ex justitia*, immo non qualicumque, puta legali, vel distributiva, nam utraque sine contrahentibus, partiumque consensu exerceri potest; sed obligatio justitiæ *commutativa*, talis scilicet, quæ producat in altero ex contrahentibus veram actionem, seu jus ad rem promissam exigendam tamquam stricte debitam. Quod jus statim in contractu confertur, & veluti substituitur loco rei, cujus dominium, vel pars dominii est trasferenda; & tantum valet (intellige lege & ratione) quantum illa, quoniam est quasi cautela quædam, vel chirographum, vel pignus rei habendæ. Hac animadversione essentialis differentia, contractum constituens, atque ab aliis pactis secernens, perspecta est. Contractus enim *pactum* est, non qualecumque sed *obligans*, & quidem non ex fidelitate, benevolentia &c. sed ex *justitia*, & ea quæ *commutativa* dicitur. Obligans, inquam, non solum quia est causa explicatæ obligationis; sed etiam quia est de ipsa obligatione tamquam de proprio objecto; immo eatenus obligationem inducit, quatenus de illa suscipienda, vel implenda continet pactum.

VII. A definitione Contractus ad ejus divisionem progredior. Plurimæ sunt, & multiplices tum apud Juristas, tum apud Theologos contractuum divisiones, adeo ut Conradus quæst. 17. triginta illorum species enumeret. Celebriores, & magis usitatas dumtaxat exponam. 1. Igitur dividitur contractus, attento contrahendi modo, in *formalem* seu explicitum, & *virtualem* seu implicitum. Prior est, cum duo, aut plures expresse in idem consentiunt, cum obligatione vel mutua, vel saltem alterius ad alterum; & hic proprie dicitur contractus. Virtualis vero est, cum solum implicite, & tacite conveniunt, absque ulla pactione expressa se obstringentes: hunc aliqui vocant *quasi contractum*; hujusmodi est c. ex tutela, & quodvis aliud officium, mandatum, & negotiorum exercitatio. Qui enim aliquod officium suscipit, eo ipso se obligat erga alterum, & alter obligatur erga illum juxta leges, vel consuetudinem vigentem: similiter qui aliquid mandat; vel mandatum alterius suscipit, & qui negotium alterius gerit; in his enim non requiritur ulla conventio expressa ad obligationem inducendam; sed hoc ipso quod ista suscipiuntur, vi legis, vel consuetudinis, in quam omnes consenserunt, tacita nascitur obligatio.

VIII. Dividitur secundo in *mutuum*, & *non mutuum*. Mutuus est, qui in utroque contrahente, non mutuus, qui in altero dumtaxat ipsorum quidpiam dandi, vel faciendi, vel omittendi obligatio-

gationem inducit. Quæ divisio aliis etiam modis solet efferri: nam mutui contractus dicuntur etiam respectivi, reciproci, & onerosi; non mutui vero absoluti, non reciproci, & lucrativi: sed est sola vocum diversitas, & una significatio. Nam eo ipso quod contractus sunt mutui, idest ultro citroque obligantes, sunt etiam respectivi; quia obligatio unius contrahentis fit sub respectu, & conditione voluntatis alterius: sunt etiam reciproci, quia non obligatur unus, nisi etiam versa vice, & reciproce alter obligetur: sunt denique onerosi, quia uterque contrahens onus suscepit obligationis. Contra vero non mutui, quia non producunt mutuam obligationem, sed ex altera tantum parte, iidem absoluti dicuntur; quia non sunt respectivi, nec contrahens, qui donat, obligatur respectu obligationis alterius: eadem ratione non reciproci vocantur; & demum lucrativi, quia is qui non obligatur, lucratur alterius obligationem, seu rem potius, ad quam ei gratis & sine ulla repensione obligatur.

IX. Tertio ex parte objecti, seu effectus dividuntur contractus in eos, qui transferunt vel dominium integrum rei, ut emptio, venditio, donatio, mutuum &c. vel usumfructum tantum, ut Emphyteusis, Feudum &c. vel simplicem usum, ut locatio, conductio, commodatum, precarium &c.

X. Quarto celeberrima est in jure Romano divisio contractuum in *nominatos*, & *innominatos*. Nominati dicuntur, qui habent proprium, & specificum nomen, quo ab aliis distinguuntur; ut emptio, venditio, mutuum, locatio, societas, commodatum, pignus, depositum, & similes. Innominati vero, qui non habent speciale nomen, sed genericum tantum; iique omnes ad has quatuor classes, seu modos revocantur: *do, ut des*: *do, ut facias*: *facio, ut des*: *facio, ut facias*. Ut, si des Petro panem pro vino, erit contractus innominatus, *do ut des*; non est enim emptio, aut venditio, quia non datur pretium pro merce; nec est mutuum, quia non recipitur res ejusdem speciei post certum tempus; nec locatio, nec conductio, quia non datur pretium pro usu, vel opera; sed datur una res pro alia, quarum neutra est pretium alterius, qui contractus proprium nomen non habet. Nec dicas permutationis nomen ei quadrare. Utique, sed permutationis nomen proprium non est, nec specificum, sed generale; convenit enim emptioni, venditioni, locationi, & omnibus pene contractibus. Simili modo, si Petro des panem, vestes &c. ut pro te laboret, vel scribat, erit contractus *do, ut facias*; nam si pecuniam ad idem dederis, erit conductio. Si servias alicui, ut det panem, vestes, libros, erit contractus *facio, ut des*. Si alteri famularis, ut te doceat, erit contractus *facio, ut facias*. Immo observandum, hos quatuor contrahendi modos, quoad rem ipsam etiam in contractibus nominatis reperiri; quamobrem contractus generatim sumptus per eos optime divideretur: sed quia in contractibus nominatis determinatum & speciale nomen habetur, secus vero in contractibus innominatis; ideo his potius distinguendis adhibetur.

XI. Plures Juristæ inter contractus nominatos, & innominatos assignant differentias, de quibus etiam late disputant: Verum cum hæ locum non habeant nisi in exteriori foro, & solum, ubi Romanæ leges ad amussim servantur, valeant; si quid modo valeant,

eas præterire, & omittere satius duco: præsertim cum in jure canonico, ubi contractuum nominatorum, & innominatorum retinetur distinctio, nullius differentiæ habeatur respectus; & par virtus, & æqualis efficacitas tribuatur utrisque contractibus, quando constet contrahentes se obligare voluisse; cum legum canonicarum æquitas religiose & pie sequatur semper quoad obligationes & actiones forum interius, & obligationem conscientiæ, & illam semper fovere intendat, & suo auxilio roborare.

XII. Quintam contractuum divisionem hic memorandam ex modo, quo eosdem perfici contingit, Romana jura desumunt; nam alios re, alios litteris, alios verbis, alio solo consensu perfici eadem animadvertunt, ut patet in Instit. Justin de obligat. in fine. Perfici autem contractus intelligitur, quando habet omnia necessaria, quæ secundum suam speciem requirit, ut tale nomen mereatur, sive traditio rei sit necessaria, sive non: nam alia ratione omnes contractus perfecti appellantur, quando res, circa quam versantur, est tradita. Sic emptio dicitur perfecta, quando merces est tradita, & pretium solutum. Verum de hac perfectione modo non loquimur, quæ non est intrinseca, & essentialis rationi contractus: emptio enim, & venditio perfectæ existimantur, etiam ante traditionem, semel ac inter emptorem, & venditorem convenit de pretio. Igitur illi contractus re perficiuntur, quibus contrahentes nequaquam reputantur obstringi, nisi res conventa saltem ab una parte tradita fuerit. Hujusmodi in Instit. enumerantur mutuum, commodatum, depositum, pignus seu pignoratio &c., immo ad id genus revocat Bartolus cum aliis omnes contractus, quorum nomina executionem significant, ut donatio, permutatio, & similia in quibus proinde distinguere non est tempus absolutæ conventionis a tempore executionis, quia eodem momento & obligatio nascitur, & nata extinguitur, contrahitur debitum & solvitur per rei promissæ & debitæ præstationem, qui est optimus solvendi contractum, & extinguendæ obligationis modus. Litteris perficiuntur contractus, qui, antequam scripturæ consignentur, rati non habentur, ut Emphyteusis, Feudum, & omnes alii contractus, quos contrahentes concludere non intendunt, nisi coram Notario, qui instrumentum conficiat, ut contingit in censu. Non est tamen universaliter verum, quod aliqui Juristæ, & Theologi censent, nempe quoties partes ad Notarium recurrunt, ut fiat scriptura, signum esse voluisse, contractuum vim ab ipsa pendere; & ideo non perfici, nec oriri obligationem, donec scriptura confecta fuerit, quippe non raro maxime in contractibus, qui communi usu scripturam non exigunt, solius fidei & obligationis in foro externo faciendæ gratia adhibetur, non ad obligationem primo inducendam. Verbis perficiuntur contractus, qui requirunt certam verborum formulam, tales sunt omnes stipulationes. Hæ autem in jure Romano sunt formulæ quædam, quæ constant interrogatione prævia unius contrahentis, & responsione subsecuta alterius: ex. c. Spondes dare tantum? Spondeo. Promittis centum? Promitto. Dabis mille pro domo mea? Dabo. Fides jubes? Fide jubeo; & sexcentæ similes. Sed hic duo notanda veniunt: 1. Omnem prorsus contractum debere aliquibus verbis, aut æquivalentibus signis constare; alias siquidem contrahentes non possent in idem placitum, & in eam-

dem

dem obligationem consentire, quod proinde necessarium, & essentiale est in omni contractu; & in hoc sensu contractus non potest esse membrum allatae divisionis, cum totum divisum comprehendat; sed quatenus fit conceptis verbis a lege praescriptis, scilicet illa interrogatione, & subsecuta responsione, quae ad stipulationem pertinent. Secundum est, stipulationem, qualem leges Romanae praescribunt, per priscam illam interrogandi, & respondendi rationem esse jam hodie usu, & legibus antiquatam, & abrogatam, utpote nimium superstitiosam. Demum solo consensu perficitur contractus, quandocumque ex dispositione legum civilium nec traditio, nec scriptura, nec verba concepta, & determinata necessaria sunt ad illum stabiliendum. Quod ita constitutum est, quia cum obligatio naturalis semper ex solo consensu, quibuscumque verbis, vel signis explicato noscatur, semper etiam solus consensus sufficit ad contractum naturalem, cui leges civiles obligatione sua civili robur addere intelligendae sunt, quoties non exprimunt requiri traditionem, scripturam, aut stipulationem, ut contractui & obligationi naturali assentiantur, vel ut contractus, & pacta servari faciant, quod ad observantiam legis naturalis, ad pacem Reipublicae, ad utilitatem civium, ad fovenda commercia quamplurimum conducit. Et ideo omnes contractus nominatos, quos jus Romanum novit, & suis legibus sanxit, solo licet consensu peractos, suo auxilio & obligatione civili confirmat; & solum in his, quos non novit, videlicet innominatis, & ignobilibus, traditionem, aut scripturam, aut stipulationem ad illorum vim per obligationem civilem conferendam requirit. Cum tamen, ut diximus, nec lex canonica, nec variorum Regnorum particulares leges vel pro contractibus innominatis, nudisque pactis ista postulent adminicula, solo consensu sufficienter explicato contenta.

XIII. Sexto dividuntur contractus in absolutos, & conditionatos. Sed de hac divisione, quae multas implicat & doctrinas, & difficultates, quemadmodum & de aliis quibusdam, quae hic loci solent ab auctoribus recenseri, commodius infra, ubi de qualitatibus contractuum sermo fiet.

CAPUT SECUNDUM

Consectaria Praecedentis Doctrinae.

I. *Ad contractus celebrandos duae saltem requiruntur personae.*
II. *Obligatio naturalis praecipua est in contractibus.*
III. *Quilibet contractus ex promissione resultat, & acceptatione.*
IV. *Etiam lucrativis contractibus definitio data perfecte convenit.*
V. *Depositum non est ab albo contractuum expungendum.*

CONSECTARIA, quae ex his, & sequentibus generalioribus doctrinis sunt deducenda, in peculiaribus contractibus clarius, & manifestius apparent: eapropter illa ibi exponenda reservamus, ne vel bis eadem repetere cogamur, vel doctrinae ordinem, & methodum perturbare. Nonnulla igitur hic generalia dumtaxat expendemus consectaria, quae ad positas illustrandas doctrinas magis arbitrabimur opportuna. Sit igitur

CON-

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. Cum pactum dixerimus duorum, vel plurium consensum, manifeste consequitur, plures, vel saltem duas & personas, & voluntates ad ineundum contractum postulari: quia nec consensus, nec conventio locum habere potest, nisi duæ saltem personæ, voluntatesque in eodem placito conjungantur. Hinc ulterius inferre licet, nec promissionem, nec donationem ante acceptationem, neque e converso stipulationem, antequam alter promissionem elicuerit, contractum esse posse, utpote quæ nondum vel solius pacti acceperit conditionem.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Obligatio naturalis, quæ ex ipsa lege naturæ consurgit, est præcipua in contractibus. Nam & hæc semper consequitur, licet ex aliquibus contractibus civilis obligatio non sequatur; cum & antequam leges civiles conderentur, veri contractus inter homines celebrarentur, qui proinde sola naturali obligatione firmabantur. Civilis vero obligatio accessorium quid est, & veluti subsidium ad naturalem obligationem sustinendam. Et licet non desint aliqui Auctores, qui quosdam dari contractus arbitrantur, solam civilem obligationem sine naturali parientes; illorum tamen sententia ita omni solido fundamento vacua invenitur, ut generaliter tenendum sit, nunquam obligationem civilem esse sine naturali; quamvis aliquando contingere possit, ut naturalis civilem adjunctam non habeat. Quod tamen ultimum eatenus verum intelligendum est, quamdiu leges civiles eos contractus non irritent, qui alias naturalem inducerent obligationem. Sunt enim contractus, quibus jus civile assistit: & hi utraque obligatione & naturali, & civili fulciuntur. Sunt, quibus jus civile resistit, & adversatur, qui omni prorsus nudati robore, neque naturalem retinent obligationem, ut infra ostendemus. Sunt denique 3. loco, quibus civilia jura nec assistunt, nec resistunt, sed eos tales relinquunt, quales se haberent ex jure Gentium: & de istis dixi, quamvis civili destituantur obligatione, naturalem tamen non amittere.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Contractus quilibet ex duabus partibus necessario componitur, quarum una dicitur promissio, altera acceptatio. Nam cum obligatio quidpiam præstandi sit effectus contractus, & etiam objectum, in quod contrahentium voluntates consentire debent; non pari modo & ratione in ipsum consentire possunt: sed necesse est, ut alter contrahentium se obligare velit, alter obligari; idest unus obligationem efficiat, recipiat alter, proinde unus promittat, alter acceptet. Promissio autem hæc (ne confundantur cum specifico contractu ejusdem nominis) prout significat propositum absolutum obligandi se alteri ad quidpiam dandum, vel faciendum ex virtute justitiæ commutativæ ante acceptationem, sive postea acceptatio ejus, cui sit promissio, adjungatur, sive non, contractus non est, sed pars contractus altera, & in potentia quidem, si nondum sit acceptata, in actu vero, si cum acceptatione jungatur, & illi cum debita morali conjunctione uniatur. Dixi, prout propositum absolutum est, quia si verba, quæ promissionem videntur exprimere, reipsa careant intentione se obligandi, vel meram exprimant enunciationem ejus, quod facere molior, vel quod imposterum a me factum iri nunc opinor; vel

etiam

etiam si propositum quidem me obligandi, non tamen justitiæ commutativæ vinculo, sed solius fidelitatis, liberalitatis, gratitudinis, amicitiæ, alteriusve moralis honestatis titulo declarent, ad verum constituendum contractum nequaquam sufficiunt, & valent.

Consectarium Quartum.

IV. Definitio contractus superius data quoslibet contractus, etiam mere lucrativos, & gratuitos complectitur. Nam & in istis reperitur vera conventio, & consensus in eamdem obligationem, vera promissio & acceptatio; & ex his vera oritur obligatio: neque enim obligationem ex contractu prodeuntem mutuam esse necesse est; quamvis oporteat mutua esse voluntate firmatam. Quia vero in contractibus onerosis duæ producuntur obligationes, duæ promissiones, duæ acceptationes, & denique omnia duplicia interveniunt; non immerito quilibet ipsorum contractus compositus ex duplici contractu dici potest, cum lucrativi unum tantum contractum contineant.

Consectarium Quintum.

V. Depositum non est ex albo contractuum expungendum. Contrarium sentiunt nonnulli Theologi, ea permoti ratione, quod nihil in eo transferatur de uno ad aliud, non dominium, non ususfructus, immo nec usus. Verum res ipsa, quæ in depositum datur, transfertur a deponente ad depositarium, & non quidem sola manuali, & materiali translatione, sed cum obligatione eam custodiendi, & onere restituendi, si forte ex ejus culpa pereat; quamobrem illud jus violat, qui rem depositam furatur, hic enim non solum injuriam irrogat domino, sed & depositatio.

CAPUT TERTIUM.

De consensu ad contractum necessario, & de dolo illum corrumpente.

Doctrina.

I. Dubio procul ad contractus valide ineundos certum est utriusque partis consensum, & quidem sufficientem ad actum humanum constituendum libertate præditum, indispensabiliter desiderari. Sed quid veritati consensus, quid ejusdem libertati contrarium sit, est operosius inquirendum: gravissimæ enim circa præfati consensus impedimenta quæstiones versantur, quarum enodatio ad fundamentalem facit hujusce materiæ doctrinam.

II. Et quidem 1. ad valorem contractus talis non sufficit consensus, quo contrahentes velint ponere verba, vel signa externa, quæ per contractus fieri solet, etiamsi animum contrahendi, seseque obligandi nedum non habeant, sed & excludant, & solum exterius simulent. Oppositum sustinent nonnulli Theologi, qui ad suæ sententiæ probationem præcipue proferunt, & exagerant inconvenientia & absurda,

quæ ex necessitate consensus interni, qui hominibus non potest esse perspectus, nata sunt consequi: quandoquidem conventionum fides sic semper labesceret, & falsorum hominum deceptionibus esset exposita. At nostræ assertioni Theologorum torrens consentit, quorum tantæ consensioni vix sine temeritatis nota quis posset resistere. Confirmant autem validæ rationes. Nam 1. ipsæ Leges civiles hoc declarant. Leg. 1. §. *Conventiones* ff. de pactis sancitur. *Dixit Pedius, nullum esse pactum, nullam obligationem, quæ non habeat in se consensum, nam & stipulatio, quæ verbis fit, si non habet consensum, nulla est*. Quibus postremis verbis exigitur ad valorem contractuum consensus internus, idest consensus distinctus a libera voluntate proferendi dumtaxat verba obligatoria. Et revera obligatio, quæ est ex contractu, tota nascitur a voluntate se obligantis: igitur ubi non est voluntas se obligandi, non est obligatio. Præterea id, quod nostrum est, sine voluntate nostra ad alium transferri non potest: omnis enim res per quascumque causas nascitur, per eas dissolvitur. Quare sicut ad acquirendum dominium non sufficit actus externus, quo ostendo me velle dominium acquirere, si voluntas interius sit contraria; sic non possum dominium acquisitum vel partem dominii, aut aliud simile jus valide ad alium transferre, si habeam voluntatem contrariam non transferendi. Ceterum notandum est, consensum istum interiorem, seu animum se obligandi, qui ad valorem contrctus necessarius est, non oportere formalem esse & explicitum; sed satis esse, si virtualis sit, atque implicitus, videlicet contentus in voluntate deliberata contrahendi eo modo, quo homines consueverunt. Immo quoties intentio promittendi adest, in hac implicatur etiam voluntas se obligandi: cum promissio pariat obbligationem, & qui vult causam, etiam effectum implicite velit, oporteat. Nec obstat, contractus sine consensu interno, externo tamen initos pro validis in foro externo haberi: hoc enim contingit, quia externum forum consensum adfuisse præsumit, cum enim delicta gratis non præsumantur, quisque censetur sentire, prout loquitur.

III. Qui haberet animum promittendi, seu contrahendi, sed cum voluntate non se obligandi, sufficientem haberet ad valorem contractus consensum. Inficiantur nonnulli hanc doctrinam, ea moti ratione, quod conditio apposita contraria substantiæ contractus ipsum annullat, ut constat ex cap. finali de conditionibus appositis; ut si quis velit ducere uxorem solum ad certum tempus: porro carentia obligationis est contra substantiam promissionis. Deinde quia obligatio in contractu non nisi ex voluntate potest oriri, quæ deest in proposito casu. Alii cautius procedendum censent, & cum Cardinali de Lugo promittentis animum expendendum dicunt. Sunt enim, inquiunt, duæ veluti contrariæ voluntates, una promittendi, altera se non obligandi. Dispiciendum ergo est, utra prævaleat: si enim primario, & absolute quis nolit se obligare, non consentire censendum est; & nullus habendus contractus: si vero primario, & principaliter velit promissionem, & solum excludat obligationem, quia sibi onerosam, consensum sufficientem habere affirmandum, & contractus validus pronuntiandus. Hanc animadversionem non rejicio, sed ex ipsa puto inferri validam rationem positæ meæ doctrinæ. Nam illa profecto est censenda efficacior, & fortior

tior voluntas in hac duarum voluntatum oppositarum pugna, quæ operatur, & in actum prorumpit, non quæ otiosa, & iners est. Porro voluntas contrahendi est illa, quæ in actum promissionis prorumpit, quæ contractum celebrat, dum alia, quæ refugit obligationem, non solum latens, sed & otiosa ac iners est: ergo illa efficacior, ergo validus consensus, firmus contractus. Et revera cum obligatio effectus sit, qui necessario promissionem consequitur, nequit promittentis arbitrio suspendi, vel impediri: atque adeo qui vere vult promittere, & promittit, velit nolit, implendi obligationem sibi injicit. Præterea cum in tali contrahendi modo dolus interveniat, & deceptio alterius partis existimantis bona fide, & vere contractum fieri, tenetur deceptor deceptionem tollere, sincera apposita se obligandi voluntate, & etiam quod exterius promisit, implere.

IV. Qui habet animum manifestum se obligandi, sed solum leviter, & sub veniali, etiamsi res vel materia contractus sit ex se gravis, consensum non habet, qui ad contractus valorem sufficiat. Contrarium sentiunt Sanchezius, Henriquez, aliique Theologi, qui obligationem contractus ex sola contrahentium voluntate, non ex materiæ qualitate dimetiuntur. Verum cum nos non semel docuerimus cum nostro Soto, neminem posse se in gravi materia leviter obligare, sed obligationem esse materiæ commensurandam, consequenter dicimus, qui declarat se habere animum solum se leviter obligandi in re gravi, significat sibi non esse animum vere contrahendi, proinde nullus esset contractus. Præterea plurimi ex ipsis Theologis, qui censent, posse quemlibet in materia gravi se leviter tantum obligare, quando voluntarie assumant obligationem, tamen adhuc affirmant, hoc locum non habere in contractibus: quod ostendunt exemplis sponsalium, matrimonii, professionis religiosæ, mutui, donationis, aliorumque contractuum dominium transferentium, in quibus quis dixerit posse sub veniali tantum se obligare, vel quando eis grave est, posse sine gravi injuria retrahi, & recedere domino invito? Ratio autem generalis nostræ assertionis, & ad omnes contractus se extendens, ea est, quia obligatio ex contractu suscipienda, est obligatio justitiæ commutativæ, ut cap. 1. diximus, quæ obligatio profecto mensurari debet ex conditione materiæ, illique proportionari, non ex mero libito contrahentium: hi enim possunt quidem impedire, ne oriatur obligatio, a contractu abstinendo, non tamen possunt obligationem ortam limitare, ne materiæ gravitati adæquetur.

V. At si consensus effectus sit mali doli exterius adhibiti, num ita libertate careat ad contractus validitatem requisitam, ut illum irritum, & nullum reddat, dissentiunt Theologi, qui nedum contrarie, sed ita obscure confuseque loquuntur, ut sine aliqua prænotione, & non nisi per plures propositiones veritas dilucide possit explicari. Primum itaque exponendum, quid sit, & quotuplex dolus. Licet dolus, ut animadvertit D. Thom. 2. 2. q. 55. a. 4. ad 1. in malo accipiatur sensu, abusive tamen etiam bonum aliquid significat, nimirum laudabilem aliquam solertiam ad se, & bona sua, vel proximi conservanda, non causando deceptionem adhibitam, sed permittendo, ut errandi alter occasionem patiatur: unde ajebat Apostolus 2. ad Corinth. 12. *Cum essem astutus, dolo vos cepi*. Pertinet autem dolus ad astutiam, cujus

jus proprium est *assumere vias non veras, sed simulatas, & apparentes ad aliquem finem prosequendum, vel bonum, vel malum,* ut scribit idem A. P. *Excogitare autem has vias simulatas pertinet ad ipsam astutiam, quæ adversatur prudentiæ, cujus munus est excogitatio rectarum viarum ad debitum finem.* Executio autem harum viarum, quæ simulatæ sunt, & apparentes, ad dolum pertinet, *qui importat quamdam executionem astutiæ.* Optime itaque L. 1. ff. de *dolo malo* dolus definitur: *Machinatio alterius causa decipiendi, cum aliud agitur, aliud simulatur.* In quibus verbis machinatio designat tum parvum consilium, & propositum ordinatum ad alterum decipiendum, quod ad astutiam pertinet, tum etiam modum, qui huic intento deservit, & proprie dolus dicitur. Plurifariam autem potest deceptio induci, nimirum vel silentio, reticendo quod verum est; vel verbis loquendo falsum; vel rebus, & opere errorem alterius procurando. Prior modus in jure dicitur *calliditas* 2. *fallacia*, idest dolus, qui ut scribit S. Thom. l.l. „ maxime tribuitur locutioni, " licet statim subdat: „ Contingit tamen esse dolum & in factis ... & est etiam dolus in corde, secundum illud Eccli. 19. *Interiora ejus plena sunt dolo* ". Sed hoc est, secundum quod aliquis dolos excogitat. 3. Fraus, quæ ut docet S. Th. art. seq. a dolo distinguitur, quia fit per facta, scribens: „ Sicut dolus consistit in executione astutiæ, ita etiam & fraus. Sed in hoc differre videntur, quod dolus pertinet universaliter ad executionem astutiæ, sive fiat per verba, sive per facta; fraus autem magis proprie pertinet ad executionem astutiæ, secundum quod fit per facta ".

VI. Dolus igitur, de quo modo loquimur, qui etiam dolus malus appellatur, duplex est ex parte causæ inducentis: vel enim provenit a consilio, vel saltem consensu unius contrahentis; vel solum a tertiæ personæ improbitate sine alicujus contrahentis scientia, vel approbatione. Rursum vel est dans causam contractui, ut pote quo non interveniente contractus non fieret; vel non dat causam contractui, sed est solum concomitans, seu incidenter, aut consequenter se habens, quoniam & ipso detecto nihilominus celebraretur. Tandem ex parte objecti contingere potest dolus vel circa substantiam contractus, ut si quis fallens venderet vas inauratum pro aureo; aut circa personas, si pro Rachele daret Liam; vel denique in qualitate, si promittens generosum equum, daret protervum, meticulosum, aut tardum. His prænotatis ad doctrinam progredimur, ac certas quasdam Regulas statuimus.

Regula Prima.

VII. Qualiscumque, & qualitercumque dolus contingat circa substantiam, vel circa personam, quæ sit objectum, vel materia contractus, vel propter hujus diversitatem idem objectum mutetur, tunc ipsomet jure nullus est contractus. Hujus doctrinæ ratio est manifesta, quia dolus adhibitus circa substantiam rei errorem inducit in ipsum contractum, qui omnino evadit involuntarius, & non liber, ut paulo infra ostendemus ex S. Thom. proinde nec essentiam retinet contractus. Hinc si venditor mihi petenti calicem aureum dolose det inauratum, nullus omnino est contractus, qui non est de calice inaurato, sed aureo. Præterea additur etiam injuria per dolum malum illata, ob quam etiam actionem criminalem valet

let instituere deceptus apud judicem, quæ actio nuncupatur de dolo malo, quæ etiam reputatur famosa; quia delictum & valde turpe præsupponit, ut videre est in toto tit. de *dolo malo*, qui tum ff. tum in Codice reperitur. Quapropter si cui in emptione tela pro serico, vitrum pro gemma, in matrimonio Lia pro Rachele, in professione Religiosa Regula S. Francisci pro Regula S. Dominici substitueretur, certissimum est actus inde consecutos omni valore destitui.

Regula Secunda.

VIII. Si dolus in contractu versetur circa qualitates, & qui non a malitia provenerit contrahentis, sed ex tertiæ personæ, puta proxenetæ, astu, sive dederit causam contractui, sive non, nec jure naturæ, nec jure civili vitiosum reddit contractum. Non quidem jure naturæ, quoniam ex una parte in contrahente decepto adest voluntarium simpliciter circa substantialia contractus, cui dolus circa aliquam qualitatem accidentariam nequaquam præjudicat. Ex alia vero parte contrahens non est causa illius deceptionis, quam alter contrahentium patitur, proinde nec damnum pati debet erroris, sine sua culpa ex solo facto alieno secuti. Nec ex lege civili, quia nec uspiam invenitur hujusmodi lex, nec esset expediens eam legem fieri; quoniam dedecet innocentem sine aliqua culpa prægravari: id vero contingeret, si ob dolum illatum posset deceptus a contractu resilire. Advertendum tamen est, quod eo in casu decipiens teneretur in utroque foro damnum sarcire suo dolo causatum; quoniam, ut clamant jura, qui causam damni dedit, damnum dedisse videtur.

Regula Tertia.

IX. Si deceptio circa qualitates accidentarias contractus causetur quidem ab altero contrahente, sed tamen non det causam contractui, contractus adhuc validus est. Nam ex parte contrahentis decepti adest consensus simpliciter voluntarius quoad substantialia, nec circa accidentalia adest positivus dissensus, seu repugnantia; quoniam dolus non dat causam contractui, qui etiam sine illo locum haberet.

Regula Quarta.

X. Quoties dolus inducens errorem circa qualitates accidentarias est ab altero contrahente, vel saltem hic est conscius & particeps doli a tertia persona adhibiti, & idem dolus dat causam contractui, probabilius existimo contractus ex tali dolo procedentes, spectato naturæ jure, non omnino invalidos esse. Huic regulæ, quæ communis est apud Theologos, adversatur Concina; sed ea firmissimis, ut mihi videre videor, nititur argumentis. Nam 1. In hujusmodi contractibus deceptus præbet consensum simpliciter voluntarium ad ea, quæ sunt de essentia, ac substantia contractus, & solum censetur invitus quoad causam contrahendi extrinsecam; quod certe non impedit voluntarium simpliciter, requisitum ad valorem contractus. 2. Quia si deceptio circa qualitates dans causam contractui hunc redderet irritum, hanc vim haberet etiam in matrimonio; & tamen certo certius est matrimonium & validum esse, quoniam est contractus indissolubilis, & validum permanere, nec posse rescindi; licet similis dolus in ejus celebratione interveniret. 3. Quia si deceptus velit contractum ex præ-

præfato dolo consistere, non potest decipiens, ut omnes fatentur, a contractu resilire, sed tenetur ipsum servare; neque enim debet commodum ex fraude sua reportare; etenim si qua irritatio hujusmodi contractuum jure civili conceditur, est in favorem deceptorum, non decipientium, ut dicitur L. 1. ff. *de dolo* in principio, *ne vel istis malitia sua sit lucrosa, vel illis simplicitas sit damnosa*. Validus igitur reputatur. Verum quidem est, etiamsi præfati contractus non statim sint ipso jure naturæ irriti, non habere tamen omnem firmitatem. Siquidem jus manet decepto obligandi decipientem ad rescindendum contractum, si aliter ipsum a damno indemnem reddere non valeat. Præterquam quod quamvis deceptus contractum revocare non curet, adhuc tamen decipiens in foro conscientiæ, & ante omnem Judicis sententiam ea omnia damna reparare tenetur, quorum per dolum adhibitum causa fuit. Opponit Concina, qualitatem rem afficientem, tametsi in esse physico sit quid adventitium & accidentarium, in ordine tamen civili, & moralis substantiæ rationem induere respectu contrahentium. Fatemur quidem & nos, quando qualitates rerum in substantiam transeunt contractus, nullum reddere contractum, ut ostendemus in sequenti capite. At non semper qualitates a contrahentibus hoc modo spectantur, & solum in hoc casu dicimus, dolum circa qualitates non reddere contractus jure naturæ irritos. Ut si quis vestem emeret, quia falso illi dicitur esse amici sui ex indigentia eam vendentis, quam alias non emeret, & postea dignoscit fuisse alterius personæ sibi ignotæ, validus est contractus.

CAPUT QUARTUM.

De Contractibus ex errore, vi, & metu celebratis.

DOCTRINA.

I. *Num ignorantia, error, inadvertentia contractus irritent.*
II. *Non omnis error, & ignorantia tollit valorem contractus.*
III. *Error in substantia semper irritat contractum.*
IV. *Et etiam error in persona.*
V. *Nec vero error in qualitatibus, & accidentibus.*
VI. *Num vero, si dictus error circa accidentia det causam contractui.*
VII. *Num vis, & metus tollant valorem pactis. Regulæ ponuntur.*
VIII. *Regula I.* IX. *Regula II.* X. *Regula III.*
XI. *Regula IV.* XII. *Regula V.* XIII. *Regula VI.*
XIV. *Regula VII.* XV. *Regula VIII.*
XVI. *Regula IX.* XVII. *Regula X.*

I. IGNORANTIA, error, inadvertentia impediunt veritatem, & libertatem consensus, qui est ad contractus valorem necessarius. Hæc tria simul conjunxi, quia in unum, ac idem recidunt. Ignorantia enim simpliciter dicta omnem habitualem notitiam rei, quæ dicitur ignorari, per modum privationis excludit. Error ultra defectum scientiæ, falsam etiam, ac vero contrariam cognitionem importat: unde a Theologis ignorantia appellatur pravæ dispositionis. Inadvertentia vero æquivalet ignorantiæ, seu est actualis quædam ignorantia, quatenus hic & nunc actualiter non cognoscitur, quod alias cognitum fuit, vel inadvertentia cessante

fante facile cognosci posset. Hæc igitur singula libertatem consensus impediunt immo consensum ipsum tollunt circa verum objectum contractus sic initi, quoniam voluntarii rationem removent: nihil enim volitum, quin præcognitum; & non est præcognitum, quod ignoratur. Unde passim jura clamant: *errantis nullum esse voluntatem, nullum esse consensum*. Certissimum itaque esse debet, omnem contractum per ignorantiam, errorem, atque inadvertentiam celebratum, nullum esse, & irritum, nullius valoris, & effectus. Quod verum etiam est (cum limitationibus tamen mox declarandis) sive ignorantia fuerit vincibilis, sive invincibilis, sive juris, sive facti, sive causam dederit contractui, sive non dederit, sive in alterutrum contrahentium inducta fuerit ex alterius contrahentis deceptione, sive ex alicujus tertii fraudulentia, sive ex propria hallucinatione. Quamvis enim non quælibet ex his ignorantiis excusare valeat a peccato, nec quælibet in externo foro contractum irritet; quælibet tamen reipsa, & in foro conscientiæ contractum destruit, quia tollit consensum. Forum enim exterius sæpe sæpius innititur præsumptionibus, quæ non semper favent alleganti ignorantiam. At hujusmodi præsumptiones in foro interno conscientiæ locum non habent, in quo solum rei veritas attenditur.

II. Non omnis ignorantia, error, & inadvertentia circa quælibet eorum, quæ possunt inesse contractui, vel contrahentes contrahendum movere, nullum efficiunt contractum. Fieri enim potest, ut unus & idem contractus circa unum objectum, vel circumstantiam ex pluribus, quæ ad suam materiam pertinent, sufficienti notitia, & deliberatione dirigatur, circa alteram vero inadvertentia, vel ignorantia, vel errore libertatem excludente laboret; sicut & in aliis humanis actibus passim contingit, ut quoad aliquid liberi sint, quoad aliquid vero liberi non sint. Nam c. ex qui comedit carnes die Veneris, putans esse diem Jovis, vel ignorans esse diem Veneris, vel si alias sciebat, & meminerat, tunc non advertens, sine dubio libere carnes comedit, & actus ille deliberatus est quoad comestionem, sed respectu malitiæ idem actus est involuntarius, & caret libertate propter ignorantiam, vel inadvertentiam præcepti. Idem est de eo, qui sagittam immittit in hominem, putans esse feram; immissio illa sagittæ procul dubio est actus liber sed immissio in hominem libera non est, quia volebat immittere in feram, & per errorem immisit in hominem. Similiter & in contractibus contingere potest, ut voluntates contrahentium quoad aliquid pertines ad materiam contractus, libertate gaudeat, secus vero quoad aliud. Est igitur dispiciendum, utrum id, circa quod in contractu error, ignorantia, & inadvertentia versatur, sit tanti momenti, ut deficiente circa ipsam deliberatione concidat omnino contractus, omnique vigore privetur. Notandum vero est triplicem errorem (& idem intellige de ignorantia, & inadvertentia, posthac enim solius erroris, utpote frequentius in jure nominati, mentionem faciam) in contractu intervenire posse, aut circa substantiam, aut circa personam, aut circa qualitates, item vel dantem causam contractui, vel non dantem, sicut superius cap. præced. de dolo diximus §. 6. Rursum triplex esse potest error vel ignorantia, nimirum concomitans; quando (inquit S. Th. 1. 2. q. 6. a 8.) " est

„ est de eo quod agitur, tamen etiamsi „ sciretur, nihilominus ageretur; & „ tunc ignorantia non inducit ad vo- „ lendum, ut hoc fiat; sed accidit si- „ mul esse aliquid factum, & ignora- „ tum, sicut . . . cum aliquis vellet „ quidem occidere hostem, sed ignorans „ occidit eum, putans occidere cer- „ vum “. 2. Consequens, „ *inquantum* ipsa ignorantia est voluntaria „. 3. An- „ tecedens, „ quando . . . non est „ voluntaria, & tamen est causa volen- „ di quod alias non vellet „. His præmissis.

III. Error in substantia semper vitiat contractum, & ipso jure nullum efficit. Certa est hæc propositio, &, ut ita dicam, indubitabile juris dogma, ut enim dicitur L. *in omnibus* 57. ff. de oblig. & act. *In omnibus negotiis contrahendis . . . si error aliquis intervenerit, puta, si aliud senserat, qui emit, aut qui conducit, aliud qui cum his contrahit, nihil valet, quod actum est*. Ratio autem est manifesta, nam ut docet S. Thom. l. l. error circa substantiam est error in ipso contractu, & non in accidentibus illius; ideoque ex eo fit involuntarius, & non liber: actus ex ignorantia antecedente procedens nec liber est, nec voluntarius. „ Antecedenter (scribit „ S. Thom.) se habet ad voluntarium „ ignorantia, quando non est volunta- „ ria, & tamen est causa volendi, quod „ alias non vellet . . . puta cum aliquis „ diligentia adhibita projicit sagittam, „ qua interficit transeuntem, & talis „ ignorantia causat involuntarium sim- „ pliciter . . .“ Quamobrem nullus est contractus illius, qui vinum emere volens, per errorem accepit acetum; hoc enim posterius omnino non vult, ac proinde nec contractum tali errore vitiatum.

IV. Error in persona, quotiescumque hæc ad objectum & materiam contractus pertinet, tollit consensum, & nullum efficit contractum; secus vero, si non pertineat. Ratio primæ partis est, quia cum objectum, & materia ad substantiam spectet, & essentiam contractus, error circa personam, quæ est objectum, est error in ipsa substantia contractus, idest in re, cujus dominium c. ex per venditionem transferri debet: & cum in omnibus contractibus error in substantia ideo nullitatem inducat, ne quis errans, & invitus, & sine sua voluntate obligetur, & dominium suæ rei admittat, vel acquirat, quod nolit; multo magis id cavendum, quando persona, quæ tanto pretiosior est quam res, est materia contractus. Idipsum manifestis exemplis ostenditur in Professione Religiosa, in qua persona Religiosa est, quæ se ipsam donat Deo; in matrimonio, in quo personæ conjugum se invicem sibi donant; in sponsalibus, in quibus se mutuo promittunt; in emptione servi, in quo legibus constitutum est, ut error in persona servi empti vitiet contractum. Ratio secundæ partis est, quia quoties persona non pertinet ad objectum, vel materiam contractus, parum aut nihil confert ejus diversitas ad inducendum, vel impediendum consensum: ut si in equo, vel calice vendito fit plenum voluntarium, & nullus fit defectus, quod iste equus, vel calix sint Petri, vel Francisci, certe nihil interest, nec facit ad causam.

V. Si error sit circa qualitates, & accidentia rei, quæ est materia contractus, & ex hallucinatione contrahentis procedat, non tollit consensum, nec contractum irritum reddit. Siquidem Romanæ leges irritos non existimant contractus, errore circa præfatas qualitates

tates accidentarias laborantes, ut patet in toto tit. in ff. de ædilitio edicto; licet quando qualitates sunt admodum pertinentes ad causam contractus, idem edictum concedat actionem redhibitoriam, scilicet qua petant contractum rescindi, quæ actio supponit ipsosmet jure non esse rescissos. 2. Evincitur ratione. Nam cum tali errore circa qualitates consistit voluntarium simpliciter, tum quoad speciem contractus, tum quoad substantiam materiæ. Porro hoc voluntarium sufficit ad valorem contractus; quoniam simpliciter non ignoratur, nec simpliciter nolitum esse potest, quod quantum ad sua substantialia non latet. 3. Probant argumento ab inconvenientibus adducto: cum enim qualitates accidentales rerum, quæ cadunt sub contractu, innumeræ possint esse, itaut nec in perspicaciorum notitiam omnes veniant, si illorum ignorantia obesset valori contractus, jam nihil fixum, nihil firmum esset in humanis commerciis, & passim contrahentes resilire vellent a celebratis contractibus, obtendendo ignorantiam aliquarum circumstantiarum, vel accidentium, quæ prius animadversa non fuissent.

VI. At si error qualitatum talis sit, ut etiam causam contractui dederit, ita ut si error non præcessisset, nunquam contractus fuisset initus, num illum irritum reddat, digladiantur inter se Theologi. Quidam affirmant, inter quos & Concina, ut diximus cap. præced. n. 10. quia putant, tunc qualitatem rei moraliter considerari ut substantiam, & objectum contractus. Alii distinguunt inter causam principaliter motivam, & causam mere impulsivam, talem videlicet sine qua contractus quidem celebratus fuisset, sed non ita libenter, quemadmodum detecto errore. Verum hæc distinctio non mihi videtur admodum accurata, vel opportuna ad intentum; quoniam causa mere impulsiva non est vera causa contractus, qui locum haberet, etiam ipsa non concurrente. Quamobrem ipse communiorem sententiam secutus, censeo etiam errorem dantem causam contractui non obesse valori contractus ejusdem, quoties versetur circa qualitates mere accidentarias materiæ tum physice, tum moraliter spectatæ. Patet istud in matrimonio, cujus valor subsistit, licet qui aliquam ducit uxorem, nobilem, aut pulcram, aut virginem existimaverit, alias non ducturus, quam postea deprehendit plebejam, pauperem, deformem, aut corruptam; dummodo circa personam nullus præcesserit error. Et ne dicant matrimonium esse specialem contractum, de se indissolubile, afferam aliud exemplum: si quis emat calicem, putans esse sacerdotis sui amici ex indigentia illum vendentis, animo illum ipsi sacerdoti donandi, alias non empturus, & postea reperiat Calicem esse alterius personæ plane sibi ignotæ, quis dicat contractum hunc esse jure naturæ irritum, ac propterea nullam emptionem? Nemo, puto, ita sentiet. Quando vero qualitates physicæ moraliter transeant in substantiam contractus, dicemus in Consectariis.

VII. Non solum error, & ignorantia, sed & vis, & metus contractuum impediunt valorem, non quia necessariam tollant cognitionem, sed quia tollunt, vel minuunt libertatem. Quando autem hoc præstent, modo ostendemus, nonnullis præmissis per varias propositiones. Præmittendum igitur est, quid importet vis, & metus, & quotuplex sit. Vis, & metus pro eodem sumuntur: licet enim vis, seu violentia,

ſimpliciter dicta diſtinguatur a metu, cum illa tamen in humanos actus cadere non poſſit, & præcipue in actus interiores voluntatis, cujuſmodi eſt conſenſus ad contractus ineundos neceſſarius, ſupervacanee, utrum eoſdem irritare valeat, requireretur, cum in iis locum habere non poſſit. In jure igitur vis cum metu confunditur; quoniam & metus aliquando agendi neceſſitatem inferre videtur. Eſt ergo metus ex definitione Ulpiani L. 1. ff. *Quod cauſa metus; trepidatio mentis, cauſa imminentis, vel futuri periculi*. Dividitur in gravem & levem. Gravis metus eſt, quo grave malum, & ex gravi ſuſpicione timetur: contra levis, qui habet pro objecto malum leve, vel qui a levi tantum ſuſpicione progignitur. Iterum gravis metus talis dicitur vel abſolute, vel reſpective. Abſolute quoties malum, quod timetur, tale eſt in omnium exiſtimatione; reſpective gravis, quando ſolum in apprehenſione timentis ſpeciem gravis mali inducit. Gravis metus appellatur etiam in jure, *metus cadens in virum coſtantem*, quoniam etiam viros conſtantia præditos ſolet concutere. Duæ autem conditiones neceſſariæ ſunt ut metus cenſeatur in virum conſtantem cadere. 1. Sumitur ex parte objecti, ut videlicet malum, quod timetur, ſit grande; cujuſmodi exiſtimatur mors, mutilatio, atrox cruciatus, diuturnus carcer, longum exilium, ſervitus, ſtuprum, amiſſio ſtatus honorifici, ſeu dignitatis, infamia juris, vel facti, quæ facile abſtergi non poſſit: dixi *quæ facile abſtergi non poſſit*, ne a D. Thom. doctrina recedam, qui in IV. Sent. diſt. 29. q. 1. 2. ad 3. ſcribit: „ Infamia, „ quamvis ſit magnum damnum, ta„ men ei facile de facili occurri poteſt, „ ideo non reputatur cadens in con„ ſtantem virum metus infamiæ “. Amiſſio patrimonii, vel majoris partis ipſius, item excomunicatio major, & ſi quæ ſunt alia hujus generis. Nihilominus etiam mala minoris ponderis metum inducere poſſunt, qui cadat in virum conſtantem, quorum quidem judicium a prudentibus viris deſumendum eſt. Nonuulli tamen Theologi hanc ſervandam regulam ſuggerunt, ſcilicet, quoties malum, quod timetur ex omiſſione contractus, majus ſit, & reputetur illo, quod ex contractu conſequitur; tunc metus illius cadit in virum conſtantem & prudentem, quoniam prudentia docet, minus malum eſſe ſubſtinendum, ne majus incurratur. Altera conditio ſumitur ex parte apprehenſionis, ut videlicet non ex levi motivo quis grave malum expectet. Ad hoc autem ut non leviter judicet de malo imminente, perſonæ quæ malum comminatur, conditio, & qualitas eſt expendenda, nimirum 1. Num potens ſit malum inferre, quod comminatur. 2. Utrum ſuas minas executioni mandare, vel ſola verborum jactantia ſoleat eſſe contenta. 3. Utrum paſſurus malum facile poſſit eas minas evadere, & viribus minantis reſiſtere. Ulterius metus gravis vel inducitur ea intentione, ut extorqueatur conſenſus ad contractum, ut ſi quis alicui minetur mortem, niſi prædium ſuum nominati donet, aut vendat; vel non hac intentione inducitur metus, ſed alia cauſa, licet is, cui ſit comminatio, ad evadendum malum, aliquem ineat contractum. Demum metus incuſſus ad extorquendum contractum, vel juſte poteſt inferri, ut ſi Judex minetur mortem defloratori, niſi eam, quam vitiavit, aut in uxorem ducat, aut dotet; vel infertur injuſte, ut cum latro mortem intentat via-

viatori, ut pecuniam ab eo extorqueat. His præjactis hæ statuuntur Regulæ.

REGULA PRIMA.

VIII. Quoties metus, qui est causa contractus, est de malo inferendo a causa naturali, vel a Deo, seu prout alii dicunt auctores, quoties præfatus metus est ab intrinseco, non ab extrinseco, certissime valorem contractus, jure naturali inspecto, non tollit: c. ex. Si quis ad evadendum naufragium, in cujus periculo versatur, promittit se aliquid pauperi daturum, aut loco pio, nulla est dubitatio, quin jure naturali obstrictus maneat ad exequendum, quod promisit. Eodem enim modo loquendum est in his casibus de contractu, ac de voto, quod omnem suam firmitatem sortitur, licet processerit ex metu gravi, qui habeat pro objecto malum ab aliqua libera causa non inferendum. Ratio vero est, quoniam in hujusmodi actibus provenientibus a metu intrinseco, adest deliberatio sufficiens ad valorem actus, ut inferius ex D. Th. ostendemus, & diximus in 2. Decalogi Præcepto; & alias nulla immiscetur injuria, vel injustitia, quæ sit causa actionis.

REGULA SECUNDA.

IX. Si contractus, qui fit ex metu extrinseco cadente in virum constantem vel gravi respective ad personam timentem, fiat dumtaxat ficte & simulate, externam quidem contractus formam servando, sed animo prorsus abhorente a consensu (quod facillimum evenire est, quando quis solo metu inducitur ad contrahendum) tunc palam est contractum ipsomet jure naturæ esse irritum, & inanem. Ratio est manifesta, quia ablato consensu interno deficit essentia contractus, ut ex ejus definitione, & ex iis, quæ superius diximus in ea explicanda, cuique facile est perspicere.

REGULA TERTIA.

X. Quotiescumque ex metu gravi ab extrinseco incusso alter ex contrahentibus præstat assensum contractui, tunc solo spectato jure naturæ validus est contractus, etiamsi metus fuerit injuste incussus, vel licet contractus non sit onerosus, sed gratuitus, & liberalis. Hæc doctrina, quamvis non careat gravium Theologorum contradictionibus, gaudet tamen majori parte, eidem longe majorem probabilitatem, quam opinioni contrariæ adjudicante; & innititur doctrinæ inconcussæ D. Thom. qui omnibus consentientibus Theologis docet 1. 2. q. 6. art. 6. *Quod per metum agitur, in se consideratum non est voluntarium; sed fit voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum quod timetur. Sed si quis recte consideret, magis sunt hujusmodi voluntaria, quam involuntaria: sunt enim voluntaria simpliciter, involuntaria autem secundum quid. Unumquodque enim simpliciter esse dicitur, secundum quod est in actu; secundum autem quod est in sola apprehensione, non est simpliciter, sed secundum quid. Hoc autem quod per metum agitur, secundum hoc est in actu, secundum quod fit . . . Sic autem hoc quod fit per metum, est voluntarium, in quantum scilicet est hic & nunc, prout scilicet in hoc casu est impedimentum majoris mali, quod timebatur; sicut projectio mercium in mare fit voluntarium tempore tempestatis propter timorem periculi: unde manifestum est quod simpliciter voluntarium est: unde & competit ei ratio voluntarii, quia principium ejus est intra.* Ea itaque quæ fiunt ex metu, licet habeant involuntarii admixtionem, simpliciter tamen

men sunt voluntaria; quoniam qui agit ex timore, absolute, & omnibus consideratis eligit, & vult quod facit: & licet huic voluntati conjuncta sit opposita inclinatio, hæc tamen est solum nolleitas inefficax, & conditionata, quæ deficiente conditione, exire nequid in actum. Est igitur contractus ex metu celebratus absolute voluntarius, propterea spectato jure naturæ validus; nec injuria, quæ intervenit, si metus fuit injuste incussus, tollit libertatem, quæ adhuc integra servatur, ut manifeste patet in eo, qui ex metu gravi fidem negat, vel thus adolet indolis, qui fane metus a culpa, & quidem gravissima non excusat.

Regula Quarta.

XI. Tametsi præfati contractus non sint omnino irriti, possunt tamen in foro conscientiæ, etiam ante ullam sententiam Judicis, pro arbitrio ejus, qui metum est passus, in irritum revocari, quoties metus injuste fuit incussus ad extorquendum consensum. In hac doctrina omnes fere Theologi concordant, quam ex eo probant, quia quando metus, qui est causa contractus, est conjunctus cum injustitia, & injuria inferentis, tunc relinquit læso jus petendi restitutionem in integrum; ac proinde qui læsit, tenetur justitiæ debito, nedum ad omnia reparanda damna, quæ ex injusta actione consecuta fuere, sed etiam ad rescindendum contractum, si contrahens læsus stare nolit initis pactis. Potest igitur metum passus sponte sua a contractu resilire, quin ullam inferat incutienti metum injuriam, qui jam tenetur illum in suam libertatem restituere. Utrum vero, quando metus illatus ad extorquendum contractum non est ab altero contrahentium, sed a tertia persona inducitur, maneat idem jus læso repetendi restitutionem in integrum, seu dissolutionem contractus, expendemus cap. seq. Consect. 10.

Regula Quinta.

XII. Si metus gravis, ad extorquendum contractum adhibitus juste fuerit incussus, sive legum dispositione, sive sententia Judicum, sive etiam privata comminatione, justæ tamen causæ & titulo innixa; tunc probabilius loquendo nulla sequitur obligatio naturalis in eo, qui metum intulit, rescindendi contractum ad petitionem illius, qui damnum passus est, vel resarciendi damna ex contractu consecuta. Ratio est, quia contractus sic initi & habent sufficiens voluntarium ad sui valorem, & nullam ex parte metuentis injuriam involvunt, quoniam qui metum incussit, nullam injustitiam commisit; jus enim habebat inferendi metuenti damnum, quod comminatus fuit: potuit ergo licite jus istud commutare, & illius cessione consensum ad contractum comparare.

Regula Sexta.

XIII. Si metus gravis, non incussus ad extorquendnm contractum, sed alias ob causas, unde tamen qui passus est metum, occasionem acceperit, & impulsum ad contrahendum; considerandum est, utrum malum, quod metuitur, juste inferatur, & inferendum sit, nec ne. Si enim injuste inferendum sit, procul dubio tenetur, qui metus causa fuit, contractum rescindere, & omnia ex illo consecuta damna reparare. Ratio est, quia licet finis inducendi ad contractum non fuerit in comminante, adhuc iste injustum se præbuit in comminando; proinde injuriam

riam intulit metum passo: naturalem igitur obligationem contraxit ipsum restituendi in integrum, atque a damnis ex injuria consecutis immunem præstandi. Si vero malum juste inferre poterat, recurrit, quod diximus præcedenti Regula.

Regula Septima.

XIV. Jure positivo, & civili non censentur irriti, & nullius valoris contractus illi, quibus metus gravis, & injuste incussus causam præbuit, sed per Judicis sententiam irritandi, Oppositum sentiunt plures Auctores, quos inter Comitolus. Sed probabilior mihi posita regula videtur. Jura enim civilia de his contractibus ita loquuntur, ac si irritatione facienda per Judicem opus habeant, ut dissolvantur. Supponunt itaque ab initio non prorsus irritos; alioquin juris remedio non indigerent. Constat quod dixi tum L. *si mulier* 21. §. *Si metu coactus ff. de eo quod metus causa*, quæ sic incidit. *Si metu coactus adivi hereditatem, puto me heredem effici sed per Prætorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur*. Tum L. ultima Codicis *de his quæ vi*, dicente: *Venditiones, donationes, translationes, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari*: tum ex Instit. de exceptionibus in principio, ubi statuitur: *Si metu coactus stipulanti Titio promisisti, quod non deberes promittere, palam est jure civili te obligatum esse, & actio, qua intenditur te dare oportere, efficax est*. Scio Auctores contrariæ sententiæ aliquos pro se juris textus adducere, sed non sententiæ adeo perspicuæ, & quæ facili negotio possunt explicari de nullitate in ipsa radice contractus, non ipso jure fundata. Excipiendi tamen sunt ab hac generali regula aliqui contractus, qui jure canonico, vel etiam civili omni robore ac validitate carere præcipiuntur, quoties a metu gravi, & injusto processerint. Inter quos primum ac præcipuum locum tenet matrimonium etiam juramento firmatum, ut patet ex cap. *veniens* de Sponsal. Matrimonio 2. loco Sponsalia adjungunt non improbabiliter plures id colligentes cap. ex let. de desponf. Imbuber. Tertium locum tenet Professio Religiosa, immo votum quodcumque, ut colligitur cap. 1. de his *quæ vi*. 4. Contractus dotis promissæ, vel solutæ, cum sequatur naturam matrimonii, cui est accessorius, irritus statim est jure civili, si ex gravi metu fuerit, ut disponitus L. *si mulier* §. *si dos*. ff. quod metus causa. 5. Quælibet promissio, etiam traditione completa, rerum, vel bonorum Ecclesiæ facta ex metu, nulla ipso facto juris canonici dispositione declaratur cap. *pervenit* de jure jurando. 6. Auctoritas Tutoris per metum extorta irrita quoque censetur L. 1. ff. de auctoritate Tutorum. 7. Nulla pariter jure canonico absolutio ab excommunicatione, & aliis censuris per metum obtenta; immo etiam revocatio censuræ incurrendæ ante terminum, post quem incurrenda erat, ut patet ex Const. Greg. X. in Conc. Lugdunensi, relata in cap. unico *de his quæ vi*. 8. His hactenus enumeratis alii adjiciunt jurisdictionem per metum extortam ex L. 2. ff. de *Judiciis*, & testamentum, cui testis invitus assistat. Textus autem, quos afferunt, non videntur satis clari ad intentum, & in longe diverso sensu explicantur ab aliis Juristis.

Regula Octava.

XV. Contractus, ex metu levi injuste incusso celebrati actionem non habent



bent in foro externo; sunt tamen in foro conscientiæ rescindendi. Prima hujus Regulæ pars patet ex juris civilis dispositione, quod relinquit hos contractus in sua vi naturali, nec illis assistendo, nec resistendo, quoniam nec vult favere inconstantibus & pusillaninis, nec etiam illis, qui injuste metum inferunt quantumvis levem, & etiam ad lites averrucandas. Alteram vero partem non admittunt plures Theologi, qui considerant illum, qui metu levi commovetur, esse sibi suæ causam perturbationis, cum facile possit metum deponere, & leve comminatum malum aspernari; quod si non facit, convincitur omnino libere velle ea, ad quæ finit se metu induci. At apposita doctrina mihi probabilior videtur, & est magis communis inter Theologos, & proinde amplectenda: quia qui hujusmodi metum levem incutit, semper inique se gerit, & alteri injuriam facit, atque illicito utitur medio ad obtinendum alterius contrahentis consensum. Quapropter obligationem naturalem contrahit rescindendi omnia, quæ in tali contractu orta sunt damna; cum sæpe sæpius contingat, non minus perturbari contrahentis animum, & quasi nolentem impelli ad id, quod sibi displicet, promittendum, quam in metu gravi, & cadente in virum constantem. Quod verum maxime puto, quando levis metus vera, & efficax causa contractus judicetur: quod contingit, quando vel metus est unicum contrahendi motivum, ita ut eo amoto nullatenus contractus celebratus fuisset; vel licet non fuerit unicum motivum, fuit tamen præcipuum; vel quia etiam aliis motivis deficientibus, puta spe lucri alicujus reportandi ex contractu, adhuc solus metus induxisset ad illum; vel quia, etiamsi aliis deficientibus motivis solus metus ad contractum non promovisset, nec illa tamen sine metu ad eundem effectum valuissent.

Regula Nona.

XVI. Metus reverentialis de se non irritat contractus ex eo celebratos, nisi adjungantur minæ alicujus mali injuste inferendi. Metus ille reverentialis appellatur, qui concipitur erga personas, ob suam auctoritatem, seu dignitatem reverentia, & submissione dignas; & plerumque locum non habet nisi in inferioribus respectu suorum superiorum, ut in filio, & multo magis in filia respectu Patris in nepote, vel nepte respectu Patrui, vel Avi, in uxore respectu mariti, in minore, & pupillo respectu Curatoris vel Tutoris, in subdito respectu Principis & Magistratuum, in Clerico respectu Episcopi &c. Prima autem pars positæ Regulæ passim admittitur ab omnibus Theologis: nam hic timor est bonus, & effectus virtutis observantiæ, vel pietatis in uno, & nulla in altero reperitur violentia, vel injustitia. Quamobrem nec ipsum matrimonium, nec Professionem Religiosam, quæ maxime omnium contractuum legibus civilibus, & canonicis plenam libertatem requirunt, ab utroque jure non irritari colligunt Theologi, & utriusque juris periti cap. *ex litteris* de Sponf. & cap. 2. *de pactis* in 6. L. *si Patre cogente* 22. ff. de ritu nupt. & in aliis textibus utriusque juris. Quod si metus reverentialis adjunctas habuerit minas, vel expressas, vel virtualiter ex conditione personæ, quæ reverentiam inducit, implicitas; tunc eosdem habet effectus, quos metus gravis, ac proinde irritat contractus, quos præfatus metus gravis annullat, vel irritandos constituit, quos ille irritationi constituit obnoxios; & insuper inducit semper naturalem obligationem, in eo,

eo, qui metum imponit, reparationis damnorum. Immo id vero existimatur, etiamsi minæ adjunctæ non tales sint, quæ ex se solæ sufficerent ad hos effectus inducendos, quoniam ex metu reverentiali, cui conjunguntur, majorem vim nancifcuntur animum perturbandi, supposito tamen, quod serio, & non ex sola ostentatione, & jactantia factæ apprehendantur.

Regula Decima.

XVII. Preces importunæ, vel etiam blanditiæ de se non reddunt irritos contractus, nec irritandos. Preces importunæ illæ dicuntur, quæ sæpius, & instanter repetuntur, etiam non sine notabili molestia ejus, cui fiunt; & istas, si non implicent metum alicujus alterius mali, non sufficere ad tollendam contractibus vim, & efficacitatem manifeste patet; quia nullam inferunt injuriam, quæ debitum restitutionis, vel revocationis importet. Cui enim facit injuriam ille, qui preces tantummodo adhibet? Cui enim jus precandi non adest? An forte ille, qui in Evangelio per precum importunitatem obtinuit ab amico tres panes, injustitiæ accusari potest, unde obligationem contraxerit restituendi, quod hoc pacto obtinuit? Idem dicendum & de blanditiis adhibitis sine admixtione metus, & doli, quæ minime adversantur libertati contractus: quoniam ad illos provocant solum excitando amorem, & concupiscentiam, quæ juxta S. Thom. doctrinam in 1. 2. q. 6. 7. non habet admixtum involuntarium, cum magis ipsum augeat circa actus, quos inducit. Sic enim scribit l. l. *Concupiscentia non causat involuntarium, sed magis facit aliquid voluntarium. Dicitur enim aliquid voluntarium ex eo, quod voluntas in id fertur: per concupiscentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id, quod concupiscit: & ideo concupiscentia magis facit ad hoc, quod aliquid sit voluntarium, quam quod sit involuntarium.* Sic valebit testamentum in favorem uxoris elicitum a marito per blanditias omni dolo, & fraude carentes; & valet matrimonium, ad quod quis inducatur per blanditias & beneficia. Aliter tamen sentiendum, si precibus adjungatur timor alicujus mali injuste inferendi, cujusmodi sunt preces potentiorum, quæ sæpe sæpius continent metum indignationis, & iræ ab eis concipiendæ, si non exaudiantur; unde etiam gravia mala consequi possunt: & similiter, si blanditiis junctæ sit fraudes, doli, mendacia, & artes fallaces, quæ animum injuste inflectant, & ad contractum pertrahant.

CAPUT QUARTUM,

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui habet animum contrahendi, sed non implendi, tenetur contractum implere.*

II. *Qui ficte contraxit, tenetur fictionem deponere.*

III. *Ad quid tenetur qui dolo malo alium in contractu decipit.*

IV. *Quanta esse debeat ignorantia, ut consensum tollat.*

V. *Quando error sit circa substantiam contractus.*

VI. *Quando contingat circa personam.*

VII. *Quando qualitates non sint reputandæ mere accidentales.*

VIII. *Quando metus tollat valorem contractus.*

IX. *Non promissio latroni facta ad servandam vitam obliget?*

X. *Si metus gravis sit incussus a tertia persona, num irritet contractum.*

XI.

XI. *Num metus juste, vel injuste incussus irritet contractus.*

XII. *Num metus reverentialis tollat valorem contractus.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. QUI habet animum contrahendi, sed non implendi promissum, & peccat, & ad contractum servandum tenetur. Peccat quidem, quia fraudulenter agit, & mentitur; cum aliud in mente gerat, aliud ore proferat: quod mendacium si perniciosum graviter sit, est lethale peccatum. Tenetur autem ad contractum implendum, quia non ex voluntate exequendi, sed ex voluntate contrahendi, seseque obligandi tamquam ex causa immediata, & adæquata oritur obligatio; & voluntas se obligandi, & contrahendi consistere potest cum fallaci intentione non implendi.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Ille, qui ficte in contrahendo se gessit, simulando consensum, quem revera non præstabat, tenetur nihilominus obligatione justitiæ ad exequendum, quod ficte promisit. Quamvis cap. 3. n. 2. docuerimus, ita ficte contrahentes validum non celebrare contractum ex deficientia veri consensus; nihilo tamen secius hic merito statuimus, ficte contrahentem ad fidem datam implendam teneri: quandoquidem jus habet quisque, ut qui secum contrahit, serio contrahat, & non illusorie; proinde tenetur fictionem deponere, damnum alteri injuste illatum farcire, contractum firmando, præsertim si aliter non possit contrahentem deceptum indemnem servare. Quod si forte ex tali ficto contractu nullum obvenerit parti deceptæ damnum, vel illud farcire plene possit, etiam contractum non celebrando; adhuc fidem datam liberare debet, & stare promissis, saltem ex virtute fidelitatis, & veracitatis, quæ jubet facta esse verbis conformanda.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Qui dolo malo alterum in contractu decipit etiam solum circa qualitates rei, tenetur servare contractum, si deceptus voluerit eumdem consistere. Veritas hujus Consectarii est de se manifesta: nam una ex parte deceptus verum jus acquisivit ad rem, de qua bona fide celebravit contractum; ex altera fraudulentus decerptor non debet ex suo dolo, & fraude lucrum reportare. Ita de facto omnes sentiunt Theologi. Ex qua communi doctrina novum educitur argumentum ad confirmationem Regulæ IV. cap. 3. expositæ de validitate horum contractuum. Quandoquidem si hujusmodi contractus jure civili statim a principio irriti essent & invalidi, quo titulo talis obligatio decipienti posset imponi? Non certe ratione contractus, qui, ut supponunt, nullus esset. An fortasse ratione pœnæ ob dolum adhibitum? At pœna non incurritur ante sententiam Judicis. An saltem ratione damni, & injuriæ? Fateor, si damnum non foret alia ratione reparabile: at non semper sequitur damnum ex dolo; injuriæ vero, præciso damno, alia via satisfieri potest. Ergo non aliunde provenire potest dicta obligatio, nisi quia contractus dolo malo circa qualitates initi, donec ex voluntate decepti non revocentur, sufficienti non carent firmitate, qua deceptorem ad pacta servanda compellant.

CON-

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Ignorantia, error, & inadvertentia ut tollat libertatem in consensu contrahentium, & contractum vitiet, tanta esse debet, quanta sufficit ad impediendum in actibus illicitis peccatum mortale. Ita sentiunt communiter Doctores. Quandoquidem tanta est necessaria ad valorem contractus libertas, quanta requiritur ad peccatum mortale, vel ad meritum, vel in voto, ut pariat obligationem; pari enim passu omnia ista progredientur: nam sicut si votum, vel peccatum fierent per actus, quos vocant primo primos, vel secundo primos, vel a semisopitis, vel ira æstuantibus, ut in iræ fervore plane non adverterent, & quandocumque cum semiplena deliberatione dumtaxat, nec obligaret, nec gravem culpam induceret; ita pari pacto est de contractibus sentiendum, qui plenam postulant & libertatem, & deliberationem. Et si semiplena deliberatio a peccato veniali non excusat, id in causa est, quia major est obligatio Deum non offendendi etiam semiplena deliberatione, quam non celebrandi contractus irritos. Quare hujusmodi semicontractus, & semiobligationes Theologis inauditæ sunt, & incognitæ; & multo minus in foro civili admittuntur hi semipleni contractus, semiplenam inducentes obligationem.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Error, & ignorantia circa substantiam contractus, illum proinde irritum reddens, contingit 1. Quando versatur circa speciem contractus; ut si putem, te mihi voluisse donare, vel locare, cum velis vendere; vel si volebam vendere, & per errorem, vel ignorantiam modi contrahendi locavi; vel si volebam mutuo dare, & ex forma contractus donavi: nam species contractus ad ejus essentiam pertinet, & substantiam. 2. Contractus efficitur nullus, si error sit in pretio, e. ex si putavi me emere viginti aureis, in quos solos consensi, & ex errore in valore numismatum dedi quadraginta; pretium enim est altera ex duabus rebus, quarum commutatio essentialis est contractui venditionis. 3. Error etiam in merce nocet valori contractus, ut si putem me vinum emere, & emam acetum, vel pro auro aurichalcum. 4. Error in materia pariter obest valori contractus, ut si emere intendi calicem aureum, & emam inauratum, vel pro argenteo emam cupreum. 5. Si totum aliquid ematur, vel de eo quocumque alio contractu pactum fiat, quod habeat plures partes, ita tamen ut singulis partibus determinatum, & æquale pretium statuatur, puta singulis tritici modiis unus aureus, at in parte erratum fuit, quia pars illius tritici non erat vendentis, valet venditio in parte, in qua erratum non est, nulla vero pro parte, in qua erratum est. At si res emenda, vel commutanda, pluribus partibus maxime heterogeneis, & diversæ rationis constet, ut domus, prædium, equi, mancipia &c., & non conveniatur de singulis partibus, sed totum unico pretio concludatur (quod juristæ vocant vendere, vel emere ad corpus, non ad mensuram) si una in parte erratum fuerit, contractus in toto vitiabitur: siquidem non partes singulas domus, aut prædii, aut equorum, aut mancipiorum, sed omnes simul, & conjunctas voluntas ementis complexa est.

Consectarium Sextum.

VI. Error circa personam irritans contractum contingit 1. Si quis volens emere mancipium, erret non circa personam, sed solum circa sexum, quia putavit se emere puellam in mancipium, & est puer, vel e converso; tunc nullus est contractus propter errorem in persona, quia error in sexu est etiam error in persona, & transit in substantiam objecti, idest in rem emptam, quia volebam emere puerum, & errore ductus emi puellam, vel e contra. 2. Si quis locaret, vel conduceret opera alicujus ex c. pictoris, medici, advocati &c. quæ præcipue solent valorem, & momentum habere ex industria personæ, cujus sunt opera, error personæ in illis vitiaret contractum, non quia personæ sunt, sed quia trenseunt in objectum: licet enim operæ ipsæ tantummodo locari, & conduci videantur, & dicantur; tamen operæ istæ valorem suum nanciscuntur a peritia, & arte personæ operantis, adeoque persona ipsa cum sua peritia transit in objectum, & materiam contractus. 3. Si quis putans se contrahere cum habente potestatem ad contrahendum, contraheret cum servo, vel pupillo, vel minori, ex hoc errore nullus fit contractus; quia error in persona, quæ non potest contrahere, transit in substantialia contractus, & illum jure naturæ propter defectum legitimi consensus invalidat. 4. Speciatim pro matrimonio statutum est, ut, si quis feminam in matrimonium ducat, quam putat ingenuam, & reperiat servam, & vicissim de femina ducente virum servum pro libero, matrimonium conditionis defectu nullus fit. Sed de hoc suo loco in tract. de matrimonio.

Consectarium Septimum.

VII. Tametsi docuerimus cap. sup. n. 6. probabilius errorem in qualitate rei, etiam dantem causam contractui, non efficere illum jure naturæ nullum; fatemur tamen 1. non esse pro qualitatibus mere accidentalibus habendas eas, quæ, licet tales physice sint, moraliter tamen essentiales reputantur; ut e. ex. quod navis empta integra sit, vel corrosa, domus ruinosa, non firma, mancipium morbo mortali laborans, non sanum, fatuum, non sui conscium, qualitates sunt, quæ ad essentiam rei, prout est objectum contractus, revocantur. 2. Non consistit contractus, quoties qualitas ignorata est tota ratio, & unicum motivum contractus; quoniam in eo casu consensus etiam quoad substantiam simpliciter deficit: ut si Clericus empturus pannum ad Clericalem togam, erret circa colorem panni, album, vel rubrum pro nigro accipiens. 3. Certissimum est non valere contractum, quando qualitas, circa quam erratur, licet levis fuerit, aut expresse, aut virtualiter sit deducta in pactum; ita ut contrahentes ex sola conditione convenerint, ut res, de qua contrahunt; tali, vel tali qualitate non careat, aut hoc, aut altero vitio non sit infecta: quia quidquid inter se paciscuntur contrahentes, evadit essentiale contractui; ut ipsa naturalis ratio ostendit, & leges civiles pluribus in locis confirmant.

Consectarium Octavum.

VIII. Infirmi duo, gravi morbo correpti, timore mortis, quam sibi imminere arbitrantur, promittit alter medico suo centum aureos, si omni adhibita diligentia medicæ artis ipsum sanet,

net, alter vero honestæ pauperi puellæ dotem pollicetur, vel ad nubendum, vel ad Monasterium ingrediendum, si convalescat, obtenta ab utroque sanitate, implere promissiones acceptatas tenentur, quia validæ sunt, licet metu mortis extortæ; etenim juxta primam Regulam cap. præced. n. 8. metus est ab intrinseco; proindeque nec libertatem minuit, nec tollit voluntarium; & nulla intervenit ex parte personarum, quibus facta est promissio, iniquitas, vel violentia.

Consectarium Nonum.

XI. Qui latroni ad fugiendam mortem sibi intentatam pollicetur pecuniam se daturum, sive ficte promittat, sive vere, & ex animo, nulla omnino est promissio, nec eam implere tenetur (dummodo non sit juramento confirmata, de hoc enim in sequentibus). Constat ex 2. & 3. Regula: nam in primo casu nullus est consensus, nisi apparens & simulatus; in secundo vero, cum promissio sit ex injusto metu extorta, latro pecuniam retinere non posset, quam restituere deberet, & metum passus haberet jus petendi restitutionem: frustra igitur fieret solutio. Et in jure can. Cap. *debitores* Extr. de jure jurando decernitur, debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligarunt, cogi non debere.

Consectarium Decimum.

X. Si metus gravis injuste incussus ad extorquendum contractum, non a contrahente, sed a tertia persona proveniat, adhuc metum passus non tenetur implere contractum tali metu extortum. Dissentiunt nonnulli Theologi, qui putant iniquum esse, ut innocens alterius culpæ pœnam, & damnum sustineat. Verum nostra assertio probabilior est, & legibus civilibus, & canonicis fulcitur. Nam in jure civili L. 14. *Si cum exceptione* ff. *in hac actione*, decernitur; *In hac actione non quaeritur, an alius metum fecerit; sufficit enim hoc docere, metum esse illatum, & ex hac re eum, qui convenitur, etsi crimine caret, lucrum tamen sensisse.* In jure vero Canonico Cap. *Veniens* Ext. *de Sponsalibus* Alex. III. jubet, rescindendum matrimonium, si qui eum celebravit, fuerit metu coactus. Et revera passim rescinduntur matrimonia, & Professiones Religiosæ ex metu celebratæ, licet nec alter conjugum, nec Religio metum incusserit, statim ac constat metum fuisse incussum etiam a patre, fratre, aliove tertio. Præterea semper qui metum patitur, injuria afficitur, & sua plena, qua gaudet ad contrahendum, libertate spoliatur; propterea est in ea restituendus. Ulterius boni communis, & publicæ quietis, ac tranquillitatis interest, ne contractus a quocumque metu injusto extorti firmitatem habeant. Ille vero, qui metum non incussit, si ex tali contractu utilitatem senserit, statim ac cognoverit tali illicito medio eam se consecutum, cum non sit amplius possessor bonæ fidei, etiam non requisitus contractum rescindere tenetur, & lucrum restituere; ut ipsa lex civilis citata decernit, statuens: *Sufficit eum, qui convincitur, etsi crimine caret, lucrum tamen sensisse.*

Consectarium Undecimum.

XI Validi sunt ex quinta Regula hi contractus, matrimonium, vel promissio dotis facta a stupratore, vel metu pœnæ a Judice comminatæ, vel metu accusationis criminalis a parentibus puellæ; quia juxta Regulam 5. metus

est juste incussus, & ille, qui metum patitur, sua culpa in hanc se conjecit necessitatem. Quod si parens, vel fratres constupratæ puellæ mortem minitarentur stupratori, nisi vel in uxorem duceret, vel dotem polliceretur; non teneretur implere promissum, & matrimonium nullum foret, ob metum injuste incussum, non ratione causæ, sed ratione pœnæ, quam juste inferre non possunt. Immo si stuprator sciret, se ad necem quæri a fratribus corruptæ virginis, non ut eam vel in uxorem ducat, vel dotet, sed ad ulciscendam injuriam, & ipse ad necem vitandam sponte promittat, puellam vel ducere, vel dotare; adhuc nullum esset matrimonium, & irrita promissio: quia licet metus non sit incussus ad extorquendum matrimonium, vel dotem, nihilominus cum sit timor gravis mali, quod inferre juste non possunt, injustus est, & libertatem necessariam tollit juxta Regulam sextam.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Timor ille, & reverentia, quam habent inferiores respectu superiorum, unde etiam difficultatem experiuntur ad repugnandum illorum petitionibus, non est verus metus libertatem minuens, cum sit timor omnino honestus, & justus: quamobrem nisi addantur minæ, & quidem mali injuste inferendi, juxta Regulam nonam non infirmat contractus ex tali metu celebrates. Quare filius, qui Patri morienti promittit se soluturum debita ab eo relicta, metuens ne ipsum deprecantem tristitia afficiat, valide prorsus pollicetur: non enim tristitia est malum ipsius promittentis, sed patris, cui fit promissio. Sic ille quoque, qui metuens a superiore ob commissum delictum juste puniri, facilem se præbet ejus petitionibus, quibus ipsum ad contrahendum invitat, ut hac facilitate placatum reddat, & pœnas evadat; ex tali metu non liberatur ab executione contractus. Ille demum, qui contrahit cum persona summæ auctoritatis, ne recusando, aliquod ejus beneficium amittat, puta pensionem, quam ab illo obtinet, vel quod ab ipso sperat se obtenturum, non dicitur contrahere ex metu reverentiali; cum potius spe lucri, & concupiscentia impellatur, quam metu alicujus mali. Immo probabilius puto, nec timorem simplicis indignationis, si nullum aliud malum inde immineat, sufficere ad infirmitatem contractus, puta matrimonii, vel Professionis Religiosæ in filio, vel filia respectu Patris: quoniam signa indignationis, vultus acerbus, dura verba, & similia non sunt mala, quæ vel cum gravi injuria filiorum a parentibus inducantur, vel quæ constantem animum flectere valeant, licet parentes irrationabiliter ista exerceant.

CAPUT QUINTUM.

De causa efficiente contractum, seu de iis, qui contrahere possunt.

DOCTRINA.

I. *Quinam universaliter apti sint ad contrahendum.*
II. *Infantes apti non sunt ad contrahendum.*
III. *Num dementes.*
IV. *Pupilli quomodo a contrahendo repellantur.*
V. *Quomodo minores.*
VI. *Et prodigi.*
VII. *Ex defectu dominii quomodo ad contractus sint inepti servi.*

VIII.

VIII. *Religiosi professi*. IX. *Filii-familias*. X. *Uxores*.

XI. *De aliis personis ineptis ad contrahendum*.

I. ILLÆ solæ, & omnes personæ ad contractus ineundos aptæ censentur, quæ duabus hisce conditionibus præditæ sunt, quarum 1. est, usus rationis, altera libera administratio aliquorum bonorum, illorum videlicet, quæ sunt materia contractus. Nam sive usus rationis desit, sive facultas administrandi sit impedita, procul dubio validi contractus fieri non possunt. Quia tamen circa præfatas conditiones multa declaranda occurrunt, nulla faciliori via personæ habiles ad contrahendum discerni possunt, quam eas indicando, quæ vel lege naturali, vel lege positiva, sive canonica, sive civili ob defectum rationis, vel dominii a contrahendo repelluntur, quæ ad quatuor classes reduci possunt: nam aliquæ excluduntur, quia ratione prorsus destitutæ; aliæ, quia perfectam rationem non habent; quædam, quia carent dominio; quædam demum, quia perfectum dominium non obtinent.

II. Ex 1. itaque capite, seu ex defectu totalis rationis, contrahendi capaces non sunt 1. infantes, qui videlicet nondum usum rationis adepti sunt: & licet infantia nomen desumpserit ab impotentia fandi, seu loquendi; in jure tamen extenditur usque ad septennium completum. Hoc tamen intelligendum est de jure positivo, quod innititur præsumptione sumpta ab his, quæ ut plurimum accidunt; alias non infrequens est, ut malitia ætatem suppleat, & ante illud tempus pueri sufficientem habeant usum rationis, quo etiam peccati lethalis capaces constituuntur. Quo in casu, si solum jus naturæ spectetur, procul dubio aliquos saltem validos contractus inire possent, qui verum inducerent obligationem. Sed leges positivæ, ob allegatam præsumptionem, hujusmodi contractus omni spoliant vigore, tamquam ex imprudentia, & defectu deliberationis procedentes. Immo nedum infantes, qui videlicet septennium non excesserunt, sed etiam proximi infantiæ jure positivo ad plures celebrandos contractus declarantur incapaces; ut constat ex Instit. §. *Pupillus*: de inutilib. stipulat. Proximi vero infantiæ dicuntur, qui decimum annum cum dimidio non excedunt. Post hoc tempus proximi pubertati in jure appellantur.

III. Eodem nomine ad contrahendum inepti sunt 2. Furiosi: quo nomine in jure non comprehenduntur hebetes & stupidi; hi enim potius imperfectionem discursus ob tarditatem ingenii præsumuntur habere, quam defectum rationis. Ceterum furiosorum nomen adhuc genericum est, & multa personarum complectitur genera, 1. scilicet furiosos proprie dictos, qui videlicet cum insania conjunctam habent rabiem quamdam, & furorem. 2. Amentes, qui videlicet insania laborant absque furore. 3. Dementes, qui videlicet imminutam habent mentem circa aliqua desipientes. 4. Fatuos, stultos, stolidos, qui videlicet circa omnia, & semper adeo obtusum habent sensum, & intellectum, ut perpetui infantes videantur. 5. Phreneticos, qui videlicet ex vehementia febris lædentis cerebrum, seu ejus membranam inflammantis delirant. 6. Lunaticos, qui videlicet non continuo; sed certis temporibus, præcipue vero in noviluniis & pleniluniis desipiunt. Postremo maniacos, & sunt illi

illi qui solummodo circa certas rerum series & determinatas materias insaniunt, cum alias circa plurima optime discursu, & rationis luce fruantur. Omnes enumeratæ furiosorum species ad tres classes reduci possunt. 1. Illorum, qui semper, & circa omnia insaniunt. 2. Illorum, qui non semper, sed certis dumtaxat temporibus rationis defectum patiuntur. 3. Illorum, qui nec semper, nec in omnibus rebus, sed solum circa quasdam materias, & negotia delirant. Pro his omnibus hæc Regula communi Doctorum consensu statuitur, quæ etiam ratione evidenti per se constat, ut scilicet illi, qui perpetuo amentes sunt, ad omnes prorsus contractus habeantur inhabiles; qui vero secundo loco positi sunt, valide quandoque contrahere possunt, dum lucidis intervallis fruuntur; postremi circa illas materias, in quibus sane discurrunt, legitimos contractus edere non prohibentur. Solum difficultas in quæstione facti occurrere potest, utrum videlicet contractus hic & nunc editi præsumantur facti tempore amentiæ, vel sanitatis, vel circa eas materias, in quibus sanæ mentis sunt contrahentes. Sed tunc ad conjecturas recurrendum est, quarum potissimam præbet ipsiusmet contractus conditio, & utilitas, c. ex. testamenti confectio, vel donatio, si in talibus circumstantiis celebrata fuerit, quæ præbeant sanæ mentis indicium. Quod si conjecturæ sufficienter non suffragentur, standum est præsumptioni legum, & pro nullis hujusmodi contractus habendi. 3. Ex eodem capite impotes sunt ebrii, dum ebrietate detinentur. 4. Dormientes, qui nedum mentis usum non habent, sed etiam sensus ligatos habent; etsi quandoque per insomnia ea dicant, & faciant, quæ vigilantium esse videntur. Immo nec semisopiti, licet omni prorsus usu rationis non careant, & aliqua imperfecta potiantur libertate, valide eo in statu contrahere possunt; cum hæc imperfecta libertas, & cognitio ad contractus ineundos nequaquam sufficiat: nam cum per hos gravis obligatio sit inducenda, utpote ex virtute justitiæ commutativæ, plena deliberatio, & quanta saltem ad lethaliter peccandum requiritur, ad ipsos indispensabiliter postulatur.

IV. Ex defectu vero perfectæ rationis a contrahendo repelluntur a legibus pupilli. Hi in jure vocantur, qui parentibus suis orbati degunt sub Tutorum regimine: hi sepius etiam impuberes appellantur. Pupillaris ætas a termino infantiæ, seu a septennio completo usque ad pubertatem inchoatam excurrit. Pubertas in masculis post quartumdecimum annum expletum incipit, in feminis post duodecimum. Infra hoc tempus pubertati proximi dicuntur masculi, si decimum annum cum dimidio excesserint; feminæ vero, postquam nonum cum dimidio compleverint. Nihil notius in toto jure civili, immo & canonico, quam contractus a pupillis celebratos sine suorum Tutorum auctoritate, etiamsi de rebus tantum mobilibus fiant, omni prorsus robore denudari. Constat ex omnibus fere titulis, qui de Tutorum auctoritate plurimi occurrunt, tum in Codice, tum ff. tum in Instit. & in jure can. Cap. *quia plerique*, de Immun. Eccl. statuit Innoc. IV. *Si ex donatione minoris, vel ex contractu inito, quod tenet ipso jure aliquid habet, ut si in alienatione minoris absit auctoritas Tutoris, vel decretum Præsidis, restituere tenetur*. Ea vera ratio Legislatores movit ad infirmandos prædictorum contractus, quia cum

eum pupillaris ætas debile, & infirmum consilium habeat, sitque obnoxia pravorum hominum insidiis & suggestionibus, male sibi consuleret, si firmam suis contractibus injicere sibi posset obligationem. His ergo leges duobus privilegiis suffragantur, quorum unum est, ut non valeant illorum contractus, sine Tutoris initis auctoritate: alterum est, quod etiam in his contractibus, quos ex Tutorum celebrant auctoritate, restitutionem in integrum petere & exigere possint, si se læsos existimaverint. Multo autem magis contractus, qui sint de rebus immobilibus, & de mobilibus pretiosis, quæ servando servari possunt, idest quæ ultra triennium durant, a pupillis sine Tutorum auctoritate initi, nullius vigoris declarantur. Immo nec sola Tutoris auctoritas sufficit ad illis robur conciliandum, sed præterea necesse est, ut Judicis approbatio interveniat; immo & quod præcesserit cognitio causæ, qua mediante contractus utilitas exploretur. Theologi vero inquirunt, num præfatæ nedum vim habeant in externo foro, verum etiam in foro conscientiæ, ideoque contractus a pupillis celebrati sine Tutoris licentia nec civilem, nec naturalem pariant obligationem. Negant quidem plurimi, & magni nominis Theologi, inter quos præsertim Comitolus, adductis etiam aliquibus juris textibus, quos sibi favere arbitrantur, & ea moti ratione, quia in pupillis, præsertim pubertati proximis, est sufficiens cognitio, & libertas ad contrahendum. Verum probabilius oppositum sustinent alii non inferioris subsellii Theologi, quibus me adjungo, & quidem his, meo judicio, efficacissimis momentis. 1. Quia cum contractus sint jure gentium, & civilibus legibus invecti, illarum dispositioni, regimini, & ordinationi subjiciuntur: dominium enim privatis concessum disponendi de rebus suis, eo semper obstringitur onere, ne disponant contra leges; quare dominium diximus in super. Tract. situm in potestate utendi re tamquam sua ad omnem usum *lege non prohibitum*. A legum igitur statutis, & decretis pendere debet valor, & efficacia contractus, nedum in foro externo, sed & in interiori conscientiæ. Unde optime ajebat S. Augustinus tract. 6. in Joann. *Quisquis possidet quod possidet, nonne jure humano? Tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere, mea est illa Villa?* 2. Leges illæ honestæ sunt, optimæ, ordinatæ ad bonum commune, ad pacem & tranquillitatem subditorum: obligant igitur etiam in conscientia. Quis enim inficiari audebit justas leges in conscientia non obligare, postquam Apostolus docuit, & præcepit obediendum supremis Potestatibus, non solum quia gladium portant, sed propter conscientiam? At dicunt, a legibus hos contractus quidem prohiberi, at non irritos declarari. Verum falluntur: nam in jure nulli, invalidi, nullius roboris declarantur contractus pupillorum, qui in illorum damnum celebrantur, & illi solum subsistere decernuntur, qui in apertam cedunt pupillorum utilitatem. Urgent. Hæ leges in præsumptione fundantur, deficientiæ scilicet cognitionis in pupillis: quæ præsumptio, si in facto locum non habeat, vim leges non obtinent in conscientiæ foro. Fateor eas leges præsumptione niti; at non præsumptione facti alicujus particularis, sed facti communis, & in pluribus contingentis: ut plurimum enim pupilli non ea pollent mente, & cognitione, quæ necessaria est ad se alteri obligandum. Præterea cum duæ, ut

ut mox diximus n. 1. conditiones ad contractus valide celebrandos, etiam in foro conscientiæ, requirantur, nimirum usus rationis, & libera potestas disponendi; licet pupillis non desit prima conditio, altera profecto deficit, cum ex legum statutis liberam non habeant disponendi facultatem: ea propter nec in conscientiæ foro validi erunt habendi illorum contractus, sine Tutoris assistentia, & consensu celebrati.

V. Minores in jure illi dicuntur, sive masculi, sive feminæ, qui 25. annum non compleverunt: & licet hoc ætatis spatium comprehendat tum infantes, tum impuberes, tum etiam qui pubertatem attingerunt; specialiter tamen applicatur denominatio Minorum iis, qui jam pubertatis evaserunt annos. Istorum autem conditio distinguenda est; vel enim Curatores habent, vel his carent: neque enim necesse est Minores Curatoribus subdi, sicut pupillis necessitatem imponunt leges, ut Tutoribus subjiciantur. Immo Juristæ censent, invitis Minoribus Curatores dari non posse, neque a Patre, nisi tantummodo ad lites procurandas; quamvis si semel Curatores acceperint, atque habere consenserint, nequeant Minores se eorum subtrahere auctoritati, nisi 25. anno completo. Si itaque Minores Curatores habeant, iisdem omnibus subjiciuntur legibus, & juribus, quæ pro contractuum validitate, & firmitate esse disposita mox pro pupillis, qui a Tutoribus pendent, observatum est. Quod si Curatorem non habeant, videndum est, quibus de rebus contractus fiant a Minoribus: etenim si agatur de bonis immobilibus, vel etiam de pretiosis mobilibus, quæ servando servari possint, legibus vetitum est, ne Minores contractus ineant, per quos hujusmodi bona alienent, vel commutent sine decreto Judicis; cui etiam antecedere debet exacta cognitio causæ ad explorandum, utrum hujusmodi alienationes cedant in Minorum utilitatem. Hoc itaque decreto non interveniente nulli sunt Minorum de his rebus contractus, etiam si facti fuerint occasione solvendi debita, vel obtentu fundi infrugiferi, vel aliis de causis, quæ secundum se videntur probabiles. Quod si vero supra res mobiles non pretiosas, vel etiam pretiosas, quæ servari non possunt, cadant Minorum contractus, tunc proculdubio firmitatem, & validitatem etiam pro foro externo, & ad civiliter obligandum nanciscuntur; ita tamen ut etiam pro istis beneficio juris gaudeant Minores, concedente restitutionem in integrum, impetrandam a Judice, quoties in contractibus notabiliter se læsos fuisse probare potuerint.

VI. A contractibus arcentur etiam prodigi, non tam ob defectum rationis, quam quia ex vitio animi, ratione in rebus suis procurandis non bene utuntur: quod putatur æquivalens defectui rationis. Dicuntur autem prodigi a prodigendo, quia in facultatum suarum administratione nec certum tempus, nec determinatum finem, sive modum sibi præstituentes res suas dissipant cum damno filiorum, uxorem, & consanguineorum suorum. Hac de causa, etiamsi sæpe sæpius ingenii acumine præditi sint, ad petitionem tamen illorum, quibus damnum inferunt sua irregulari œconomia, Curatores accipiunt ipsis a Principe, & Magistratibus constitutos. De his ergo sic sentiendum est. Si nondum Curatores eis præpositi sint, valide omnes & quoscumque contractus exercent: nam & perfecta gaudent cognitione, & plenum obtinent adhuc

rerum

rerum suarum dominium; proinde validi sunt & in foro conscientiæ illorum contractus, nisi aliunde vitium contrahant. Si vero jam Curatoribus subjecti fuerint, tunc certissimum est, nullos fore tum civiliter, tum naturaliter eorumdem contractus. Hujus ratio non aliunde petenda est, quam ex auctoritate legum civilium, juste sic disponentium, a quarum adprobatione dependent dominiorum translationes, & quibus refragantibus, jura privata prævalere non possunt. Qui itaque cum prodigo contractum iniret, etiam ante sententiam Judicis teneretur restituere, quæ per hujusmodi contractus sibi acquirere ausus fuisset. In quo & apparet discrimen a contractibus pupillorum, & minorum; hi enim, etsi non obligantur, obligant tamen secum contrahentes; at prodigi nec obligant, nec obligantur: quinimmo etiamsi contractus a prodigo attentati juramento firmentur, eorum invaliditas non tollitur; juramentum enim, quod est cum damno tertii, non potest confirmare, quod injustum esse cognoscitur.

VII. Ex tertio vero capite, nimirum ex carentia dominii, ad contrahendum habentur inabiles 1. Servi, seu mancipia, de quibus pauca subjiciemus, tum quia vix apud Christianos reperiuntur hæc mancipia; tum quia de iis diximus in præced. Tract. de dominio. Isti itaque vel proprium habent peculium, vel nullum, vel tale, ut a domini pendeat beneplacito. Si nullum habent peculium, a contractibus repelluntur non tam deficientia dominii, quam materiæ carentia. Si vero proprium habeant peculium, de quo diximus lo. l. possunt, sicut ceteri homines liberi, validos celebrare contractus. Si vero solam obtineant administrationem alicujus peculii dependentis a domini beneplacito, nec licite, nec valide contrahere possunt sine licentia domini, saltem præsumpta. Id patet manifeste non solum ex legum civilium statutis, sed etiam ex ipsa rei natura: nam deest fundamentum, & basis omnium contractuum, nimirum dominium, & proprietas rei, de qua contractus initur, quo omnino carere servum supponimus. In hoc itaque solo sensu valide contrahunt servi, qui aliqua bona sui domini administrant, nimirum quod tenentur stare conventis, nisi dominus contradixerit, quousque enim ipse non repugnaverit, censetur tacitam licentiam contrahendi servo præbuisse, eo ipso quod sciat eum habere peculium, atque libere administrare.

VIII. Defectu domini, omnes Religiosi, solemniter in Religione adprobata professi, contrahendi valide, & licite facultate carent, nisi licentia accedat Superiorum eorundem. Quandoquidem vi voti paupertatis quocumque carent dominio, & proprietate, quæ basis sunt & fundamenta omnis contractus. Cum vero plures Religiones aliquid in communi possideant, hinc sequitur horum Ordinum professores posse & licite, & valide contrahere, accedente tamen Superiorum licentia, quæ vel expressa esse potest in omni particulari contractu, vel tacita in institutione Procuratoris domus. Quamobrem Religiosi, qui sine tali licentia contractus celebrant, nedum illicite, sed & invalide operantur: illicite quidem, quia votum paupertatis violant; invalide vero, quia de re disponunt, cujus nec dominium, nec proprietatem, nec administrationem obtinent. Sed de his fusius, cum de statu Religioso, si Deus dederit, disputabimus.

IX. Filii-familias non carent omni facultate celebrandi contractus. Quadruplex distinximus in super Tract. de dominio filiorum-familias peculium, castrense, quasi castrense, adventitium, & profectitium. Priorum quidem duorum & dominium, & administrationem illis concessam diximus; ex istis igitur valent firmos contractus celebrare. Ex adventitio vero peculio, cujus obtinent quidem dominium, at non usumfructum, & profectitio, cujus nec dominio, nec usufructu gaudent, validos nequeunt celebrare contractus, nisi de licentia patris, illis administrationem, concedentis. Recolantur, quæ inibi dicta sunt.

X. Uxores de bonis paraphernalibus quorum liberum habent dominium, & administrationem, possunt validos contractus inire. Præterea de licentia maritorum possunt licite, & valide de his omnibus contractus habere, quæ ad societatem pertinent conjugalem; & hoc omni caret difficultate. Immo addendum, solam generalem mariti licentiam ad eos roborandos sufficere, quin & tacitam rationabiliter præsumptam, quæ semper censetur adesse his in casibus. 1. Si marito præsente uxor aliquem contractum ineat; eo enim ipso quod in tali casu maritus non dissentiat, consensum præstare videtur. 2. Si mulier simul cum viro sint contrahentes ex una parte. 3. Si mulier exposita sit alicui officio, quod sine facultate contrahendi commode exerceri non possit, ut si præsit, vel adsistat officinæ, in qua merces vendendæ exponuntur. 4. Præsumpta quoque licentia non deesse censetur uxori ad quotidiana commercia, quæ videlicet necessaria sunt juxta consuetudinem, & personarum conditionem ad alimenta paranda tum sibi, tum filiis, tum reliquis ex familia. 5. Generaliter habere creditur uxor licentiam, quam viri ejusdem conditionis suis uxoribus permittere solent, nisi aliter constet de voluntate mariti. Unus est in legibus Romanis,& aliarum quoque Gentium legibus contractus, quem uxor celebrare non potest, etiam consentiente marito, immo expresse mandante, & hic est fidejussio pro marito, ut habetur L. 1. *Et reliquis* tum in ff. tum in Codice ad Senatusconsultum Vellejanum. Ceterum sine licentia mariti nullos validos contractus, multo minus licitos fieri posse ab uxoribus de bonis, sive dotalibus, sive communibus, sive quocumque alio titulo pertinentibus ad mariti administrationem, concors est Theologorum, & Juristarum sententia; ita ut hinc inferant, contractus sic sine licentia initos nec obligationem civilem, nec naturalem inducere, utpote quibus leges civiles nedum non assistunt, sed etiam expresse adversantur; præsertim cum fieri non possint hoc modo contractus ab uxore sine injuria mariti, cujus administrationem usurpat. Excipitur tamen unus casus, & hic est hæreditatis aditio cum beneficio inventarii: hæc enim etiam dissentiente marito potest ab uxore assumi, quoniam solum beneficium potest ei afferre, nullum vero damnum nec sibi, nec conjugi.

XI. Præter eos, qui ex quatuor iam expensis capitibus, nimirum ob defectum rationis, vel ob defectum dominii, vel ob defectum perfectionis utriusque, contrahendi incapaces legibus declarantur, sunt alia genera personarum, quæ aliis de causis a contractibus ineundis repelluntur, non quidem generatim, sed solum in certis circumstantiis, videlicet respectu aliquarum personarum, vel solum quoad speciales nonnul-

nullos contractus ex. g. Judices, & Magistratus jure civili communi, sive Romano sunt incapaces acquirendi, seu valide emendi bona stabilia in locis, ubi jurisdictionem exercent: quod factum est, ne possint abuti sua auctoritate, compellendo possessores sibi subjectos ad alienanda sua prædia, vel minoris, quam justum sit, distrahenda. Item Tutores, & Curatores nequeunt contrahere cum suis pupillis, & minoribus, etiam per interpositam personam. Executores quoque Testamentorum prohibentur aliquid sibi comparare de rebus testatoris. Immo & Advocatus, durante lite, a suo cliente, & Medicus, durante infirmitate, ab ægroto iisdem legibus quidpiam per contractum sibi acquirere vetantur. Insuper nonnullorum, aliqui quidem contractus, scilicet onerosi, permittuntur, non item gratuiti, & lucrativi: sic donationes inter Patrem & Filium, inter uxorem & maritum jure civili irritantur. Sed de iis opportunius dicetur, quando contractus particulares expendentur.

CAPUT SEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando pupilli valide contrahant.*
II. *Quo gaudeant privilegio.*
III. *Ipsis conceditur in integrum restitutio.*
IV. *In quo distinguantur in contractibus filii-familias a pupillis.*

Consectarium Primum.

I. PUPILLI, præsertim pubertati proximi, & minores validos celebrant contractus de peculio, quod illis vel a Tutoribus, vel Curatoribus conceditur, vel ab amicis donatur, ut eo pro libito utantur; quia hæc non magni momenti esse solent, & accedit in ejus consumptione Tutorum concessio, & auctoritas. Similiter si contractus fiant a præfatis pupillis, vel minoribus de rebus eorum quotidiano usui inservientibus, ut de cibis, & vestibus, deque necessariis ad ingenuam eorum educationem, validi sunt reputandi: quoniam ex una parte sunt de rebus, quibus carere non possunt, & ex altera parte non deesse præsumitur saltem tacitus illorum consensus, quorum tutelæ commissi sunt contrahentes; cum illis & ad hoc peculium concedant, nec ipsi sibi eam assumant sollicitudinem, & curam.

Consectarium Secundum.

II. Pupilli pubertati proximi, sicut & minores Curatorem habentes, eo donantur privilegio, ut possint quidem in propriam utilitatem, etiam sine consensu Tutorum, vel Curatorum, contrahere cum majore; at non in suum damnum, & in incommodum. Claræ sunt hac de re Leges constitutæ in utroque jure & civili, & canonico. In priore quidem L. *Si quis* 13. §. 29. de act. vend. & empt. sancitur: *Si quis a pupillo sine Tutoris auctoritate emerit, ex uno latere constat contractus: Nam qui emit, obligatus est pupillo, pupillum sibi non obligat.* Et confirmatur in Inst. lib. 2. §. *de acquir. rer. dominio*, ubi dicitur: *Pupillus quantum ad acquirendum non indiget Tutoris auctoritate; alienare autem nullam rem potest nisi præsente Tutore auctore*: In jure vero canonico idem decernitur l. cap. sup. n. 4. citato. Celebri præterea Macedoniano consulto cautum est, ne quis pupillis, vel minoribus mutuam pecuniam præbeat, alioquin nullum sit habendum mutuum, nec ad restitutionem cogendus pupil-

 lus:

lus : & hoc in odium illorum, qui pupillis mutuam pecuniam præbendo, occasionem suppeditant dissipandi patrimonia. Unde dicitur, quod *siquidem naturaliter obligetur pupillus mutuam pecuniam accipiens*, alias etiam per obligationem naturalem patrimonium dissiparent, & vitiis *paterent* ejus ætatis, quorum irritamenta sunt nummi, ut habetur L. *pupilli* in ff. de oblig. & act. Nihilo tamen secius si pupillus, vel minor mutuam acciperet pecuniam a mutuante bona fide in usus utiles & necessarios expendendam, teneretur restituere; cum nullus alieno, & præcipue innocentis damno ditescere debeat.

Consectarium Tertium.

III. Pupillis quoque, & minoribus concessum est in jure beneficium restitutionis in integrum in contractibus celebratis etiam auctoritate Tutorum, & Curatorum iutervenienie. Hoc beneficium definitur a Juristis; *pristini status redintegratio judicis auctoritate facta*. Quamobrem virtute hujus privilegii pupillus, & minorennis, si læsi fuerint in aliquo contractu, ab ipsis ante annum 25. celebrato, in pristinum statum revocantur, vel rescissione contractus, aut reparatione damni illati, vel revocatione præscriptionis, ut super. de præscriptione diximus. Verum, ut beneficium consequantur, nonnullæ requiruntur conditiones. 1. Ut læsio facta sit in notabili quantitate, quæ est dimetienda juxta quantitatem negotii: damni emergentis, & lucri cessantis, quod si læsio tenuis sit, locum non habet restitutio in integrum. 2. Ut damnum, & læsio sit ex ipso contractu orta, non vero aliunde, & per casus fortuitos; sed manifeste appareat, contractum nec satis caute, nec prudenter celebratum fuisse. 3. Ut hæc restitutio non fiat privata auctoritate minorennis læsi, qui occulte se compenset, sed judicis sententia, & auctoritate. 4. Ut restitutio petatur intra quadriennium post 25. completum; durat proinde jus petendi usque ad 29. Locum autem habet hocce privilegium in venditione, & emptione, in mutuo accepto, si pecuniam, vel rem amittat, vel inutiliter consumat. Immo & in solutione debiti, si nimirum a debitore suo sine Tutoris, & Curatoris auctoritate pecuniam accipiat: in quo tamen est æquitas naturalis spectanda; si enim bona fide debitor solvit, & minorennis factus sit ditior, nec petenda videtur, nec a judice concedenda restitutio in integrum. Similiter si læsus sit in quasi contractu, scilicet vel quia lucrosam hæreditatem repudiavit, vel perniciosam acceptavit. Num vero concessa restitutione in integrum, sint restituendi etiam fructus inde percepti, disputant Jurisperiti, & facilius concedunt in contractibus gratuitis, puta donatione irrationabili; at difficilius consentiunt, si contractus fuerit onerosus: sed cum & restitutio in integrum, & modus restitutionis a judicis pendeat auctoritate, ejus sententiæ standum erit. Non habet vero locum hocce beneficium, si contractus sit prudenter celebratus, licet vel utiliori modo iniri potuisset, vel alius fuisset, qui majus pretium promisisset; sicut nec si contractus talis sit, ut expositus sit æque periculo damni, ac lucri; quia cum tali periculo prudenter, & communiter celebrantur hujusmodi contractus, licet in deterius vergant. Sed de his fusius apud Jurisperitos.

CON-

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Filii-familias impuberes non contrahunt civilem obligationem, si contractus celebrent de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, licet accesserit consensus Patris, ut habetur §. 10. de inutil. stipulat. At contra pupillus, si accedat Tutoris auctoritas, civili obstringitur obligatione. Hujus discriminis causam in eo constituunt Jurisperiti, quia nimirum pupillus rationem habet contra Tutorem, si is male suam auctoritatem, & consensum præstiterit; at filius-familias sibi patrem obstrictum non habet.

CAPUT SEPTIMUM.

De materia, & forma Contractuum.

DOCTRINA.

I. *Materia contractus quotuplex, & quænam in genere.*
II. *Num impossibilia sint contractus materia.*
III. *Res non existentes in triplici differentia. De prima quid dicendum.*
IV. *De secunda.*
V. *De tertia.*
VI. *Num res aliena sit legitima contractus materia.*
VII. *Num res propria.*
VIII. *Num res incerta. Regulæ duæ.*
IX. *Num res illicita.*
X. *Duplici titulo contractus esse potest illicitus.*
XI. *Quid de contractibus a jure civili tum vetitis, tum irritis.*
XII. *Quid de contractibus solum vetitis, at non irritis.*
XIII. *Contractus de re jure natura illicita ante executionem nulli sunt, & irriti.*
XIV. *Post executionem quare nonnulli putent valere.*
XV. *Leges etiam post executionem illos irritos declarant.*
XVI. *Objectio solvitur.*
XVII. *Doctrina S. Augustini exponitur.*
XVIII. *Cui consentit & D. Thomas.*
XIX. *Ejus doctrina vindicatur.*
XX. *Ratione veritas ostenditur.*
XXI. *Objecta adversantium Theologorum proponuntur.*
XXII. *Et dissolvuntur.*
XXIII. *Remota contractuum materia in particulari designatur.*
XXIV. *De forma contractuum.*

I. DISPUTATIONEM de causa efficiente contractuum recta methodo de causa materiali, seu de eorumdem materia sermo subsequitur. Duplex autem materia distingui potest, scilicet *in qua*, & idem est ac subjectum; & *circa quam*, quæ alio modo vocatur objectum. De materia *in qua* superflua est consideratio, est enim eadem cum causa efficiente; nam cum contractus sint hactus humanæ voluntatis, ac proinde vitales, constat eos nullum habere subjectum præter id, quod etiam est illorum principium. Sed materia *circa quam*, seu objectum, iterum duplex, remota, & proxima. Hæc est dominium, vel pars dominii, vel aliquod jus supra res, quod per dominium transfertur: in omni enim contractu eo fertur contrahentium intentio, ut vel plenum rei conventæ dominium, vel ususfructus, vel aliquis simplex usus ejusdem de uno in alium transferatur; ut patet in singulis, tum gratuitis, tum onerosis contractibus. Et de hac nihil ultra superest dicendum. Quoad materiam vero remotam, quæ in rebus consistit, quæ in contractum veniunt, hæc pri-

primo in genere, deinde in speciali considerari potest. Ad stabiliendam in genere materiam, seu objectum contractus hæc generalis regula sufficeret, nempe res illa omnes contractuum materiam esse posse, quæ & existunt, & in contrahentis potestate, seu dominio sunt positæ. Verum quia peculiares difficultates occurrunt de variis rerum generibus, 1. quidem de impossibilibus. 2. De non extantibus. 3. De illicitis, 4. De alienis. 5. De propriis. 6. Denique de incertis; de his singulis suo ordine verba faciemus.

II. Impossibilia alia naturaliter talia dicuntur, quæ scilicet naturæ viribus fieri non possunt; ut si quis contraheret de tangendo cælum digito, vel de cupro in aurum mutando. Alia solum moraliter impossibilia reputantur; ut si contractus fieret de capiendis omnibus piscibus alicujus fluminis, vel exterminandis omnibus feris alicujus provinciæ. De utroque impossibilium genere manifestum est contractus initos prorsus nullos & irritos esse; nam ad impossibile nemo obligare vel obligari potest. Et rursum vel rei impossibilitas nota est contrahentibus, vel ignota: si primum, manifestum est, eos solum joco, & irrisorie contractum simulare; si alterum, tunc error circa substantiam tollit consensus veritatem. Quid autem sentiendum sit de illis contractibus, quibus conditio impossibilis adnectitur, dicemus cap. seq. ubi de contractibus conditionatis.

III. Res vero non extantes in triplici differentia sunt: 1. ut nec actualiter existant, vel destructæ per naturam redire non possint; c. ex. emisti equum, qui, dum contractus fieret, vel mortuus est, vel mox erat moriturus. 2. Ut etsi nondum extent, proxime tamen futuræ sunt, & veluti in suis causis paratæ; ut si emantur fruges metendæ, vel partus bovis prægnantis. 3. Ut nec actualiter sint, nec futuræ sperentur, sed ambiguum sit, utrum sint futuræ nec ne; an forte fortuna sint futuræ, vel non futuræ. In primo casu distinguendum est, vel enim contractus est de rebus habentibus functionem, vel de illis, quæ functionem non habent. Dicuntur autem habere functionem, quæ licet quoad speciem pereant, manent tamen secundum genus, ut oleum, vinum, triticum, & similia. Contractus itaque de hujusmodi rebus subsistunt, & obligant, etiamsi species illa determinata, de qua conventum fuit, ante traditionem pereat; quia semper horum contractuum intentio fertur potius ad genus, quam ad certam quamdam illius generis speciem; nisi aliter sit conventum. Quod si de rebus functionem non habentibus contractus extiterit, tunc proculdubio in casu nullius extantiæ irritus, & invalidus erit, sive contrahentes ignorent rem non extare, immo contrarium supponant, aut saltem alteruter illorum hanc erroneam habuerit opinionem; sive uterque, aut alteruter materiæ defectum probe sciat: aut enim error quoad substantiam contractum irritum efficit, aut simulatus tantum intervenit consensus: ille tamen qui dolum adhibuisset in hujusmodi conventione; procul dubio teneretur ad interesse, sive ad reparanda damna, quæ ex tali conventione ortum duxerint, ex generali regula, quod fraus & dolus nemini suffragari debent.

IV. Quando vero materia, de qua fit conventio, licet in se ipsa non existant, in suis tamen causis vel naturalibus, vel moralibus existit, unde certo moraliter futura, aut admodum probabiliter existimatur, dicendum est, validos

dos contractus fieri posse, quamvis non censeantur completi, donec res in se ipsa extiterit: sunt enim veluti conditionati, & dependentes ab eventu, & impletione conditionis. Hoc pacto possunt esse materia contractus c. ex. venditionis, emptionis alteriusve commutationis partus, qui existunt in prægnantibus, veluti in causis præparatis, & dispositis ad illorum emissionem; fructus adhuc pendentes in arbore, vel proxime nascituri; segetes existentes in germine, & similia; creditorum quoque nomina, & scripturæ vel authenticæ, vel privatæ continentes hæc nomina, immo sola jura, vel actiones ad habendam rem aliquam, sive sint jura in re, seu ad rem: licet enim ea adhuc actu non extent, quæ sunt objecta contractuum, in proxima tamen spe censentur existere; præsertim quia intentione contrahentium referuntur ea ipsa ad tempus, quo realiter erunt. Sed hic maxime notandum est, quod interest inter rem in spe, & spem ipsius rei; utrumque enim esse potest materia contractus, alio tamen & alio modo: nam quando venditur res, prout in spe, objectum principale contractus est ipsamet res ad tempus suæ existentiæ relata; quapropter contractus non censetur perfectus, aut consummatus; nisi post ipsius rei existentiam actualem: sed si contractus cadat super spem ipsam, jam contractus tunc censetur perfectus & consummatus, quando jus illud probetur, aut signum juris, quod est spei fundamentum. Quapropter etsi contingat, vel rem speratam non evenire, vel minorem esse, quam speratum fuit, vel etiam majorem pretio, puod fuit impensum, nihilominus consistit contractus, nullaque compensationis obligatio consurgit; nam tunc sumus in tertio casu, quando videlicet

V. Res, quæ est materia contractus, non est determinate futura, sed est incertum, utrum, nec ne futura sit; ut si quis ab alio emat jactum retis, aut venationis, vel missilium, quæ sparguntur, ut fiant primi occupantis; tunc siquidem emitur spes ipsa, non spei objectum. Licitum autem esse de sola spe contractum inire, patet ex ludo, in quo quis solam spem futuri lucri emit nummis illis, quos singulis jactibus periculo exponit. Patet etiam ex contractu assecurationis, societatis &c. in quibus omnibus datur pretium pro sola spe aut damni vitandi, aut alicujus lucri comparandi.

VI. Num vero res aliena possit esse idonea contractus materia, inquirunt Juristæ, & quidem respectu illius, qui dominium transferre debet; nam alioquin respectu alterius contrahentis, puta emptoris, certum est, alienum esse debere, cujus ipse sibi dominium comparare intendit. Et quidem si res aliena referatur ad tempus futurum, quo aliena amplius non erit, sed mea; nihil impedit, quin de illa contractus iniri possint, respiciendo non tempus præsens, sed futurum; quo pacto superius n. 4. diximus, rem sola spe existentem esse posse materiam contractus: sed spectando tempus præsens, quo aliena adhuc esse supponitur, certum est contractus de ipsa editos nullos prorsus esse, atque irritos; ut constat ex illis regulis juris. 1. *Nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habeat*. 2. *Quod meum est, sine facto meo* (idest sine consensu) *alienum fieri non potest*. 3. *Nemo debet cum alterius injuria, & damno locupletari*. Solum negotium facessit Lex *rem alienam* in ff. de

contrahenda emptione, ubi supponitur ut certum, rem alienam distrahi posse, & de ea veram emptionem, & venditionem celebrari, quamvis res vendita possit auferri emptori. Verum facilis est explicatio hujus legis: nam jura loquuntur de emptore malæ fidei, qui videlicet probe sciens rem esse alienam, nihilominus ejus dominium sibi acquirere tentat. Disponunt igitur in tali casu pretium ab ipso solutum transire in possessionem vendentis, non quidem ut faveant emptori, aut ipsimet vendenti quod suum non est, sed potius ut vero rei venditæ domino suffragentur, quatenus hic facilius & rem suam poterit recuperare, vel eam sibi vindicando ab emptore, vel condicendo ejus pretium a venditore, qui non tam sibi, quam domino illud acquisivit. Ceterum de obligatione tum emptoris, tum venditoris, tum cujuscumque possessoris rei alienæ eam domino restituendi dicemus suo loco in Tract. de Restitutione.

VII. Pari pacto res propria illius, qui dominium assequi intendit, potest esse materia contractus, 1. si referatur ad tempus, in quo non amplius propria existimabatur, pari ratione ac res aliena pro tempore, quo propria evadit, venditioni subjici potest. 2. Si res propria usquequaque non sit, sed tantummodo quoad inadæquatum dominium, puta si proprietatem quidem illius habuerim, non vero usumfructum, aut contra usumfructum habeam, non tamen possessionem; vel res mea sit alicui servituti, vel alterius juri obnoxia, potest a me comparari pro ea parte, qua mea non est. At si pleno dominio ad me pertineat, impossibile est, ut quocumque contractu, & quocumque errore de ejus vero domino occurrente; a me denuo comparetur; ut enim habet regula juris, *quod prorsus meum est, magis meum fieri non potest*. Quamobrem emptiones rerum, quæ ex puro errore judicantur alienæ, cum vere sint ipsius ementis, nullum habent valorem, nullam possunt inducere obligationem. Nihilominus ajunt jura, posse dominum rei cum fure pacisci, etiam de re propria, quoad ejus materialem possessionem recuperandam; posse item cum alio, qui utcumque rem tuam possidet, pacisci de pretio: sed posterior hic potius venditio existimari debet rei suæ, quam emptio, & acquisitio.

VIII. Res incertæ in jure eæ dicuntur, de quibus ex actis contrahentium constare non potest, quæ, quantæ, & quales sint; ut si ex. g. fundum sine designatione loci, & limitum contractui subjiciam, vel mancipium sine nomine sexus, ætatis, atque virium expressione. Itaque incertitudo potest ad hæc tria referri, videlicet ad substantiam, quantitatem, & qualitatem mercis, vel pretii, & quoad hæc omnia potest dupliciter occurrere, vel tempore conventionis, vel tempore executionis: multoties enim quæ incerta sunt, dum contractus celebratur, certa ac determinata fient, quando conventio adimplebitur: si e. ex. vendantur fœtus prægnantis bovis, vel pecorum, quæ intra bimestre nascentur, quinam, quales, & quot hi fœtus futuri sint, tempore executionis certo constabit. Porro quoad incerta hæ statuuntur in jure Regulæ. 1. Quoties incertitudo præcipue circa substantiam, & quantitatem materiæ, quæ contractui subjicitur pro tempore, quo contractus executioni mandandus est, nulla via ad veritatem reduci potest, nulli & irriti ipso facto habendi sunt de tali materia contractus. Ita aperte statuitur in L. *stipulatio-*

tionem 74. in ff. de verb. oblig., & comprobatur omnium Juristarum consensu, nec non ratione evincitur manifestissima. Quoniam incertitudo indicata non sinit subsistere contractus substantiam; neque enim quid exequendum sit, aut faciendum constare potest, durante incertitudine circa speciem, & quantitatem rei conventæ. Dixi circa speciem & quantitatem, quia quantitas licet videatur quid a substantia distinctum, tamen in hac materia ad substantiam revocatur: quoniam ipsa substantiam multiplicat, aut diminuit; & nemo diffitebitur, substantiam variari conventionis, si ex. g. agatur de una, vel sex ovibus distrahendis. Quantum vero ad alias qualitates accidentales, licet in jure videatur etiam harum incertitudo allegata tamquam impedimentum validi contractus, subest tamen ratio urgens dubitandi; non enim potest incertitudo potentius obstaculum esse, quam error: & tamen superius ostendimus cap. 4. n. 5, errorem circa qualitates mere accidentales non vitiare contractum. Quapropter textus contrarii legum interpretandi videntur de qualitatibus, non mere accidentalibus, sed potius ad substantiam rei dignoscendam pertinentibus. Ratio autem traditæ regulæ inde evidenter elucet, quod cum quilibet contractus eo tendere debeat, ut alicujus rei dominium, vel pars dominii, aut certum jus de una ad aliam transferatur personam, & hæc translatio fieri non possint sine voluntate, & consensu prioris domini; hic consensus constare non potest, quandiu adest incertitudo circa substantiam, aut quantitatem, aut etiam qualitates non mere accidentales: etenim res in genere sumpta executioni mandari non potest, cum actiones humanæ circa singularia versentur. Idoneum exemplum habetur in jure, illustrandæ præfatæ regulæ deserviens. Quis testamento suo legat prædium talis appellationis, quæ communis est duobus prædiis existentibus in ejus dominio, quorum pretium, & æstimatio valde diversa est; nam unum fortasse duobus millibus, alterum quatuor millibus æstimabitur. Hinc incertitudo oritur ex æquivocatione, & ex incertitudine vitiata remanet, atque nulla Legati dispositio; neque enim commode executioni mandari potest: nam si prædium duorum millium legatario tradatur, executor testamenti fortassis eum fraudabit duobus millibus; si vero prædium majoris pretii ei consignet, fortassis gravabit hæredem. Quare jura disponunt, hujusmodi legatum habendum esse pro infecto, & sibi disponens imputare debet, si ejus ultima voluntas careat effectu: ut enim Regula juris decernit, *contra eum, qui clarius mentem suam exprimere potuit, interpretatio est facienda*, Regula 2. Contractus de rebus incertis validi esse possunt, si incertitudo aliquo ex his modis possit auferri, nempe vel ipso eventu rei, vel electione partium contrahentium, vel arbitrio alicujus tertii. Patet ex L. *Ubi autem* 75. in ff. de verb. oblig. Ratio est, quia sublata causa effectum quoque tolli conveniens est. Quapropter cum incertitudo rei conventæ impedimento esset, ne initus contractus suam nancisceretur firmitatem, depulsa aliquo ex dictis modis incertitudine, par est, ut contractus suum consequatur valorem. Quoties vero determinatio materiæ aut electioni partium, aut tertiæ personæ committitur arbitrio, aliquæ in jure præscribuntur Regulæ, quæ ad rectum determinandum dirigunt, & ut plurimum debitoribus favent, ne scilicet isti plus

plus æquo graventur, stricta interpretatione: sed illorum animus, intentio, & verba ita accipiantur, ut ad minimum sese obligasse credantur.

IX. Ultimo loco de rebus illicitis, & prohibitis disputationem reservavi, quæ magnis circumsepitur difficultatibus, & in qua diffident nedum benigniores Theologi a rigidioribus, sed ipsi sanioris, & christianæ Ethices magistri digladiantur, & in diversas abeunt sententias. Ipse de more hanc quæstionem accurate expendam, & quid mihi verosimilius, & probabilius coram Deo visum fuerit, omni rejecto pyrrhonismo aperiam, nonnulla præmittendo ad clariorem doctrinæ explicationem.

X. Dupliciter potest esse aliquis contractus illicitus, 1. quia ipsius objectum, seu materia est res illicita, & mala, ac jure naturæ, & divino vetita; ut homicidium, falsum testimonium, iniqua sententia, adulterium, & alia omnia criminum genera. 2. Vel quia, quamvis res in se bona sit, tamen vel lege divina, vel humana vetitum est eam contractibus subjicere; sic divina lege vetitum est res sacras, & spirituales vendere, & talis venditio simoniæ crimen constituit; de qua re nihil modo superest dicendum, nam abunde diximus Differt. 5. de Vitiis virtuti Religionis oppositis Tom. 3. cap. 3. & seq. Vel legibus Principum interdictum est quædam vendere, puta certa armorum, vestium, ornamentorum genera, vel solum aliquibus aliquarum rerum commercium conceditur, quod ob bonum publicum aliis interdicitur. Distinctionem hanc ex D. Thom. desumpsi, qui 2. 2. q. 62. a. 5. ad 2. scribit: „ Dicendum, quod aliquis dupliciter aliquid dat illicite. Uno modo, quia ipsa datio est illicita, & contra legem; sicut patet in eo, qui simoniace aliquid dedit . . . . Alio modo quis illicite dat, quia propter rem illicitam . . . . sicut cum quis dat meretrici propter fornicationem ". De utroque autem illicito contractu dicendum, non enim par est utriusque conditio.

XI. Quando objectum contractus est res licet in se bona, sed vetita vel lege humana, vel divina, peccant, qui hos contractus celebrant; & si lege contractus irritentur, nec possunt rei pretium sibi accipere, & retinere. Et quidem eos peccare manifestum est, cum leges justas, & in conscientia obligantes violent. Quod autem & teneantur restituere pretium male acceptum, quando id legibus jubetur, & eadem ratione constat, & manifeste Patet: leges enim tunc non solum contractus sua prohibitione illicitos reddunt, sed & invalidos irritosque; quamobrem omnis abest titulus justæ detentionis. Hoc pacto retinere non possunt Simoniaci pretium rei sacræ venditæ, ut suo loco ostendimus; & omnes Judices, & Ministri justitiæ, qui munera accipiunt, vel ad justam proferendam sententiam, vel ne proferant injustam; his enim omnibus munera accipere, & accepta retinere vetatur in utroque jure, tum civili, tum ecclesiastico. Immo & jure ipso naturæ vetitum ostendit Continuator Operis S. Thom. de regimine Principis lib. 4. cap. 14. scribens: „ Sicut enim injustus esset, qui cappam meam mihi vendere vellet, ita injustus est, qui injustitiam, quam debet gratis ex officio facere, non vult facere, nisi accepto munere ". Pari modo retineri non posse, docent etiam Salmanticenses, quod accipit testis, ut verum det testimonium, vel ne falsum de-

deponat; elector, vel suffragium ferens, pro digniori eligendo; Sicarius, ut ab occisione abstineat, fur a furto, depositarius, ut depositum restituat, & alia hujusmodi, quæ a legibus nedum vetantur, sed & irritantur: de quibus omnibus merito statuit S. Tho. 1. q. 62. a. 5. ad 2. *Et etiam ille qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere*. Quibus autem restituendum sit, dicemus suo loco de Restitutione tractantes.

XII. At si lex contractum quidem prohibeat, sed non irritet; tunc contrahentes quidem peccant contra legem, sed, si objectum, & materia contractus sit res bona, & pretio æstimabilis, sibi mercem vel pretium retinere possunt, donec a judice in pœnam alterutro, vel utroque priventur. Id quoque manifestum est, nam una ex parte, rei sunt violatæ legis justæ, ac proinde peccato obstricti, vel lethali, vel veniali juxta quantitatem, & qualitatem mercis divenditæ. Posse autem, rem & pretium retinere constat ex illa Regula juris, quæ dicit: *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*. Sic valet matrimonium tempore vetito celebratum, vel a voto castitatis obstricto, quia prohibetur quidem istis hujusmodi contractus, at irritus, minime declaratur. Similiter qui mercem vendit contra legem Principis, peccat; at emptor mercem, venditor vero pretium retinere potest: tum quia leges hujusmodi contractus solum vetant, non irritant; tum quia si venditio justa sit, æqualitas in utroque servatur, & alter pretium habet, alter mercem tali pretio æstimabilem.

XIII. Quando vero objectum, & materia contractus est quid jure divino, & naturæ illicitum, ut furari, occidere, verberare, mœchari, & similia, in hoc conveniunt Theologi omnes, hujusmodi contractus ante executionem iniquos esse, nullos, & irritos, & contrahentes peccati lethalis jam reos esse; ac proinde teneri ista pacta omnia, omnes istas conventiones rescindere, & tollere, nec ullo modo implere. Et sane id ipso lumine naturæ compertum est, cum impossibile sit præfatos contractus valorem aliquem retinere: sequeretur enim manifesta contradictio: nam materiam esse illicitam idem est, ac obligationem gravem ex lege divina adesse de operatione circa ipsam vitanda. Quo igitur pacto fieri potest, ut contractus circa ipsam celebratus valeat, hoc est obligationem ex virtute justitiæ inducat faciendi, cujus omittendi potior est obligatio?

XIV. Sed opere malo, & iniquo præstito, ad quod aliquis ex pacto, & contractu se obstrinxit ob mercedem promissam, num possit alter pretium sibi retinere, alter vero teneatur solvere, non consentiunt Theologi. Plurimi quidem affirmant, & quidem magni nominis, hoc unico fulti argumento. Animadvertunt in his pactionibus duos diversos contractus regulariter intervenire: alter est absolutus de pravo opere faciendo; & hic statim est non solum illicitus, sed & irritus, utpote de actu nefario divina lege vetito; alter vero est conditionatus de mercede solvenda, supposita flagitii adimpletione; & hic post impletum opus tenet, & obligat, quia ad illud refertur, non qua parte peccaminosum est, sed quatenus delectationem, vel utilitatem conjunctam habet unius contrahentis, & alterius affert laborem, turpitudinem, damna, pericula, & alia pretio æstimabilia, quæ jam commisso peccato secerni possunt ab ipso opere pravo. Id confirmant

exemplo meretricis, cui solvendum est pretium pravi operis jam perfecti, & ipsa illud sibi retinere valet; quia, ut inquit S. Thom. 1. q. 62. *ille quidem illicite dat, quia propter rem illicitam dat, sed ipsa datio non est illicita*.

XV. Verum oppositum tenent, & docent plures alii, & quidem magni nominis Theologi, Juveninus, Habertus, Comitolus, Concina, Gennetus, quibus adhæreo tamquam probabiliora docentibus, his permotus, ut mihi videtur, validissimis argumentis. 1. Leges omnes tum civiles, tum canonicæ hujusmodi contractus reprobant, irritos, nullosque ipso facto declarant. Lege *generaliter* in ff. de verborum obligationibus statuitur: *Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti*. Codice de pactis L. *pacta* jubetur: *Pacta, quæ contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est*. Et specialius L. *juris gentium* ff. de pactis declaratur; *Si, ut maleficium fiat, promissum sit, nulla est obligatio ex hac conventione*. Et L. *si plagii* ff. de verb. signif. *Si plagii, vel flagitii faciendi, vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet*. Idem confirmat & jus canonicum regula 64. tit. de Regulis juris: *Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi*. Et Cap. *Pactiones*. tit. de pactis dicitur: *Pactiones facta a vobis, nullius penitus sunt momenti. Nam etiam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto nullam obligationem inducit*.

XVI. Reponunt Adversarii, præfatas leges vim habere quidem ante nefarii operis executionem, de qua pactum omne, & omnem conventionem irritant, & annullant; non vero jam præstito nefario opere. At futilis est, & omnino falsa hæc legum explicatio. Nam 1. Leges istæ nullam habent distinctionem operis patrati, vel patrandi, sed universaliter declarant eas conventiones nullas esse; & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. 2. Ita loquuntur, & nec post operis nefarii impletionem ullam urgere obligationem declarant, ut manifeste patet ex L. *Si plagii*, ubi dicitur: *Si plagii, vel flagitii faciendi*, vel FACTI *causa &c.* 3. Si juxta leges pactum de re turpi, antequam scelus admittatur, nullam inducit obligationem, nec ullam inferre potest, opere jam patrato: nam clamant leges civiles: *Quæ ab initio fuit inutilis institutio, temporis tractu convalescere non potest*. Et Regula 18. Juris Canonici de Reg. jur. in 6. declarat: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*. Confirmat ratio manifesta: nam si ante crimen nulla erat contractus obligatio, ergo nec post patratum scelus: nam in omni contractu, & præsertim oneroso, vel uterque paciscentium obligatur, vel neuter. Porro qui scelus promisit, non tenetur, immo prohibetur promissum implere; Ergo vicissim & alter promissam præstare mercedem, nec opere nefario consummato, tenebitur. Fortius adhuc. Qui crimen patrandum pollicetur, nulla ad conventionem implendam lege constringitur; crimen igitur patrat ex sua prava voluntate, & ex propria malitia. At quis unquam dicet, malitiose, & nequiter operanti deberi mercedem? Nullæ igitur sunt hujusmodi conventiones; sive ante, sive post pravi conventi operis impletionem.

XVII. Idem docent Sancti Doctores, Augustinus, & Thomas. Ille quidem in sua epistola ad Macedonium, ubi aperte docet, judicem iniquam senten-

entiam vendentem scelerate sui operis mercedem accipere; & Advocatum non posse retinere præmium injustæ litis, cujus ipse patrocinium gessit. Sic enim scribit cap. 2. *Cum autem judicia, & testimonia, quæ nec justa, & vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multo sceleratius utique pecunia sumitur, quia scelerate etiam a volentibus datur.* Eu quomodo scelestos pronuntiat S. Augustinus tum dantes, tum recipientes pro nefario opere mercedem. Et paulo post de Advocatu iniquæ causæ patrocinatore, subdit: *Si justitia sincerius consulatur, justius dicitur Advocato, redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti.* Et paulo post subdit: *Quis tandem Advocatus, aut ex Advocato ita vir optimus facile reperitur, qui suscepto suo dicat: Recipe, quod mihi, cum tibi male adessem, dedisti, & redde adversario tuo, quod me agente abstulisti. Et tamen quem prioris non recta vita rectissime pœnitet, etiam hoc facere debet, ut si ille, qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit habere mercedem.*

XVIII. S. vero Thomas ab Augustino, cujus semper fidissimus fuit discipulus, non dissentit, licet adversæ sententiæ patroni non sine tanti Doctoris injuria sibi faventem allegare non vereantur, & quidem quasi universaliter docentem, licere de nefariis operibus mercedem accipere, & sibi retinere; cum tamen ille talia jaciat doctrinæ principia, ut oppositum plane evincat. Docet itaque S. Thom. ex duplici titulo aliquid illicite dari, & accipi, nimirum 1. quando opus, per quod datur, est illicitum. 2. Quando ipsa datio est illicita. Sic scribit 2. 2. q. 62. a. 5. ad 2. *Aliquis dupliciter aliquid illicite dat. Uno modo quia ipsa datio est illicita, & contra legem, sicut patet in eo, qui simoniace aliquid dedit: & talis meretur amittere, quod dedit: unde non debet ei restitutio fieri de his, & quia etiam ille qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere, sed debet in pios usus convertere. Alio modo aliquis illicite dat, quia propter rem illicitam dat, licet ipsa datio non sit illicita; sicut cum quis dat meretrici propter fornicationem: unde & mulier potest sibi retinere, quod ei datum est.* Porro, ut vidimus, leges omnes, cum contractus de opere nefario irritent, non solum ipsam de crimine conventionem irritant, sed & mercedem promissam solvere prohibent; cum omne jus, & titulum tollant translationis dominii. Vetant igitur non solum omnem promissionem, & contractum, sed etiam omnem dationem, quæ proinde, cum sit contra leges, juxta S. Thom. doctrinam retineri non potest. Quod confirmat in IV. sent. dist. 15. q. 2. a. 4. q. 2. ad 1. dicens: *Aut lex probibet ipsum lucrum, vel causam lucri tantum. Si ipsum lucrum est probibitum, tunc impossibile est, quod juste detineatur. Ex hoc enim ipso efficitur aliquis injusti tituli, & malæ fidei possessor, quod contra legem aliquod habet.* Et revera quis dicet, leges concedere sicariis, veneficis magis, adulteris pretium suorum scelerum, & rite accipere, & recte retinere; cum omnes, istos scelestos, & eorum remuneratores, qui pacto pretio ad crimina provocant, severissime puniant? Immo tantam docet S. Thom. legum humanarum rationem habendam, hujusmodi dationes prohibentium, ut si illæ aliquod lucrum vetent, etiam ex operæ jure naturæ non malo, sed lege vetito, accipientem retinere non posse de-

declaret; ut in ludo aleatorio, de quo statuit S. D. quod si lucrum ex illo capiatur, qui alienare non potest, ut sunt minores & pupilli, teneatur restituere; at si lucratus est ab eo, qui potest alienare, non teneatur quidem restituere, sed tamen nec possit illud sibi retinere, sed debeat in pios usus impendere. Sic itaque scribit in IV. dist. 15. q. 2. a. 4. q. 3. ad 2. „ Ipsum lucrum aleatorium est lege prohibitum. Sed in hoc distinguendum est: quia aliquid circa ludum justum est prohibitum lege naturali, aut divina, ut quod aliquis lucretur ab his, qui rem suam alienare non possunt, sicut sunt minores, & furiosi, & similes; & iterum quod aliquis alterum trahat ex cupiditate lucrandi; sed secundum jus positivum, omne tale lucrum est interdictum. Quia autem jus positivum per dissuetudinem abrogatur, non autem jus divinum, ideo dicendum videtur, quod si lucratus est ab eo, qui non habuit potestatem alienandi, tenetur ad restitutionem ei, & sic non potest facere eleemosynam inde. Si autem lusit cum eo, qui habet potestatem alienandi, quæ sua sunt, si tractus lusit, & amisit, potest repetere; si lucratus est, non tenetur restituere, quia ille, qui amisit, non est dignus recipere; non potest licite retinere, nisi jus positivum per contrariam consuetudinem esset alicubi abrogatum. Si autem alium traxerit, si amisit, non competit ei repetitio; si autem lucratus est, tenetur ad restituendum illi, a quo lucratus est, & non potest inde facere eleemosynam “.

XIX. Sed inquiunt, nonne meretrices possunt accipere, & sibi retinere nefarii operis pretium? Quod & ipse S. Thom. aperte affirmat, immo illis in facultate retinendi pretium pravi operis associat & lenones l. l. ex sent. & histriones in 2. 2. q. 87. a. 2. ad 2. ubi & addit *alia hujusmodi*, quibus verbis omne lucrum ex prava actione complectitur. Verum hæc sic refelluntur. Meretrices & accipere, & retinere possunt libidinis pretium, non tamquam mercedem pravi operis, sed ex permissione, & concessione Reipublicæ, quæ dati pretii dominium in meretricem transfert, & in mulctam pecuniariam illorum, qui cum illis se committunt; & hoc quidem ad majora impedienda mala. Quamobrem meretrices nonnisi pretium a lege concessum retinere possunt: unde si quid ultra per fraudem, & dolum extorquent, ut inquit S. Thom. tenentur restituere: & in hoc solo sensu concessit A. P. meretricibus pretium libidinis retinere. Quod si illis adjungit lenones, de illis loquitur, non qui pravum hoc ministerium ad virgines, vel uxores corrumpendas exercent, sed qui ipsis meretricibus, cum quibus semper lenones conjungit, inserviunt, & eas defendunt, ne injuriis afficiantur: & his quoque, cum a Magistratibus tolerentur, aliquid accipere conceditur. Quoad histriones vero tantum abest, ut istorum exemplum adductum a S. Thom. adversariis faveat, quin immo ipsos omnino opprimit, & jugulat. Duas histrionum classes distinguit S. Thom. 2. 2. q. 168. a. 3. ad 3. primam illorum, qui moderate ludo utuntur, idest *non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis*; & istorum artem *licitam* dicit, & juste illis tribui sui operis mercedem affirmat: alteram vero illorum, qui *illicitis* ludis utuntur, &

tan-

tantum abest, ut doceat, istis non illicite dari, & istos non illicite accipere, quin contra aperte affirmat cum S. Augustino, donare his *esse vitium immane*. Axioma autem est S. Thom. quando datio ipsa est illicita, accipientem non posse sibi retinere, ut habet l. sup. l. ex 2. 2. q. 62. a. 5. ad 2. Non possunt igitur hi secundæ classis histriones ex doctrina S. Thom. sibi iniqui operis pretium retinere. Audiatur D. Th. scribens l. l. q. 168. a. 3. ad 3. „ Ludus est necessarius ad conversationem humanæ vitæ. Ad omnia „ autem, quæ sunt utilia conversatio- „ ni humanæ, deputari possunt aliqua „ officia licita. Et ideo etiam officium „ histrionum, quod ordinatur ad sola- „ tium hominibus exhibendum, non „ est secundum se illicitum: nec sunt „ in statu peccati, dummodo modera- „ te ludo utantur, idest non utendo „ aliquibus illicitis verbis, vel factis „ ad ludum, & non adhibendo ludum „ negotiis, & temporibus indebitis. „ Unde illi qui moderate eis subve- „ niunt, non peccant, sed juste faciunt, „ mercedem ministerii eorum eis tri- „ buendo. Si qui autem superflue sua „ in tales consumunt, vel etiam su- „ stentant illos histriones, qui illicitis „ ludis utuntur, peccant, quasi eos in „ peccato foventes. Unde Augustinus „ dicit super Joan. . . . . quod *donare* „ *res suas histrionibus, vitium est imma-* „ *ne, non virtus*; nisi forte aliquis histrio „ esset in extrema necessitate, iu qua „ esset ei subveniendum “. Quod si S. Thom. negat licitum pravis histrionibus dare, & istis accipere, quis unquam asserere audebit S. D. docere universaliter, non illicitum sicariis, homicidis, veneficis, magis, incendiariis, sacrilegis, mulieribus vel adulterium, vel struprum in se admittentibus, iniquis judicibus, falsis testibus, calumniatoribus, horum facinorum mercedem, & pretium accipere? Hoc itaque unum ex doctrina S. Thom. extundi potest, videlicet, pro solo illo flagitioso opere licitum dare aliquid, & datum retinere, quod in Republica ob bonum commune toleratur; in ceteris vero flagitiis, quæ a Magistratibus non solum non tolerantur, sed & severissime puniuntur, cum non solum ipsum opus pravum sit, sed & ipsa datio a legibus vetita, nec dare aliquid licet, nec accipientibus retinere.

XX. Confirmatur nostra doctrina argumento, meo videri, validissimo. Quod datur pro pravo opere patrato, vel datur ex pacto & conventione jam celebrata; vel ob ipsum facinus aliquo modo pretio æstimabile. Non primum; nam præfatæ conventiones, & pacta nedum illicita sunt, sed irrita, cassa, nulla, & pro infectis (ut loquuntur leges) habenda. Non quod ipsum facinus sit pretio æstimabile. Nam quomodo pretio æstimabile, hoc est præmio, & mercede dignum esse potest scelus, quod divino, & humano jure non vetatur solum, sed etiam in altera vita æternis punitur suppliciis, & in præsenti a justissimis judicibus vel diuturno carcere, vel exilio, vel etiam morte mulctatur? Non est, inquiunt adversæ sententiæ Patroni, pretio æstimabile, quatenus scelus & flagitium est, sed quatenus opus uni vel utile, vel delectabile, vel expetitum, alteri vero vel onerosum, vel laboriosum, vel molestias afferens. At hoc effugium optime illis recludit Comitolus, respondens hoc posito & prævias conventiones, & pacta de opere scelesto fore licita, quia non respiciunt opus, qua malum, sed

qua

qua laboriosum; & nihilominus omnes fatentur omnem stipulationem, & præviam conventionem irritam, & nullam esse: ergo tales remanent etiam post factum. Præterea nihil esset tam sanctum, tam venerabile, cujus sacrilega, violatio non esset pretio æstimabilis, non qua sacrilega, sed qua uni utilis, alteri laboriosa: & hoc modo etiam Judæi pretium licite dedere, & Judas licite accepit pro Magistri sui proditione; nam nec illi dederunt, nec iste pretium accepit, qua sacrilegum facinus fuit, sed quatenus illis utile, & expetitum, isti autem laboriosum. Et tamen ipse Judas pretium restituendum censuit; & illi sibi retinere illicitum putarunt, sed dederunt in agrum ad peregrinorum sepulturam. Non licet igitur pro pravo opere, etiam qua laboriosum uni, & alteri utile, ullam mercedem dare, vel accipere; cum ipse labor, & ipsa utilitas ita sint intime cum nefario opere adnexa, ut in se nullo pacto sejungi possint: adeo ut & ipse labor, & ipsa utilitas captata iniqua sint, mala, criminosa, nulla proinde pretio æstimabilia. Jure igitur, meritoque Conventus Cleri Gallicani anno 1700. hanc propositionem, *Incantatores, aliique ejusmodi deceptores, magi, astrologiæ judiciariæ professores, arioli, conjectores, ex pessimis quique artibus infames, lucrum licite servare possunt, & bona his mediis acquisita*, reprobavit, & damnavit, hac apposita censura, *hæc propositio intellecta de prædictis falsis, ac deceptoriis artibus falsa est, temeraria, fovendis fallaciis etiam diabolicis idonea*.

XXI. Sed audiamus, quid in suæ sententiæ favorem producant adversarii, quamvis eorum præcipua argumenta tum ex meretricum exemplo, tum ex ipso opere uni laborioso, alteri utili, quæ potiora sunt, jam in antecessum evertimus. Dicunt itaque: ad fidelitatem pertinet promissa servare, quando id licite fieri potest: at post opus nefarium licitum est pretium persolvere, & fidem datam liberare: ergo & licite datur, & licite retinetur. 2. Et revera nonne implenda sunt sponsalia, licet ea inita turpi conditione, ut sponsa sui corporis sponso copiam faciat? 3. Et ipse Judas non sibi illicitum existimavit Thamari, quam putans meretricem cognoverat, mittere hœdum pro mercede promissum, Genes. 38.

XXII. Verum hæc adeo levia sunt, ut nec tenuem probabilitatem sententiæ, pro qua proferuntur, conciliare posse arbitrer. Nam ad primum respondetur, & iniquam fuisse promissionem, non ad ullam pertinentem virtutem, & proinde iniquæ promissionis impletionem non minus iniquam esse: ut enim optime animadvertit Franzoja, si turpe & flagitiosum est polliceri pretium pro re turpi; turpe quoque & flagitiosum est pretium tribuere pro turpi re jam admissa; nec opus est fidelitatis, sed iniquitatis. Sponsalia autem ea prava conditione facta ideo valida sunt, & ab Ecclesia rata habentur, quia ab ipsa spectantur tanquam ab ea conditione sejuncta, quæ pro non adjecta habetur; & sponsalia respicit, prout contractus sunt ex se licitus & honestus, & ab illa conditione omnino etiam re separabilis. Exemplum vero Judæ, & Thamar nihil probat: sunt enim facinora hominis gravissime sontis, & mulieris incestæ, quæ jus constituere non possunt, & potius improbanda sunt quam imitanda. Deinde unde colligunt Judam existimasse licitum sibi, meretrici pravi operis mercedem mittere?

Num

Num quia revera misit? At hoc pacto dicendum foret, ipsum licitum sibi putasse cum illa fornicari, quia revera fornicatus est. Perpendant modo sanioris doctrinae Magistri, num argumenta, quae in nostrae positionis confirmationem adduximus; & solutiones argumentorum adversae sententiae vel tanti roboris sint, ut saltem rem dubiam faciant, vel adeo levia & stamînea, ut tuta conscientia contemni possint, utpote quae ne leve quidem dubium ingerant. Si hoc secundum cernunt, adhaereant, si lubet, contrariae opinioni. At si primum clare cognoscunt, jam certum est, oppositam opinionem in praxi nullo pacto admittendam: nam in dubiis semper tutior pars est amplectenda, nec discrimini salus aeterna committenda.

XXIII. Ex hactenus dictis apparet, quae materia in genere inepta contractibus sit reputanda, nempe 1. Impossibilia. 2. Non extantia. 3. Aliena respectu illius, qui dominium transferre debet. 4. Propria respectu ejus, qui dominium adipisci intendit. 5. Incerta. 6. Illicita, & flagitiosa. Nunc in particulari opus esset remotam materiam contractuum designare. Porro res, de quibus aliqua posset oriri dubitatio, aut sunt intra hominem, aut extra. Ad hominem pertinent tamquam intranea anima, atque ejus bona, corpus, & ejus membra. Certum autem est, neque animam, neque ejus bona spiritualia, sive naturalis ordinis sint, sive supernaturalis, in eos contractus venire posse, quae inter homines exercentur: & si quis contractus de bonis supernaturalibus, aut etiam de rebus his, quae ad haec supernaturalia ordinantur, & cum ipsis aliquam habent connexionem, attentetur; hic nedum nullus, & irritus est, sed vitiosus, sacrilegus, & simoniacus, ac proinde tum naturali, tum canonico jure reprobatur; quoniam res supernaturales nullo pretio aestimabiles sunt; utpote alterius ordinis, & dignitatis. Quoad corpus vero certum est, nec de vita, nec de salute, nec de corporis membris posse validos contractus iniri, quia horum bonorum habet homo quidem usum non tamen dominium. Solum igitur de usu ipsius corporis, vel ad aliquem legitimum finem, videlicet prolis generandae, vel quoad operas certae personae, aut ad tempus, aut perpetuo locandas, celebres sunt contractus matrimonii, & servitutis, vel etiam simplicis famulatus. De fama, & honore, quamvis eximium hominis existimentur bonum, contractus fieri non possunt; quia revera non sunt in hominis potestate, sed ab aliorum pendent opinione: fundamentum tamen utriusque in homine esse potest, quatenus resultant ex officiis, dignitatibus, gradibus, privilegiis, praecedentiis, titulis &c. de quibus proinde potest pacisci, qui ea possidet; sicut etiam de remissione injuriae, per quam honor, & fama laesa fuerunt, quatenus & haec est pretio aestimabilis, sive gratis facienda per modum donationis, sive certa pecunia, & tunc erit venditio juris, quod quis habet ad exigendam satisfactionem in foro civili, vel criminali. Delectabilia bona possunt esse materia contractus, non ex parte delectationum, quae sunt intra hominem, ejusque functiones vitales, ac proinde in alium transferri non possunt; sed ex parte externorum objectorum, ex quibus percipiuntur. Sed si loquamur de bonis, quae extra homines sunt, dicunturque bo-

bona fortunæ, in istis veram materiam contractus inveniemus, in quibus scilicet acquirendis, augendis, conservandis, commutandis desudat, & exercetur humana cupiditas, & industria. Leges tamen civiles jure merito a contractibus excludunt hæc quatuor genera rerum. 1. Res sacras, religiosas, & sanctas, quæ particulari Dei dominio subesse reputantur, ut dicitur in Instit. de divisione rerum. 2. Res communes. 3. Res publicas. 4. Res universitatis; hæc enim singula pertinent quidem ad omnium respective usum, ad nullius vero in particulari dominium. His exceptionibus addendæ sunt res, quæ specialibus legibus cujuscumque sive Regni, sive Reipublicæ alienari prohibentur, vel quia ex illarum distractione damnum immineret bono publico, vel quia in certarum personarum verteretur detrimentum, quibus ob peculiares rationes leges suffragari intendunt.

XXIV. Denique pauca sunt subjicienda de forma contractus. Nonnulli Doctores eam constituunt in consensu contrahentium: alii in verbis exprimentibus hunc consensum, & præcipue in illis, quæ significant acceptationem promissionis ab altera parte exhibitæ: alii denique in obligatione, aut productione obligationis constituunt. Nam animadvertunt contractus dupliciter spectari posse, vel prout in fieri, vel prout in facto esse, & in utraque acceptione ejus essentialem constitutionem, & discrimen ab obligatione inducta pendere manifestum est: etenim nec verba adhibita a contrahentibus, nec eorumdem consensus, quoadusque obligationem non pariunt, contractum perficere intelliguntur, & contractu secuto, verba quidem non amplius existunt, consensus quandoque etiam mutatur, permanente tamen obligatione, contractum persistere non dubitatur. Sed licet hi Doctores verba, vel equivalentia signa, partium consensum indicantia, ad essentialem formam contractus non pertinere arbitrentur; docent tamen procul dubio esse conditionem sine qua non, & indispensabiliter necessariam: nisi enim consensus manifestetur, inutiliter prorsus contractus fierent, utpote qui nec innotescerent partibus in ordine ad mutuo exigendam pactorum executionem, nec Ecclesiæ, aut Judicibus ad effectum compellendi contrahentes ad servandam fidem, nec testibus ad effectum testificandi, quod actum est. Immo cum in omni contractu necessaria sit acceptatio, quomodo hæc prestari potest, nisi sufficientibus signis innotescat promissio; cum nihil aliud sit acceptatio, quam liber consensus in alterius pollicitationem? Dixi verba, vel alia signa, quia quamvis verba inter signa humana principatum teneant, & regulariter sint adhibenda; tamen eisdem substitui possunt aliqua, necessitate exigente, alterius generis signa, ejusdem tamen efficaciæ, puta scriptura, instrumenta, nutus, & similia. Sic inter mutos, & surdos celebrari posse matrimonium mediantibus nutibus in jure canonico definitum est. Et hoc quidem de essentiali forma contractuum. Formæ autem accidentales multiplices, & variæ sunt pro locorum diversitate, pro Rerumpublicarum, & Principum constitutionibus, pro consuetudinibus alicubi observatis, pro diversa ipsorum contractuum natura, & denique pro contrahentium voluntate, qui aliqua apponere possunt contractibus, quæ licet secundum se, & ex legum

gum dispositionibus non sint necessaria ad valorem contractus, tamen ab ipsis ut necessaria exiguntur; ita ut sine ipsis vim contractus subsistere nolint: proculdubio enim pacifcentium voluntas potest quascumque accidentales, & extraneas conditiones suis conventionibus pro necessariis addicere, quæ dicuntur a Juristis, & Theologis apponi pro forma, non ad formam,

CAPUT NONUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando materia contractus fit ex parte impossibilis; num valeat pactum.*

II. *Quidam contractus de rebus non extantibus lege interdicti.*

III. *Quando per cessionem scripturæ, vel juris debitum extinguatur.*

IV. *Quando nec Meretrices pretium nefarii operis licite possint accipere.*

Consectarium Primum.

I. SI res, quæ est materia contractus, fiat impossibilis secundum aliquam sui partem, ad discernendum, num adhuc valeat contractus, distinctione opus est: nam si res sit divisibilis in partes æquales, & quæ seorsum sumptæ consistere possint, & contractus etiam divisibiliter, & proportionaliter ad illas referatur; tunc valebit contractus quoad partem possibilem, si totum redditum fuerit impossibile: ex. c. empti sunt centum modii tritici, & ante traditionem quinquaginta casu fortuito perierunt, tenet contractus quoad reliquos quinquaginta. Si autem res, quæ est materia contractus, non hoc modo dividi possit, sed partes separatione facta reddantur inutiles, ac proinde contractus ad illas indivisibiliter, & unica intentione feratur, ut contingit in animalibus, vel artefactis; tunc necesse est contractum omnino dissolvi, etiamsi una tantum pars ablata sit, vel reddita impossibilis: exemplum habetur in legibus de eo, qui duo mancipia unico tantum pretio, & per modum unius voluit emere; si enim contingat ante impletionem contractus alterum ex illis mancipiis mori, resolvunt jura, nec quoad superstitem emptionem amplius constare.

Consectarium Secundum.

II. Tametsi contractusde rebus adhuc non extantibus, sed futuris celebrari posse diximus, sunt tamen aliqui contractus rerum futurarum, quæ legibus civilibus nedum prohibentur, sed & irriti, & nulli declarantur; ut sunt emptio hæreditatis, quæ nondum est delata, hoc est ante mortem testatoris, quæ eo fine est interdicta, ne detur occasio optandi mortem alicui; & paris conditionis existimari debent jura successionis ad officia alicujus viventis. Item venditio personæ liberæ pro eo tempore, quo creditur in servitutem casura: reputant enim contra sensum humanitatis leges civiles expectare tantum infortunium alicujus hominis.

Consectarium Tertium.

III. Quando pro solutione debiti loco pretii jura, vel scripturæ eadem continentes a debitore designantur, & renuntiantur, animadvertendum, utrum fiat cum innovatione debiti, ut jura loquuntur, vel sine innovatione. Si enim priori modo res transigatur, nunc debitum extinguitur, etiamsi creditor recuperare nequeat res juribus illis contentas; quoniam in solutum traditur spes præsens, non res futura. At quando

do non fit innovatio, etiam concessis illis juribus, quæ non sortiuntur effectum, debitum adhuc manet; quoniam datur tunc ipsa res, quæ, cum non extet, nequit debitum extinguere, nec debitorem liberare,

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Optime docent Turnelius, Juveninus, Auctor Collationum Parisiensium, meretrices, quæ non tolerantur, sed vel loco ejiciuntur, vel etiam carceribus mancipantur, ut in pluribus urbibus contingit, non posse retinere pretium fornicationis, & flagitii, nisi premente necessitate ad tolerandam vitam; quia omni carent titulo justæ acquisitionis: non enim retinere possunt ratione operis nefarii, cum non sit pretio æstimabile, sed pœna dignum; non ratione legis, quæ ipsas nullo modo tolerat, sed potius repellit. Quod multo magis verum est de virginibus ex stupro, de uxoribus ex adulterio, de monialibus ex sacrilego commercio, quæ omnes sine novo crimine nequeunt nefarii sceleris pretium vel accipere, vel retinere. Proinde tanquam falsa, & laxa rejicienda est Lessii lib. 2. de Just. cap. 14. dub. 8. n. 72. doctrina, scribentis. ,, Etsi opus malum, pro ,, quo dedit, non sit æstimabile pretio ,, quia malum, tamen qua delectabile, ,, vel utile uni, & alteri detrimento- ,, sum, periculosum, laboriosum, *inter* ,, *homines pretio æstimatur*, ergo quod ,, hac ratione pro eo est acceptum, non ,, est restituendum, nisi forte quis exi- ,, stimationem excesserit, ut si mere- ,, trix, quæ usuram sui solet concedere ,, uno aureo, ab aliquo juvene extor- ,, serit quinquaginta tamquam pretium. ,, Hoc tamen locum non habet in ea, ,, quæ *putatur honesta, ut si matrona* ,, *aliqua, vel filia* centum aureos pro ,, usura corporis accipiat ab eo, qui ,, dare poterat, *retinere potest, nam* ,, *tanti, & pluris potest suam pudicitiam* ,, *æstimare*. Res enim, quæ certum ,, pretium non habent, nec ad vitam ,, sunt necessariæ, sed voluptatis causa ,, quæruntur, arbitrio venditoris pos- ,, sunt æstimari, ut *probabiliter* docet ,, Petrus Navar. " At quæro a Lessio, quinam sunt isti homines, inter quos flagitia, & scelera pretio æstimantur? Sunt ne Reges, Principes, Respublicæ, qui contractibus præsunt, qui eos regunt, qui justa rerum pretia constituunt? At tantum abest, quod isti hæc flagitia pretio æstiment, quin potius pœnis severissimis prohibeant, & castigent. Sunt ne viri probi, æqui rerum æstimatores? Absit. Isti enim hæc flagitia detestantur, horrent, aversantur. Superest igitur, ut sint vel ipsi flagitiosi homines, qui illa perpetrant, vel Theologi Probabilistæ. Priores inepti sunt æstimatores, utpote judices in causa propria. Posteriores autem pudere deberet pretio digna æstimare facinora, quæ a legibus vetantur, a Magistratibus puniuntur, a bonis omnibus odio habentur.

CAPUT DECIMUM.

De Contractuum qualitatibus.

DOCTRINA.

I. QUALITATES contractuum eas appellant Jurisperiti, & Theologi, quæ possunt adesse, vel abesse, salva & integra contractuum substantia. Inter has qualitates tres præcipue sunt consideratione dignæ, nimirum. 1. Num contractus sint conditionati. 2. Num sint juramento confirmati. 3. Num solemnitatibus juris muniti. Itaque de contractibus conditionatis, juratis, & debitis præditis solemnitatibus agemus.

§. I.

De Contractibus conditionatis.

II. Conditio contractibus apposita, alia ad tempus præteritum, alia ad præsens, alia ad futurum referri potest. Si conditio præteritum, aut præsens tempus respiciat, contractus, licet conditionati appareant, reipsa tamen tales non existimantur. Siquidem purificata conditione eo tempore, quo contractus fiunt, hi transeunt in absolutos. Quare dubitatio solum occurrit circa eos contractus, quibus conditio de futuro apposita est; & hæc adhuc triplex distinguitur: vel enim est de futuro contingente, quod scilicet potest verificari, & deficere; ex. g. si navis ex tali regione in hunc portum appulsura sit, si frater meus matrimonium contraxerit, si soror statum religiosum amplectetur, & similia: vel est de futuro necessario; ut si cras sol orietur: vel est de futuro impossibili, idest de re, quæ utcumque proponatur ut futura, repugnat tamen, ut unquam futura sit: vel denique conditio apposita est de re honesta, & licita, vel de turpi, & vetita; ut si quis puellæ matrimonium polliceatur, si pater consenserit, vel si sui corporis copiam fecerit. Prima conditio honesta est & licita, altera turpis & illicita. Pro his sequentes constituuntur Regulæ.

Regula Prima.

III. Quando conditio est de futuro contingente, contractus vere, & proprie conditionati appellantur; adeoque in ipsis suspenditur obligatio executionis, usque ad appositæ conditionis eventum. Quæ tamen doctrina aliquibus exceptionibus limitatur. 1. Est, ut contractus purus, & absolutus censeatur, si conditio, quamvis ad futurum revera in se contingens referatur, hoc tamen certo futurum sit, ita ut de ejus futuritione contrahens dubitare non possit; cujusmodi esset ea conditio, si Antichristus nasciturus est: etenim cum de hoc dubitare non liceat, & in Dei præscientia, manifestata per fidem, fit veluti præsens; tunc sensus conventionis resolvitur in absolutum, ac huic æquivaleret, ita me obligare intendo, sicut certum est Antichristum aliquando nasciturum. Altera exceptio, ut conditio non sit de illis, quæ naturaliter contractui censentur inesse; nam si quis matrimonium polliceretur casu quo altera pars consensura sit, hæc verbalis conditio, cum jam sit necessaria contractui, ipsum non extrahit a ratione contractus absoluti.

Re-

Regula Secunda.

IV. Quando conditio est de aliquo futuro necessario, communior Theologorum sententia est, tunc etiam contractum habendam pro absoluto, ac si conditio re ipsa extaret. Tamen hæc quoque doctrina ab aliquibus prudenter limitatur, ut solum tunc locum habeat, quando contrahentium intentio interpretanda sit, quoniam videlicet expresse non innotescit. Absolute enim possunt contrahentes velle, ut contractus suspendatur quoad executionem, quoadusque illa conditio, etsi necessario eventura, in re ponatur. Quæ limitatio multo magis verificatur in casu, quo contrahentes ignorent præfatam conditionem esse necessariam; vel esto absolute, & universaliter necessariam esse non ignoraverint, utrum tamen in talibus, vel talibus circumstantiis accidere debeat, compertum non habent: ut si obligatio assumatur hoc, vel illud faciendi, si eclipsis in futuro plenilunio tali, vel tali hora contigerit. Addendum est, multoties conditionem de futuro necessario apponi non per modum conditionis, sed per modum termini, contractus executioni prefixi; ut in hac conventione: vendam tibi tale prædium, si frater meus morietur: non enim mors fratris verosimiliter ut conditio designatur; sed vim termini præfixi sortitur, ac idem valet, quod vendam, quando frater meus morietur.

Regula Tertia.

V. Conditiones de futuro impossibili, vel de re illicita, & turpi appositæ contractibus omnibus (exceptis Testamentis, & matrimonio, de quibus postea) eorum validitatem omnino tollunt, & impediunt, quoniam apertissime indicant deesse verum, & serium contrahendi animum in eo, qui conditionem impossibilem, ac turpem addit. Fieri enim non potest, ut voluntas serio feratur, & velit efficaciter id, quod vel impossibile factu cernit, & cognoscit; vel quod obligetur ad id faciendum, quod præstare fortiori obligatione prohibetur, ut sunt res turpes ponendæ in conditione propositæ.

Regula Quarta.

VI. In ultimis voluntatibus, Testamentis, legatis, & codicillis jura definiunt, conditiones de re impossibili, vel etiam turpi habendas esse pro non adjectis; ac proinde non officere dictorum valori, & consistentiæ. Constat in lege *obtinuit* ff. *de conditionibus*, nec non in aliis pluribus ejusdem tenoris. Porro hæc exceptio testamenti a regula universali, mirum est, quantum torqueat Theologos, qui rationem disparitatis satis validam invenire nesciunt, nec motivum ob quod jura voluerint tale privilegium eisdem conferre. Aliqui ideo putant dispositione legum validas esse ultimas voluntates, non obstante turpis vel impossibilis conditionis appositione, quia scilicet leges sua auctoritate supplendo testatorum consensum, & etiam independenter ab ipso, transferunt dominium in hæredem eo pacto, quo ob bonum commune in præscriptione, rei dominium in bona fide, ac diu possidentes transferri volunt. Alii eatenus putant non obstare validitati Testamentorum conditiones turpes, & impossibiles, quatenus adest fundamentum præsumendi, eas non ex animo, & serio fuisse adjectas, sed solum ex quodam errore, quo a testatore existimabantur possibiles: non enim est verisimile in re tanti momenti, cujusmo-

modi debet existimari, testatorem non decedere ab intestato, & sine rationabili suarum rerum dispositione, voluisse illusorium condere testamentum. Verum quæcumque fuerit legum causa, pro certo habendum illas, ubi vigent, obligare etiam in foro conscientiæ, cum justæ sint, & ad bonum commune ordinatæ.

Regula Quinta.

VII. Contractus matrimonii celebratus sub conditione turpi, & substantiæ contractui adversa, irritus est, & nullus. Ita enim in jure canonico statutum legitur in Decret. Greg. IX. *Si conditiones*, ubi dicitur: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur .... matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu*. Cum autem tria sint, quæ ad substantiam matrimonii pertinent, *fides* nimirum, *proles*, *& Sacramentum*, quod scilicet conjuges sibi datam fidem servent, quod prolem non impediant, quod indissolubile sit vinculum; conditiones, quæ uni ex his tribus adversantur, dicuntur contra substantiam matrimonii, illudque irritum reddunt. Horum exempla suppeditat idem Greg. IX. in laud. Decret. *Si conditiones*, dicens: *Puta, si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam bonore, vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas. Prima conditio* (subdit Pontifex) *perimit bonum prolis, secunda bonum sacramenti, tertia bonum fidei, quam conjux conjugi servare debet*.

Regula Sexta.

VIII. Conditiones matrimonio adjunctæ licet impossibiles sint, vel etiam turpes, sed non contra substantiam matrimonii, illud non irritant; sed reputandæ sunt tamquam non adjectæ. Ita statuit laud. Pont. cit. Decret. subdens: *Licet aliæ conditiones* appositæ *matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debent propter ejus favorem pro non adjectis baberi*: cujusmodi sunt, si quis diceret: contraho tecum ea conditione, ut digito cœlum tangas, ut fratrem meum veneno interficias, ut mea furta custodias, & similia, quæ validum relinquunt matrimonium non minus, quam si absolutum foret. Sed hic quoque fortius urget difficultas, quo pacto præfitæ conditiones de re turpi, aut impossibili matrimonii valori non officiant. Quomodo enim potest Ecclesia lege sua matrimonium, in quo purus & absolutus contrahentium consensus non reperitur, facere ratum? Neque enim potest supplere consensum, aut efficere, ut sine consensu matrimonium consistat. Nec hic locum habet præsumptio voluntatis interpretativæ, quemadmodum in ultimis voluntatibus; cum ad matrimonium sit necessaria intentio formalis, sufficienter, & sensibiliter explicata. Hæc adeo præmunt, ut Durandus in IV. sent. dist. 39. q. 4. candide fateatur, se nescire, quo fundamento Ecclesia hujusmodi matrimonia ut valida admittat. Alii Juristæ, & Theologi varias adinvenere ratione, quas referre non vacat, sed licet ingeniosas, futiles tamen, vel falsas. Ille mihi probabilior apparet modus hanc difficultatem solvendi, quem post alios adhibet Card. de Lugo Disp. 23. de Contract. sect. 13. nimirum tunc solum conditiones impossibiles, aut turpes, alias non oppositas substantiæ matrimonii, ejusdem valori non obesse, quoties ex conjecturis, & probabilibus signis præsumi potest in contrahentibus efficax, immo efficacior vo-

voluntas matrimonium validum, & juxta leges Ecclesiæ pro illius valore præscriptas celebrandi; ita ut, quamvis simul in iisdem ex errore quodam insit voluntas eas conditiones retinendi, hæc tamen sit minor quoad efficaciam, & parata cedere priori voluntati, casu quo innotescat contrahentibus, eas conditiones componi non posse cum valido matrimonio, nisi juxta dispositionem allegatæ Decretalis pro non adjectis habeantur. Exemplum affert citatus Auctor ad ostendendum, quo pacto voluntas, qua conditiones impossibiles, aut turpes apponuntur, reperiri possit cum voluntate efficaciori easdem deserendi, ne contractus deficiat. Si quis, inquit, in conferendo Baptismo intentionem haberet hoc Sacramentum quidem administrandi juxta Christi institutum; sed simul errore crasso teneretur, huic instituto conforme non esse baptisma, quod ab Ecclesia Romana confertur, dummodo alias servaret ritus essentiales huic Sacramento, nonne valide illud conferret, non obstante hoc errore, si supponatur in ipso efficacior voluntas baptismum a Christo institutum administrandi, quam sit ea intentio, qua vult baptismum diversum ab Ecclesia Romana præbere? Ita etiam in præsenti controversia tenendum est. Neque hic aliquis inferat, hoc modo posse validum existimari etiam matrimonium, factum cum conditionibus ejus substantiæ repugnantibus. Aliud enim est velle aliquid impossibile; aliud velle sub conditione impossibili. Hoc secundum locum habere potest, quin tollatur objectum verum ipsius voluntatis, quod scilicet a conditione impossibili adnexa distinctum est. Quapropter poterit in hoc casu voluntas, quæ fertur in objectum, fortior esse ea voluntate, quæ tendit in conditiones. At quando aliquid impossibile statuitur pro objecto, ibi voluntas efficacior reperiri non potest.

§. II.

De Contractibus juratis.

IX. Magna est, & celebris quæstio inter Jurisperitos, & etiam Theologos admodum agitata, utrum contractus illi, qui seorsum a juramento considerati nullam vim obligandi nanciscerentur, eo quod nulli sint legum dispositione, immo etiam spectati qua tales, illiciti: tamen ob juramentum adnexum robur acquirant, & obligationem inducant: an vero ex opposito contingat, quod scilicet juramentum ex infirmitate contractus, super quem cadit, ipsum quoque infirmetur, & nullatenus sit implendum. Quæ ut facilius dirimatur, prænotanda sunt aliqua tum circa juramentum, quod intervenire potest occasione contractuum, tum circa contractus, quibus applicatur, tum circa effectus, qui ex illo consequi possunt. Et quoad primum sermo est de juramento promissorio, quo jurans vult se obligare ad efficiendum id, quod promittit, & diligentiæ ab eo præstandæ pro operis impletione Deum in testem inducere, & etiam veluti in fidejussorem. Præterea quia obligatio, quam assumit, potest esse vel solius veracitatis, vel fidelitatis, vel etiam ad alias virtutes pertinens a justitia commutativa distinctas, puta ad gratitudinem, ad pietatem, & alia motiva contractum præcedentia, dispiciendum est attentissime, quam obligationem jurans intendit. 2. Ex parte contractuum, supra quos juramentum cadere potest, hi sunt in quadruplici differentia. Alii enim præ-

præciso juramento liciti sunt, atque validi; alii liciti sunt, sed non validi: c. ex. conficere Testamentum sine debitis solemnitatibus culpa vacat; sed Testamentum ita confectum suo robore destituitur. Quidam validi sunt, sed non liciti; ut sponsalia invitis parentibus inita, matrimonium tempore vetito celebratum. Demum quidam sunt simul illiciti, & invalidi, ut secunda sponsalia post prima valida. 3. Quoad effectus ex juramento contractibus addito resultantes accurate distinguendum est inter obligationem ex juramento provenientem, & inter confirmationem contractus jurati: longe enim diversum est, quod juramentum producat obligationem servandi, quod promissum est; & quod insuper promissionem factam confirmet, atque validi contractus conditionem conciliet: sic juramentum solvendi usuras sine dubio obligatorium est, ut patet ex jure canonico, quoniam servari potest sine salutis æternæ dispendio; & tamen nequaquam confirmat contractum *in favorem* illius, qui usuras exigit, ad quas restituendas tenetur. His præmissis sequentes ponuntur Regulæ.

Regula Prima.

X. Juramentum additum contractibus licitis, & validis novum illis robur adjungit ex virtute Religionis. De se aperta est hæc Regula, nec probatione indiget: sed solum observandum, violatorem hujus contractus duplici peccato fœdari, nimirum contra justitiam, quæ omnes licitos, & validos contractus regit; & etiam contra Religionem, quam suo perjurio violat, quod frequenter contingit in sponsalibus, quæ juramento confirmantur, & postea absque ulla causa, sed ex mera animi volubilitate alterutrum sponsorum implere recusat.

Regula Secunda.

XI. Juramentum adjectum contractibus illicitis, & jure naturæ nullis, quæ sine peccato servari non possunt, nullum illis robur adjicit; immo peccat, qui tale elicit juramentum. Prima pars est evidentissima: nam juramentum contractuum naturam, & substantiam mutare nullo modo potest: proinde si contractus nullus sit jure naturæ, illum validum reddere non potest; & si sit de re illicita, non obstringit, quoniam non debet esse vinculum iniquitatis; & impossibile est, atque implicatorium, quod quis ex juramento contrahat obligationem faciendi, quod sibi lege naturali, aut divina interdictum est. Quod vero pecet, qui tale emittit juramentum, patet ex iis, quæ diximus in Tract. de juramento.

Regula Tertia.

XII. Juramenta adjecta contractibus etiam nullis sunt obligatoria, quando servari possunt absque dispendio salutis æternæ, idest sine peccato vel mortali, vel veniali. Hujus regulæ veritas constat ex juramento canonico, ex quo omnino desumpta est. Nam Alex. III. Cap. *vero* de jurejurando, interrogatus, utrum qui metu compulsus juraverit, teneatur juramentum servare, respondit, *non esse tutum quemlibet contra suum juramentum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ*. Et Cap. 6. subdit: *Debitores, si de usurarum solutione juraverant, cogendi sunt domino reddere juramentum*. Et ipsa etiam ratio naturalis dictat. Divini enim nominis reverentia ab omnibus postulat, ne Deus in falsitatis testem adducatur, nec ejus nomen frustra sumatur; quod eveniret, si liceret datum ju-

igitur posito, inquirunt Juristæ, & Theologi, num hujusmodi contractus hisce solemnitatibus non muniti, licet in exteriori foro valorem non consequantur, validi tamen reputari possint in foro saltem conscientiæ.

XV. Primo quidem omnes pene Theologi, & Canonistæ in eo conveniunt, Contractus scilicet matrimonii, & professionis Religiosæ, si substantialibus, & ab utroque jure requisitis solemnitatibus careant, invalidos esse tam in foro exteriori, quam in foro conscientiæ. Et revera in praxi cernimus, irrita haberi, & nulla matrimonia clandestina, & inanes Religiosas professiones, vel ante statutam ætatem factas, vel non præmisso probationis anno: proinde hæc doctrina morali gaudet certitudine, & tuta est in conscientiæ foro.

XVI. De ultimis vero voluntatibus, testamentis, legatis, præsertim ad pias causas, non ita consentiunt. Verum cum pro istis speciales constitutæ sint leges, & nonnulla etiam concessa privilegia, quæ peculiare postulant examen; quid nobis probabilius, & veritati magis consonum visum fuerit, exponendum reservamus in calce tertiæ partis hujus Tractatus, ubi data opera de Testamentis, ultimisque voluntatibus disputabimus.

XVII. Quoad reliquos vero contractus Covarruvias plures allegat Theologos, & Juristas sentientes, hujusmodi pacta, licet solemnitatibus destituta, dummodo omnis fraus, dolus, deceptio absit, in foro conscientiæ totum illum valorem nancisci, quem illis jus naturale tribuit, quod omnibus concedit, ut de rebus suis, prout sibi libuerit, disponant. Quandoquidem arbitrantur leges, hujusmodi contractus irritantes, in præsumptione doli, deceptionis, errorisque fundari. Quamobrem hisce cessantibus vim obligandi obtinere non desinunt in foro saltem conscientiæ, in quo non præsumptiones spectantur, sed veritas ipsa.

XVIII. At alii longe plures, ab eodem Covarruvia citati, & quibus ipse adhæret, censent oppositum, præfatosque Contractus non minus in foro exteriori, quam in foro conscientiæ irritos pronuntiant, hisce permoti rationibus, quæ eorum doctrinam probabiliorem, magisque vero proximam ostendunt, quibusque propterea & ipse lubens assentior. Quandoquidem certum est, leges tum civiles, tum canonicas potestate pollere reddendi nullos, & irritos etiam in foro conscientiæ, contractus, quos judicaverint bono communi obesse posse: nec alia de causa matrimonium clandestinum in utroque foro nullum est, & irritum, nisi quia ita statuunt Ecclesiæ leges. Si igitur latæ sint leges, quæ contractus aliquos statutis carentes solemnitatibus irritos declarent; tales erunt habendi, non solum in exteriori foro, sed & interiori conscientiæ. Et revera, si cuilibet privato licet suis contractibus, quas sibi libuerit, etiam leviores, conditiones apponere, quibus deficientibus invalidus fit omnino contractus; cur hoc multo magis non licebit supremis tum Ecclesiasticis, tum civilibus Potestatibus? Præterea cum rerum dominia (ut alibi innuimus) jure gentium, & civilibus legibus inducta sint, hisce legibus regi debent, & parere. Cum igitur leges aliquos contractus irritent, irriti erunt habendi. 3. Denique nonne, ut non semel diximus, legibus obtemperandum est; non solum ob pœnæ timorem, quam minantur, sed & multo magis propter conscientiam, cum

omnis potestas sit a Deo, a quo Legislatores potestatem accipiunt ferendarum legum? Illis igitur, præsertim justis, & bono communi consulentibus, etiam in foro conscientiæ parendum est, ac proinde pro nullis habendi contractus etiam coram Deo, quos Principes suis legibus irritos, nullosque esse voluerint. Nec leges istæ falsæ innituntur præsumptioni doli, & fraudis, quibus proinde deficientibus non obligent; sed certo periculo fraudis, & doli, quod in talibus contractibus, sine statutis solemnitatibus celebratis, semper adest & malitia, & avaritia hominum, proinde semper obligant: sicut nec inter leges mere pœnales (quas tamen semper, & in foro conscientiæ obligare docuimus) spectandæ sunt, sed tamquam in commodum & bonum commune Reipublicæ ordinatæ; propterea etiam ante omnem Judicis sententiam coram Deo, & in conscientia ad eorum observantiam subditos obstringunt. Ita docent nobiliores Theologi, Vasquesius, Suaresius, Salmanticenses, Juveninus, Habertus, aliique plures a Salmanticensibus laudati.

CAPUT UNDECIMUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Contractus sub modo quomodo celebretur.*
II. *Contractus ex causa exponitur.*
III. *Quid sit contractus ad diem.*
IV. *Quid contractus sub disjunctione.*
V. *Quid pactum sub designatione.*
VI. *Ad complementum in contractu conditionato, novus non requiritur consensus, excepto matrimonio.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. AD conditionatos contractus revocari possunt illi, qui celebrantur *sub modo*, *causa*, *ad diem*, *& sub disjunctione*. De priore in hoc Consectario, de ceteris in sequentibus. Contractus sub modo illi dicuntur, qui videlicet aliquod onus alteri parti implendum imponunt: ex. c. Si dicas, do tibi centum, ut cadentem tuam domum restaures, ut filiam nuptui tradere possis, ne mihi litem moveas. Hujusmodi contractus aliquando statim perfecti intelliguntur, etiam modo non impleto; & solum jus est in altero contrahente urgendi alterum ad modum implendum: ut si quis Petro Sacerdoti leget centum aureos, ut centum celebret Missas, non potest hæres denegare legatum, vel sibi vendicare sub obtentu, quod Missæ celebratæ non fuerint; sed persoluto Sacerdoti legato illum urgere debet ad onus, & modum additum implendum. Aliquando vero perfecti non sunt, nisi impleto, & executioni demandato modo, & onere: ut cum certa pecuniæ summa datur Peregrinis, ut Assium, vel Romam, vel Lauretum pergant; nisi enim conditionem impleant, pecuniæ dominium non adipiscuntur, sed restituere debent. Quando vero dubium occurrit circa hosce contractus, puto semper ut conditionatos habendos, proinde non valere, nec perfici, nisi conditione servata.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Contractus sub causa dicuntur illi, qui ex aliqua causa impellente celebrantur; ut si quis eleemosynam eroget alicui, qui eum pauperem, & egenum putat, cum talis non sit. Non valent hi contractus, si desit finalis causa

causa celebrandi contractus, idest tota ratio celebrandi contractus; quia tunc deficit consensus ad contractum requisitus, qui non subsistit, nisi quia res ita esse putatur; proinde si res aliter se habeat, nullus adest consensus; ut si quis Clerico pecuniam det, ut celebret tot Missas, quia ille Sacerdotem se simulat non daturus, si sciret illum non esse Sacerdotem; nullus est contractus. At si causa sit mere impulsiva, tunc validus est contractus, licet desit; quia præstat quidem, ut libentius celebres pactum, sine qua tamen adhuc iniisses: ut si quis pauperi puellæ dotem polliceatur, quia putat sibi aliquo vel consanguinitatis, vel affinitatis gradu conjunctam; valet promissio, licet extranea sit, cum adhuc supersit consensus sufficiens ad valorem contractus. Similiter si Magnati alicui, vel viro Nobili aliquid dones, spe illectus, ut tibi faveat in aliquo negotio, aliter munus non daturus, si oppositum crederes; valet donatio, licet ille forsan in tuo negotio se immiscere recuset. Quando dubium est, num causa vel finalis, & principalis fuerit; vel solum impulsiva, & secundaria, censendum est impulsivam fuisse; nam alioquin innumeri contractus irriti forent, si quæcumque causa pro finali supponeretur. Quamobrem omnes conditiones tacite, & solum mente conceptæ pro causis impulsivis, & secundariis habendæ sunt.

Consectarium Tertium.

III. Quilibet contractus diem habet, seu tempus pro executione; cum enim ad hanc ordinetur, oportet, ut certo aliquo tempore fiat, nec differatur in infinitum: non tamen omnis contractus dicitur contractus *in diem*. Sed celebris est quoad hoc in jure contractum distinctio: alii enim vocantur puri, alii in diem, alii sub conditione. Quoties in conventione nulla fit mentio temporis quo executioni mandari debeat, dicitur contractus purus; & tamen ille quoque terminum habet definitum suæ executionis, scilicet quamprimum moraliter fieri potest. Si vero in conventione præstituatur determinatus dies pro executione adimplenda; tunc dicitur contractus *in diem*. Demum si conditio aliqua fuerit apposita, unde pendeat tempus executioni, est contractus conditionatus, tunc solum executioni mandandus, quando conditio fuerit purificata. Hinc intelligi potest discrimen illud quod in ff. de verb. oblig. ponitur inter hæc duo *cedere diem* & *venire diem*. Primum enim dicitur de tempore, quo incipit obligatio, secundum de tempore, quo instat executio: & sic in contractu puro simul verificatur *cedere diem* & *venire diem*, quia ex tunc, & pro tunc incipit obligatio. In contractu *ad diem* statim *cedit* dies, non statim *venit*, quia licet incipiat obligatio ex tunc, non tamen pro tunc: ut si emisti vestem, cujus pretium solvendum convenisti post mensem; statim quidem incipit obligatio, at ejus executio non urget, nisi post mensem, ante cujus lapsum non teneris pretium solvere. In contractu vero conditionato nec statim *cedit* dies, nec statim *venit*, idest nec tunc, nec pro tunc nascitur obligatio, quia hoc totum pendet a conditionis eventu.

Consectarium Quartum.

IV. Contractus sub disjunctione habetur, quando unum, aut alterum implendum promittitur: quod vel supra rem cadere potest, ut si dicas creditori tuo, pro solutione debiti tempore vin-

vindemiæ vel vinum dabo, vel pecuniam; vel ſupra quantitatem, ut ſi dicas pauperi puellæ, tibi dabo pro dote vel quinquaginta, vel centum; vel ſupra tempus, ut ſi convenias vel tempore meſſis, vel vindemiæ tempore debitum extinguere. Pro his contractibus ſtatuunt communiter leges 1. Eſſe in arbitrio promittentis unum, aut alterum dare, quod ſibi magis libuerit, nec aſtringi poſſe ad hoc potius, quam illud. 2. Reſpectu quantitatis, & temporis in arbitrio promittentis eſſe, vel quod minus eſt in quantitate, vel quod remotius eſt in tempore, eligere; & ita ſtatutum merito creditur, ut debitor ſemper minus gravetur.

Consectarium Quintum.

V. Contingit aliquando in contractibus materiam deſignari ambigue, & indeterminate, unde dubium contingit in executione: ut ſi dicas, dono Petro decem aureos, quos in ſcrinio habeo; ibique non decem, ſed viginti reperiuntur: & ſimiliter, condono pauperi centum libellos illi mutuo datos; at detegitur non centum, ſed bis centum mutuo fuiſſe conceſſos. Tunc ergo Juriſtæ, ac Theologi ſtatuunt inſpiciendum, num quantitas appoſita ſit *taxative*, vel *deſignative*. Si primo modo, ſola quantitas appoſita eſt ſolvenda, vel condonanda; ſi ſecundo, tota illa tribuenda, quæ ſub deſignatione cadit, licet quantitatem appoſitam ſuperet. Ad quod diſcernendum hanc ſtatuunt communiter Regulam. Si diſpoſitio contrahentis a quantitate incipiat, dici debet appoſita taxative; ut ſi quis dicat, dono titulo legati amico meo centum aureos, quos in vidulo ſepoſitos habeo; licet in eo ſint bis centum, nonniſi tamen centum ſunt erogandi: & e contra ſi dicat, lego puellæ pauperi aureos in vidulo contentos, qui centum ſunt; tunc omnes aurei in eo contenti ſunt erogandi, licet deſignatum numerum excedant. Verum plures juris canonici Scriptores, & præſertim Cardinalis de Luca, non uſquequaque certam arbitrantur hanc regulam, ſed aliunde eſſe contrahentis mentem detegendam, & determinandam; quod mihi veroſimilis videtur.

Consectarium Sextum.

VI. Contractus conditione aliqua honeſta, & licita affecti, ea purificata abſoluti evadunt, quin opus ſit novo conſenſu, excepto tamen contractu matrimonii. Inficiantur nonnulli Theologi, inter quos Concina, qui probabilius cenſent, novum requiri conſenſum. Quia inquiunt, primus conſenſus abſolutus non fuit, & perfectus; & impletio conditionis non poteſt præſtitum conſenſum perficere; cum ille amplius non extet. Verum oppoſitum, quod in conſectario ſtatui, mihi probabilius videtur. Nam 1. ſufficiens habetur conſenſus, licet conditionatus, ad pariendam obligationem; adeo ut uterque contrahens ſit alteri de re conventa obnoxius, nec pro ſuo arbitrio poſſit reſilire, ſed expectandus ſit conditionis eventus: alioquin ſi ſufficiens deeſſet ad pariendam obligationem conſenſus, poſſet alteruter, altero invito, a pacto reſilire; quod tamen nemo dicet. Præterea ſi qua perfectio deerat contractui, hæc tota pendebat a conditione, qua poſita jam nihil deeſt perfecto, & abſoluto contractui. Conſenſus vero præſtitus, licet in ſe tranſierit, nec amplius extet, remanet tamen virtualiter in obligatione per ipſum inducta: omnes enim contractus unico actu voluntatis, & paucis verbis perficiuntur; & ta-

tamen per plures annos permanere concipiuntur in inducta obligatione: ut videre est in locatione domus per decennium, quæ nutu aliquo, vel uno verbo perficitur, & tamen per decennium perseverare concipitur; quia consensus semel præstitus remanet, & durat in suscepta obligatione. Ita in contractu conditionato consensus obligationem parit, & in ipsa obligatione perseverat, quæ purificata conditione urget executionem, quin alius requiratur consensus. Merito tamen excipitur matrimonium. 1. Quia Ecclesiæ legibus præcipitur in matrimonio consensus de præsenti; consensus autem sub futura conditione non videtur omnino de præsenti, proinde novus necessarius est consensus ad ipsius valorem. 2. Quia cum matrimonium ex indole sua perpetuitatem, & firmitatem talem importet, ut ne quidem mutuo contrahentium consensu dissolvi possit, talis requiritur consensus, qui ejus perpetuitatem impedire non possit: talis autem non est consensus a futura pendens conditione; nam si ante illius impletionem cum alia femina absolutum contrahatur matrimonium, hoc posterius, non primum validum reputabitur. Non sufficit igitur consensus præstitus sub aliqua conditione. Denique sic diserte docet D. Thom. in 4. dist. 29. q. 1. a. 3. q. 3. in sol. 3. scribens: „ Si conditio sit de futuro, aut est necessaria, „ sicut solem oriri cras; & tunc est „ matrimonium; quia talia futura jam „ sunt præsentia in suis causis: aut est „ contingens, sicut datio pecuniæ, vel „ acceptatio parentum; & tunc idem „ est judicium de tali consensu sicut „ de consensu, qui fit per verba de „ futuro: unde non facit matrimo„ nium ".

VII. Consectaria de juramentis contractibus adjectis habentur in Differt. 1. de Juramento cap. 9. ubi repetenda.

CAPUT DUODECIMUM.

De duobus adjunctis contractuum, mora scilicet, & pœna conventionali, nec non de fine contractuum.

DOCTRINA.

I. CONTINGERE non raro solet in humanis contractibus, ut alteruter contrahentium sit in mora adimplendi, quod mutuo consensu statutum est: sic frequenter emptores pretium jam traditarum mercium negligunt solvere, vel locationis pretium; & vicissim venditor pecunia accepta rem venditam

ditam emptori tradere differt. De hac igitur mora hic generatim differendum est; nam pensiculatius erit de illa animadvertendum in singularibus aliquibus contractibus. Mora a Juristis definitur: *Culpabilis transgressio diei dicti pro executione contractus*. A Theologis vero definitur: *solvendi debiti injusta, & frustratoria dilatio*. Hæc mora duplex est, alia quæ irregularis dicitur, & oritur ex ipsa re accepta; alia regularis ex persona creditoris. Prima locum habet in omnibus contractibus, in quibus præfinita est dies executionis; ut si quis mercem emat cum pacto solvendi pretium post mensem, elapso termino ipsa dies urget, ne solutio differatur. Posterior vero invenitur in pactis, in quibus dies solum in confuso designatus fuit; ut si tibi vestem vendam, accepturus pretium post reditum tuum in locum, vel post peractam, quam aggrederis navigationem; tunc enim ad creditorem pertinet & diem præfinire, & debitorem interpellare, qui si adhuc differat reddere, erit debitor morosus ex persona.

II. Ad veram autem, & culpabilem incurrendam moram nonnullæ ab Auctoribus conditiones necessariæ reputantur, nimirum 1. Subsistentia debiti. 2. Scientia debitoris. 3. Legitima interpellatio. 4. Adventus diei. 5. Carentia legitimæ exceptionis. Et primam quidem conditionem esse de re jure naturæ necessariam inficiari nemo potest. Hinc in contractu nullo, usurario, simoniaco, aut ad facinus perpetrandum inito, mora committi non potest, quia obligatio non subsistit. Immo etiamsi debitum extet, sed liquidum nequaquam sit, adhuc moræ culpabili locus non est: adeoque pendente lite, mora incurri non potest, quoadusque per sententiam Judicis debitum liquidetur. Si tamen in foro conscientiæ quis certo agnoscat se debitorem, esto id Actor in judicio probare non possit, mora teneri, & ad effectus illius coram Deo, dubitandum non est. Similiter non est morosus debitor, si debitum certo constet, sed ejus quantitas nondum sit liquida: c. ex. Si per adnumerationem, vel adpensionem, vel per divisionem bonorum in hæreditate, vel per ratiocinia quantitas rei debitæ sit æstimanda.

III. Circa 2. conditionem, ignorantia debitoris excusans a mora, duplex esse potest, vel quoad debitum, vel quoad terminum. Ceterum culpabilis ignorantia, puta crassa & spina, minime sufficit ad ecusandum; hæc enim in jure pro scientia reputatur. Circa 3. conditionem digladiantur inter se Juristæ, utrum ad contrahendam moram necessaria sit interpellatio, & supposita ejus necessitate, utrum judicialis esse debeat, vel etiam extrajudicialis sufficiat. Sed hæ quæstiones potius ad forum contentiosum spectare videntur, quam ad materiam contractuum, prout a Theologis consideratur. Jure naturæ spectato, videtur nulla interpellatione opus esse; quapropter in causis piis jura illam non requirunt. Ipsamet enim obligatio in foro conscientiæ interpellat; & quidem si contractus purus fuerit absque ulla videlicet temporis designatione; interpellatio supervacanea existimari debet: quia quando non apponitur dies, præsens intelligitur; nisi forte locus adjectus spatium temporis, quo perveniri ad eum possit, desideret. Si vero contractus fuerit ad diem, hic ipse interpellat. Et demum in contractu conditionato conditionis impletio vicem obtinet interpellationis. Solum igitur, ut

ut diximus, interpellatio necessaria videtur, quando dies solum in confuso fuerit designatus. Hinc de 4. conditione nihil aliud notandum occurrit.

IV. De 5. conditione observandum, plures exceptiones, vel peremptorias, vel tantummodo dilatorias reperiri in jure, & ab Auctoribus referri, quæ a committenda mora debitorem excusant. Aliquas tantum celebriores enumerabimus. 1. Impossibilitas juris, vel facti, si nimirum res conventa effecta fuerit vel illicita, vel prohibita. 2. Si creditor obligationem suam non impleverit; qui enim pro parte sua est in mora, alterius moram accusare non debet; & paria delicta mutua compensatione purgantur. 3. Si impedimentum aliquod supervenerit juste adprobandum, ut si naufragium, pluviæ, tempestates, morbus gravis & diuturnus, pestilentiæ, aut belli pericula moram causaverint; quando enim contrahentes determinatum apponunt diem, excepti semper intelliguntur hujusmodi casus fortuiti & fatales. 4. Si debitor denuntiaverit, & obtulerit solutionem, ita ut per eum non steterit, quin mora evitaretur. 5. Si creditor per concessionem dilationis inducias dederit. 6. Si privilegium aliquod a jure tributum fuerit alicui generi personarum, ne moram committere possint, ut sunt Minores, Ecclesiæ, Communitates &c. item qui absunt ob negotia Reipublicæ, moram nunquam incurrunt beneficio legis, nisi judicialiter interpellentur.

V. Quemadmodum autem legitimæ exceptionis beneficio potest mora evitari; sic postquam commissa, & contracta fuit, potest, ut ita dicam, aboleri per purgationem, quæ tamen locum non habet, si ab ipsa lege mora imposita fuit, vel post litem contestatam. Nunquam etiam ad hoc deservit purgatio, ut principalis sors non solvatur; quia debitum sortis non est effectus moræ, sed præcedentis obligationis, & contractus. Solum ergo valet ad evitandam fructuum, vel damnorum, vel periculi rei luitionem, seu etiam ad evadendas pœnas legales, & conventionales impositas moræ. Ceterum nec sola debitoris voluntate, nec etiam decreto judicis sine consensu creditoris potest mora purgari, nisi ad summum duobus in casibus, scilicet, vel quando minimum est, quod rationæ moræ debetur, vel quando minimum temporis post moram elapsum fuerit. Quapropter solum ex creditoris expressa, vel tacita voluntate dependet, ut mora purgetur. Et quidem, dum intervenit expressa creditoris remissio, res est perspicua; sed quando præsumi possit interpretativa ejusdem indulgentia, controversiæ subest. Unum admittere casum videntur Auctores, nimirum quando creditor recipit solutionem sortis diutius post moram, quin tamen exigat fructus, vel damna post moram sequuta. Et tamen hic casus multis limitatur exceptionibus, præcipue quando creditoris personam sustinent Ecclesia, Communitas, Minores, similesque personæ, quibus jura specialiter favent; respectu siquidem horum moram nunquam purgari contendunt.

VI. Ad impediendam vero hanc moram, & ad contactuum firmandam executionem humana solertia cum avaritia conjuncta pœnam excogitavit adjiciendam contractibus, & a moroso executore solvendam. Hec autem pœna alia est naturalis, alia legalis, alia denique privata, & conventionalis. Prima sistit in onere solvendi, & reparandi damna ex morosa solutione alteri contra-

trahentium obvenientia, ut ipsa justitiæ ratio postulat: & hæc, ut videbimus in corollariis, est naturalis effectus ipsius moræ. Pœna vero legalis vel ab ipsa lege, vel a judicibus imponitur, ut præceptis ejus pareatur; & vocari solet mulcta pecuniaria, quæ ab inobedientibus exigitur. Pœna vero conventionalis est, quæ ex consensione partium adjungitur contractui contra eum, qui fidem non solverit, aut debito tempore promissum non impleverit. Et hæc rursum duplex esse potest, nimirum alia sita in denegatione beneficii, vel lucri percipiendi; ut si quis rem credito percipienti dicat, nisi post mensem pretium prompte solveris, non amplius tibi credito vendam, vel arte tua utar: alia vero, quæ consistit in diminutione patrimonii, per quam scilicet alter obstringitur certam pecuniæ quantitatem solvere, si fidem statuto tempore non servaverit. Et quidem priorem pœnam juste imponi posse nullus est, qui ambigat: est enim denegatio beneficii indebiti, & qui ei pœnæ subjicitur, nihil admittit; sed solum lucrum, aut beneficium non percipit, ad quod nullum jus habet. Est igitur solum disputandum de altera pœna, quæ vere, & proprie talis est, num videlicet licite contractibus apponi possit. Sunt enim plures Theologi, qui negant, aliis quidem, & magni nominis, & plurimis affirmantibus: ipse, quod mihi probabilius videtur, libere promam.

VII. 1. Contractibus pœnam conventionalem apponere, quibusdam servatis conditionibus, non est absolute illicitum. 2. A jure tamen merito prohibetur eam aliquibus contractibus apponere. 3. In mutuo vero semper est usuræ pallium, proinde nullo modo licita. Tres partes habet posita assertio, quarum primam sic ostendo. Hæc oppositio pœnæ nihil in se continet injustum: etenim & consensu utriusque partis imponitur, & ordinatur ad rectum finem, videlicet ad fidelem contractus executionem: & sicut aliis cautionibus, puta promissoria, juratoria, pignoratitia, hypothecaria prospicere sibi potest creditor, ne ab alio contrahente fallatur; ita & pœnæ injunctione, quæ videtur medium efficacius ad executionem sollicitandam. 2. In jure canonico permittitur, ut licita, pœna conventionalis adjecta contractibus: nam Innoc. IV. cap. *In suam* de Pœnit. statuit: " Notandum, pœnam impositam in conventione partium licere exigere, dummodo intentio sit recta, scilicet, ut pareatur placitis, & non ad usuram, vel lucrum; sed secus esset, si pœna apposita esset in fraudem usurariam ". 3. Ita sentiunt plurimi magni nominis Theologi, & Jurisperiti, S. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 24. Henricus a S. Ignatio, Genettus, Juveninus, Gabriel Antoine, aliique ab ipsis citati. Nonnullæ tamen conditiones ab Auctoribus afferuntur necessario servandæ, ut pœna conventionalis juste adhibeatur. 1. Est, ut non nisi in ipsa conventione imponatur: neque enim licet ex intervallo, & post contractum jam firmatum eam apponere, vel exigere: semel enim conventis stare oportet, & quod placuit, amplius displicere non debet: nam si in ipsa conventione imponatur pœna, prospicere sibi potest alter contrahens, & examinare, utrum e re sua sit tali gravamini se subjicere; at contractui jam peracto novum onus imponere esset contra fidem, & æquitatem. 2. Est, ut debitor vere sit in mora culpabili: nam si culpa caret, juridicam moram non contrahit; ac proinde nec pœnæ subjici

ei poteft, quæ folius culpæ caufa imponitur; Et idem judicium eft, fi mora contracta non fit admodum notabilis, fed juxta contractuum qualitatem aliquantulum executio promiffi differatur. 3. Ne imponatur fpe lucri acquirendi, fed revera ad urgendam executionem. 4. Conditio eft, ut fit moderata. Si enim quæ ab ipfis legibus, & judicibus etiam pro gravibus delictis; pœnæ imponuntur, convenit effe moderatas, quanto magis quæ privata poteftate indicuntur? hic enim majus periculum occurrit, ut æquitas lædatur. Sed quanta debeat effe moderatio pœnæ conventionalis, non ita facile eft definire, cum Auctores parum hac de re fuam mentem declarent; fed remittendum dicunt æquitati, & prudentiæ pacifcentium, fpectata natura contractus, conditionibus contrahentium, & temporis conceffa diuturnitate, vel brevitate.

VIII. Altera vero pars, quæ afferit vetitum effe a legibus, aliquibus contractibus pœnam conventionalem apponere, conftat ex utroque jure, in quo prohibetur in Sponfalibus, Matrimonio, nec non profeffione Religiofa indicta pœna ad eos celebrandos obligare; cum hi contractus plena debeant libertate iniri, quam non leviter imminuit adjectæ pœnæ folvendæ onus impofitum, ut late probat Sanchez de Matrim. lib. 1. difp. 30. & nos fuo loco latius oftendemus.

IX. Tertiam vero partem, quam plures inficiantur Theologi, arbitrantes, ficut aliis contractibus, ita & mutuo licere pœnam conventionalem apponere, nos utpote probabiliorem defendimus, & fic luculenter evincimus. Et primo quidem contractui mutui pœnam apponere vetant plura Galliæ Tribunalia, feu ut vocant Parlamenta, ut teftatur Juveninus, feu Auctor Refolut. Cafuum Confcientiæ Tr. 16. de Ufur. cap. 4. Immo Pontafius, Habertus cenfent, fententias judicum, condemnantium morofos debitores ad aliquid folvendum creditori, folum comprehendere damnum ex mora creditori obventum, quod fi non adfit, ad aliquid ultra fortem dandum non compellere. Unde hanc Regulam ftatuit Natal. Alex. lib. 3. n. 7. " Conftitutio Regia, & fen-
" tentia judicis fola præfumptione ni-
" tuntur damni accepti, vel lucri amiffi
" a creditore, ad cujus compenfatio-
" nem definiunt, vel adjudicant id
" quod intereft; quamobrem fi nullum
" damnum patiatur, nullo lucro pri-
" vetur, nihil ultra fortem exigere
" poteft, aut percipere . . . Itaque fi
" debitoris mora nullum damnum in-
" tulerit, nullum lucrum interruperit
" creditori, nihil ultra fortem fine
" ufuræ vitio, fœnerifque labe exigere
" poteft ". Ita etiam fentiunt plerique juris periti ab Honorato Leotardo citati, immo & ipfa Romana Rota fervare folet, ut teftatur Cardinalis Mantica. 2. Pœnam hanc conventionalem mutuo folum apponi ad palliandam ufuram invicta oftendunt argumenta, a Concina latius expofita, & hinc compendiofe collecta. Nam vel mutuator pœnam adjicit, quia timet fortis amiffionem, fi ftatuto tempore non reddatur; & fic convincitur reus ufuræ: quidquid enim exigitur ob periculum fortis amittendæ, ufurarium eft, ut fuo loco oftendemus; nec pœna appofita valet ad reddendum mutuatorem fecurum de reftitutione fortis: fi enim præftituto tempore non valet fortem reftituere, multo minus poterit pœnam conventionalem folvere; qui enim minus non poteft, multo minus, quod plus eft, folvere nequibit. 2. Vel

 exi-

exigit pœnam ad evitandum damnum emergens, vel (si lubet) lucrum cessans; & tunc quidem poterit exigere, quod sibi intereat, ne mora committeretur, & debitor morosus hæc damna in foro conscientiæ sarcire tenetur: verum hæc non est conventionalis pœna, sed justitiæ debitum, non a contrahentibus taxandum, sed juxta leges justitiæ, nec plus, nec minus, quam ipsæ exigunt, solvendum. Vel denique pœnam imponit, quia supponit debitorem futurum contumacem, & morosum in sorte restituenda. At quisnam moroso, & contumaci debitori suam pecuniam dare voluerit? Nonne sibi cavebit vel pignore, vel fidejussione, priusquam pecuniam exsolvat? Quod si debitor morosus ex culpa sit, & contumax, judices sunt, & Tribunalia, quibus cogi poterit ad sortem restituendam, & ad damna reparanda. At reponunt, ad Judices confugere, Tribunalia adire & onerosum est, & sine dispendio fieri nequaquam potest. Sit ita. At huic ne malo obviam itur per pœnæ conventionalis impositionem? Minime gentium. Si enim debitor est morosus, & contumax in sorte solvenda; longe morosior erit, & contumacior in solvenda pœna: & tunc quomodo cogendus ad utrumque solvendum? nonne per Judicem, & per Fora? Non evitatur ergo hoc damnum pœnæ conventione. Superest igitur, ut solum usuræ pallium præbeat pœna conventionalis. Quamobrem id locum habet, quod scribit S. Ambrosius lib. de Tobia cap. 14. *Quodcumque sorti accedit, usura est. Quod velis, ei nomen imponas* (pœnæ conventionalis) *usura est. Si licitum est, cur vocabulum refugis? Cur velamen obtexis? Si illicitum, cur incrementum requiris?* Sed de his fusius suo loco, ubi di Mutuo, & Usura tractabimus.

X. Antequam finem huic tractationi de Contractibus imponam, nonnulla supersunt dicenda de fine, & dissolutione contractuum. Porro quatuor modis contingit finiri, & cessare contractus. 1. Nimirum per nullitatem, seu annullationem eorum. 2. Per voluntariam revocationem a contrahentibus factam. 3. Per dissolutionem, seu extinctionem obligationis in ipsis contractæ. 4. Per restitutionem in integrum, quibusdam personis, & causis concessam. Et quidem de hac postrema satis diximus superius, solum igitur de tribus prioribus est dicendum.

XI. Nullitas est quædam veluti violenta mors, qua contractus in ipso ortu, & conceptione tolluntur, veluti embryones in utero Matris suffocati, adeo ut solam apparentiam, vel umbram contractuum retineant. Est ergo nullitas defectus in essentialibus, vel accidentalibus, quo impediuntur effectus contractuum, seu impedimentum irritans eosdem effectus. Et quidem si essentialia deficiant, indubitatum est nullos reddi contractus. Addidi tamen etiam accidentalium defectum, quia & hic aliquando influit in nullitatem contractuum: plura enim, quæ spectato jure naturæ ad substantiam contractuum non pertinent, jure positivo, vel voluntate contrahentium necessaria evadunt ad eorum valorem; adeo ut dici possit, hæc accidentalia ita requisita in substantialia, & essentialia transire. Multifariam autem contingit contractus nullos enuntiari; unde multiplex illorum divisio oritur. Alii enim dicuntur nulli jure naturæ, alii dumtaxat jure positivo. Prioris generis sunt, in quibus essentialia, & præcipue consensus deficiunt. Secundi generis sunt, in quibus deficiunt conditiones, non quidem ex natura sua

ne-

necessariæ, positivis tamen legibus omnino determinatæ pro contractuum subsistentia. 2. Alii sunt ipso jure, vel facto nulli, alii annullandi, seu irritandi. Ipso jure, vel facto nulli dicuntur, qui non expectant ullam sententiam, aut declarationem judiciariam, ut pro nullis habeantur. Dicuntur autem irritandi, vel annullandi, si antequam per sententiam, aut declarationem suo robore priventur, non omni careant effectu. Hæc autem divisio his solis contractibus convenit, qui jure positivo valorem non habent. 3. Contractus alii dicuntur nulli, quia solum obligationem civilem non pariunt, esto obligationem naturalem retineant. Alii vero inter nullos computantur, quia nedum obligationem civilem non inducunt, sed etiam obligationem naturalem amittunt; quoniam jus positivum nedum suam adsistentiam illis denegat, sed & positive resistit. 4. Contractus plerumque sunt nulli ex parte utriusque contrahentis; aliquando autem, sed hoc raro, ex parte unius tantum nullitatem habent, & claudicare dicuntur; ut sunt illi, qui fiunt cum minoribus, & pupillis, vel filiis-familias sine consensu tutorum, vel parentum, vel metu extorquentur. Demum quandoque in hoc tantum sensu contractus nulli dicuntur, quia sunt ad nutum unius contrahentis revocabiles; ut donationes inter virum & uxorem, inter Patrem & filium, quæ traditione vallatæ non sunt, & morte firmatæ; licet interim, priusquam revocentur, suos habeant effectus.

XII. Causæ nullitatis contractuum ex quatuor capitibus desumuntur. 1. Et præcipuæ ex defectu consensus, si vel absolute non adsit, vel non plena libertate præbeatur, ut pote ab eo qui nondum perfecto gaudet rationis usu. 2. Ex parte contrahentium, qui ad contrahendum inhabiles existimantur, vel quia carent dominio, vel rerum suarum administrationem non obtinent. 3. Ex parte materiæ contractui subjectæ, quæ vel est sacra, vel publica, vel impossibilis, vel illicita &c. 4. Ex defectu formæ, quia nimirum aut essentialia contractus non perfecte exprimuntur, vel desunt solemnitates a jure præscriptæ pro ejusdem subsistentia, & valore, de quibus omnibus defectibus cum abunde superius dictum fuerit, non est, cur aliud in præsentiarum addamus. Solum est quæstio resolvenda, num videlicet contractus nullus possit postea reviviscere, & validitatem acquirere. Dicimus igitur nullum contractum, qui a principio invalidus, sit posse decursu temporis validum fieri; etenim ait Regula 24. Juris in 6. *Quod ab initio vitiosum est, non posse tractu temporis convalescere*. Cui consonat regula 18. *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non subsistit*. Quod verum est, licet interea contingat auferri impedimentum, quod nullitatem inducebat; ut patet in professione Religiosa, & Matrimonio, quorum prima si emittatur ante ætatem a Tridentino præscriptam, non valet nequidem quando Professus ad ætatem requisitam pervenerit; & in altero, ut si quis contrahat cum muliere vivente ejus marito, non valet Matrimonium ne quidem post viri obitum. Si tamen contractus fuerit invalidus ex defectu consensus, dubium non est posito de novo consensu convalescere posse; ut patet in laudatis contractibus, matrimonio, & Religiosa professione. Ceterum non sufficit sola impedimenti remotio cum præcedente consensu ad firmandum contractum: consensus enim præcedens pro nihilo haberi debet, utpote

pore præstitus durante impedimento, quod illum vitiosum efficiebat. Opportet igitur, ut hoc remoto novus consensus accedat, quo contractus olim nullus quodammodo instauretur, seu, verius loquendo, de novo celebretur; quamvis sæpe sæpius satis si hunc novum consensum tacite tantum, & æquivalenter adesse, ut alio loco clarius ostendetur. Dicitur etiam juramentnm adjectum contractui, nullitatem ejus veluti sanare, quatenus, ut supra diximus, vis, quam non obtinet a virtute justitiæ, ipsi a Religione tribuitur.

XIII. Secundus modus, quo contractus dissolvitur, & finitur, est revocatio, quæ est veluti quædam mors voluntaria ejusdem. Definitur autem *retractatio voluntatis contrahendi per aliam contrariam voluntatem*. Quando autem hæc licite possit locum habere, sic explicatur. 1. Quilibet contractus ante acceptationem revocari potest etiam unius dumtaxat contrahentis voluntate; quia nondum est exorta obligatio, quæ utramque partem mutuo adstringat: deservit tamen revocatio, ne acceptatio subsecuta amplius afferat vim obligandi. 2. Quilibet contractus, etiam post acceptationem, mutuo utriusque partis consensu potest revocari: siquidem nemini injuriam affert hujusmodi revocatio: & alioquin nihil magis naturale, quam per easdem causas aliquid dissolvi posse, per quas ortum habuit. Excipiuntur tamen matrimonium, & Religiosa professio, quia secum & perpetuitatem, & indissolubilitatem inseparabilem afferunt. 3. Non minus est certum, posse in ipsa conventione inferi pactum de revocabilitate post certum tempus, vel secuta tali, vel tali conditione, vel ad libitum utriusque, vel etiam alterius tantum contrahentis; ut patet in censu redimibili qui, est contractus licitus, & approbatus, in quo censuarius potest, quoties voluerit, reddita sorte, & fructibus decursis, censum dissolvere.

XIV. Difficultas est, & utrum contractus jam acceptati, nullum pactum de revocabilitate continentes, possint ex alterius tantum contrahentis voluntate revocari: quam sic breviter resolvimus. Distinguendum inter contractus gratuitos, & onerosos. Circa gratuitos jure communi antiquo revocare licebat omnes donationes (nam gratuiti contractus aut sunt donationes, aut illas continent) quamtumvis acceptatas; dummodo secuta non fuisset traditio, etiam nulla causa revocationis extante. At Justinianus, ut patet ex legibus 1. & 6. in ff. de donationibus, hos quoque irrevocabiles declaravit, ita ut ob unicam tantum causam retractari possint, videlicet ob ingratitudinem donatarii, qua se reddat indignum beneficio promisso. Excipiendæ tamen sunt, ut jam superius monui, donationes inter Patrem & Filium, sub ejus potestate constitutum: item donationes inter virum & uxorem, quæ, nisi morte donantis firmentur, revocabiles semper existimantur. Item mandatum semper revocari potest ad nutum mandantis, quoniam solum in ejus utilitatem collatum est; ac proinde congruit, ut precario concessum intelligatur, atque pro arbitrio mandantis durabile. Non sic autem concessio potestatis, vel secularis, vel spiritualis, quæ solis justis de causis auferri potest; quoniam non in utilitatem concedentis data censetur, sed vel in illius commodum, qui ea potestate uti debet, vel in gratiam illorum, super quos exerceri debet. Præterquamquod aliud adest discrimen: nam in mandato mandatarius

rius est ille, qui donat, seu gratis operam suam præstat; sed in concessione potestatis donat ille, qui potestatem concedit. Quoad contractus vero onerosos disponit jus commune Romanum, ut ante traditionem solum contractus nominati irrevocabiles constituantur, non item innominati, qui ex libito unius partis, re adhuc in integro existente, dissolvi possunt. Verum hæc dispositio primum limitatur solum quoad forum externum, & obligationem civilem, quam leges non concedunt contractibus innominatis ante traditionem; quamvis ex illis resultans naturalis obligatio minime ablata sit judicanda. 2. Eadem dispositio quoad contractus innominatos est, ut superius diximus, per jus Canonicum immutata, & etiam per leges civiles plurium Regnorum, qui actionem civilem tribuunt quibuscumque contractibus etiam innominatis post acceptationem, prævie etiam ad traditionem. Duo ergo tantum casus superesse videntur, in quibus ex unius partis voluntate contractus onerosi sunt revocabiles. Primum est, si intervenerit error, dolus, & metus dans causam contractui, nedum quoad substantialia (tunc enim jure naturæ contractus esset nullus) sed etiam quoad accidentalia, ne videlicet ille, qui metum incutiendo, vel errorem fovendo, præbuit causam contractui, commodum ex sua fraude reportet; & ille, qui læsus est, hac redintegratione privetur. Secundus casus est, si alter ex contrahentibus pactis non steterit, & ex parte sua contractum non impleverit; quandoquidem omnes contractus onerosi hanc implicant conditionem, ut ab alterutra parte promissum servetur.

XV. Tertius denique modus, quo contractus dissolvuntur, est obligationis extinctio, quæ pluribus modis præter annullationem, & revocationem mutuo contrahentium consensu factam, contingere potest; videlicet 1. & principaliter per solutionem, qua contractus impletur; 2. per acceptilationem, hoc est remissionem debiti præstitam a creditore. 3. Per compensationem, hoc est per commutationem debiti cum credito. Per innovationem, hoc est per commutationem unius debiti in aliud alterius generis, & pluribus aliis modis, quos Juristis enumerandos, & explicandos relinquimus; sive tales sint, ut obligatio omnino desinat; sive tales, ut una obligatio commutetur in aliam æquivalentem, ut per novi contractus celebrationem prior dissolutus, & finitus intelligatur.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui moram culpabilem incurrit, tenetur ad interesse.*

II. *In morosum debitorem transfertur periculum rei conventæ.*

III. *Locum pœnæ aliquando obtinet amissio arrbæ, vel pignoris.*

IV. *Ad solvendam pœnam conventionalem tenetur, qui fidem frangit, in conscientia, & ante omnem Judicis sententiam, si a creditore exigatur.*

Reflexio.

Consectarium Primum.

I. QUI moram culpabilem incurrit, tenetur ad interesse, idest quanti interfuit, moram non fuisse commissam. Interesse autem a Juristis definitur; *æstimatio alicujus utilitatis non habitæ propter injustum alterius factum, vel injustam cessationem*, cujusmodi est cessatio

tio solvendi, in qua mora consistit. Uno verbo, cum morosus debitor comparetur furi, non titulo injustæ ablationis, sed injustæ detentionis, ad ea omnia damna & pericula tenetur, quibus fur; proinde restituere debet fructus omnes, & accessiones rei conventæ, nec non damna omnia emergentia, ut in Tract. de Restit. fusius explicabimus. Et revera nihil magis æquitati naturali conforme, quam ut creditor illæsus, & indemnis servetur a culpabili mora alterius contrahentis; & fides humana, quæ est humanorum fœderum, & conventionum nervus, inviolata servetur, ac juxta regulam 5. in 6. *Sua cuilibet mora nociva sit*. Porro creditor illæsus, & indemnis nequaquam præstatur, si aut careat fructibus, quos percipere potuisset ex re suo tempore sibi tradita, vel accessionibus, quæ eidem obvenerint post possessionem, vel nisi damna solvantur, quibus expositus fuerit ob solutionem dilatam.

Consectarium Secundum.

II. In morosum ex culpa debitorem transfertur periculum rei conventæ. Veritas hujus consectarii tali explicatione ostenditur. Siquidem ex culpabili mora hæc duo debitori oriuntur incommoda, quæ mira videri possunt, & contraria duobus principiis juris communis & naturalis. Unum est rem, quæ perit, domino suo perire. Alterum, eidem periculum rei convenire, ad quem pertinet ejusdem commodum. Sed culpabilis mora exceptionem quoad utrumque inducit: vi enim illius periculum rei competit debitori, etiamsi ejus dominium ad ipsum non pertineat. Si e. ex. si quis commodato equum accipit per mensem, ante mensis elapsum ad commodantem pertinet periculum, sicut & dominium equi commodati; sed elapso termino, & commodatario in mora culpabili constituto restitutionis equi, jam hic, si equus nedum ob culpam sive latam, sive levem, sive levissimam, sed etiam quocumque casu fortuito pereat, tenebitur ad æstimationem reddendam commodanti; eo prorsus modo, quo fur, & raptor periculum rei furtivæ, atque raptæ in se suscipiunt. Ex alia parte commodum, & utilitas rei minime ad ipsum morosum debitorem pertinere existimanda est; quippe qui, ut præcedenti consectario diximus, tenetur ad interesse sortis principalis creditori integre præstandum.

Consectarium Tertium.

III. Aliquando locum pœnæ conventionalis tenet amissio arrhæ, sive pignoris dati pro confirmatione contractus. Frequenter enim contingit, ut celebrato aliquo contractu præcipuæ cum aurigis, & veredariis arrha ab illis datur in securitatem conventionis, quam si fideliter servent, restitutam accipiunt; si vero data fide deficiant, eam amittunt. Similiter in aliis contractibus ad firmitatem illorum, pars pretii traditur, quæ in numero est habenda, quando consumitur contractus; at, si aliter resiliat, remanet alteri contrahenti. Hanc pœnam justam esse nemo ambigit; dummodo tamen qui resilit, injuste resiliat, & ex culpa: non enim justum est pœnam exigere, ubi culpa non est. Quamobrem nisi aliquod damnum subeat alter contrahentium, arrham resilienti sine culpa tenetur restituere. Ita & in sponsalibus datæ amittuntur arrhæ ab eo, qui a data fide ex culqa resilit.

Consectarium Quartum.

IV. Ad solvendam pœnam conventionalem tenetur, qui fidem frangit, in con-

conscientiæ, & ante omnem Judicis sententiam, si a creditore exigatur. Non desunt Theologi, qui censent, posse debitorem expectare sententiam Judicis, ipsum ad pœnam conventionalem solvendam cogentis. Verum probabilius est, teneri solvere ad petitionem creditoris: quandoquidem justitia postulat, ut pacta conventa justa, & licita serventur in foro ipso conscientiæ. Porro sicut in foro conscientiæ ad celebratos implendos contractus quisque tenetur; ita & pœnam additam solvere, cum hæc vel ad ipsum contractum pertineat, vel novum constituat conditionatum pactum; & legibus standum sit, quas sibi ipsis paciscentes posuerunt. Potest tamen debitor expectare, ut a creditore pulsetur, qui si non petat, nec exigat, cum tamen possit, videtur liberaliter remittere. Immo in hisce pœnis, cuicumque contractui, præter mutuum, licitis, aliqua sunt notanda, tamquam æquitati conformia. 1. Nimirum ut in illis interpretandis benignior teneatur sententia juxta Regulam juris 15. in 6. *Odia restringi, & favores ampliari convenit*. Quapropter in dubio, utrum pœna debeatur, non deberi tenendum est, ne quis pro incerto debito, certo sua pecunia spolietur. 2. Si pœna dividua sit, hoc est in partes divisibiles, & quoad partem contracta sit, quoad partem erit solvenda: c. ex. emisti mille modios tritici sub pœna decem aureorum, quingentos jam habuisti, recusat venditor alios quingentos dare, dimidiam tantum pœnam solvere debet. 3. Pœna non incurritur, nisi contractus nedum conventione perfectus sit, sed etiam ex parte alterius contrahentis opere impletus. 4. Denique, pœnæ conventionales ad hæredes non transeunt, sed solum suosmet auctores alligant, ut definitur lege *sancimus* 22. Cod. de pœnis.

REFLEXIO.

Quis nesciat, contractus omnes, mutuaque commercia pro communi utilitate invecta fuisse, ut quæ alias superabundant, egentibus subministrentur; &, ut inquit S. Augustinus, *dando, & accipiendo inter se hominum per totum orbem diffusa societas necteretur*? Verum humana solertia lucrum in his sectando, licitum putavit naturæ desiderium vili emere & caro vendere, cum tamen non sit, nisi pravæ cupiditatis affectus. Quamobrem optime S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 1. illud desiderium non esse naturæ, sed vitii, docuit; & ideo commune multis, quia multi per latam vitiorum viam spatiantur. Didicerat A.P. hanc veritatem ab Augustino lib. 13. de Trinit. cap. 3. qui hoc idem effatum, a sagaci Mimo prolatum, & ab omnibus cum plausu exceptum, quippe qui vera ante omnium oculos constituta, & sibi improvisa dixisse admirabantur, falsum esse ostendit: quoniam „ cum revera (scribit l. l.) vitium sit, „ potest quisque adipisci hujusmodi ju„ stitiam, vel alicujus alterius vitii, „ quod huic contrarium sit, incurrere „ pestilentiam, qua huic resistat, & „ vincat. Nam scio hominem, cum „ venalis codex ei fuisset oblatus, pre„ tiique ejus ignarum, & ideo quid„ dam exiguum poscentem cerneret „ venditorem, justum pretium, quod „ multo amplius erat, nec opinanti de„ disse. Quid si etiam sit quisquam „ nequitia tanta possessus, ut vili ven„ dat hæreditatem, quam dimiserunt „ parentes, & caro emat, quæ consu„ munt libidines? Non est, ut opinor, in-

,, incredibilis ista luxuries, & si quærantur tales, reperientur, aut etiam ,, non quæsiti occurrent, qui nequitia ,, majore quam theatrica, pronuntiatione theatrici Mimi insultent, magno pretio stupra emendo, parvo autem rura vendendo. Largitionis etiam ,, gratia novimus quosdam emisse frumenta carius, & vilius vendidisse civibus suis ". Verum quis est inter Christianos negotiatores, qui ab hac prava cupiditate se contineat, & non potius id sibi quam maxime ab ipsa natura concessum arbitretur? Et quod mirandum magis, & dolendum, quis ex sacris Pœnitentiæ Ministris adeo est in suo ministerio perfectus, ut de hoc moneat negotiatores, corrigat, & studeat emendare?

Verum venialis est ista cupiditas, si cum illa conferatur nequitia, per quam negotiatores ex alienis incommodis sibi lucrum quærunt, & honesti rationem sola sua utilitate metiuntur, unde consurgunt, ut inquit S. August. serm. 361. de Pœnit. n. 6. *in vendendis & emendis rebus caritatis, & vilitatis vota perversa, queis optant*, (ut Enarrat. in Psalm. 70. serm. 1. n. 17. subdit) *pauperibus famem, quo possint carius vendere, quod servarunt*. Vel saltem, ut animadvertit D. Jo. Chrysost. hom. 61. in Matth. " Justis laboribus, & sudoribus ,, suis iniquum & vendendi, & emendi ,, modum adjiciunt . . . hujus vitæ rebus addicti, terræque affixi, nihil non agunt, ut pecunias colligant ,, ... semperque facultates augere ,, student. Quis enarrarit convitia his ,, de causis prolata, contumelias, fœnera, usuras, pacta multa fraudem ,, habentia, impudentes negotiationes ". Verum hoc quam alienum sit ab ipsa natura, ostendit D. Ambros. de Offic. lib. 3. cap. 4. scribens: " Liquet ,, id expetendum, & tenendum omnibus, quod eadem singulorum sit utilitas, quæ sit universorum. Nihil judicandum utile, nisi quod in commune prosit. Quomodo enim potest uni ,, prodesse, quod inutile sit omnibus? ,, Mihi certe non videtur, qui inutilis ,, est omnibus, sibi utilis esse posse. ,, Etenim si una lex naturæ omnibus, ,, una utique utilitas universorum. Quod ,, si una utilitas universorum, ad consulendum itaque omnibus naturæ lege constringimur. Non est ergo, qui ,, consultum velit alteri secundum naturam, nocere ei adversus legem naturæ. Etenim si qui in stadio currunt, ita feruntur præceptis informari atque instrui, ut unusquisque ,, celeritate, non fraude contendat, ,, cursuque quantum potest ad victoriam ,, properet, supplantare autem alterum ,, aut manu dejicere non ausit; quanto ,, magis in hoc cursu vitæ istius sine ,, fraude alterius, & circumscriptione ,, quærenda nobis victoria est ".

Hanc æquissimam legem multo magis Christianos urgere, & premere ostendit idem SS. Præsul, dum scribit cap. 3. ,, Hoc est conformari Christo, alienum non quærere, nihil alteri detrahere, ut acquirat sibi. Christus ,, enim Dominus, cum esset in forma ,, Dei, exinanivit se, ut formam susciperet hominis, quem operum suorum locupletaret virtutibus. Tu ergo expolias, quem Christus induit? ,, Tu exuis, quem vestivit Christus? ,, Hoc enim agis, quando alterius detrimento tua commoda augeri expetis. Considera, o homo, unde nomen sumpseris, ab humo utique, ,, quæ nihil cuiquam eripit, sed omnia largitur omnibus, & diversos ad ,, usum

„ usum animantium fructus ministrat. „ Inde appellata humanitas specialis, „ & domestica virtus hominis, qua „ consortem adjuvet . . . Hæc utique „ lex naturæ est, quæ nos ad omnem „ stringit humanitatem, ut alter alteri „ tamquam unius partes corporis deferamus, nec detrahendum quidquam „ putemus, cum contra naturæ legem „ sit, non juvare. Sic enim nascimur, „ ut consentiant membra membris, & „ alterum alteri adhæreat, & obsequantur sibi mutuo ministerio. Quod „ si unum desit officio suo, impediuntur cetera, ut si eruat oculum manus, nonne sibi operis sui usum negavit? Si pedem vulneret, quantorum sibi actuum profectum inviderit? „ Jam si in uno membro totum corpus „ violatur, utique in uno homine communio totius humanitatis solvitur, „ violatur natura generis humani, & „ sanctæ Ecclesiæ congregatio, quæ in „ unum connexum corpus, atque compactum unitate fidei, & caritatis assurgit. Christus quoque Dominus, „ qui pro universis mortuus est, mercedem sanguinis sui evacuatam dolebit. Quid, quod etiam ipsa lex Domini hanc formam tenendam edocet, ut nihil alteri detrahas tui commodi servandi gratia "?

Utinam hæc præ oculis teneant homines in suis commerciis, & pactis, non enim deerit & moderata utilitas, & lucrum honestum, quo sibi non quæ insatiabilis cupiditas expetit, sed quæ humana necessitas exigit, comparent, & bono publico prospicientes, ita temporali fruentur felicitate, ut æternam non amittant.

TRACTATUS VII.

DE CONTRACTIBUS IN PARTICULARI

DISSERTATIO II.

A DISPUTATIONE de contractibus in genere ad particulares contractus expendendos, & dilucidandos progredimur. Ab onerosis incipimus, ut in principio polliciti sumus. Hi in plures species dividi possunt: nam alii ad absolutum rei dominium, alii ad solum usumfructum, alii ad solum usum transferendum ordinantur. Denique sunt contractus, in quibus sors, & fortuna locum habet, quibus se contrahentes mutuo consensu subjiciunt, ut sunt societates, ludi, sponsiones, assecurationes &c. De his igitur hoc ordine disputabimus, in quatuor partes dissertationem nostram partientes, quæ in capita, & quoties amplitudo materiæ postulaverit, in paragraphos dividentur. Sit itaque:

PARS PRIMA

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS REI DOMINIUM TRANSFERENTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Emptione, & Venditione. Emptionis & Venditionis notio. Quinam hos contractus inire possint. Eorum materia explicatur.

DOCTRINA.

1. MPTIO contractus est onerosus, quo rei dominium acquiritur persoluto pretio in pecunia; sicut e contra venditio est acquisitio pecuniæ pro merce data. Hinc emptionem, & venditionem duo sunt necessaria, nimirum ut rei dominium transferatur ex una parte, ex altera vero pecunia pretium solvatur. Si primum desit, erit non venditio, sed locatio, vel alius contractus. Si secundum, erit permutatio. Unde statuitur in jure civili L. 1. §. 1. ff. *de verb. signif. Si pecuniam dem, ut rem accipiam, emptio, & venditio est.* Perfectæ censentur emptio, & venditio quantum ad utriusque contrahentis obligationem sola partium conventione, quoad dominium vero, nonnisi re tradita, vel persoluto pretio. Et hoc pacto ad concordiam revocari queunt diversi juris textus, qui contraria statuere videntur, ut cum Justinianus declarat in Instit. tit. de oblig. *Consensu fiunt obligationes in emptionibus, & venditionibus.* Et rursum lib. 3. tit. 4. de emtion. & vend. *Emptio, & venditio contrahitur simul atque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit.* Contra vero statuere videtur §. utique, dum dicit, *qui nondum emptori tradidit, rei adhuc ipse dominus est.* Et dum generatim statuitur in Codice, *traditionibus, non nudis pactis dominia rerum transferuntur.* Sed de hoc fusius cap. 7. n. 1. & seq. Non censentur autem completæ emptio, & venditio, nec quoad obligationem, licet de pretio conventum sit, si emptor rem videre, gustare, explorare prius velit; ut enim habetur in L. 34. ff. de contract. empt. *gustus ad hoc proficit, ut improbare liceat.* Immo nec arrhabonis traditione; quamvis enim, ut dicitur L. *quod sæpe* ff. de contr. empt. & vend. non eo pertineat, quasi sine arrha conventio nihil faciat, sed ut evidentius probari possit convenisse de pretio; nihilominus,

si consuetudo vigeat, ut deperdito arrhabone contrahens resilire possit, signum non erit manifestum inductæ obligationis, sed solum damni subeundi in amissione arrhæ, si alter resiliat. Quod multo magis verum est, si ad contractum requiratur Notarii instrumentum, vel etiam privata scriptura: tunc enim ante ipsam non censetur inducta obligatio ex contractu, sed liberum erit utrique parti resilire.

II. Emere, & vendere possunt ii omnes, qui validos, & legitimos contractus celebrare valent, nec ab eis repelluntur vel deficientia rationis, vel dominii, vel legum prohibitione, ut superius diximus in Tract. de Contr. in communi cap. 5. Solum inquirendum est, num aliquis cogi possit ad rem suam vendendam. Et quidem absolute dicendum est, neminem cogi posse, cum omnis contractus mutuo consensu, & quidem libero perfici debeat. Excipiuntur tamen causæ publicæ necessitatis, vel utilitatis. Hinc urgente annonæ caritate possunt compelli a legitimis Potestatibus cives omnes ad triticum, & alia ad victum necessaria, quæ illis superabundant, vendenda; sicut & quando aliquid necessarium est vel ad munimen, vel ad ornamentum Civitatis, puta domus, vel fundus, cogi potest possessor ad vendendum. Hæc tamen coactio, ut patet, nonnisi a publica judici potest auctoritate, non vero a privata, nisi peculiari jure gaudeat, vel privilegio rem recuperandi a possidente, ut dicemus suo loco.

III. Materia vero venditionis sunt res omnes, quas in contractum venire superius diximus, ubi de contractuum materia tractavimus. Quamobrem optime statuitur L. 14. §. 1. ff. de contr. emps. *Omnium rerum, quas quis habeat, vel possidere, vel persequi potest, venditio recte fit; quod vero vel natura, vel gentium jus, vel mores civitatis commercio exuerunt, eorum nulla venditio &c.* Solum igitur quarumdam rerum venditionem, quæ num licite vendi queant, dubium suboriri potest, expendemus.

IV. Primo certum est ea vendere licitum non esse, queis nonnisi male quis uti potest. Ita expresse docet S. Thom. 2. 2. q. 169. a. 2. ad 4. „ Si qua ars „ est ad faciendum aliqua opera, qui- „ bus homines uti non possunt absque „ peccato, per consequens artifices ta- „ lia faciendo peccarent; utpote præ- „ bentes directe aliis occasionem pec- „ candi, puta si quis fabricaret idola, „ vel aliqua ad cultum idololatriæ per- „ tinentia “. Ea vero conficere, & vendere, queis homo & bene, & male uti potest, illicitum non esse subdit l. D. scribens: „ Si qua vero ars sit, cu- „ jus operibus homines possunt bene, & „ male uti (sicut gladii, sagittæ, & alia „ hujusmodi) usus talium artium non „ est peccatum: & hæ solæ artes sunt „ dicendæ. Unde Chrysostomus dicit „ super Matth. hom. 50. *Eas solum ar- „ tes oportet vocare, quæ necessariorum, „ & eorum quæ continent vitam nostram, „ sunt tributivæ, & constructivæ* “. Tertio tamen loco optime monet: „ Si ta- „ men operibus alicujus artis ut pluries „ aliqui male utantur, quamvis de se „ non sint illicitæ, sunt tamen per of- „ ficium Principis a civitate extirpan- „ dæ secundum documenta Platonis. „ Quia ergo mulieres licite se possunt „ ornare, vel ut conservent decentiam „ sui status, vel etiam aliquid superad- „ dere, ut placeant viris, consequens „ est quod artifices talium ornamento- „ rum non peccant in usu talis artis, „ nisi forte inveniendo aliqua superflua,

„ noxiosa. Unde Chrysostomus dicit l. 1. „ quod *etiam ab arte calceorum, & tex-* „ *torum multa abscindere oportet: etenim* „ *ad luxuriam deduxerunt, necessitatem* „ *ejus corrumpentes, artem arti male* „ *commiscentes* “.

V. Ex qua tutissima D. Thom. doctrina sponte consequitur, 1. non licere Judæis, Mahumetanis, aliisque infidelibus ea vendere, aut ministrare, quæ superstitiosis illarum sectarum ritibus inserviunt, aut manum præbere in eorumdem templis erigendis, aut sacrilegis ministeriis obeundis, ut diximus Tract. 5. de Fide cap. 10. Consect. 2. & latius differt. 3. de Carit. cap. 10. de cooperatione ad malum: sicut nec vendere maleficia, superstitiosas vel imagines, vel scripturas, vel annulos, in quibus dæmones inclusi putantur, nec famosos libellos, cum manifeste pateat, his nonnisi male quemlibet uti posse. 2. Nec quæ licita de se sunt, vendere conceditur, dum certum est ea nonnisi ad malum usum emi, vel prudens suboritur dubium de tali abusu. Hinc S. August. ad Publicolam scribens, ait: *si de area, vel torculari tollatur aliquid ad sacrificia dæmoniorum, sciente Christiano, peccat, si fieri permittat, ubi prohibere potest*. Quapropter non licet gladium vendere ementi ad interficiendum hominem, nec argentum usurario commodare, nec ebriis vinum vendere, nec fucos meretricibus. Plura hac de re subjiciemus in Consectariis.

VI. Rei immobilis venditæ partes omnes, sive essentiales, sive integrantes, ad emptionem pertinent; nam omnes istæ rem integram constituunt. Hinc fructus pendentes ex arboribus, segetes in agro germinantes venditæ intelliguntur cum ipso fundo: ut enim habetur in L. 44. ff. de rei vendit. *Fructus pendentes pars fundi videntur*. Sic qui domum vendidit puteum, vel fontem habentem, & puteum, & fontem vendidisse censendus est, immo & canales, & tubos, per quos aqua in puteum, vel fontem prolabitur; & denique omnia illa vendita censentur, quæ rei venditæ ita adhærent ferro, clavibus, calce, ut sine vi evelli nequeant. Partes vero quæ modo amoveri solent, modo apponi, ut sunt fenestræ vitreæ, rotulæ vel ligneæ, vel metallicæ ad hauriendam aquam, claves fontium ad eos vel aperiendos, vel claudendos, & similia, ad rem venditam pertinere censemur, si ad rei usum sint jam applicitæ, non vero si, licet paratæ & dispositæ, nondum tamen fuerint ad usum destinatæ. Ita definitur L. 17. §. 10. ff. de empt. & vend. *Ea quæ ex ædificiis disjuncta sunt, ut reponantur, ædificii sunt; at quæ parata sunt, ut imponantur, non sunt ædificii*. Hoc tamen minime impedit, ne res immobilis væneat, licet pluribus etiam partibus vel necessariis, vel integrantibus careat; dummodo tamen emptorem non lateat. Sic licet emere domum, vel ædificium, licet nonnisi parietibus constet, sine tecto, & cubiculis; sicut & partes rei potest sibi reservare venditor in venditione, dummodo cum emptore conveniat: sic licet agrum vendere, sed sine fructibus vel pendentibus, vel orituris. In rebus vero mobilibus res, quæ ab ipsis separari possunt, & sunt veluti appendices, tunc in venditione comprehensæ censendæ sunt, quando res cum illis adjunctis venditioni exponatur: sic vas aureum gemmis ornatum, & equus cum suis ornamentis, & phaleris venditioni exposita, licet & gemmæ, & phaleræ separari possint, vendita tamen censentur simul cum vase, & equo,

nisi

nisi aliter contrahentes conveniant.

VII. Rei, & mercis venditæ defectus quando fiat a venditore manifestandi, egregie docet S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 2. ex cujus doctrina has Regulas statuimus.

REGULA PRIMA.

Quando rei venditæ defectus ad substantiam mercis pertinent, sunt aperte manifestandi: alioquin nedum illicitus, sed & nullus est contractus. Sic injuste agit, qui Calicem inauratum pro aureo vendit, vitrum pro gemma &c. Ad hunc substantiæ, & speciei defectum pertinet etiam permixtio; ut si quis vinum aqua mixtum pro mero vendat. Ita S. Thom. l. l. „ Circa rem, quæ „ venditur, unus defectus est secundum „ speciem rei: & hunc quidem defectum „ si venditor cognoscat in re quam ven„ dit, fraudem committit in venditione: „ unde venditio illicita redditur. Et „ hoc est quod dicitur contra quosdam „ Isa. 2. 22: *Argentum tuum versum est* „ *in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua*: „ quod enim permixtum est, patitur „ defectum quantum ad speciem".

REGULA SECUNDA.

VIII. Si vero mercis, seu rei venditæ defectus circa qualitatem versentur, quæ mercem ineptam reddat, vel damnosam ementi, nec illos manifestet, dolosa est venditio, & injusta: atque ad restitutionem tenetur venditor, & damnorum compensationem. Ita D. Tho. „ Tertius defectus ex parte qualitatis „ puta si aliquod animal infirmum ven„ dat quasi sanum, quod si quis scien„ ter fecerit, fraudem committit in „ venditione: unde est illicita vendi„ tio. Et in omnibus talibus non solum „ aliquis peccat injustam venditionem „ faciendo, sed etiam ad restitutionem „ tenetur". Et iterum art. 3. „ Ven„ ditor qui rem vendendam proponit, „ ex hoc ipso emptori damni, vel pe„ riculi occasionem, quod rem vitiosam „ ei offert, si ex ejus vitio damnum, „ vel periculum incurrere possit. Da„ mnum quidem, si propter hujusmodi „ vitium res, quæ vendenda proponi„ tur, minoris sit pretii; ipse vero pro„ pter hujusmodi vitium nihil de pretio „ subtrahat: periculum autem, si pro„ pter hujusmodi vitium usus rei red„ datur impeditus, vel noxius; puta „ si aliquis alicui vendat equum clau„ dicantem pro veloci, vel ruinosam „ domum pro firma, vel cibum corru„ ptum sive venenosum pro bono. Un„ de si hujusmodi vitia sint occulta, „ & ipse non detegat, erit illicita, „ & dolosa venditio; & tenetur vendi„ tor ad damni compensationem". Confirmant & civiles Leges, nam L. 1. §. 8. ff. de ædilit. ed statuitur: *Si quid tale fuerit vitii, sive morbi, quod usum, ministeriumque hominis impediat, id dabit redhibitioni locum*.

REGULA TERTIA.

IX. Si vero defectus vel sit manifestus, vel etiam occultus, sed ementi minime noxius, non tenetur venditor rei defectum manifestare, nisi interrogetur ab emptore; debet tamen mercis pretium debita, & justa proportione diminuere. Ita idem A. P. l. l. a. 3. scribens: „ Si vero vitium sit manife„ stum, puta cum equus est monoculus, „ vel cum usus rei, etsi non competat „ venditori, potest tamen esse conve„ niens aliis, & si ipse propter hujus„ modi vitium subtrahat quantum opor„ tet de pretio, non tenetur ad mani„ festandum vitium rei: quia forte pro„ pter

„ tec hujufmodi vitium emptor vellet „ plus fubtrahi de pretio quam effet „ fubtrahendum “. Unde poteft licite venditor indemnitati fuæ confulere, vitium rei *reticendo*. Ita & in lege conceditur l. fup. l. ubi fubditur, *dummodo meminerimus non utique quodlibet quam leviffimum efficere, ut morbofus, vitiofufque habeatur*. Dixi tamen, fi emptor non interroget, nam interroganti veritas eft manifeftanda: immo fi venditor prævideat emptorem nec diminuto pretio rem illam empturum, tenetur etiam non rogatus defectum manifeftare, ut fincere, & candide procedat negotiatio, nec emptor de fraude conqueri poffit. Unde optime docet Tullius a D. Thom. laud. hic art. 1. *tollendum eft ex rebus contrahendis omne mendacium*.

Regula Quarta.

X. Si defectus fit in quantitate, quia in pondere, vel menfura minus datum fit, quam dandum erat, valida erit venditio, fed illicita, & reftitutione pars læfa facienda. Profequitur D. Thom. art. 2. „ Alius autem defectus „ eft fecundum quantitatem, quæ per „ menfuram cognofcitur: & ideo fi „ quis fcienter utatur deficiente men„ fura in vendendo, fraudem commit„ tit: & eft illicita venditio. Unde di„ citur Deuter. 25. 13. *Non habebis in* „ *facculo diverfa pondera, majus, &* „ *minus; nec erit in domo tua modius* „ *major, & minor*: & poftea fubditur: „ *Abominatur enim Dominus eum, qui* „ *facit hæc, & averfatur omnem inju*„ *ftitiam*.

Regula Quinta.

XI. Si præfati defectus five in fubftantia, five in qualitate, vel quantitate contingant ignaro venditore, qui rem bona fide vendit, a culpa quidem excufatur; verum tenetur emptorem indemnem reddere vel contractum refcindendo, vel æqualitatem inducendo juxta fupra expofitas regulas. Ita Sanct. Thom. a. 2. „ Si vero, eo ignorante, „ aliquis prædictorum defectum in re „ vendita fuerit, venditor quidem non „ peccat, quia facit injuftum materia„ liter, nec ejus operatio eft injufta „ . . . . Tenetur tamen, cum ad ejus „ notitiam pervenerit, damnum recom„ penfare emptori “.

Regula Sexta.

XII. Quod de venditore diximus, eft etiam emptori accommodandum, qui pariter, fi deprehendat venditorem falli in fui detrimentum, vel fubftantiam, vel qualitatem rei ignorando, vel in quantitate errando, tenetur ei veritatem manifeftare, & juftum pretium juxta rei valorem, non juxta errorem vendentis perfolvere. Unde fubdit D. A. „ Quod dictum eft de ven„ ditore, etiam intelligendum eft ex „ parte emptoris. Contingit enim quan„ doque venditorem credere rem fuam „ effe minus pretiofam quantum ad „ fpeciem; ficut fi aliquis vendat au„ rum loco aurichalci, emptor, fi id „ cognofcat, injufte emit, & ad refti„ tutionem tenetur. Et eadem ratio „ eft de defectu qualitatis, & quanti„ tatis “.

CAPUS SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Difcrimen inter vendentes materiam, & opus fuum, a vendentibus folum laborem*.

II. *Hereditatem futuram vendere non licet*.

II.

III. *Num fucos mulieribus vendere liceat.*
IV. *Num chartas lusorias, taxillos ludentibus.*
V. *Fraudolenti venditores quinam.*
VI. *Nonnullæ aliæ fraudes in materia venditionis.*
VII. *Num semper injustus sit, qui rem unam pro alia vendit.*
VIII. *Quosnam libros indiscriminatim vendere non liceat.*
IX. *Ad quid teneatur rem defectuosam bona fide vendens.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. ARTIFICES, qui simul cum suo opere materiam petentibus tradunt, vere contractum venditionis celebrant; qui vero ad alterius petitionem materiam emunt, in qua postea artificialem formam inducunt, non rem vendunt, sed operam suam locant: quapropter illi & ipsa materia lucrari possunt; isti vero nullum lucrum ex ea accipere possunt. Hujus Consectarii veritas sola indiget explicatione. Fabri ferrarii, lignarii, calcearii, & ceteri omnes, qui merces elaboratas vendunt, non solum opus, & laborem suum vendere censentur, sed & ipsam materiam quam sibi emerunt, vel paratam semper habent, proinde & ex ipsa tamquam de re sua lucrari possunt: unde si materiam emerint pretio infimo, vel medio, summo vendere possunt. At e contra qui pannum emunt, ut vestem conficiant, linum ut telam, lapides & ligna ad domum construendam, ex præscripto contrahentis, nihil lucrari possunt præter sui laboris mercedem, cum materiam emant non sibi, sed alteri, a quo proinde non nisi pretium, quod solverunt, exigere poterunt. Sed de hoc fusius Cap. 5.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Hæreditatem, quam quis obtinere debet post alterius mortem, ipso vivente vendere non licet. Hoc enim lege vetatur, quæ sancit, nullam esse hujusmodi venditionem, & eam fieri prohibet, ne quis ex eo occasionem arripiat alterius mortem desiderandi; immo venditorem inhabilem reddit ad capessendam hæreditatem illam, quam vivente possessore vendere attentavit. Habetur hæc lex. ff. de his *qui ut indignis*.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

III. Res, quarum usus & bonus esse potest, & malus, non licet iis vendere, de quibus prudens suboritur dubium, vel quos certo constat nonnisi ad pravum usum sibi comparare. Id manifeste patet: nam hoc esset alterius peccato cooperari. Ita docet S. Raymundus lib. 2. de negotiis secularibus §. 6. scribens: „ Ille peccat, quando ex „ qualitate Personæ, vel temporis cognoscit, vel probabiliter dictat sibi „ conscientia, quod illa non quærit nisi „ ad malum perpetrandum; tunc enim „ non deberet illi vendere contra ta„ lem conscientiam “. Quamobrem non licet meretricibus fucos, & ornamenta vendere, quæ certo constat nonnisi ad pravum finem ab ipsis comparari. Immo & aliis honestis mulieribus fucos vendere semper illicitum prædicant Patres, qui nonnisi perverse fucis uti mulieres sentiunt. Audiatur D. Cyprianus a D. Thom. laudatus 2. 2. q. 169. a. 2. ad 2. *Non virgines tantum, & viduas, sed & nuptas puto, & omnes omnino feminas admonendas, quod opus Dei, & facturam ejus, & plasma adulterare nullo modo debeant, adhibito flavo colore,*

re, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet lineamenta nativa corrumpente medicamine. Manus Deo infertur, quando illud quod ille formavit, reformare contendunt. Impugnatio est ista divini operis, prævaricatio est veritatis. Deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit, de inimico tuo compta, cum illo pariter arsura. Nec dissentit D. Thom. qui tum lect. 2. in cap. 2. epist. 1. ad Timoth. scribit: „De fucato autem ornatu semper est peccatum, mulieribus enim non permittitur ornari nisi propter viros; & viri nolunt decipi, ut fucatæ eis appareant" tum in Summa 2. 2. q. 169. a. 2. ad 2. ubi relatis D. Cypr. verbis subdit: „Mulierum fucatio, de qua Cyprianus loquitur, est quædam species fictionis, quæ non potest esse sine peccato. Unde Augustinus dicit in epist. ad Possidium . . . . *Fucari pigmentis, quo rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est: qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis*, scilicet maritis, *permittendæ sunt fæminæ* ornari *secundum veniam, non secundum imperium*. Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum quando fit propter lasciviam, vel in contemptum Dei". Optime tamen animadvertit, aliud esse fingere pulchritudinem non habitam, aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa provenientem, puta ægritudine, vel aliquo hujusmodi. Hinc colligit, non esse peccati lethalis damnandas, sed & a culpa excusari posse honestas mulieres, quæ alicujus turpitudinis tegendæ causa fuco utrentur, quamobrem talia istis vendere non erit illicitum. Quod magis verum est de ceteris mulierum ornamentis, de quibus sapienter docet D. Thom. l. q. 169. art. 2. ad 4. „Quia mulieres licite se possunt ornare, vel ut conservent decentiam sui status, vel etiam aliquid superaddere, ut placeant viris, consequens est, quod artifices talium ornamentorum non peccant in usu talis artis, nisi forte inveniendo aliqua superflua, & curiosa. Unde Chrysostomus dicit super Matth. l. c. quod *etiam ab arte calceorum, & textorum multa abscindere oportet: etenim ad luxuriam deduxerunt, necessitatem ejus corrumpentes, artem arti male commiscentes*". Quæ tamen postrema verba D. Thom. & S. Jo. Chrysost. sunt hisce temporibus maxime perpendenda, in quibus plurima ornamenta plane superflua, & curiosa, immo & vanissima invecta sunt.

Consectarium Quartum.

IV. Chartas lusorias, aleas, taxillos vel in illis locis, vel illis vendere, vel alio modo ministrare, quos certo constat ad pravum usum petere, vel emere, peccatum esse lethale. Ita aperte docet S. Raymundus l. mox cit. Confirmat S. Antoninus in Sum. 3. P. tit. 3. cap. 23. §. 13. scribens: „Videtur dicendum de factoribus, vel venditoribus alearum, taxillorum, chartarum, quod quia in pluribus homines utuntur his ad peccatum mortale propter avaritiam, ideo non videntur tales posse excusari a mortali, unde nec absolvendi, nisi talia dimittant". Et S. Carolus Borromæus in suis Instructionibus pro Confessariis cap. 5. aperte statuit: „Nec eos absolvant, qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare non proponunt, ut sunt qui domum tenent in hunc finem aliis

„pa-

„ paratam, ut tabellis chartaceis, vel „ aleis ludant “. Signanter tamen dixi *in illis locis*, *vel illis* suppeditare, quando prudenter constet nonnisi ad malum usum adhiberi: quia cum sive taxillis, sive talis, sive chartis lusoriis quis possit non male uti, ludis nimirum ex arte, & industria pendentibus, & ad animi levamen, illis vel vendere, vel suppeditare peccatum non est. Ratio autem primam positæ doctrinæ partem satis clare evincit: nam non minus malum est pravis ludis instrumenta suppeditare, quam vel furem a juvare, vel stupratori scalam sustinere, vel januam aperire, cum hæc sine vera cooperatione ad peccatum esse non possint.

Consectarium Quintum.

V. Fraudulenti sunt venditores, & pretium diminuere, vel omnino contractum rescindere tenentur, qui rem inutilem, vel defectuosam proximo ignoranti vendunt; ut qui militi equum meticulosum, vel aliis domum ruinosam, animal scabiosum vendit; qui in ore cadi, sacci, vel alterius vasis optimas merces ponit, dum interius latentes deteriores sunt; qui emere volenti mercem servandam ad longum tempus tradit brevi corrumpendam; qui arte defectus occultat; qui mercis specimen exhibet ab ipsa merce diversum. Hi enim omnes peccant contra primam & secundam Regulam cap. superiori positam, & nocumentum afferunt proximo. De his loquitur S. Antoninus P. 2. tit. 1. cap. 7. §. 6. scribens: „ Fit „ fraus, si venduntur carnes infectæ „ pro sanis, aromata antiquata, & „ virtute debilitata pro recentibus, li„ ber corruptus, & falsus pro fideli, „ corium fragile pro durabili, vinum „ corruptum pro sano, domus ruitura „ pro stabili & firma, pannus defe„ ctuosus pro non defectuoso, & hu„ jusmodi “.

Consectarium Sextum.

VI. Qui poscenti mercem puram, defœcatam, & optimam tradit vel permixtam, vel minus perfectam, licet pretium diminuat, tamen fraudulentus est venditor, & ad petitionem ementis contractum rescindere tenetur, & si quæ sint inde damna secuta, reparare; quia qualitas ipsa mercis transit in substantiam contractus, cum emptor expresse pacificatur de merce optima & perfecta. Idem dicendum de petente mercem alterius Regionis, ut pannum anglum, telam germanicam, sericum gallicum, tradat domesticum, vel nostratem, licet æqualis perfectionis, & diminuto pretio, cum adhuc emptorem decipiat, qui de illa (fortassis inutili) qualitate paciscitur. Qui vero mercem suam alteri probandam, gustandam, expendendam exhibeat, quam alter puram, probatam, & perfectam ex imperitia putat, non illum fraudat, si pretio vendat mercium qualitati respondente, dummodo mercis defectus non sit ementi perniciosus, ut diximus Regula 2. nec emens sit adeo rudis, hebes, & imperitus, ut discrimen dignoscere non possit; tunc enim illum monere deberet, & manifestare tum mercis deficientiam a perfectione, tum pretii diminutionem, ut æquitatem contractus dignoscat.

Consectarium Septimum.

VII. Fieri quandoque potest, ut quis tradens unam mercem pro alia non injuste agat, quando diversitas sit omnino materialis, inspecta ementis voluntate

& fine : ut contingit in medicinis, in quibus Pharmacopolæ unum pro alio ponunt; dummodo quod substituunt, sit æqualis efficacitatis, & virtutis, & hoc de consensu Medici pharmacum præscribentis faciant, ac pretium adæquet substituti remedii valorem, cum tota ratio designati remedii sit salus infirmi, quam æqualiter utroque pharmaco obtineri posse supponimus.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Peccant Bibliopolæ, & quidem gravissime, vendentes libros contra bonos mores; vel Religionem indiscriminatim petentibus. Vix enim credi, aut dici potest, quantam animabus perniciem afferant hujusmodi pestilentes libri, qui totam pene nostram occupant Italiam, cui summæ perniciei cooperantur, qui ab exteris regionibus eos deferri student, & clanculum disseminant & etiam nolentibus ingerunt. Inter libros bonis moribus infensos & illi sunt recensendi, qui romanenses, ut vocant, continent fabulas, quæ concupiscentiam excitant, artes, astus, modos docent, quibus puellæ, vel adolescentes parentes fallant, ut amasium, vel maritum sibi inveniant: quamobrem forent hujusmodi libelli urbe, & agro exterminandi, & præsertim e manibus Juvenum eripiendi. Libros vero, sive hæreticorum, sive quoquo modo prohibitos, nonnisi ab Ecclesiastica potestate veniam legendi obtinentibus, & quorum sit doctrina cum pietate comperta, vendere licebit. At erit ne tutus in conscientia, qui hæreticos, vel prohibitus Libros, sed ob eruditionem aliquam utilitatem habentes, vel Bibliopolis vendat, vel commutet? Theologum inficiantem audivi, quippe qui ajebat, hujusmodi mercatores non ementium delectum, sed unice majus lucrum inspicere. At hæc doctrina mihi nimium rigida videtur, & sic universim prolata Christianæ Caritati non omnino consona, cum perverso nitatur judicio de probitate virorum, qui ab utraque potestate, & Ecclesiastica, & civili pro hujusmodi mercium venditione, certis etiam statutis legibus, sunt adprobati. Puto itaque, nisi prudens suspicio oriatur de Bibliopolæ avaritia, & improbitate, posse illis tuta conscientia vel vendi, vel aliorum librorum permutatione tradi; sicut licet Pharmacopolis herbas, metalla, animalia venefica, & lethifera vendere.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Qui bona fide ignorans vendit mercem defectuosam, est quidem a fraudis culpa immunis, sed tenetur emptorem resarcire, vel aliam perfectam mercem tradendo, vel pretium minuendo juxta æquitatem. Quod si emptorem moneat, ut rem attente consideret, priusquam emat, cum ipse nihil de ullo occulto defectu respondere velit, nihil quidem restitu re tenebitur detecto vitio, at pretium rei venditæ pro ratione periculi in emptorem rejecti debet diminuere. Similiter periti artifices, qui antiquorum vel Pictorum, vel Sculptorum opera ita egregie imitantur, ut & peritos ipsos fallant, suum opus vendere non possunt, ac si vere antiquum esset, & vetustum, & Auctoris illius, cui tribuitur; hoc enim esset aperte fallere ementes: sed pro sua peritia majus aliquod pretium possunt exigere. Qui in agro latentem thesaurum novit, vel in herbarum fasciculo herbam pretiosam agnoscit, potest & agrum, & fasciculum emere consueto pretio, quin teneatur venditori rei pretiositatem

rem aperire, cum res emat, quanti valent in communi existimatione, & ad finem, ad quem sunt de se in communi usu ordinatæ.

CAPUT TERTIUM.

De pretio rerum.

DOCTRINA.

I. *Non licet rem majori pretio vendere quam valeat.*
II. *Nonnullæ exceptiones.*
III. *Pretium duplex, legale, & vulgare.*
IV. *Vulgare pretium triplicem admittit latitudinem.*
V. *Pretia affectionis, necessitatis, & licitationis. Nonnullæ Regulæ.*
VI. *Regula prima.* VII. *Regula secunda.*
VIII. *Regula tertia.* IX. *Regula quarta.*
X. *Regula quinta.*
XI. *De rebus, quæ nec legale, nec vulgare pretium habere censentur.*
XII. *De mercium exquisitæ, & singularis perfectionis pretio.*
XIII. *Monopolia publica auctoritate licita sunt.*
XIV. *Non vero privato inducta arbitrio.*
XV. *Licet sint de summo pretio licito.*

I. NATURALE principium est, non licere rem majori pretio vendere, quam revera valeat. Nam (scribit S. Thom. 2. 2. q. 77. a 1.) *emptio, & venditio videtur esse introducta pro communi utilitate utriusque, dum scilicet unus indiget re alterius, & e converso.... Quod autem pro communi utilitate inductum est, non debet esse magis in gravamen unius, quam alterius: & ideo debet secundum æqualitatem rei inter eos contractus institui. Quantitas autem rei, quæ in usum hominis venit, mensuratur secundum pretium datum; ad quod est inventum numisma.... Et ideo si vel pretium excedat quantitatem valoris rei, vel e converso res excedat pretium, tolletur justitiæ æqualitas. Et ideo carius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, est secundum se injustum, & illicitum.* Ex qua doctrina colligit S. D. 1. omnem in vendendo fraudem vetari, unde subdit: " Fraudem adhibere ad hoc, quod „ aliquid plus justo pretio vendatur, „ omnino peccatum est, inquantum „ aliquis decipit proximum in damnum „ ipsius. Unde & Tullius dicit.... „ *Tollendum est igitur in rebus contra-* „ *hendis omne mendacium: non licitato-* „ *rem venditor, nec qui contra se licite-* „ *tur, emptor apponat* ". Hæc postrema Romani Oratoris verba, quæ diverso modo ab eruditis leguntur, significant, neminem esse in subhastatione subornandum, qui vel plus justo venditori offerat ad fallendum emptorem, vel in hujus gratiam longe minus offerat ad cogendum hoc pacto venditorem, ut ab emptore majus pretium, quod obtulerit, accipiat. Licitator enim in subhastatione ille audit, qui pretium offert mercis propositæ majus, vel minus illo, quod ab aliis offertur, frequentius vero majus, Colligitur quoque ex A. P. doctrina, etiam sine fraude non licere majus accipere, quam res valeat, tunc enim pariter justitiæ tolletur æqualitas.

II. Hæc tamen doctrina aliquam non refugit exceptionem ab ipso D. A. indicatam, scilicet tunc licere pluris rem vendere, quam in se valeat, quando nimirum qui vendit præter rei privationem, damnum aliquod subire cogitur, ut ementi afferat utilitatem; dummodo tamen emptori suum ex venditione nocumentum aperiat, ut sciat, cur rem carius emere cogatur. Subdit itaque S. Thom. l. l. „ Alio modo pos- „ su-

„ ſumus loqui de emptione, & venditione, ſecundum quod per accidens „ cedit in utilitatem unius, & detrimentum alterius; puta cum aliquis „ multum indiget habere rem aliquam, „ & alius læditur, ſi ea careat; & in „ tali caſu juſtum pretium erit, ut non „ ſolum reſpiciatur ad rem quæ venditur, ſed ad damnum quod venditor „ ex venditione incurrit. Et ſic licite „ poterit aliquid vendi plus quam valeat ſecundum ſe, quamvis non vendatur plus quam valeat habenti “. Abſit tamen, ut idem liceat, quando res quæ venditur, ſolum in utilitatem etiam magnam redundet emptoris, cum utilitas rei ad ejus pretium conſtituendum non ſit ſecundum privatam utilitatem penſanda, ſed ſecundum vulgarem, & communem; alioquin aliquid cum re venderetur, quod non eſt venditoris, ſed ementis. Audiatur D. Thom. qui ſtatim ſubdit: „ Si autem „ aliquis multum juvetur ex re alterius „ quam accepit, ille vero qui vendit, „ non damnificetur carendo re illa, „ non debet eam ſupervendere: quia „ utilitas quæ alteri accreſcit, non eſt „ ex vendente, ſed ex conditione „ ementis. Nullus autem debet vendere alteri quod non eſt ſuum; licet „ poſſit ei vendere damnum quod patitur. Ille tamen qui ex re alterius „ accepta multum juvatur, poteſt propria ſponte aliquid vendenti ſupererogare; quod pertinet ad ejus honeſtatem “. Nec ſibi adverſatur D. A. dum q. 13. de malo a. 4. ad 14. oppoſitum docere videtur, ſcribens: „ „ Qui emit rem aliquam, pro ea juſte „ dat, quantum valet, non quantum „ ille qui vendit, ex ejus carentia damnificatur “. Nam hic loquitur de ſponte vendente rem ſuam, non ad emptoris petitionem; ut ſi artifex ſponte ſuæ artis inſtrumentum venderet, quo ſibi victum comparat, non enim teneretur, qui emit, illud carius emere, quam valeat, quia inde vendens etiam grave damnum ſubit.

III. Porro pretium juxta communem tum Juriſperitorum, tum Theologorum doctrinam duplex aſſignatur, nimirum 1. legale, ſeu legitimum, 2. Naturale, ſeu vulgare. Primum illud eſt, quod eſt a Lege taxatum: & hic ex parte vendentis ſine injuſtitia augeri non poteſt, licet ab emente etiam minoris res emi poſſit: quia ut plurimum hoc legale pretium ita conſtituitur, ut venditor non pluris rem ſuam vendat; non vetat tamen, ut, ſi maluerit, etiam minori pretio diſtrahere valeat. Et de hoc pretio ſcribit S. Thom. art. 2. ad 2. *In unoquoque loco ad rectores civitatis pertinet determinare, quæ ſint juſtæ menſuræ rerum venalium, penſatis conditionibus locorum, & rerum. Et ideo has menſuras publica auctoritate, vel conſuetudine inſtitutas præterire non licet*. Vulgare vero, ſeu naturale pretium eſt, quod a communi hominum pendet æſtimatione, & judicio. Et de hoc pretio loquitur S. Thom. dum l. l. a. 1. ad 1. docet: *Iſtud pretium rerum non eſt punctualiter determinatum, ſed magis in quadam æſtimatione conſiſtit; ita quod modica additio, vel minutio non videtur tollere æqualitatem juſtitiæ*. Animadverterat autem D. T. 5. Eth. lect. 4. quod „ Res non appretiantur ſecundum „ dignitatem naturæ ipſorum; alioquin „ mus, quod eſt animal ſenſibile, majoris pretii eſſet quam unio vel adamas, quæ res ſunt inanimæ. Sed „ rebus pretia imponuntur, ſecundum „ quod homines indigent eis ad ſuum „ uſum „. Quod & repetit hic a. 2.

ad

ad 3. producta D. Aug. auctoritate lib. 11. de Civ. Dei cap. 16. scribentis: „ Pretium rerum venalium non considerатur secundum gradum naturæ, „ cum quandoque pluris vendatur unus „ equus, quam unus servus; sed con„ sideratur, secundum quod res in „ usum hominis veniunt ".

IV. Cum igitur hocce vulgare pretium latitudinem admittat, tres illius gradus constituunt Theologi, nimirum infimum, seu pium, medium sive moderatum, & supremum sive rigorosum. Infra pium seu infimum pretium emere & supra rigorosum seu supremum vendere sine injustitia non licet; intra tamen horum graduum latitudinem emere, & vendere licitum est. Hanc autem latitudinem nullus, puto, erit, qui ad amussim & exacte, præsertim respectu diversi generis mercium, statuere possit, & determinare: sed peritorum, & piorum judicio est relinquendum. Hæc tamen regula non incongrua videtur, quam ex Collationibus Parisiensibus affert Tournelius cap. 1. de Vend. art. 4. nimirum pretii latitudinem esse mercis valori, & pretiositati commensurandam. Quapropter quo pretiosior est res, latius dilatantur gradus pretii: sic mercis, cujus pretium medium e.g. ex centum existimatur, infimum erit nonaginta quinque, supremum vero ultra centum & quinque non extendendum: quod si pretium medium sit decem, infimum erit novem, & undecim supremum. Illud etiam animadvertendum, rerum pretia ex triplici capite repeti posse, nimirum ex majori, vel minori communi utilitate rei, ex ipsius mercis vel abundantia, vel deficientia, & denique ex ementium, vel vendentium copia, vel paucitate. Hinc ex primo capite res, quæ pluribus utiles sunt, carius venduntur, quam quæ solum paucioribus inserviunt: ex secundo quando uberior messis est, & frumenti copia, vilius est illius pretium, quod magis crescit annonæ caritate: & ex tertio capite in postremis nundinarum diebus, vel proxime ejus finem sequentibus vilius venduntur merces, quam antea; quia tunc pauciores sunt emptores, & mercatorum interest merces suas cum minori lucro vendere, quam cum dispendio alio transferre.

V. Tria alia etiam distingui possunt pretia rerum, nimirum affectionis, ut vocant, necessitatis, & licitationis. Tituli affectionis, & necessitatis esse possunt in utroque contrahente: nam venditorem rem ita diligere contingit, ut ægre ea se privet; & emptor ita esse potest rei cupidus, ut vehementer illam obtinere desideret. Similiter idem de necessitate dicendum: nam alter ea pressus rem suam vendere cogitur, alter emere. In licitatione vero merces quodammodo aleæ, & sorti exponuntur. Inquirunt itaque Theologi, num hisce titulis rerum pretium ita augeatur, ut carius emi, vel decrescat, ut vilius justo pretio vendi possint. Ego has Regulas puto præ oculis habendas.

Regula Prima.

VI. Ementis affectus, cupiditas, & desiderium rem habendi non est justus titulus augendi pretium rei ultra commune. Desumpta est hæc Regula ex S. Th. l. sup. l. cujus verba in art. 1. repetere juvat: „ Si quis multum juvetur ex re alterius, quam accipit, „ ille vero qui vendit non damnificetur „ ca-

„ carendo re illa, non debet eam su- „ pervendere: quia utilitas quæ alteri „ accrescit, non est ex vendente, sed „ ex conditione ementis. Nullus au- „ tem debet vendere alteri, quod non „ est suum; licet possit ei vendere dam- „ num quod patitur ". Quod si hoc verum est, quando res vendita multum afferat utilitatis ementi, multo magis verum erit, quando solum in emente adest desiderium, affectus, & cupiditas rei habendæ; cum hæc non sint venditoris, sed ementis, nec rem in se vel pretiosiorem efficiat, vel utiliorem. Hinc injuste carius supra justum pretium venditur ager, vel domus contermina eo solo titulo, quia emptor se dilatare cupit.

REGULA SECUNDA.

VII. Affectus vendentis esse potest justus titulus rem carius vendendi, si rationabilis sit, & intra æquitatis terminos pretium maneat. Non desunt Theologi, qui adversantur, & censent pretium augendum non esse ex affectu vendentis, quando res nullum majus affert emptori commodum, vel vendenti damnum. Communiter tamen Theologi regulæ nostræ assentiuntur, dummodo in venditione sequentes serventur conditiones: nimirum 1. res sit vendenti vere, & non ficte accepta, & pretiosa, scilicet quia est res paterna, avita, a Principe donata, & similia; hæc enim in communi existimatione censentur majori pretio æstimabilia. 2. Pretii augmentum non ad libitum vendentis æstimetur, sed juxta prudentium, & piorum judicium. Quapropter qui affectu teneri erga rem suam testantur, hoc debent emptori indicare, & postea vel omnino emptionem recusare, vel, si vendere volunt, illud pretium exigere, quod arbitrorum judicio adæquatum & rei, & affectui reputabitur.

REGULA TERTIA.

VIII. Necessitas proximi rem suam vendentis non est justus titulus emendi infra infimum rei valorem; sicut nec necessitas ementis pretii valorem auget. Probabilistæ primam vendentis necessitatem inter justos titulos diminutionis pretii enumerant, quippe quia hæc necessitas præstat „ merce fieri ultroneas, ac proinde pretio multum decrescere. Verum hanc doctrinam merito falsam, & scandali plenam appellat Concina, cum publica, non privata necessitas re pretium augere possit; & hoc est pauperem opprimere, & de ejus miseria, & egestate lucrum facere: quod quantum nedum caritati, sed & justitiæ, ac naturali æquitati repugnet, nemo non videt. Alteram vero necessitatem a justo augendi pretium titulo aperte excludit D. Thom. q. 13. de Malo art. 4. ad 7. scribens: „ Non licet vende- „ re alicui in necessitate constituto rem „ aliquam multo amplius, quam valet, „ esset enim injusta venditio ". Et revera, si oppositum verum esset, liceret graviter ægrotanti pharmacum supra justum pretium vendere, quia esset illi maxime necessarium. Immo hæc S. D. doctrina etiam primam regulæ nostræ partem confirmat: si enim necessitas emptoris non excusat a culpa venditorem, qui rem supra justum pretium vendit; ita nec vendentis necessitas poterit emptorem ab injustitia excusare, si rem infra justum pretium emat, cum par sit utriusque contractus conditio.

REGULA QUARTA.

IX. Tunc solum mercium pretium decrescit, quando illæ ultro offerun-

tur;

tur; cujusmodi sunt, quæ per proxenetas, vel per vicos, & plateas vendendæ circumferuntur, vel exponuntur, sive emantur in favorem vendentis ultro mercem offerentis, quæ alias non emerentur, utpote nec utiles, nec commodæ ementi: dummodo tamen & caritatis, & æquitatis regulæ serventur. Patet hæc regula, quia hujusmodi mercium spontanea oblatio, quæ non ex privata oritur necessitate, ostendit paucitatem ementium, & rei ipsius abundantiam, quæ merces vilescere faciunt: unde est adagium, *merces ultroneæ vilescunt*. Semper tamen in his contractibus præ oculis habenda naturalis æquitas, quæ ita propriam quærere utilitatem permittit, ut alteri non inferat nocumentum. Hinc probare non possum, quas statuunt pro hisce ultroneis venditionibus, & emptionibus, regulas nonnulli Theologi, docentes licere vel dimidia, vel tertia justi pretii etiam infimi parte rem emere. At puto attendendas esse circumstantias tum vendentis, & ementis, tum temporis, tum rei, ac etiam prudentum, & piorum judicium in hujusmodi contractibus: quia etiam istæ ultroneæ venditiones suum commune pretium habere censentur.

Regula Quinta.

X. Res, quæ sub hasta venduntur, pretium sumunt a licitatoribus. Cum enim hæc venditio publica semper fiat potestate, pretium quodammodo legale res accipiunt, quod est illud majus quod offertur: ideoque tali pretio rem illam vendere, & emere licet, etsi fortassis vel sit minus vulgari, & consueto infimo pretio, vel majus, & supra summum protendatur: in priori enim casu licitam reddit emptionem publica potestas; in posteriori vero suæ imperitiæ tribuere debet, qui supra summum pretium offert. Procul autem sint, oportet, a licitatione fraudes omnes tum ex parte venditoris, tum ex emptoris parte: ille siquidem, ne aliquos subornet, & substituat, qui ficte majus offerant pretium, ut licitatores veros decipiant; iste, ne fraude, dolo, minis impediat alios, ne pretium augeant, ut sibi res minori pretio detur: sicut & ex parte Ministrorum fraudes sunt, si eo die res sub hasta ponant, in quibus probe sciunt paucos licitatores futuros, ut sic illis, quibus favere volunt, res minimo pretio decernantur.

XI. Sunt etiam in humanis rebus merces quædam, quæ nec legale sive legitimum, nec commune sive vulgare pretium habere censentur; cujusmodi sunt rariores quædam gemmæ, antiquorum Pictorum, vel Scalptorum opera, equi rariores, canes venatici, & similia: sunt & in aliqua arte, non necessaria, nec utili, sed ad voluptatem captandam ordinata, peritissimi, ut celeberrimi musici, saltarices singulares, Fidicines, Tibicines, & aliorum instrumentorum pulsatores excellentissimi, aliique hujusce generis. Inquirunt igitur Theologi, num illa pro ementis, vel vendentis arbitrio, sive excedenti, sive minimo pretio vendi, & emi possint; & isti operam suam locare, quanti maximi sibi placuerit, vel alter conducere quanti minimi. Id licitum censent non pauci Theologi, & quidem magni nominis, Sotus, Toletus, Bannez, & alii, nixi tum lege, tum ratione. Nam L. 1. ff. ad Senatus Consult. Trebellianum statuitur: *Tantum res valet, quantum vendi potest*: quæ lex, inquiunt, profecto locum habere non potest, nisi in harum rerum generibus,

cum cetera, quæ communi utilitati, vel commoditati deserviunt, vel vulgare, vel legitimum pretium nanciscantur. Et revera subdunt, cum hujusmodi res humanæ vitæ non solum necessariæ, vel utiles seu commodæ non sint, sed plane inutiles, superfluæ, vanæ, eorum pretium est ista vana sectantium arbitrio dimittendum, ut una ex parte alii suæ vanitatis onus sentiant in maximo pretio pro re inutili persolvendo, & ex altera parte alii experiantur artis suæ futilitatem, quando quanti minimi operam suam dare, vel præstare coguntur. Verum probabilior certe dicenda est aliorum Theologorum doctrina, qui ex opposito censent, & ista suam pretii latitudinem admittere, ultra quam progredi sine injustitia nullus queat; nam & ista, licet plerisque singularibus inutilia videantur, & vana, in communi sunt tamen alicujus usus, & in humano commercio suam utilitatem, & commodum nanciscuntur. Habentur proinde & periti harum rerum existimatores, qui spectata antiquitate, raritate, præexcellentia mercis, vel operum justum pronunciare possunt de rei, vel operis valore judicium; & istorum judicio standum est, non privato arbitrio vendentis. Fatendum tamen in istis majorem pretii latitudinem esse admittendam, & quæ non a solo, ut ita dicam, intrinseco valore pendet, sed etiam a circumstantiis loci, temporis, conditionis tum ementis, tum vendentis, ex quibus fit, ut hæc rariora, & singularia modo plurimum valeant, modo non nisi mediocri pretio vendantur. Dum autem lex statuit, res tantum valere, quantum vendi potest, cum generalis sit, non est, cur coarctetur ad hæc rariora; sed intelligenda est de valore intra latitudinem justi pretii, & solum indicare, merces posse vel summo, vel medio, vel infimo pretio distrahi, prout se se offert occasio.

XII. Idem dicendum & de mercibus exquisitæ perfectionis, & singularis bonitatis, puta vinum bimum, vel trimum, generosum, triticum delectum, purum, ponderosum: hæc enim vendi possunt ultra pretium vulgare, & commune, etiam a lege taxatum. Sicut enim merces inferiores, & viliores infra justum pretium vendi debent; ita supra illud vendi poterunt, quæ præstantiores sunt, & perfectiores: eo vel maxime quod pretium, sive vulgare, sive legale respicit semper merces, prout sunt in communi usu, proinde non complectitur illas, quæ ob singularem perfectionem nec abundant, nec sunt in communi usu, sicut nec illas, quæ ob exilitatem, & deterioritatem a plerisque respuuntur. Duo tamen sunt notanda ad justitiam in hisce contractibus servandam, nimirum 1. ut rei perfectio sit evidens, & notabilis, 2. ut pretium ejus perfectioni respondeat; ita ut sit proportio inter perfectionem rei, & augmentum pretii, quod juxta peritorum sensum est judicandum.

XIII. Justo, & legitimo pretio adversantur Monopolia, si privata fiant auctoritate. Monopolii nomine designatur conspiratio, & conventio plurium de quopiam mercis genere emendo, vel vendendo, & quidem pretio ab ipsis designato. Sunt equidem certa mercium, vel artefactorum genera, quæ a quibusdam solum vel vendi, vel elaborari concedere potest, & solet publica Potestas, quando id postulet commune bonum, sive ut illorum mercium major sit copia, sive ut artificum industria in artefactis condigno pretio afficiatur, & de expensis habitis in opere adinveniendo,

do, vel elaborando compensentur, Quando autem, & quibus sit hocce privilegium concedendum, cognoscere pertinet ad supremum Communitatis Præsidem, cui cura communis boni incumbit. Quod si hoc privilegium obtineat quis dolo, fraude, falsis expositionibus, minime tutus est in conscientia; cum semper præsumptione, & communis boni utilitate nitatur concessio, qua deficiente nullum est in foro conscientiæ privilegium. Monent etiam Theologi in talis gratiæ concessione pretium esse taxandum, maxime si merces sint Communitati vel necessariæ, vel valde utiles, & communis usus, ne concesso favore abutantur, nimium pretium augendo. Sed de hoc legali Monopolio satis. De privatis Monopoliis fusius dicendum.

XIV. Quatuor modis hæc Monopolia fieri solent. 1. Quando Mercatores, vel alii simul conveniunt de aliqua merce emenda, vel vendenda nonnisi certo pretio. Interdicitur hocce Monopolium L. *Jubemus* Cod. de Monopoliis sanciente: *Jubemus, ne quis illicitis habitis conventionibus conjuret, vel paciscatur, ut species diversorum corporum negotiationis non minoris, quam inter se statuerint, venundetur*. 2. Si Mercatores. vel alii conveniat de certo mercis genere ab ipsis emendo, ut deficientibus aliis venditoribus, qui eo indigent, cogantur ab ipsis emere, & quidem caro pretio. De his scribit S. Raymundus lib. 2. tit. de Usur. §. 5. „ Illos credo „ tamquam nefandas belluas detestandos, qui ea intentione emunt aureos, „ vel alias monetas, vel res venales, „ & præcipue victualia, ut de talibus „ caristiam inducant". 3. Quando præfati dolis, & fraudibus impediunt, ne merces ex aliis civitatibus transvehantur, ut ipsi suas summo, & rigoroso pretio vendant; vel dolis, & minis impediunt, ne alii eas merces emant, quas ipsi sibi viliori pretio comparare volunt. Vetatur hoc Monopolium L. *Julia* de Annona, indicendo: *Eadem lege continetur, ne quis navem, nautamque retineat, aut dolo malo faciat, quo quis detineatur*. Notandum tamen, posse Communitatis supremum Principem interdicere, ne exterarum Ragionum merces in suum deferantur Principatum, ne propriæ vilescant, & pecunia ad alias Regiones transferatur. 4. Quando artifices conveniunt de aliquo opere ab alio incœpto, a nullo ipsorum perficiendo: nisi tali pretio, vel gravioribus appositis conditionibus. Hoc quoque monopolium interdicitur L. 12. §. 8. de opere publico, decernente: *Nullus id perficere prohibeatur, quod ab altero cœptum opus fuerit, quod præsumi cognovimus a quibusdam artificibus, vel redemptoribus, nec iis quæ ipsi cœperint, finem imponentibus, nec alios id perficere finentibus, atque inde damnum intolerabile inferentibus iis, qui domos suos fabricari cupiunt*. Sunt & alia Monopoliorum genera ab Auctoribus enumerata, quæ humana avaritia, & auri sacra fames excogitavit: at ad has quatuor classes facile revocari possunt. Porro horum injustitia manifeste patet, cum bono communi adversentur, & libertatem laufe- rant negotiationis, coganturque cives res, quas mediocri pretio obtinere possent, nonnisi rigoroso, & excedente sibi comparare.

XV. Minime vero ab hac injustitia excusantur, licet conveniant de merce vendenda summo pretio intra limites justi pretii: nam hoc ipsum iniquum est cogere ad emendum summo pretio, cum quilibet jus habeat, ne impediatur ab em-

emptione facienda medio, vel infimo pretio; ut enim docet S. Thom. hic qu. 77. a. 3. *dare alicui occasionem periculi, vel damni est illicitum*. Immo nec illi, qui in Monopolio minime consentiunt, nequeunt res easdem solum summo, & rigoroso pretio vendere, quidquid in oppositum doceant Salmaticenses alios Theologos laudantes: nam cum pretium illud ab injustitia profectum sit, semper injustitiam retinet, ac bono communi nocet; & licet in injustitiam non consenserint pactione & conventione, consentiunt tamen executione. Ita quidem optime docuerat recentior Probabiliorista tr. 10. cap. 8. §. 5. n. 5. qui tamen quod una manu ædificat, altera statim destruit, dum subdit: *Quod si velit vendere pretio summo, vendat eo pretio, dummodo qualitas mercis correspondeat; at non quia per monopolium constituto, sed quia ita sibi jus competit*. Hoc enim est confugere ad probabilisticam dirigendæ intentionis methodum, quam salte ridet Paschalis ep. 7. nimirum peccabit vendendo summo pretio, si ea intentione vendat, quia tale pretium per monopolium invectum est; non peccabit vero, si vendat ea intentione, ut utatur jure suo. Cum autem facile sit, & utilissimum hanc intentionem efformare, sic semper licebit vendere pretio summo, & ita cum monopolis in iniquitate pretii innocenter convenire. Præterea, nonne ipse aperte antea docuit, non licere, nec innocenti vendere *pretio per monopolium constituto, quia illicitum est contra caritatem, & justitiam?* quomodo igitur postea affirmat, *innocenti jus esse vendendi summo pretio?* si jus habet, licite potest vendere: si licite non potest vendere, jus nullum obtinet ad vendendum summo pretio. Propterea non juxta veritatem, & æquitatem sic doctrinam suam concludit, *consultum est, ut aliquando vendat pretio medio*; nam non consilii est, sed præcepti, non libertatis, sed necessitatis, ut aliquando merces suas non solum medio, sed & infimo vendat pretio, nec unquam recuset mercem emptori nolenti dare nisi pretium medium, vel infimum; cum & in ipso infimo pretio lucrum suum consequatur, & ita soleant christiani, & prudentes mercatores se gerere, qui, dummodo aliquid lucrentur, merces emptoribus concedunt. Absit vero, ut dicere possit emptori ad extorquendum summum pretium, *non invenies minori pretio*: hoc enim esset Monopolio re, & facto consentire.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Non licet fraudibus inducere emptorem ad rem carius emendam.*

II. *Num liceat mercimonia exercentibus carius vendere.*

III. *Pretium legale quomodo nec augere liceat, nec minuere.*

IV. *Quid, si pretium legale sit manifeste injustum?*

V. *Num liceat summo pretio vendere, vel infimo emere ob dilatam, vel anticipatam solutionem:*

VI. *Num liceat Mercatoribus pretium augere, dum credito vendunt.*

VII. *Licet illis vendere pretio currente, etsi sciant brevi minuendum.*

VIII. *Num liceat debitoribus suum debitum a creditore redimere minori pretio.*

IX. *Num liceat chirographa, & credita minori pretio emere.*

X. *Non licet emptori gravamen aliquod im-*

ponere supra taxati pretii solutionem.

XI. *Num sit illicitum artefacta aurea, & argentea solo spectato metalli pretio emere.*

XII. *Num liceat emptoribus, & venditoribus convenire de remissione damni, vel lucri.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. NON licet fraudibus, mendaciisque inducere emptorem ad rem carius emendam, licet venditor sistat intra latitudinem justi pretii. Quamvis enim concessum sit, etiam supremo, & rigoroso pretio rem vendere; ad hoc tamen ementem inducere dolis, fraudibus, & mendaciis minime licet, jubente Apostolo 1. ad Thessal. *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum Christum . . . . ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus*. Peccant igitur vendentes, dum jurant, & testantur, mercem sibi tanti stare, tanti emisse, emptor vero jurat minori pretio sibi oblatam, ut alter ad summum pretium solvendum trahat, alter vero ut non nisi infimum pendat; peccant, inquam, non solius mendacii, & perjurii causa, sed contra justitiam & æquitatem, quam violant, alterum inducendo ad dandum pretium, vel mercem, quam non dedisset, nisi tali fallacia circumventus. Nec obstat, hujusmodi fraudes communes sint inter vendentes, & ementes: nam multitudo peccantium, & frequentia peccatorum ipsorum malitiam minime tollit. Multoque magis peccant, & fraudem committunt, qui falsos rumores evulgant vel de naufragio navium merces advehentium, vel de caritate mercis in Regionibus, ex quibus asportantur, vel de impedimentis apponendis ad earum transvectionem, ex quibus augebuntur mercium pretia, ut ipsi suas carius vendant; proindeque ad restitutionem tenentur.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Non est illicitum Mercatoribus merces carius vendere, quam vendantur ab aliis mercaturam non exercentibus, sicut & dum minutatim vendunt, quam cum in cumulo. Ratio primæ partis est, quia Mercatores, cum in communem utilitatem mercaturam exerceant, plures subeunt in comparandis, conservandisque mercibus expensas, vectigalia etiam, & gabellas solvere debent, ac arte sua lucrum sibi comparare; quæ omnia in mercium pretio sunt computanda; quamobrem communiter merces in eorum manibus plus valent, quam in manibus privatorum. Justi tamen pretii, sive legalis, sive communis limites prætergredi illis minime fas est; licet fortassis in mercium translatione graves subierint expensas, vel damna passi sint: nam mercatura sorti subjacet, & variis fortunæ casibus, & aliquando loco lucri detrimentum affert. Solum igitur communes expensæ, ac consueta pericula, non vero quæ extra ordinem contingunt, sunt in pretio rerum ponendæ. Alterius vero partis ratio est, quia in minuta venditione & majores occurrunt expensæ, & labores, quorum ratio habenda est.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Pretium legale in indivisibili situm est; nec illud vel augere, vel diminuere licet. Certum est enim supremos Reipublicæ Moderatores potestate pollere rerum pretia in commune bonum de-

habet, quod suæ correspondet necessitati, ut patet manifeste, præcipue in pane, vino, oleo, aliisque ad victum necessariis, in quibus primo, & principaliter non tam rei qualitas ab ementibus inspicitur, quam quantitas, in qua si fraudentur, in necessariis fraudantur. Quamobrem huic ponderis, vel mensuræ diminutioni acquiescere non valeo: eo vel maxime quod sine certo ementium scandalo fieri vix posse puto, quippe qui & facile præfatam imminutionem deprehendere possunt, & injustitiam taxæ ignorant. In hujusmodi ergo urgenti casu censeo, a Mercatoribus hæc esse inter ea damna numeranda, quæ in negotiationis alea sunt aliquando necessario toleranda. Quod si taxa communiter non servetur, sciente, & non obsistente Principe; tunc ipsam non servare, dummodo tamen æqualitas inter mercem, & pretium semper custodiatur, nulla erit justitia. Animadvertendum tamen cum P. Concina ex sola transgressione legis, etiam frequenti, non colligi posse tacitum Principum consensum, cum hi sæpissime multa per patientiam tolerent: & ideo non impediunt, ut majora evitent mala.

Consectarium Quintum.

V. Vendere summo pretio ob dilatam solutionem, vel emere infimo ob anticipatam; intra justi pretii limites, nullam continet injustitiam: at utrumque pretium excedere eisdem de causis usura est, & illicitus contractus. Prima pars est de se satis aperta, cum æqualitas servetur inter mercem, & pretium & si liceret vendere summo pretio etiam soluta statim pecunia, multo magis licebit dilata solutione; quod & de emptione infimo pretio dicendum est. Altera vero pars a D. Thom. traditur & probatur 2. 2. q. 78. a. 2. ad 7. ubi sic scribit: *Si aliquis carius velit vendere res suas, quam sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifeste usura committitur: quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui. Unde quicquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ. Similiter etiam si quis emptor velit rem emere vilius, quam sit justum pretium, eo quod pecuniam ante solvit, quam possit ei res tradi, est peccatum usuræ: quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emptæ. Si vero aliquis de justo pretio velit diminuere* (intra tamen limites justi pretii) *ut pecuniam prius habeat, non peccat peccato usuræ*. Fieri tamen potest, ut res supra summum pretium currens venditionis tempore, vendi possit ob dilatam pretii solutionem, nimirum cum venditor mercem suam tunc vendere nolebat, sed servare tempore majoris pretii; ut si quis triticum vendat mense Decembri, quod vendendum servare destinaverat mense Maji, ut declaravit Greg. IX. Cap. finali de usuris, dicens: *Excusatur* (ab usura) *qui granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, ut amplius, quam tunc, in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen tempore contractus non fuerat venditurus*: & juste profecto, nam damnum patitur minoris vendendo inopportuno tempore, quod opportunius pluris poterat distrahere. Duæ tamen sunt conditiones servandæ, nimirum ut 1. emptor de causa majoris pretii certior fiat, ut videat, an sui intersit, mercem tanti emere. 2. Ut deducantur expensæ, quæ essent faciendæ pro mercis conservatione, nec non pro rata periculorum

periculi vel amissionis, vel diminutionis, cui merx servanda foret obnoxia. Oportet præterea, ut venditor ab emptore de venditione rogetur: nam si ipse sponte mercem offerat emendam, etiam dilata pretii solutione, non poterit pretium augere, cum ipse sponte detrimentum subire velle ostendat.

Consectarium Sextum.

VI. Non licet Mercatoribus supra summum pretium merces vendere obtentu lucri cessantis ob dilatam solutionem. Ratio est manifesta, nam si Mercatores solum vendere vellent numerata pecunia, parum de suis mercibus venderent, ac proinde parum lucrarentur; & alias credito vendentes summo pretio vendere possunt, dum qui numerata pecunia emunt, plerumque vel infimo, vel medio pretio emere volunt. Ipsorum igitur interest credito vendere, cum & carius, & abundantius vendant; quo lucro dilata solutio compensatur. Pari pacto nec licet ob anticipatam solutionem minus infimo pretio emere; tunc enim lucrum acciperet vel ex ipsa pecunia, vel ex tempore, quod materia non est, nec esse potest venditionis. Ita aperte docere S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 7. superiori Consectario vidimus. Hinc patet injustas esse illas omnes emptiones, in quibus ob anticipatam solutionem minus infimo pretio emuntur vinum, triticum, lana, caseus, similesque res a rusticis hyemali tempore pecunia indigentibus, quam sint valituræ tempore traditionis; quippe quia sub pallio venditionis turpissimum tegitur fœnus, & amplius in merce accipitur, quam traditum sit in pecunia. Optima tamen est habenda S. Antonini doctrina scribentis: „ Si emptor dat pretium mercium, antequam recipiat merces, & „ minus dat, quam tunc valent, cum „ emit, ex eo quod tempore quo re„ cepturus est merces, verisimiliter „ æstimatur, quod minus debeant va„ lere, quam tunc, cum emit; vel „ saltem dubium est, utrum plus, vel „ minus sint valituræ, pretium est ju„ stificatum, & licitum: secus si ratio„ ne anticipationis solutionis pretii an„ te receptionem mercium diminueret „ pretium tunc currens, vel verosimi„ liter æstimaret, minori pretio non „ posse valere merces illas emptas, „ quam sit illud quod dat, sed bene „ multo pro majori pretio, quia tunc „ esset usura juxta Canonem *in Civitate*, „ de Usuris.

Consectarium Septimum.

VII. Non est illicitum Mercatoribus merces suas, puta vinum, triticum, oleum, lanam, & similia currenti, & communi pretio vendere, licet sciant illud minuendum ob earum mercium copiam brevi superventuram. Ratio est, quia res vendunt justo pretio tunc temporis currente, & taxato, vel ab ipso Principe, vel a communi æstimatione: nullam igitur injustitiam committunt. Ita etiam expresse docet S. Thom. q. 77. a. 3. ad 4. ubi discrimen assignat a venditione, in qua mercis defectus occultantur, ab illa in qua superventura occultitur copia mercium, scribens: *Vitium rei facit rem in præsenti esse minoris valoris, quam videatur; sed in casu præmisso in futurum res expectatur esse minoris valoris per superventum negotiatorum, qui ab ementibus ignoratur: unde venditor, qui vendit rem secundum pretium, quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est, non exponat. Si tamen exponeret, vel de pre-*

tio subtraheret, *abundantioris esset virtutis*; *quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitia debito*. Nonnullæ tamen sunt exceptiones apponendæ ex Sylvio. Et 1. quidem injustus est venditor, si fraude, & dolo efficiat, ne emptoribus copia mercium superventura innotescat, ut eas vendat pretio currente; quia proximo noceret, & quidem injuste, nam fraus, & dolus sunt injustitiæ peccata. 2. Si interrogatus ab emptore, num sciat expectari mercium abundantiam, vel neget, vel se ignorare respondeat, injustitiæ reus erit; licet non desint Theologi, qui excusant, quia hocce mendacium putant mere officiosum ad vitandum proprium damnum: optime tamen animadvertit Sylvius, esse perniciosum judicandum, cum sit causa damni alterius; nec proprium effugere damnum mendacio licet, quod tunc naturam fraudis, & doli indueret. 3. Si qui rem vendit, esset de Magistratu, & ex officio sciret vel minuendum a Principe pretium, vel jam comparatam mercium copiam brevi advehendam; cum hac scientia uti non possit subditorum damno: quamobrem illi incubit commune bonum civium procurare. 4. Sin contra justitiam, saltem contra caritatem peccaret privatus Civis, vel Mercator, qui sciens ex abundantia brevi futura minuendum esse pretium rei, uni tantum in magna copia venderet, qui servaturus putatur, aut eas revenditurus cum magna jactura: si vero minutatim distraheret in plures emptores, neque contra caritatem, neque contra justitiam peccare videretur, procul tamen omni fraude, & dolo. Pari pacto minime justitiam læderet, qui merces communi pretio emeret, licet sciret illud brevi augendum ob adventum Principis, vel exercitus, vel magnæ multitudinis: nulli enim injuriam irrogaret, sed suæ prospiceret utilitati. Qui vero sciret quasdam monetas lege Principis vel interdicendas, vel valore minuendas (dummodo tamen non ob defectum in substantia, aut in pondere) antequam Edictum promulgetur eas expendere poterit, dum adhuc durat valor monetæ; quia adhuc servatur æqualitas rei ad rem, & pretii, ad mercem: dummodo tamen qui eas expendit, nec de Magistratu sit, nec ullus adsit dolus. Ita Sylvius ad laud. S. Thom. q. 72.

Consectarium Octavum.

VIII. Non licet debitoribus suum debitum a creditore minoris emere hoc titulo, quia ab isto molestiæ sunt subeundæ in eo exigendo: nam hæ ab ipso debitore proficiscuntur, quas ipse ultro apponit, dum deberet æs alienum sine creditoris molestia, vel difficultate dissolvere; nisi forte ipsum debitum liquidum minime foret, sed dubium, & juste sub judice; tunc enim posset cum creditore transigere, servata tamen æqualitate prudentum judicio designanda. Pari pacto non licet Magistratuum, vel Principum thesaurariis, & ministris creditoribus Principis se morosos in solvendo exhibere, ut pecuniam ab illis pro prompta solutione extorqueant, vel ut eorum credita ipsis vendant minori pretio, quæ postea integra vel sibi solvunt, vel ab aliis ministris accipiunt: sicut & injustitiæ rei sunt, dum suggerunt amicis, vel substituunt alios, qui hujusmodi credita emant a privatis minori pretio, quæ deinde integra solvunt, facta inter se lucri divisione.

CON-

Consectarium Nonum.

IX. Num vero liceat sine injustitia emere chirographa, & credita minori, quam continent, pretio ob promptam, & anticipatam solutionem, digladiantur Theologi. Sunt enim, qui arbitrantur omnino licere, quia inquiunt, non futura emitur pecunia, sed præsens jus ad illam, quod minoris est æstimandum, quam ipsa præsens pecunia. 2. Hujusmodi chirographa, & credita mercium venalium naturam induunt, non enim pro ipsa pecunia reputantur: subsunt igitur mercium conditioni, quæ suum peculiare pretium habent. 3. Hujusmodi emptiones minori pretio usurariæ non sunt habendæ, cum mutuum nullum intersit: nullo igitur inquinantur injustitiæ vitio. Verum longe probabilius alii Theologi distinguunt, inter credita & chirographa, quæ sunt difficilis solutionis, & ad pecuniam in illis contentam redimendam vel sunt expensæ faciendæ, vel molestiæ, & labores subeundi, vel etiam periculum probabile imminet, ne solvantur; & tunc licere minoris emere, habita ratione præfati periculi, molestiarum, laborum, expensarumque faciendarum, concedunt, & jure merito Theologi: tunc enim, ut manifeste patet, in communi existimatione minoris reputantur valoris, quam ipsa pecunia. Quod verum puto, licet ille, qui minoris emit, pecuniam sine molestia, expensis, & labore, suo tempore redimere possit, vel ob gratiam Principis, vel ob amicitiam cum debitore, vel alio proprio, & peculiari titulo: cum hæc privata emptoris utilitas melioris non efficiat conditionis ipsam mercem; ut contingeret in illo, qui domum insalubrem infectam, quam alii emere recusant; viliori emeret pretio, quia eam novit ab omni infectione purgare. Nam ut superius animadvertimus ex S. Th. hic q. 77. a. 1. *Licet aliquis multum juvetur ex re alterius, quam accepit, ille vero, qui vendit, non damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere: quia utilitas, quæ alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non est suum; licet possit ei vendere damnum, quod patitur.* Si vero præfata chirographa, & jura facilis sint exactionis, nulli subjaceant molestiæ, nullum afferant sortis amittendæ, vel expensarum periculum, minoris emere nequaquam licere merito contendunt. Quandoquidem nulla occurrit legitima ratio diminutionis pretii, nisi dilata solutio. At hæc efficeret, ut pecunia præsens, & numerata pretiosior haberetur pecunia absente, & numeranda contra id, quod definivit Innoc. XI. in damnatione 41. propositionis; & sic usura licita fieret. 2. Immo virtualem contineret usuram: nam in præsenti solveret puta nonaginta, ut post annum acciperet centum; & venditionis nomen pallium solum esset usuræ. 3. Intervenit inæqualitas inter pretium & mercem: nam chirographum, & creditum valet 100. & nonaginta solum solvuntur; est igitur inæqualitas, & injustitia; & ille, qui sic venderet, sola necessitate cum tali detrimento venderet. Ita revera docet Auctor Opuscoli 67. quod D. Thom. tribuere non dubitat S. Antoninus 2. P. tit. 1. cap. 8. §. 13. dum scribit: „ Qui ad certum tempus debet, si ante terminum solvat, „ ut ei de debito aliquid dimittatur, „ usuram committere videtur, quia „ manifeste tempus solutionis venit; „ unde ad restitutionem tenetur. Nec ex-

" excusatur per hoc, quod solvendo " ante terminum gravetur, vel quod " ad hoc ab alio inducitur; quia ea- " dem ratione possunt usurarii excusari " omnes ". Et S. Præsul Antoninus loco laud. hanc, quam putat S. Tho. doctrinam, sic interpretatur scribens: " Sed D. Thom. Opusc. 67. . . . dicit, " simpliciter hoc esse usuram . . . . Nam " aut debitor ex tali anticipatione so- " lutionis damnum non incurrit, sed " solum quia prævenit tempus, vult " sibi illa remitti, tunc est usura: & " ratio est, quia vendit tempus, & mu- " tuum est ibi implicitum cum lucro " intento. Et in hoc casu loquitur S. " Thom. " Facile propterea adversantium Theologorum solvuntur argumenta. Nam distinctio inter jus ad centum, puta aureos, & ipsos aureos fictitia omnino est, & sophistica, & solum ad excusandam injustitiam inducta; cum totum discrimen non nisi in dilatione temporis consistat, quod lucri materia esse non potest. Quandoquidem elapso anno idem omnino valent, & pro eodem reputantur & jus ad centum, & ipsa centum; cum unum pro alio commutetur, & solutio jus adæquet, & extinguat. Solum igitur ante annum locum habebit distinctio, quæ proinde non ex rei natura, & indole nascitur, sed ex sola temporis circumstantia. Similiter licet hujusmodi credita, & chirographa inter merces connumerare velis, adhuc verum est merces minori pretio, quam valeant, emi non posse. Cum igitur jus ad centum aureos non nisi totidem aureorum solutione æquari possit; qui minus solveret, inæquale mercis pretium exhiberet, & sic injusta esset venditio. Nec urget in communi existimatione pluris haberi centum præsentes aureos, quam habendos post annum. Nam hæc injusta existimatio non ex recta oritur ratione, & lege justitiæ, sed ex avaritia, & cupiditate; ut manifeste patet ex citata superius propositione ab Innoc. XI. damnata, in qua hæc communis existimatio pro basi statuebatur, & fundamento lucri ex mutuo, sic enim ajebat propositio: *Cum pecunia numerata sit pretiosior numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari*. Ex qua doctrina patet responsio ad tertium argumentum: quia licet in tali emptione nomen mutui non interveniat; lucrum tamen intervenit ex pecunia numerata, quæ pretiosior censetur numeranda, quod a S. Pontifice merito reprobatur. Hinc nulla est ratio habenda illorum Theologorum qui scripsere ante damnatam propositionem anno 1679. & oppositam propugnarunt, utpote hoc falso innixi principio.

Consectarium Decimum.

X. Emptori non licet gravamen aliquod imponere supra taxatum, vel pactum mercis pretium, sicut nec venditori ultra mercis traditionem: hoc enim gravamen, cum sit pretio æstimabile, jam justum pretium superat; & sic inæqualitas, cui justitia adversatur, induceretur. Quamobrem non licet cogere emptorem vel ad tale monetæ genus persolvendum, vel ad vicissim aliam mercem etiam justo pretio vendendam. Quod si conveniant, ut alter vinum vendat, alter vero oleum, & æqualitas in pretio servetur, nulla erit injustitia; sed tunc non venditio perficietur, sed rerum permutatio. Pari modo non licet venditorem cogere vel monetam accipere diminutam, vel deficientem, vel ul-

ultra communem valorem; & qui falsam solveret, vel a justo pondere deficientem, ad restitutionem, & compensationem teneretur; nisi forte diminutio ponderis minima esset, vel a venditore ob lucrum ex merce negligeretur. Similiter non est cogendus venditor ad mercem ad aliquem locum transferendam; nisi forte vol sponte offerat, vel roganti sponte consentiat.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Non est illicitum aurificibus vasa & artefacta aurea, & argentea pro solo metalli valore emere; licet ipsi postea illa poliendo, & farciendo tamquam nova vendant. Nam justum rei venalis pretium illud est, quod communiter æstimatur. Porro certum est hujusmodi artefacta communiter etiam ab iis qui illorum valorem agnoscunt, quando venalia proponuntur, solum secundum metallorum pondus æstimari, nulla habita artificii, vel laboris ratione. Possunt igitur pro tali pretio emere, nihil aliud addendo pro ipso opere. E contra vero cum præfata artefacta ab opificibus venduntur, æstimari communiter solent, non solum secundum metalli valorem, sed habita etiam ratione operes, & artificii: ergo tali pretio vendi poterunt. Hæc tamen doctrina solum obtinet, cum agitur de artificio communi ordinario. Quod si artefacta sint peculiaris industriæ, opificii, & laboris, quod materiam quasi æquet, vel etiam superet; tunc non licebit pretium solius materiæ persolvere, sed & operis, & laboris est ratio habenda.

CONECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Non sunt tuti in conscientia venditores, rem defectuosam pro integra vendentes, vel supra justum pretium; sicut nec emptores rem pretiosam vili ementes, vel infra justum pretium: licet protestentur, se rem emere, vel vendere, juxta inita pacta, & conventiones: quamobrem, si qua sit in contractu læsio, remitti sibi postulant, & donari. Quandoquidem semper hæc petitio, & conventio dolosa est, & vafra; & consensus, qui ab altero præbetur, ex ignorantia rei proficiscitur. Nam vel venditor novit defectum rei, & nihilominus rem justo pretio vendidit, vel supra justum; & sic dolose agit, & ad restitutionem tenetur, a qua alterius consensu non liberatur: vel ignoravit defectum, cujus tamen periculum in venditorem rejiciebat; & tunc si nihil remittat de justo pretio, peccat, & injustitiam committit. Quod si aliquid de justo pretio ob hujusmodi periculum minuat, ab injustitia excusabitur; dummodo, ut superius diximus, hujusmodi defectus in damnum ementis non redundent. Pari pacto, vel emptor rei pretiositatem agnoscit, quam venditor ignorat, & nihilominus rem vili pretio, & infra justum emit, & tunc injustitiam committit, quam refarcire tenetur: vel ignorat, & bona fide emit, & tunc quidem non peccabit, & detecto legitimo rei valore venditorem compensare tenetur; nam consensus præstitus, cum ex ignorantia profectus sit, nullius est valoris. Hic animadvertendum, quod licet in civili jure, & etiam in canonico non cogantur fraudulenti venditores, & emptores ad restitutionem, nisi supra dimidium pretii læserint; in foro tamen conscientiæ ab illa non liberantur, etiam in minori quantitate. Nam egregie monet S. Th. hic q. 77. a. 1. ad 1. *Lex humana populo datur, in quo sunt multi a virtute deficientes; non autem datur solum virtuosis.*

sis. Et ideo lex humana non potuit prohibere quidquid est contra virtutem; sed ei sufficit, ut prohibeat ea, quæ destruunt hominum convictum; alia vero habeat quasi licita, non quia ea approbet, sed quia ea non punit. Sic ergo habet quasi licitum, pœnam non inducens, si absque fraude venditor rem suam supervendat, aut emptor vilius emat, nisi sit nimius excessus; quia tunc etiam lex humana cogit ad restituendum, puta si aliquis sit deceptus ultra dimidiam justi pretii quantitatem. Sed lex divina nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium. Unde secundum divinam legem illicitum reputatur, si in emptione, & venditione non sit æqualitas justitiæ observata: & tenetur ille, qui plus habet, recompensare ei, qui damnificatus est, si sit notabile damnum.

CAPUT QUINTUM.

De quibusdam emptionis, & venditionis adjunctis.

Doctrina.

I. *Nonnullæ contractuum circumstantiæ enumerantur.*

II. *Quomodo venditioni pactum apponi possit de rei venditæ recuperatione.*

III. *Venditio cum pacto retrovenditionis in favorem solius vendentis licita est.*

IV. *Nonnullæ conditionis servandæ.*

V. *Illicita est, si sit in favorem solius ementis.*

VI. *Sicut, & si in utriusque favorem pactum retrovenditiones apponatur.*

VII. *Illicitus contractus Mohatra.*

VIII. *Etiam sine pacto retrovenditionis.*

IX. *Retractus gentilitius procul ab omni fraude licitus est.*

X. *De pacto commissorio, & ad diem.*

XI. *De his, qui alterius nomine emunt. Regulæ nonnullæ. Regula I.* XII. *Regula II.* XIII. *Regula III.* XIV. *Regula IV.*

I. SICUT ceteris contractibus, ita & venditioni, ac emptioni nonnullæ adjunguntur conditiones, & accedunt externæ circumstantiæ, quæ illorum justitiæ, & honestati obesse vel non obesse possunt; hujusmodi sunt præsertim pactum, sive jus rem venditam recuperandi, pactum commissorium, circumstantia personæ pro alio ementis, vel vendentis, de quibus in hoc capite disputandum sumimus; & primo quidem de pacto retrovendendi, vel retroemendi.

II. Res, sive mobilis, sive immobilis vendi potest hac adjecta conditione, nimirum ut venditor rem suam recuperare valeat, sive cum sibi libuerit, sive solum post certum tempus: & talis venditio dicitur cum pacto retrovenditionis quæ si pro tempore indefinito celebretur, durat usque ad tempus præscriptionis. De hujusmodi enim actionibus leg. 3. Cod. de Præscript. statuitur: *Hæ actiones annis triginta continuis extinguantur, quæ perpetuæ videbantur.* Si vero sit ad determinatum tempus, non statim ac illud elapsum est, venditor a suo decidit jure, sed est aliqualis dilatio adhuc concedenda. Hoc vero retrovenditionis pactum sicut in favorem venditoris, ita apponi potest & in emptoris beneficium, nimirum ut quotiescumque emptor rem restituat, & venditor pretium reddere debeat, & iterum fieri potest in utriusque beneficium. Num autem sic vendere licitum sit, & hujusmodi venditiones ad justitiæ amussim sint habendæ, ostendo.

III. Venditio cum pacto retrovenditionis in favorem solius vendentis de se, & absolute illicita non est, nec contra ju-

justitiæ leges. Nam hoc genus venditionis probatur Levit. 25. v. 23. *Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est, & vos advenæ, & coloni mei estis. Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur*. Nec obstat, quod inibi Deus jubeat, perceptos fructus in sortem computandos: quia in hac parte non naturale præceptum est, sed cæremoniale; etenim juxta legem jubilæi possessiones quoquo modo venditæ ad priorem dominum reverti debebant nullo persoluto pretio; æquum proinde erat, ut qui ante Jubilæum rem venditori restituebat, in sortem perceptos fructus connumeraret. 2. Comprobatur etiam in jure civili, ubi leg. 2. de pactis decernitur: *Si fundum parentes tui ea lege vendiderunt, ut sive ipsi, sive heredes eorum emptori pretium quodcumque, vel intra certa tempora obtulissent, restitueretur, neque parato satisfacere conditioni dictæ heres emptoris non pareat, ut contractus fides servetur, actio præscriptis verbis, vel ex vendito sibi dabitur*. Nec obsistit jus canonicum in quo Cap. *ad vestram* Ex. *de emptione, & venditione* solum hujusmodi reprobatur venditio, quotiescumque persolutum pretium longe minus sit valore rei emptæ. 3. Denique quia quilibet rem suam ea potest conditione alienare, quæ nec naturali juri, nec civilibus legibus repugnet: porro rem vendere tali pacto nulli legi adversatur: licita est ergo habenda. 4. Denique patet ex contractu census redimibilis, in quo jus venditur percipiendi fructus ex alieno fundo, donec persolutum pretium restituatur.

IV. Dixi absolute, & in se hujusmodi venditiones illicitas non esse: nam in praxi fieri potest, ut injustitiæ vitio fœdentur, si debitæ nimirum conditiones non serventur. Hujusmodi sunt 1. ut bona fide celebretur hæc venditio, & emptor animo emat rem sibi absolute retinendi, & pactum retrovendendi non nisi ægre admittat: quia nimirum alter alio modo rem suam vendere recusat. 2. Ut pro adjecto gravoso onere de pretio minuatur: minus enim in communi æstimatione vales res absolute alteri vendita, quam cum aliquo gravamine, & onere. Quanta vero esse debeat justi pretii diminutio, non conveniunt Theologi, & revera puto ad amussim, & certo definiri non posse, sed esse juxta peritorum, & piorum, inspectis conditionibus loci, & temporis, judicium, & sensum taxandam. 3. Ne persolutum pretium adeo modicum sit, ut res potius in pignus tradita censeatur, quam vendita: ut si quis agrum, vel domum pretio mille aureorum alteri pro quingentis aureis vendat cum facultate redimendi, manifestum est sub venditionis nomine usuram latere: nam venditor rem suam quantocius recuperare sataget, ne damnum patiatur, & alter interim lucrum percipiat ex re fructifera, quam non nisi verbo emisse convincitur, sed facto in pignus accepisse. 4. Ut rei venditæ periculum, aut commodum ad emptorem omnino spectet, adeo ut quamdiu est in ejus dominio, ipsi pereat, deterior fiat, aut accrescat: alioquin si hæc in venditorem rejiciantur, non erit translatum dominium proinde nec vera venditio. 5. Denique ut rei venditæ indemnitas servetur, & si ager cum suis fructibus fuit divenditus, pariter cum fructibus redimatur: alioquin si ager divenditus primo fuisset cum segete jam matura, & emptor restituere nollet nisi collectis fructibus, inique se gereret, & rem deteriorem venderet; sicut si emptor suis expensis abe-

uberiorem reddidisset agrum, & qui redimit nonnisi jam sibi persolutum pretium restituere vellet, minoris rem emere convinceretur, quam juste in se valeat. Num vero, dum redimitur c. ex. ager, sit majus pretium exsolvendum, quam datum fuit in venditione, perpendemus in Consectariis.

V. Illicita omnino est venditio cum onere redemptionis in favorem ipsius ementis: nam manifesta est usura pallio venditionis obtecta, quod manifeste patebit ipsa expensa venditione. Sit exemplum: Petrus domum emit a Paulo cum onere, ut vel ad petitionem ipsius ementis, vel post designatum tempus illam redimat, persoluto accepto pretio. Porro in hujusmodi contractu qui emit, non rei dominium sibi acquirere intendit, quod ex venditione oritur, & de se perpetuum est. Solum igitur lucrum quærit ex pecunia, quam solvit; cum interim domum vel sibi retineat gratis, vel alteri locet; & postea, vel cum sibi libuerit, vel elapso termino alter cogitur pretium restituere: & sic domus pignus erit pretii persoluti, ex qua interim fructus percipit, non vera venditio. Nec obstat, quod dominium domus ad emptorem pertineat, cui proinde perit, si forte pereat. Nam hujusmodi periculum in rebus immobilibus omnino rarum est, & difficile, præsertim certo præstituto tempore; & præterea simul cum dominio domus, & pecuniæ quoddam dominium retinet, quam & recuperare, cum libuerit, potest, & elapso termino certo recuperabit. Quamobrem hujusmodi venditio licite locum obtinere non potest nisi in re omnino sterili, & infrugifera, vel in re etiam frugifera, dummodo fructus in pretium redemptionis computentur: tunc enim procul abest omne usuræ, & illiciti lucri periculum. At nullus est, qui tali modo emat: quod manifeste evincit in hujusmodi venditionibus non rei dominium, & acquisitionem quæri, & desiderari, sed solum ex dato pretio, & pecunia lucrum captari. Hinc etiam a benignioribus Casuistis, inter quos De Lugo, non permittendus dicitur hujusmodi venditionis contractus.

VI. Illicita propterea erit venditio in favorem utriusque; quia adhuc malitiam continet palliatæ usuræ respectu ementis, qui non rei dominium, & acquisitionem, sed lucrum ex pecunia quærere convincitur. Et præterea in hac apparenti æqualitate conventionis maxima latet inæqualitas: nam longe facilius potest, qui rem possidet, eam reddere perceptis jam fructibus, quam alter pecuniam restituere, quam consumpsit; cum plerumque hujusmodi venditiones non fiant nisi ab inopia oppressis, & indigentibus, qui alia via nesciunt suis prementibus necessitatibus subvenire.

VII. Hinc patet multo magis illicitum esse contractum, qui *Mohatra* hispanice, *Stocco* italice dicitur, & hoc pacto perficitur. Quis indigens pecunia mercatorem adit, a quo mutuo postulat centum aureos: ille respondet, pecuniam se non habere, sed merces, queis potest suæ indigentiæ consulere: vendit itaque illi sericum pretio summo centum aureorum, quod statim ab ipso emit nonaginta persolutis aureis, de qua revenditione vel verbis, vel facto convenerant. Hujusce contractus iniquitatem nemo, nisi avaritia obcæcatus, non videt: est enim putida usura tenui venditionis fuco oblita. Nam mercator lucrum non intendit ex venditione mercis, quæ statim ad ejus revertitur manus; sed

ſed lucrum ex pecunia, quam confeſtim perſolvit; & emptor non mercis acquiſitionem intendit, quam ſibi non retinet, ſed argentum, quo indiget. Hinc merito damnatus fuit hic contractus ab Innoc. XI. in propoſit. 40. ajente: *Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum pacto retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.*

VIII. At quid, ſi in hocce contractu pactum non interſit de mercis revenditione, ut dicitur in damnata propoſitione, erit ne adhuc illicitus? Negant plures Theologi, inter quos Sporerius, qui putant, vendentem bona fide mercem, & relinquentem in arbitrio emptoris rem vel ſibi, vel alteri vendere, poſſe tuta conſcientia venditam mercem pretio ſummo, ſtatim redimere pretio infimo; præſertim ſi ipſum emptor coget, & omne abſit ſcandalum, quod ex tali contrahendi modo oriri ſolet. Immo ipſe P. Concina injuſtitiæ poſtulare non audet hujuſmodi contractum, dummodo omnes adſint poſitæ conditiones, quas tamen omnino adeſſe poſſe non arbitratur; & ſemper aliquid admiſceri putat, per quod contractus illicitus redditur. Quamobrem, quidquid ſit de ejus ſpeculativa juſtitia, nunquam cenſet permittendum. Verum mihi videtur non ex circumſtantiis tantum, ſed in ipſa contractus natura iniquitatem adeo implicari, ut nullo modo ſeparari poſſit; quemadmodum optime advertit Juveninus, ſive Auctor Reſolutionum caſus conſcientiæ Tom. 2. cap. 9. n. 2. Nam ſive vendens mercem pactum ineat de revenditione, ſive non ſive ſperet mercem ſibi revendendam, ſive non ſperet, denique ſive lucrum ex pecunia intendat, ſive excludat, ipſo tamen facto injuſti lucri reus efficitur. Quandoquidem per retrovenditionem pretio infimo mercis ſummo emptæ, uterque contractus non realis, non verus, ſed fictus, ſed umbratilis efficitur. Fictus primus contractus venditionis ſummo pretio; nam merx vendita remanet in dominio vendentis, & penes ipſum. Fictus alter contractus retrovenditionis pretio infimo; nam pretium non recipitur, nec eſt in manu vendentis, ſed ementis. Et ſic contra naturam, & indolem horum contractuum mercator vendens habet mercem, & emptor habet pecuniam, quæ ſola revera in tota hac anfractuoſa negotiatione ab altero accipitur in minori quantitate, reddenda poſt ſtatutum tempus in majori. At inquiunt, nonne licet mercem ab uno mercatore ſummo pretio venditam, ab altero mercatore pretio infimo emi? Porro mercator primo vendens non debet eſſe pejoris conditionis mercatore ſecundo emente; & diſtinctio realis perſonarum in tali venditione requiſita eſt omnino materialis, vana, & futilis. Si igitur alius mercator poteſt mercem venditam ſummo pretio, emere pretio infimo; cur id non licebit uni, & eidem mercatori? Verum reſpondeo, ipſam materialem perſonarum diſtinctionem refundi in ipſos reales contractus, qui, quando cum diſtinctis celebrantur perſonis, non amplius ficti ſunt, & umbratiles, ſed veri, reales, & ſolide ſubſiſtentes. Subſiſtit prima venditio mercis ſummo pretio; nam emptor mercem habet, venditor jus ad pretium ſuo tempore repetendum. Subſiſtit ſecunda venditio; nam emens habet mercem, venditor pretium. Quæ omnia, dum peraguntur cum una, & eadem perſona, ita ſe mutuo deſtruunt, & collidunt, ut in turpe lucrum degenerare neceſſe ſit.

Qua-

Quamobrem optime observat laudatus Auctor, leges omnes civiles contractum Mohatra absolute reprobare, & S. Antoninum longe ante damnationem propositionis 40. absolute ut illicitum, & usurarium reprobasse præfatum contractum. Scribit enim in Sum. P. 2. tit. 3. cap. 8. §. 3. „ Pretium vero rei vendendæ dicitur minoratum, sicut patet in vendente pannum, vel equum pro centum florenis cum expectatione temporis, puta unius anni ei, qui sibi mox est revenditurus pro nonaginta tunc recipiendis. Primus enim dominus panni, vel equi tradidit illi nonaginta florenos, & quandoque octoginta, sed manualiter tunc; ille vero, qui primo emit, nihil tunc solvit primo domino rei, sed inde ad annum. Patens igitur est, quod ideo secundus revendit primo vendenti pro pretio satis minori, quia sub quadam mutui ratione, potius quam sub reali veritate solutionis, tradidit ille sibi nonaginta, vel octoginta, ab eo debens rehabere centum, quo ipsi vendenti non solvit; tunc propterea talis contractus usurarius est, & omni malignitate, & duplicitate plenus „. Quapropter sapientissime S. Carolus Borromæus in suo 1. Mediolan. Concilio vetuit „ ne cui præsentem pecuniam quærenti quidquam carius vendatur, ut statim a venditore vel per se, vel per interpositam personam vilius ematur „. Et ideo plures Canonistæ, & Theologi hunc contractum cum eadem persona initum, quoquo modo fiat, illicitum declarant: hi autem sunt Fagnanus, Barbosa, Jo: Baptista Lupus de usuris, Leotardus pariter de usuris, Covarruvias, qui hunc contractum appellat latrocinii genus maxime execrandum, & justis pœnis vindicandum.

IX. Retractus gentilitius procul ab omni fraude licitus est. Hic contractus in jure fundatur, & a legibus, & Principibus adprobatur. Fundatur siquidem in jure concesso consanguineis, & cognatis rem immobilem a consanguineo, & cognato extraneis venditam, persoluto emptionis pretio, recuperandi, & sibi vendicandi: unde italice dicitur *jus di ricupera*. Jus istud in populo Israelitico constitutum legimus ab ipso Domino Levit 25. cum indixit: *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam & voluerit propinquus ejus, poterit redimere, quod ille vendiderit*. Conforme etiam apparet legi, & æquitati naturali: nam *æquum est* (inquiunt leges) *ut cognatus præferatur extraneo emptori*, *ne prædium exeat de familia*, *de stirpe*, *de cognatione* &c. Locum habet hoc jus solum in rebus immobilibus, *quia* (ut dicitur ff. de acquir. possess. Lege si rerum mobilium) *mobilium rerum vilis*, *& abjecta est possessio*, nisi forte integra hæreditas sit divendita: tunc enim qui gentilitii retractus jus habet, potest & mobilia recuperare; cum tunc immobilia, utpote nobiliora, mobilia secum trahant, & privilegium illis communicent. Competit hoc jus 1. proximioribus, deinde remotioribus cognatis, & consanguineis; consuetudines tamen locorum sunt servandæ: in aliquibus enim non tam cognationis gradus attenditur, quam diligentia in recuperando; unde ille præfertur, qui primus ad jus suum prosequendum se offert. Tempus pro hoc jure exercendo statutum est intra annum, & diem a facta extraneo venditione: quo elapso termino, jus spirat gentilitii retractus; eo tamen currente extraneus emptor non reputatur absolute rei acquisitæ dominus; eapro-

pter nihil in ea mutare poteſt, ſed ſolum neceſſaria ad ejus conſervationem, vel reparationem perficere. Pretium in retractu gentilitio illud idem eſſe debet, quod ſolvit extraneus emptor, computatis etiam aliis expenſis pro acquiſitione, reparatione, ſatione, aliave cultura factis; adeo ut (inquit lex) *emptor habeat indemnis*. Præter gentilitium retractum datur & feudalis, qui ſitus eſt in jure reverſionis utilis dominii ad directum, vel ad ſuam primævam naturam. Poteſt itaque dominus directus feudi bona illius a feudatario divendita ab emptore perſoluto pretio recuperare. Si feudatarius feudi bona vendat, non præmonito domino directo, jus retractus uſque ad triginta annos protenditur. Si vero illum de venditione monuerit, ultra quadraginta dies non protenditur. In aliquibus Regnis jus retractus feudalis præfertur juri retractus gentilitii; aliter vero ſtatuitur in aliis Regnis. Sunt itaque conſuetudines, & leges Regnorum obſervandæ.

X. Licita quoque eſt venditio cum pacto commiſſorio, vel adjectionis ad diem. Prima venditio fit ea adjecta pactione, ut, ſi emptor intra certum tempus pretium rei venditæ non perſolvat, res habeatur tamquam inempta, & contractus velut infectus. Altera vero, cum contrahentes paciſcuntur, ut res ita vendita ſit, ut, ſi alius intra certum, & præfinitum temporis ſpatium reperiatur, qui meliorem offerat vendenti conditionem, vel pretii auctione, vel alio beneficio, res ut inempta habeatur, & emptor alteri cedere debeat. Licitas eſſe hujuſmodi venditione oſtendunt & leges civiles, quæ eas approbant, & confirmat ratio naturalis, cum in illis nihil reperiatur juri naturæ adverſum, nulli enim infertur injuria. Solum difficultas eſt in ſtatuendo, ad quem pertineant fructus rei venditæ intermedio tempore percepti. Salmanticenſes, aliique cenſent, hoc ex modo pendere, quo venditio celebrata fuit: ſi enim ita paciſcantur, ut indicent nullam eſſe venditionem, niſi vel pretium perſolvatur, vel adſit qui meliorem offerat conditionem, tunc fructus pertinere ad venditorem docent; & quidem jure, quia tunc contractus non abſolutus fuit, nec venditio abſoluta, ſed conditionata, proinde ſuſpenſa manſit, nec translatum cenſetur dominium. Si vero talibus ſint uſi verbis, queis indicaverint venditionem abſolutam eſſe, & perfectam, cum ſolo adjecto onere vel ſolvendi pretium ſtatuto tempore, vel rem cedendi alteri emptori meliorem conditionem offerenti, tunc dicunt fructus ad emptorem pertinere, cum perfecta, & abſoluta tunc cenſeatur venditio. At monet Leſſius, non tam eſſe verborum formam inſpiciendam, quæ plerumque ambigua eſt, quam contrahentium mentem. Verum hanc quoque ambiguitati ſubjacere puto; nam ſub initium contractus putant contrahentes ſe aliquid ſtatuiſſe, vel mente concepiſſe, quod poſtea ob inſenſas occurrentes circumſtantias nunquam ſe intendiſſe arbitrantur, & dicunt. Quamobrem puto ipſam rem venditam eſſe inſpiciendam, quæ ſi in manu permanſit venditoris uſque ad pretii ſolutionem, vel uſque ad lapſum temporis præſtituti ad expectandum meliorem emptorem, ejuſque periculo; procul dubio ad eum fructus percepti pertinebunt; ſi vero res emptori tradita ſit, ejuſque periculo ſteterit, tunc ad hunc fructus ſpectare judicandum erit; nam æquum eſt, ut qui damnum, & incommo-

modum sentit, utilitatem etiam, & commodum percipiat.

XI. Num vero qui pro aliis emunt, vel vendunt, possint in hisce contractibus aliquid sibi lucrari, disputant Theologi. Nos has Regulas statuendas censemus.

REGULA PRIMA.

Qui alterius nomine, & pecunia rem emit, vel vendit, si sit ementis, vel vendentis minister, & famulus, nihil omnino lucrari sibi potest, sed totum pretium rei venditæ domino tradere, & solum præstitutum a domino pretium exigere tenetur. Ratio est manifesta: quia ratione famulatus, & servitutis tenetur domini sui utilitatem quærere, cum pro suo famulatu, & servitio jam mercedem obtineat.

REGULA SECUNDA.

XII. Qui titulo amicitiæ aliquid pro alio emendum, vel vendendum suscipit, nihil lucrari sibi potest. Ita statuunt leges ipsæ civiles: nam ff. *mandati* L. *obligatio* statuitur; *Mandatum, nisi gratuitum, nullum est, nam originem ex Officio, atque amicitia trahit: contrarium porro est officio merces*. Immo ipsa naturalis ratio dictat: quod enim gratuito perficiendum suscipitur, gratuito præstandum est, & contractus onerosi, per quos alter gravatur, licite sine alterius consensu iniri non possunt. Præterea nullus est titulus aliquid lucrandi. Non res ipsa vendita, vel empta; cum hæc non sit nisi in committentis dominio; quæ proinde ipsi fructificare debet. Non posita opera, & labor impensus, hæc enim gratis præstanda promittuntur: si enim locare vult, id exponere debet committenti, ut videat, an sui intersit conducere; & de mercede est conveniendum. Hanc veritatem & ipsi Gentiles agnovere Philosophi, & disertissime exposuit Tull. Orat. pro Sexto Roscio scribens: „ In privatis rebus si quis rem „ mandatam non modo malitiose gessisset sui quæstus, aut commodi causa, „ verum etiam negligentius, eum majores summum admisisse scelus existimabant; itaque mandati constitutum „ est judicium non minus turpe, quam „ furti. Quid recipis mandatum, si „ aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? Cur mihi te „ offers, & meis commodis? officio simulato officis, & obstas. Ergo idcirco „ turpis hæc culpa, quod duas res sanctissimas violas, amicitiam, & fidem: „ nam neque mandat quisquam fere „ nisi amico, neque credit, nisi ei quem „ fidelem putavit. Perditissimi igitur est „ hominis simul & amicitiam dissolvere, „ & fallere eum, qui læsus non esset, „ nisi credidisset „.

REGULA TERTIA.

XIII. Qui rem emendam suscipiunt, non gratis, sed mercede, adhuc in emptione nihil lucrari sibi possunt. Hæc quoque regula satis aperta, & est juri naturali conformis: cum enim operam suam locent, tenentur omnem diligentiam adhibere, ut conductor omnem consequatur in emptione utilitatem, & beneficium. Porro si partem aliquam lucri sibi arrogent; jam non conductoris utilitatem, sed suam quærere convincuntur; & illum gravant efficiendo, ut carius emat, quod ipsi vilius obtinuerunt. Præterea, quo titulo lucrari poterunt? non rei emptæ, cum non sibi, sed alteri emant: non ratione laboris, & industriæ, cum pro iis pactam accipiant mercedem: nullum igitur lucrum ex ipsa emptione recipere poterunt, nisi injuste. RE-

REGULA QUARTA.

XIV. Qui rem alterius, non gratis, nec ex amicitia, sed propter aliquod lucrum vendendam suscipit, aliquando potest in ipsa merce sibi aliquid lucrari, aliquando vero non potest. Potest quidem lucrari, si dominus vendendæ mercis pretium ita designet, ut, si quid amplius reperiant Proxenetæ, pro mercede ipsis relinquant; tunc enim taxati pretii excessum sibi retinere possunt, dummodo sit intra justi pretii limites: alioquin non domino rei, sed emptori excessum justi pretii restituere deberent. 2. Si mercem sua opera, & arte meliorem efficiant: tunc pretium operis, & laboris sui retinere sibi possunt. Si vero dominus pretium quidem designet, ne minoris vendat, & quid amplius lucrentur, non sibi retinere possunt, sed domino restituere tenentur: debent siquidem fideliter negotium domini in venditione tractare, eamque adhibere deligentiam, ac si de re propria ageretur; & si rem, cujus infimum pretium dominus designavit, vel medio, vel summo distrahere possunt, negligere non debent. Mercedem vero justi laboris non sibi occulta compensatione possunt accipere, sed ab ipso domino debent exigere.

CAPUT SEXTUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Quo pretio res vendita cum pacto retrovenditionis sit redimenda.*

II. *Cujus periculo fiet res cum eo pacto vendita.*

III. *Num domum emptam cum pacto retrovenditionis liceat venditori locari.*

IV. *Contractus vulgo ad gaudendum non est licitus.*

V. *Quot modis injustitia fœdari possit retractus gentilitius.*

VI. *Num qui pro alio emit, possit aliquid lucrari.*

VII. *Doctrinæ nonnullæ rejiciuntur.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. IN contractu venditionis cum jure redimendi post certum tempus, pretium pro redemptione illud idem esse potest, quod in venditione solutum fuit. Hoc inficiantur nonnulli Theologi, inter quos Tournelius, & Concina, qui censent rem venditam cum pacto retrovenditionis in favorem venditoris esse majori pretio redimendam. Nam, inquiunt, res, vel merx, cum primo vendita fuit, ratione oneris impositi, minoris, quam valeat, empta fuit: quando igitur redimitur, cum non sit amplius respectu redimentis ullo onere gravata, pluris valet, ac proinde majori pretio est redimenda. Verum falluntur. Nam ideo in prima emptione minori pretio vendita fuit merx, quia gravata erat onere restitutionis: diminutione igitur justi pretii venditor sibi jus comparavit redimendi: hoc autem onus compensatum fuit: reverti igitur res debet ad venditorem solo persoluto venditionis pretio; hoc enim importat ipsa venditio cum pacto retrovenditionis. Nec refert rem reverti sine onere, quo in prima venditione gravata fuit. Nam hoc onus quidem erat in potestate prioris venditoris imponere, vel non imponere emptori; at non est in potestate venditoris secundi illud imponere, cum ratione pacti retrovenditionis res ad priorem dominum revertatur, qualis erat, antequam venderetur, libera, proinde ab omni onere soluta: & hoc pariter jus ita recuperandi emptum est diminutione

ne pretii. Quid quod Benedictus XIV. de Synodo lib. 10. cap. 8. n. 4. illicitum & usurarium censet apponere vendenti cum pacto retrovenditionis onus rem redimendi majori pretio, quam in ipsa venditione solutum sit; sic enim scribit. „ Si in illius stipulatione facultas; quæ datur venditori, rem venditam, quandocumque voluerit, redimendi, gravetur onere eam redimendi majori pretio, quam ipse vendiderit, contractus erit injustus. Tenetur quidem qui redimit, indemnem servare venditorem ab expensis necessariis, sive pro mercis conservatione, sive pro necessaria restauratione.

Consectarium Secundum.

II. In præfato contractu periculum rei venditæ, sicut & commodum omnino rejici debet in emptorem, tum in prima, tum in secunda venditione, & res retrovendi debet in eo statu, quo primo vendita fuit. Ratio primæ partis est, quia in contractu venditionis dominium transfertur: res ergo vendita domino suo stat, aut cadit, fructificat, vel sterilis est. Alioquin, si dominium non transferatur, manifeste patebit, rem non venditam, sed in pignus datam fuisse: quamobrem si sit fructifera, fructus cederent in lucrum datæ pecuniæ; & sic usurarius fieret contractus. Ratio vero secundæ partis ea est, quia in contractu non servaretur æqualitas, & res vel infra, vel supra justum pretium veniret. Sit exemplum. Vineam, vel agrum vendidi cum fructibus maturis: si redemero sine fructibus, carius res emetur, quam valeat: si vendidi sine fructibus, & redimam eisdem maturis, minus justo redimam; & sic injustus erit contractus, nisi forte in pretio, vel alio modo fiat compensatio, & inducatur æqualitas.

Consectarium Tertium.

III Qui domum emptam cum pacto retrovenditionis in favorem solius vendentis, ipsi venditori statim locaret annua pensione, turpis lucri quidem suspicionem ingereret, ipse tamen contractus absolute licitus esset. Et quidem usurarii contractus imaginem præseferret: nam idem esset, ac si ex mutua pecunia lucrum acciperet; quod patet exemplo. Titius Cajo vendit domum mille florenis cum pacto retrovenditionis, & Cajus statim locat domum ipsi Titio sexaginta florenis in singulis annis: in hocce contractu nonne idem esset, ac si Cajus mille florenos daret Cajo mutuos cum lucro sexaginta florenorum? & venditio domus nonne videtur usuræ palliolum? Absolute tamen mutuum non intercederet: tum quia Cajus pecuniam repetere non posset; tum quia domus ipsi Cajo periret, si periret, & ea pereunte Titius non amplius mille florenos restituere teneretur. Ideo dixi hunc contractum esse absolute licitum: nam prima venditio licita est, ut superius ostendimus: locatio quoque ipsi venditori facta nihil habet iniquitatis; nam sicut potest alteri locari, ita potest & ipsi venditori. Nonnullæ tamen sunt servandæ conditiones, 1. ut negotium sincere, & candide peragatur procul ab omni malitia, & voluntate ex pecunia lucrandi. 2. Ut justum persolvatur pretium domus: si enim modicum pretium datum fuisset, tunc domus non vendita, sed in pignus data videretur; ut animadvertit Innoc. III. Cap. *ad nostram*, Ext. de empt. & vend. dicens: *Si in venditione apponatur pactum de recuperanda re post certum tempus*

pus modico constituto pretio, *præsumitur pignus*, *non venditio*. 3. Ut pretium locationis justum sit, & quale solvi solet in similibus locationibus: si enim excederet, præter injustitiam inæqualitatis rei, & pretii, & usuræ pallium foret. 4. Denique ne emptor vel explicite, vel implicite onus imponat venditori conducendi domum: cum enim pro justo persoluto pretio æqualem mercem, idest domum acceperit, nequid venditori absque injustitia aliud onus imponere.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Contractus, quod vulgo *ad gaudendum* dicitur, non est verus contractus venditionis cum pacto retrovenditionis, sed merum usuræ pallium. Contractus hic in Italia usitatissimus hoc modo peragitur. Unus dat alteri domum, vel agrum, a quo tantam recipit pecuniæ summam, quanta valori domus, vel agri respondere creditur, hoc pacto, ut alter pecunia fruatur, alter agrum, vel domum habeat, donec vel ille pretium, vel iste domum restituere velit, vel certo præstituto termino, nimirum per quinquennium, decennium &c. Et primo quidem non esse verum venditionis contractum manifeste patet; cum nec unus emere velit, nec alter vendere; uterque enim sibi jus reservat vel recuperandi domum restitutione pecuniæ, vel pecuniam restitutione domus, vel agri; sive post elapsum statutum tempus alter pecuniam restituere teneatur, alter domum juxta alterutrius beneplacitum. Non est igitur venditio, quæ de se perpetua est; nec venditio cum pacto retrovenditionis, quia non est in favorem solius vendentis, sed etiam ipsius ementis, quam licitam non esse superius ostendimus. Est igitur usuræ palliolum: nam fuco venditionis alter lucrum ex sua pecunia, vel quantum sibi libuerit, vel per septennium, aut decennium percipit. Ut itaque hic contractus licitus evadat, necesse est ita celebrari, ut possit quidem venditor, cum sibi libuerit, rem venditam recuperare, vel possit intra septennium, vel decennium, nunquam vero cogatur redimere, & persolutum pretium restituere, ut superius diximus. Nec obstat in contractu ad gaudendum, domum, vel agrum traditum emptori perire: quia cum hujusmodi periculum sit admodum remotum (ut etiam superius animadvertimus) præsertim cum spatium temporis diuturnum non est, non tanti existimandum, ut lucrum ex tali contractu honestum, justumque reddere possit.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. In retractu gentilitio injusti sunt qui jus habentem recuperandi vel minis, vel dolo impedit, ne suo jure utatur, ut bona recuperet; qui in venditionis contractu majus pretium simulat persolutum, ut alium a recuperatione avertat; qui reddere recusat rem emptam consanguineo, vel affini, eam præfato jure redimere volenti. Hi enim omnes, ut patet, justitiam violant, & quidem in re gravi; quamobrem peccant lethaliter, & damnum reparare tenentur. Sicut contra peccant consanguinei, vel affines, qui rem immobilem ab extraneo emptore redimunt, non sibi, sed ut aliis extraneis vendant majori pretio; qui simulantes nomine suo redimere, retrahunt pecuniam alicujus extranei, cui rem cedunt; cum tale jus sit personale, & solis affinibus, & consanguineis concessum, ne possessiones paternæ, aut avitæ in extraneorum manus deveniant. Similiter peccat proximior con-

consanguineus, qui se retrahere velle, vel redemisse simulat, accepta per hoc ab extraneo emptore pecunia, ne remotiores consanguinei recuperare possint, cum istos fraudulenter impediat a consecutione utilitatis, ad quam jus habent, privative quoad omnes extraneos; quapropter damna etiam compensare tenetur.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Qui rem pro alio ex honestate, & amicitia emendam suscipit, nihil sibi lucrari potest, obtentu quod a venditoribus res sibi minori pretio detur, vel ratione amicitiæ, vel utilitatis, quam illis affert frequenti emptione, quam darent ipso committenti. Huic doctrinæ adversantur plures Theologi, & Casuistæ, qui putant in tali lucro (si locum habeat) nullam injustitiam immisceri, immo nec infidelitatem. Nam 1. industriam omnem adhibet, ut mercem amico emat eo pretio, quo ceteri omnes emissent, immo & ipse mandans, si ipsemet per se se contraxisset. 2. Lucrum, quod inde percipiunt, est ipsis a venditore concessum ipsorum intuitu, ob peculiaria motiva vel amicitiæ, vel utilitatis mox indicata. Verum posita nostra assertio probabilior est, & unice vera; ut ostendunt tum Genetus, tum Juveninus, tum Natalis Alexander, aliique, his, meo videri, validissimis argumentis. 1. Verisimile non est, nec facile credendum, mercatores ratione amicitiæ aliquid de suarum mercium pretio illis donare, sed ipsis metientes blandiuntur, ut ad eorum emporium trahant. Præterea, licet verum foret ob amicitiam, vel alio titulo illis aliquid realiter de legitimo pretio condonare, adhuc nihil lucrari possent; cum ideo a mandantibus ad emptionem deligantur, quia de facto censent, illos ob amicitiam, vel frequentiam emendi minori pretio mercem empturos; atque ita modicum illud lucrum sibi retinendo mandantes misere fallunt. 3. Denique cum tota, vel præcipua ratio præfatæ condonationis oriatur, ut ipsi fatentur, ex frequenti emptione, hæc ideo a mandatariis habetur, quia plurimi sunt mandantes: in horum igitur utilitatem redundare debet diminutio pretii, non in ipsius mandatarii lucrum; cum illi, non iste, frequenti emptione lucrum afferant mercatoribus. Non possunt igitur Sartores, aliique artifices ex mandato alterius pannum, sericum, aliamque suis operis materiam ementes præfatis titulis aliquid lucrari, sed committentis negotium sincere gerere debent, & minimo pretio emere nulla spe lucri. At inquies, hi artifices saltem ratione temporis in emptione consumpti, quo operando aliquid sibi lucrari poterant, aliquod lucrum poterunt percipere. Minime gentium: nam hoc qualecumque detrimentum, vel lucrum cessans, vel sponte, vel rogati suscipiunt; & compensatur in lucro, & mercede, quæ ipsis postea pro suo labore rependitur. Quinimmo peccant hujusmodi, si adhibiti in emptionem serici, & panni, ne mercatori displiceant, sinunt emptores ab illi falli, vel in qualitate mercis, vel in pretio: quia ut docet S. Thom. 2. 2. q. 77. a 3. *Dare alicui occasionem periculi, vel damni semper est illicitum.* Illi enim suo silentio, & conniventia in causa sunt illati damni, & mercatoris fraudi cooperantur; proinde & damnum reparare tenentur juxta l. A. P. doctrinam tit. q. a. 1. *Fraudem adhibere* (vel permittere) *ad hoc, quod aliquid plus justo pretio vendatur, omnino peccatum est, in quantum aliquis decipit* (vel de-

ci-

cipi finit) *in damnum ipsius* .

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Falsa est doctrina Busembaum docentis, si cui datum est aliquid vendendum pretio v. g. infimo, vel moderato, & is vendat rigoroso, probabile est non teneri restituere, sed posse excessum retinere, cum sua industria acquisierit. Nam semper præsumendum est, nisi aperte constet, pretium infimum, vel moderatum designative, non taxative indici in venditione; & mentem committentis esse, ne infra vendatur, non vero, ne supra. Ideoque La Croixius hanc doctrinam rejicit, & novum suggerit lucrandi modum, nimirum ut amicus, cui rei venditio commissa est, mercem sibi emat pretio medio, vel infimo, quod solum reperit, si speret se postea venditurum pretio summo, & rigoroso; dummodo tamen in se rei periculum sumat. Verum & hic modus fraude non caret. Nam 1. cum ex amicitia, & gratis mandatum suscipiat venditionis, personam mutans in emptorem, & negotiatorem se transmutat, & quidem inscio ipso mandante, qui illi rem non emendam, sed pro se vendendam proponit, quam proinde si emere, vult, debet cum venditore convenire: fieri enim non potest, ut licite emat, nisi venditor consentiat. 2. Nonne mandatum habet, ut vendat pretio infimo, vel medio, si supremum non reperit? Cur igitur fideliter mandatum non implet, & mercem non vendit pretio sibi designato, quod habet in promptu? 3. Dum in se periculum mercis suscipit, jam se illius dominum agnoscit. At quo titulo dominium sibi sine consensu domini, non persoluto illi pretio, sibi arrogat? num ex arbitrio, & propria voluntate? Sed hoc pacto alienarum rerum licite dominium nemo adipiscitur. Fraude igitur, & turpitudine non caret hic agendi modus. Damnabis ne igitur injustitiæ, & fraudis Nobilium Virorum Villicos & Procuratores, quibus a Dominis jubetur, ut triticum, vel vinum, quæ in horreo, & cellario habent, statim vendanr eo majori, quo possunt; pretio, & sibi pecuniam, qua indigent, mittant; si ipsi videntes tunc triticum, vel vinum non nisi viliori vendi pretio, pecuniam de suo penu Domino persolvant, sibi ad opportunius tempus illarum mercium venditionem cum lucro reservantes? Nequaquam, quandoquidem hujusmodi Procuratores ita in ministerium assumuntur a Dominis, ut quidem illorum negotia fideliter, quam utiliter possunt, peragant, & ministrent; quin tamen & propriam utilitatem non negligant, quando hæc cum illorum servitio valeat consociari. Tenentur tamen res summo pretio tunc currente vendere, ut negotium Domini fideliter impleant. Vide quæ habentur diss. 3. cap. 9. consect. 1.

CAPUT SEPTIMUM.

De emptionis, & venditionis effectibus.

DOCTRINA.

I. *Per venditionem, & emptionem rei, & pretii dominium transfertur.*

II. *Quando rei venditio omnino absoluta, & perfecta fit.*

III. *Censetur perfecta venditio, quando res tradita est, licet non persolutum pretium.*

IV. *Sicut & quando persolutum est pretium, licet res non tradita.*

V. *Quid dicendum, cum nec rei, nec pretii facta est traditio.*

VI.

VI. *Ad quem pertineat periculum, & fructus rei venditæ. Regulæ nonnullæ. Regula prima.*
VII. *Regula secunda.* VIII. *Regula tertia.*
IX. *Regula quarta.* X. *Regula quinta.*
XI. *Regula sexta.*
XII. *Venditor de evictione tenetur.*

I. PER emptionem, & venditionem rei venditæ, sicut & pretii transfertur dominium: ad hoc enim institutus est hic contractus, ut nimirum res mea per venditionem fiat tua, & pretium tuum solutione in meum transferatur dominium. Num autem ad inducendum hocce dominium sufficiat contrahentium consensus, & pactum, vel ulterius rei traditio, vel pretii solutio requiratur, disputant inter se Theologi, & Jurisperiti: immo & ipsæ leges ambigue loquuntur, ita ut aliquando solo consensu dominium transferri statuant, aliquando vero & traditionem tamquam necessariam decernant. In Institut. enim lib. 3. tit. 24. dicitur: *Emptio, & venditio contrahitur simul atque de pretio convenit, quamvis nondum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit.* Et §. 3. indicitur: *emptionem, & venditionem effici simul atque de pretio convenerit, cum sine scriptum res agitur.* Et leg. 1. ff. de contract. empt. dicitur: *emptio consensu peragitur.* E contra vero leg. 2. Cod. de pactis universaliter statuitur: *Traditionibus, & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* Et in Institut. de empt. & vend. §. *Utique* habetur: *Qui emptori nondum tradidit rem, adhuc ipse dominus est.* In hac ambiguitate primo quæ certa sunt, deinde quæ probabiliora videntur exponam.

II. Quando res est vendita, ac tradita, & pretium est solutum, perfecta est omnino, & absoluta venditio, & rei dominium translatum; ac proinde commoda omnia, & incommoda, fructus, utilitates, sicut & damna ex re ipsa provenientia, ad ipsum emptorem pertinent, in cujus dominium plenum, & perfectum res transit: totum enim habetur, quod & lege naturæ, & lege positiva requiritur ad dominii translationem.

III. Quando res vendita tradita est, & pretium pro soluto habitum, vel dilatio concessa ad solutionem, translatum est rei dominium, nisi aliter inter contrahentes conventum sit. Translatum dominium manifeste patet: nam res, quæ in manus transit emptoris, ejus commodo stat, vel incommodo; & si perit, ipsi perit, si fructificat ipsi fructificat. Si pretium vero pro soluto habeatur, jam & illius translatum dominium censetur: & concessa solutionis dilatio non impedit, ne res ad emptorem pertineat, qui solum tenetur suo tempore pactum pretium solvere, & si sit in mora culpabili solutionis, damna inde emergentia & lucra cessantia reparare. Addidi tamen, nisi aliter contrahentes convenerint: ita enim convenire possunt, ut res etiam tradita non censeatur in dominium emptoris transisse, donec ipse solverit pretium; eapropter adhuc ad venditorem pertinebit, cujus commodo, vel incommodo stat usque ad pretii solutionem.

IV. Idem dicendum, si pretium in integrum solutum sit, licet merx non sit tradita, nam per solutionem integram pretii, rei dominium acquisitum censetur, & res in manus permaneat venditoris tamquam in custodia, vel deposito, quæ proinde ipsi emptori vel perit, vel servatur, vel incrementum su-

suscipit, vel detrimentum subit. Excipiunt tamen leges, nisi forte res uni vendita, alteri vendita sit, & tradita, de quo statim.

V. Sola pactione, & conventione perfecta censetur venditio etiam ante traditionem, sed non quoad omnes effectus. Et quidem sola conventione perfectum venditionis contractum patet 1. ex ipso jure civili n. 1. citato. 2. Ex ipsa emptionis definitione, quæ ex L. Orig. ff. *de contrahenda emptione* desumitur, nimirum quod sit *contractus, quo dominium alicujus rei acquiritur pro certo pretio*; sicut e contra venditio est *translatio rei propriæ in emptorem pro certo pretio*. Hoc autem totum habetur statim post conventionem, & pactum: licet enim res vendita nondum de facto sit in manu emptoris, est tamen de jure. Nam emptor 1. eam a venditore, cum sibi libebit, repetere potest. At cur repetere? nisi quia sua facta est, & ad suum pertinet dominium; & qui reddere recusaret, reus furti esset, rem alienam invito domino retinendo. 2. Quia venditor non amplius de re vendita, licet adhuc in suis manibus existente, disponere potest, eam commodando, locando, utendo, alteri vendendo; quæ tamen omnia emptor licite præstare potest; perfectam igitur esse venditionem sola conventione dicendum est. Addidi tamen non quoad omnes effectus. Nam si res uni vendita, sed non tradita fuerit, alteri vero, licet posteriori, & vendita, & tradita fuerit; ad hunc, non ad illum rei dominium spectabit. Et habetur Leg. 9. §. 4. ff. de pub. in rem act. quod indicat non usquequaque perfectam venditionem ante traditionem.

VI. Perfecta igitur per conventionem venditione, nunc videndum, ad quem res vendita pertineat; ac proinde cui pereat, vel deterioretur ante impletam traditionem. Hæ itaque statuuntur Regulæ.

Regula Prima.

Quando res vendita, vel empta est quid determinatum, puta hæc domus, hic equus, hic ager, si ante traditionem pereat, emptori perit, non venditori. Ita enim statuitur in jure in Inst. de empt. & vendit. §. 3. ubi habetur: *Periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit*. Et revera, cum diximus per conventionem perfici venditionem, res est in emptoris dominium translata, cujus proinde sicut commodo, & utilitati, ita & incommodo, ac detrimento stat: & licet huic dominii translationi non faveant leges, quæ dationem postulant, non impediunt tamen, nec vetant rei periculum, sicut & utilitates in emptorem redundare etiam ante mercis traditionem. Hinc si vinum acescat, si equus pereat, damnum in emptorem redundare statuunt, nisi sit ex culpa venditoris, ut dicemus in Consectariis.

Regula Secunda.

VII. Si merx vendita sit indeterminata, puta decem vini amphoras ex dolio, sex oves ex grege; vel determinata quidem in genere, & non in individuo designando per pondus, vel mensuram, periculum quidem rei stat venditori, at pretii, & valoris vel incrementum, vel decrementum ad emptorem pertinebit. Ratio primæ partis est, quia hujusmodi venditiones censentur tum lege civili, tum jure naturæ cum hac implicita conditione, si res per traditionem, vel mensurationem fiat determinata, & venditori seponatur.

tur. Secundæ vero partis ratio est, quia circa genus rei jam inter partes de pretio conventum est; & venditori non aliud superest onus: nisi rem talis generis tradendi, & individuo designandi, quam emptor jam emit pretio, quo contractus tempore valebat. Hinc si decem oves ex grege emisti, & hæ perierunt, venditori perierunt, non emptori: si vero interim pretium sit vel auctum, vel diminutum, ad emptorem spectabit pretii detrimentum, vel incrementum. Quod si tota res fortuito perierit, puta grex totus, videndum, num pactum initum sit de ovibus ex tali grege sumendis; & tunc extincto grege & contractus censetur extinctus, restituendum proinde emptori pretium, si forte illud solverit: si vero absolute, & in genere decem oves fuerint venditæ, ad venditorem pertinebit aliunde emptori de pactis ovibus providere. Quod si ex duabus rebus altera disjunctive vendita sit, puta alterutrum ex duobus equis, alterutra ex duabus gemmis, nec illum, nec hanc determinate designando, si unus pereat, perit venditori, si ambo, alter emptori perit, alter venditori: nam cum alteruter debeatur, qui superest jam est determinate emptoris, qui alterutrum emit; si ambo, jam certe unus erat emptoris; illi igitur perit. Ita etiam declaratur L. 34. ff. de contrahen. empt. & vend. „ Si emptio ita facta fuerit; esto mihi „ emptitius Stychus vel Pamphilus, in „ otestate est venditoris, quem velit „ dare . . . . Sed uno mortuo, qui superest dandus est; & ideo prioris „ periculum ad venditorem, posterioris „ ad emptorem pertinet. Sed si pariter decesserunt, pretium debebitur, „ unum enim periculo emptoris vixit. „ Idem dicendum est, etiamsi emptoris „ fuit arbitrium, quem velit habere ". Nec adversatur lex ista doctrinæ mox traditæ de toto grege pereunte venditori, ex quo decem oves emptæ sunt, cum tamen videatur & hic disjunctive emptas fuisse oves, nimirum has vel illas. Nam, ut optime observat de Lugo, in priori venditione unus equus, una gemma empta est absolute. Quamobrem quæ ultima remanet, absolute, & determinate empta habetur. At in rebus, quæ ad mensuram emuntur, vel numerum, leges declarant non absolutam esse venditionem, sed conditionatam, nimirum si numerentur. Quamdiu igitur res appensa, vel numerata non est, non emptori, sed soli venditori perire debet.

Regula Tertia.

VIII. Quando res vendita tradita est emptori, & pretium solutum, vel non tradita, sed pretium solutum, vel pro soluto habitum ob concessam emptori solvendi dilationem, fructus omnes rei venditæ non solum præsentes, sed & futuri ad emptorem pertinent. Et quidem hoc verum esse, cum & res tradita, & pretium est solutum, ipso lumine naturali apparet: quandoquidem completa est usquequaque venditio, translatum integre in venditorem dominium, cui proinde perit, minuitur, deterior efficitur; vel ex opposito fructificat, servatur, meliorque redditur. Idem & dicendum, licet res tradita non sit, nec pretium solutum, sed pro soluto habitum: nam ut diximus n. 5. sola pactione, & conventione perfecta est venditio, licet non quoad omnes effectus; cujusmodi est, quod si alteri vendatur, & tradatur, hujus fit, non prioris emptoris. Verum hoc excepto casu, rem jam venditam in emptoris transisse proprietatem censendum, qui cui proinde fructificat.

REGULA QUARTA.

IX. Si vero res non tradita fit, vel fi tradita, pretium tamen non fit folutum, nec pro foluto habitum, videndum, cujus periculo ftet res vendita, & illi funt fructus adjudicandi. Hac Regula oppofitas conciliari poffe cenfeo Doctorum opiniones. Nam funt, qui cenfent, re tradita, fructus adhuc ad venditorem pertinere, quippe qui damnum pateretur, fi eodem tempore & fua re careret, & fructus non perciperet, & fimul pretium non obtineret. Alii vero ex oppofito arbitrantur, fructus rei venditæ ad emptorem pertinere, alioquin venditio ficta effet ad ufuram palliandam. Solveret enim emptor fructus ob folam dilationem folutionis pretii, & venditor tempus conceffæ dilationis venderet. At noftra pofita Regula, omnis evanefcit difficultas. Si enim res cenfeatur jam in dominium translata emptoris, illi profecto fructificat, cujus periculo res ftat, vel cadit. Non poteft igitur venditor fructus percipere rei alienæ, omni enim caret honefto perceptionis titulo. Et ita ftatuunt leges. Inftit. de empt. & vendit. §. 3. dicitur: „ Cum emptio, & venditio „ contracta fit (quod effici diximus „ fimul atque de pretio convenit) pe„ riculum rei venditæ ftatim ad empto„ rem pertinet. Itaque fi ædes tuæ „ totæ, vel aliqua ex parte incendio „ confumptæ fuerint . . . emptoris da„ mnum eft, cui neceffe eft, licet rem „ non fuerit nactus, pretium folvere. „ Quidquid enim fine dolo, & culpa „ venditoris accidit, in eo venditor „ fecurus eft . . . . & univerfim ff. de „ diverfis regulis juris antiqui in L. „ *Secundum* 10. ftatuitur: Secundum „ naturam eft, commoda cujufque rei „ eum fequi, quem fequuntur incom„ moda ". At inquit Covarruvias, periculum interitus rei moraliter vel nullum eft, vel exiguum: quale enim periculum effe poteft in agro a flumine diffito, in prato, in domo bene firma? Non eft igitur æquitas in contractu ifto, fi ob tenue periculum emptor fructus percipiat, alter vero omni careat & rei, & pretii fructu. Verum refpondeo 1. volenti, & confentienti nullam injuriam irrogari: fi enim venditor finit rem in dominium tranfire emptoris, & velle debet ad illum fructus pertinere; cum juftitia & æquitas poftulet, ut res domino fuo fructificet, non alieno. Nec obftat venditorem nec fructus rei venditæ, nec pretii lucrum percipere. Quandoquidem hæc eft indoles, & natura contractus, quem celebrat. Nam in venditione fic transferatur dominium ut res domino fructificet; dilatio vero folutionis pretii libere a venditore conceditur, pro qua fine ufura aliquid percipere non poteft. Si vero aliquod damnum per hoc fubit; vel dilationem non concedat, vel rei dominium apud fe retineat. 2. Quando res vel nulli, vel leviffimo pereundi expofita eft periculo, tunc carius venditur, & pretium augetur. Quis enim non videt longe carius vendi prata, & agros procul a flumine, vel torrente pofitos, quam illi proximos, & minoris venire domum ruinofam domo firma, ac ftabili? Hanc igitur majcrem fecuritatem fibi emit emptor, & illi majori pretio cedit venditor. Eft igitur omnimoda in contractu æqualitas, cum major fecuritas majori æquetur pretio. At fi res vendita adhuc in dominio venditoris permaneat, tunc venditio eft veluti conditionata habenda; nimirum ut tunc res cenfeatur emptoris, quando pretium folverit: in-

intermedii igitur fructus ad venditorem pertinebunt, cujus periculo stat, vel perit; & solum obstringitur rem non alteri vendere, sed emptori servare usque ad præfinitum solutionis pretii tempus.

REGULA QUINTA.

X. Idem dicendum, si contingat venditionis contractum dissolvi. Nam tunc fructus intermedii illi sunt adjudicandi, qui rei dominium obtinuit, sive cujus periculo res stetit: eadem enim omnino militat ratio, & illi res fructificat, qui detrimentum sentit. Quamobrem in venditione cum pacto retrovenditionis fructus intermedii a venditionis tempore ad redemptionem usque, ad emptorem pertinent; postea vero sicut ad priorem dominum res revertitur, ita & ad ipsum pertinent fructus. Pari pacto si venditio mutuo consensu dissolvatur, cum contractus antea validus supponatur, fructus ad emptorem pertinebunt. In contractibus vero conditionatis, si conditio casualis sit, & fortuita, ea non completa fructus ad venditorem omnino pertinent; cum, conditione non posita, nulla sit venditio, etsi res tradita sit: posita vero conditione, ad emptorem; tunc enim perfectus habetur contractus, qui efficit, ut fructus etiam ante conditionis impletionem percepti ad ipsum pertineant, ac si contractus purus fuisset, & absolutus. At si conditio non sit casualis, sed in potestate emptoris, omnes fructus rei ante impletionem conditionis ad venditorem pertinent: & ratio est, quia hujusmodi conditiones apponi solent, ut emptor urgeatur ad celerem contractus impletionem; ut si dicas, vendo tibi agrum meum, si debitum meum solveris, donec debitum solutum non sit, fructus agri ad venditorem pertinent, cum & in potestate emptoris sit conditionem implere, & illi imponatur ad urgendam impletionem contractus. Est tamen in hisce contractibus exploranda contrahentium mens, & animadvertendum, ad quem incommodum rei venditæ pertineat, ut illi æquale commodum concedatur.

REGULA SEXTA.

XI. Si ob dilatam pretii solutionem culpabili mora emptoris venditor damnum patiatur, potest ab emptore damni reparationem postulare, quam emptor sarcire tenetur, vel de fructibus rei venditæ tantum concedendo, quantum ad reparandum damnum requiritur, vel alio modo. Et vicissim si venditor sit in mora culpabili tradendi rem venditam, & periculum rei ipsi venditori stat, & præterea omne damnum ex dilata traditione reparare tenetur. Aperta est ratio hujus regulæ ex his, quæ diximus superius de contractibus in communi cap. 13. Consect. 1. & 2. & ipsa æquitas naturalis ita postulat. Nam ut habetur L. 21. de Regulis jur. in 6. *Mora sua cuilibet nociva est*. Proinde ff. de rebus creditis L. *Quod te*, statuitur: *Quod te mihi dare oportet, si id postea perierit, quum per te factum erit, quo minus hoc mihi dares, tuum fore id detrimenti constat*. Pari item pacto si emptor fuit in mora culpabili rem suam recipiendi, omne rei periculum, & detrimentum ad ipsum pertinebit, ut habetur L. 17. ff. de peric. & commod. rei venditæ. Quod si mora sit ex utroque, tum emptore, tum venditore, leges statuunt periculum, & detrimentum totum in emptorem redundare, qui, cum in culpa sit rei tunc non receptæ, nequit venditori imputare, quod sibi

illam

illam non tradiderit. Hinc L. 5. de act. empt. & vend. statuitur. *Si & per emptorem, & venditorem mora fuisset, quominus vinum & praeberetur, & traderetur, perinde esse ait, quod si per emptorem solum stetisset; non enim potest videri mora per venditorem emptori facta esse, ipso moram faciente emptore.*

XII. Alius venditionis effectus est, ut venditor de evictione teneatur. Est enim evictio *jus rei propriæ, quam alius justo titulo acquisitam habet, apud judicem recuperandi*. Fit enim quandoque, ut quis bona fide rem, quam putat suam, alteri vendat; & deinde detegatur esse alienam, eamque legitimus dominus a possidente recuperet justo titulo: tunc certe venditor tenetur emptorem ab hac evictione indemnem servare. Et quidem tenetur jure naturæ, licet in venditione nulla de evictione mentio fuerit: cum ideo sint institutæ emptiones, & venditiones, ut utraque pars pacifice in possessione servaretur & rei, & pretii; ut habetur in Cod. de Evictione. *Non dubitatur, etsi specialiter venditor evictionem non promiserit, re evicta ex empto competere actionem*. Immo leges civiles statuunt, non posse contrahentes convenire, ne de evictione venditor teneatur; quia hujusmodi conventio esset contra bonos mores: unde L. 1. §. 7. ff. de Pactis dicitur. *Illud non probabis dolum non esse præstandum, si convenerint. Nam hac conventio contra bonos mores est, & ideo nec sequenda est*. Si igitur res vendita evicta sit, venditor tenetur emptorem ab omni damno immunem servare. 1. Itaque, si tota res evicta sit, totum pretium debet restituere; si vero pars tantum, pretii quoque partem reddere. 2. Tenetur emptori restituere & id, quod ipsum interesset, si res non esset evicta. Sic enim statuunt jura: in L. Evicta 70. ff. de evict. indicitur: *Evicta re ex empto actionem non ad pretium dumtaxat recipiendum, sed ad id quod interest emptoris competit*. Hinc si tempore evictionis res vendita sit ejusdem valoris, ac tempore venditionis, tenetur integrum pretium, & quod interest, venditor emptori dare. Si vero deterior effecta est, non nisi pretium illud solvere tenetur, quod tunc res valet; quia in re pro statu præsenti emptor damnum patitur, ut statuitur lege mox laud. *Si minor esse cœpit, damnum emptoris erit*. Et vicissim, si res sit melior effecta evictionis tempore, pretium augere debet juxta rei adauctum valorem: unde decernitur L. 45. ff. de Evict. *Si quid ex his fructibus evinceretur, pro bonitate ejus emptori præstandum*. Emptor vero tenetur venditorem monere de mota lite ad rem evincendam, quod legitime præstitisse censendus est, dum venditorem expresse requisivit, ut rem suam defendat, & moram litem in se suscipiat. Quod si omittat, & re se spoliari, sua vel contumacia vel negligentia permittat, venditor ab onere eum indemnem servandi liberabitur: sicut si emptor cum adversario inscio venditore de re litigiosa transigat; tunc enim sibi damnum, si quod patitur, imputare debet.

CAPUT OCTAVUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

IV.

IV. *Res duobus vendita cui sit tradenda.*
V. *Cui noceat mora culpabilis, si communis sit emptori, & venditori.*
VI. *Rei alienæ venditio dominium non transfert in emptorem.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. CONTRACTUS emptionis, & venditionis ad libitum contrahentium possunt institui, dummodo nihil apponant, quod legi divinæ, vel humanæ adversetur: cum enim contractus sint particulares leges, quas contrahentes sibi mutuo præstituunt, possunt alias conditiones apponere, quæ æquitatis legibus non adversantur. Hinc venditor, & emptor convenire possunt, ut non censeatur completa venditio, nisi sit exarata scriptura, vel nisi sit data arrha, ut solum per traditionem transferatur dominium, ut res empta apud venditorem certo tempore servetur, & hujusmodi, dummodo oneri apposito æquale correspondeat præmium.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Non licet rem vendere, & dominium in emptorem transferre cum onere dandi fructus, vel tribuendi certam pecuniam, donec pretium solutum sit; Huic propositioni plures adversantur Theologi, Navarrus, Covarruvias, Angelus, Molina, Viva aliique, qui censent, licere venditori ita pacisci in venditione, ut emptor pretium nonnisi multo post reddere teneatur, dummodo tamen interim vel fructus reddat venditori, vel certam juxta illorum æstimationem pecuniæ summam pendat, hisce argumentis permoti. 1. Quia id concedunt leges: Nam. L. *Curabit* 5. cap. de action. empti decernitur: *Curabit Præses Provinciæ compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percipit, partem pretii, quam penes se habet cum usuris restituere, quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis favor (licet nulla mora intercesserit) generavit.* 2. Immo id æquissimum esse declarant, dum L. Jul. 13. §. 20. dicitur: nam *cum emptor re fruatur, æquissimum est cum usuras rei pendere.* 3. Æqualitas est, sicut in omni contractu, ita & in venditione servanda: sicut itaque venditor nec pretium accipit, nec ex illo lucratur; ita nec emptor fructus rei percipere potest. 4. Pecunia, vel fructus, qui ab emptore venditori tradendi sunt, non penduntur tamquam fructus pecuniæ solvendæ, sed ratione lucri, quod venditori cessat ob dilationem solutionis pretii: unde non usura est lucratoria, quæ divina lege prohibetur, sed compensatoria lucri, quod venditor ex sua pecunia percipere, ut declarat Glossa in Cap. *Conquestus*, ubi habetur: *Usuræ possunt peti etiam secundum Canones, cum vendo tibi prædium, & trado, & tu percipis fructus, nec solvis mihi pretium ad terminum, eo quia hujusmodi usuræ, non quasi usuræ, sed quasi interesse putantur.* 5. Nonne qui rem suam vendit reservatis sibi fructibus, dici potest solum rei dominium, non usum fructum vendere? Porro quis vetat hæc duo ita separatim vendi, ut unum quidem væneat, aliud omnino non væneat? 6. Denique Tournelius part. 2. de Contract. cap. 1. de Venditione aperte docet, in Galliis hanc vigere jurisprudentiam, ut qui rem frugiferam emit credito, percipiet quidem fructus, sed teneatur pretii interesse solvere, etiamsi res per accidens nullos fructos ferat; ut si domus vel non locetur, vel nonnisi pretio longe minori locari possit. Verum positam ab initio doctri-

nam

nam docent, & tuentur alii Theologi longe plures, & magni nominis, inter quos primum locum tenet S. Antoninus, qui P. 2. tit. 1. cap. 1. §. 20. sic scribit: „ Sed quid, cum vendo possessionem meam, cum non das mihi pretium ejus, tecum facio pactum, quod quousque tradas mihi pretium, recipiam interim fructus ejus? Resp. licet Baldus, & Petrus de Ancharano dicant, licitum esse contractum, quia cum possessio fructificet, non videtur justum, ut emptor habeat utilitatem & fructum rei emptæ, & venditor non habeat utilitatem pretii, ut possit pecunia uti .... Sed Theologi non approbant dictum contractum, quia ratione dilationis de solvendo pretio viderentur haberi dicti fructus; quod ad usuram pertinet. Item possessio subsistat periculo emptoris, & de se est fructificabilis, non autem pecunia pretii solvenda subsstat periculo venditoris, nec de se fructificat: & ideo consulendum est abstinere ad hujusmodi ". Ratio quoque in clare ostendit: nam res domino suo fructificat, non aliis. Porro cum emptor factus sit rei fructiferæ dominus, illius fructus percipere debet, quibus carere oportet venditorem, qui per venditionem a se rei dominium abjecit. Nec urgent adversariorum argumenta. Nam ad 1. respondetur, leges civiles usuras permittentes a Jure canonico esse abrogatas. Ad 2. non esse juxta æquitatis leges, ut quis ex re infructifera, cujusmodi est pecunia, lucrum percipiat: & ideo emptor fructus prædii, cujus pretium non solvit, percipit, quia ejus dominus effectus est; & sicut illi perit, si perit, ita & fructificat: venditori vero, ut animadvertit S. Antoninus, nec perit pecuniæ pretium, quod semper solvendum est, nec fructificare debet, cum sit infructuosa pecunia. Ad 3. æqualitas, quæ præcipue attenditur in venditione, & emptione, sistit inter æqualitatem rei, & pretii: ceteræ autem æqualitates ex contrahentium arbitrio, & voluntate pendent, nimirum quod alter mercem statim tradat, alter vero pretii differat solutionem; vel vice versa, sive quod res alio transferatur, pretium vero in loco solvatur, & similia, in quibus quidem æqualitas quoque servanda est, at non lege peculiari ad emptionem, & venditionem pertinente sed lege generali æquitatis, & justitiæ, ut neuter scilicet plus justo gravetur. Libenter porro concedimus, posse vel fructus rei venditæ, vel certam pecuniæ summam pendi venditori, quando ex dilatione solutionis pretii vere, & certo ipsi vel damnum emergat, vel lucrum cesset, & hoc emptori innotescat: & tunc tot sunt concedendi fructus, vel tantum pecuniæ solvendum, quantum revera interest venditoris, ne solutio differatur; vel si emptor sit in mora culpabili solvendi pretium cum nocumento venditoris, & hoc est, quod solum permittit Glossa: nam dicit solum tunc esse fructus pendendos venditori, *quando emptor non solvit ad terminum*; ante terminum vero posse concedi usuras non dicit: quamobrem & moram culpabilem supponit in emptore, & damnum emergens, vel lucrum vere cessans in venditore. Ad 4. non abnuimus vendi posse seorsum & dominium, & usumfructum alicujus rei fructiferæ; at tunc rei venditæ est æquandum pretium. Porro quis erit, qui etiam modico pretio sterile, & infructuosum dominium rei fructiferæ emere velit, & quidem gravatum onere rependendi fructus, quos arte, & labore suo & progi-

gni

gni curat, & natos fovet, & maturos colligit, immo & cum periculo ipsius sortis amittendæ? Profecto nonnisi ad usuram palliandam hujusmodi contractus adhiberi posse videtur. Ad 5. Gallorum jurisprudentiam a Tournelio adductam puto fundari in præsumptione lucri cessantis, vel emergentis damni, quod colligi potest ex ipso Tournelio doctrinam afferente Josephi Ferriere Jurisconsulti Galli docentis in sua introduct. ad Praxim, Verbo *Interesse*. „ Si forte venditor certum emptori tempus pro solutione facienda præscripsisset, interesse debitum non iri, nisi de eo expresse conventum fuisset “. Quamobrem tunc solum arbitror licere venditori sibi rei venditæ fructus reservare 1. cum rei venditæ sibi dominium reservat. 2. Cum interveniat verus titulus lucri cessantis, vel emergentis damni emptori significandus: & tunc reservatorum fructuum quantitas quantitati emergentis damni, & cessantis lucri debet respondere. 3. Si venditor loco pretii, quod non accipit, censum super rem venditam, & jam in dominium emptoris translatam, constituat redimibilem ad ipsius emptoris beneplacitum pretii solutione: tunc enim, si res pereat, utrique perit, & venditori, & emptori; nec ille amplius vel pretium, vel censum exigere potest, nec iste amplius ad pretium solvendum adstringitur. Sed de hoc fortassis iterum, cum de Censibus disputabimus.

Consectarium Tertium.

III. Fructus rei venditæ cum ipsa connexi, ut sunt fructus ex arboribus pendentes, uvæ ex vitibus, augmentum equini pulli, ad emptorem pertinent absolute, si pretium traditum sit; quia jam, ut patet, facta est dominii translatio, & fructus illi censentur fundi empti partes: quamobrem, sive maturi sint, sive immaturi, ad emptorem spectabunt. At si pretium non sit solutum, Salmaticenses, & de Lugo censent pertinere quidem ad emptorem, sed solum secundum valorem, quem tunc obtinent; quia, inquiunt, fructuum incrementum, & maturitas non est pars fundi, sed effectus, ac fructus fundi. Cum igitur venierit quidem fundus, sed transierit nondum in emptoris dominium, quod adhuc penes venditorem est, ad istum pertinebit hocce incrementum. Emisti vineam efflorescentem, flores, inquiunt, ad emptorem pertinent; sed uvæ ex illis enatæ ad venditorem. Verum hæc doctrina non omnino vera, & firma videtur. Nam 1. mirum apparet, flores arborum, immaturos earumdem fructus, ad emptorem pertinere, & tamen ad ipsum non pertinere fructus ex suis floribus enatos, nec fructuum suorum maturitatem: similiter meum esse equinum pullum a me emptum, & illius incrementum ad me deductis expensis non pertinere. Præterea nonne flores, & fructus immaturi emptoris periculo pereunt, si pereunt? Si enim flores decidant, nec fructus pariant, si fructus non maturescant, vel grandine dejiciantur, venditor pretium diminuere non tenetur: nec igitur augere tenebitur, si maturescant. Superius diximus sola conventione dominium transferri, licet non perfecte, quantum tamen sufficit, ut res emptoris periculo stet, & ipsi vel fructificet, vel pereat. Quod si lubet nequaquam fundi translatum dominium, fructuum tamen certe translatum videtur: posset enim emptor flores decerpere ad pharmaca conficienda, immaturos fructus excoquere ad eos sacchаro condiendos, quia ven-

venditor impedire possit: cum, ut ipsi fatentur Theologi, ad venditorem pertineant. Sunt igitur in ejus dominio, ac proinde ipsi accrescunt, & maturescunt. Deducendæ tamen sunt expensæ, & compensandi labores, si forte occurrerent pro eorum vel custodia, vel conservatione. Hinc evanescit alia, quam instituunt, quæstio, nimirum posito, quod fructus venditori maturescant, non emptori, num post maturationem vel teneatur venditor fructus emptori tradere, ab ipso pretium incrementi accipiendo, vel possit sibi retinere, pretium solvendo valoris, quem obtinebant ante maturitatem.

Consectarium Quartum.

IV. Si res duobus vendita sit, & neutri tradita, priori est tradenda emptori: si vero secundo emptori data sit, ejus manet, qui non tenetur priori cedere emptori; nisi vel privilegiatus sit, vel ipsi hypothecata, vel in fraudem emerit. Prima hujus Consectarii pars & fundatur in Regula juris 54. in 6. *Qui prior est tempore, potior est jure*; & ab ipsa dictatur æquitate naturali, quæ statuit pacta esse sancte servanda, nec ulli irrogandam injuriam. Altera vero pars ex legibus constat, quæ semper possessoribus favent, ne in sua possessione molestentur; puniunt tamen hosce fraudulentos venditores, ut habetur L. 2. ff. ad Leg. Cornel. de Falsis, ubi dicitur: *Qui duobus in solidum eamdem rem diversis contractibus vendidit, pœna falsi coercetur*, quæ est deportationis, & publicationis omnium bonorum. Præterea primo emptori actio competit contra venditorem, non solum ad pretium, si forte solutum sit, recuperandum, sed etiam ad quantum emptoris intererat, ne res alteri venderetur. Excipiuntur tamen emptores privilegiati, cujusmodi sunt Ecclesiæ, Monasteria, Hospitalia, & alia pia loca, quibus res, etiam a secundo emptore possessa, est restituenda; sicut enim a jure statutum est, ut posterior emptor ob traditionem priori præferatur; ita ab ipso nonnullis ab hac lege exceptio concessa est, quos peculiari favore ornandos voluit, quæ exceptio etiam ad illos extenditur emptores, quibus reis in hypothecam, vel pignus tradita esset; ut habetur *L. si prior. §. fin. ff. qui potiores in pignore*, ubi decernitur; *In pignore placeat, si prior convenerit de pignore, licet posteriori res tradatur, adhuc potiorem esse priorem*. Quod si secundus emptor sciat, rem jam alteri fuisse venditam, in fraudis pœnam a lege decernitur, ut possit intra annum, numerandum a die notitiæ, a primo emptore cogi ad rem sibi cedendam; elapso vero anno in ipso hoc jus cessat. Num vero teneatur in foro conscientiæ rem cedere, si nullum primo emptori obvenit damnum; non teneri arbitror: si vero aliquod ipsi detrimentum obtingat, teneri vel rem cedere, vel illatum damnum resarcire, præsertim si dolosus venditor tamquam principalis damnificator resarcire recuset; nam in primo casu injuria est potius personalis, quam realis, quæ sarciri potest sine rei cessione; in secundo vero reale intervenit nocumentum ex justitiæ lege sarciendum.

Consectarium Quintum.

V. Licet regula sexta statuerimus, occurrente æqualiter mora tum ex parte emptoris, tum venditoris, periculum, & detrimentum totum in emptorem redundare; fieri tamen potest, ut qui est in posteriori mora, detrimentum subire debeat, quando nimirum qui prior in

mora

mora fuerit, eam ex sua parte abstulerit ante omne rei detrimentum, & periculum. Et sane ita statuunt leges Cap. *illud* 17. ff. de periculo & com. rei vend.: *Si interpellaverat venditorem, & non dederit id quod emerat, deinde posteriore offerente illo, & ego non acceperim; sane hoc casu mihi nocere deberet. Sed si per emptorem mora fuisset, deinde cum omnia in integro essent, venditor moram adhibuerit, cum posset se exsolvere, aequum est posteriorem venditori nocere.* Confirmat & naturalis ratio: nam licet prior morosus redditor in culpa fuerit detentionis rei alienæ, hæc tamen alteri non nocuit; nam nullum detrimentum, vel periculum illi attulit, & culpam abstulit, rem integram emptori exhibendo, quam recipere poterat. Quod si ipse recusavit, & in recipiendo moram commiserit, unde res vel perierit, vel sit facta deterior; ipsi sola sua mora nocere debet. Et vicissim, si emptor rem suam sibi oblatam recipere recusaverit, at postea opportuno tempore ipsam adhuc integram postulaverit, quam reddendi venditor in mora fuerit; eadem plane ratione ipsi venditori mora nocebit. Quod si res æque periisset, vel deterior effecta fuisset apud dominum, si ei restituta fuisset, censent nonnulli Theologi ad nihilum teneri venditorem ob moram: quia, inquiunt, hæc mora damni, & detrimenti causa non fuit; res enim & apud dominum pari infortunio periisset. Ita sentiunt Molina, de Lugo, & Palao apud Reiffenstuel. Verum opposita sententia mihi probabilior videtur, quia per culpabilem moram effectus es injustus rei alienæ detentor; proinde debitum jam contraxisti rei alienæ restituendæ, quo urgente & instante res apud te periit: teneris igitur damnum sarcire. Nec refert, rem æque & apud dominum perituram fuisse. Nam 1. hoc non impedit, quin fueris injustus detentor. 2. Rei perditio apud dominum non ex tua culpa secuta fuisset, sed ex fortuito eventu: at apud te tua culpa periit; quia nimirum domino, cum debebas, & poteras, non restituisti. Sed de hoc iterum in tract. de Restitutione.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Per venditionem rei alienæ, sive bona, sive mala fide factam, rei non transfertur dominium. Aperta est hujus Consectarii veritas: nemo enim potest in alium dominium transferre, quod ipsum non obtinet: & juxta Regulam 69. de Reg. jur. in 6. nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. Qui igitur rem alienam vendit mala fide, vel eam recuperare debet, & domino restituere; vel si non potest, illius pretium, & totum illud quod intererat, ne res vendita foret, sarcire tenetur. Qui vero bona fide vendidit rem alienam, eam vel recuperatam domino tenetur reddere, vel ejus pretium, non vero quod intererat, ne venderetur. Qui vero rem alienam emit mala fide, domino suo restituat, oportet, etiam non recepto persoluto pretio; & etiam omne, quod ex tali emptione detrimentum manavit, sarcire debet, præsertim si venditor id præstare recuset. Qui vero bona fide rem alienam emit, sat est, si eam restituat, pretium tamen persolutum a domino exigere non poterit. Sed de his accuratius cum de Restitutione disputabimus, ubi etiam expendemus, num possit bonæ fidei emptor, ut pretium recuperet, rem furtivam furi restituere.

CAPUT NONUM.

De Cambio.

DOCTRINA.

I. ALTER, quo dominium transfertur, onerosus contractus est Cambium, quod a verbo cambire, permutationem significante, derivatur. Cambium igitur idem est, ac permutatio quod nomen, licet genericum omni conveniens contractui, in quo pecunia non intervenit, sed res cum re commutatur; hic tamen pro peculiari contractu accipitur, quo *pecunia cum pecunia permutatur cum lucro campsoris*. Differt a ceteris contractibus onerosis ratione materiæ, quæ omnino singularis est, nimirum sola pecunia tam in dante, quam in accipiente; a contractibus vero gratuitis, quia ex utraque parte onus assumitur, & lucrum intenditur. Qui cambium dat, Campsor dicitur; qui vero petit, & recipit, Campsarius audit.

II. Bifariam partiuntur Theologi cambium, nimirum in verum, seu reale & legitimum, & in fictum sive fucatum, quod & siccum vocant; quippe quod speciem quidem gerit cambii, at succum & substantiam legitimi contractus non obtinet, sed ad usuram palliandam adhibetur. Legitimum cambium dividitur in minutum, seu manuale, & in locale, seu per literas. Minutum, seu manuale cambium habetur, quotiescumque præsens pecunia actu de manu ad manum permutatur in aliam diversæ speciei, ut cum moneta aurea, vel argentea mutatur in æream, vel majoris pretii cum minori, patria cum externa, deficiens a justo pondere cum alia justi ponderis.

III. Licitum esse cambium istud agnoscit Sanct. Pontifex Pius V. in sua Constitutione anni 1571., quæ incipit: *In eam*, ubi invectum dicit cambiorum usum *a publica tum necessitate, tum utilitate*. Et revera humano commercio valde conducit, ut sint qui varia monetarum genera semper parata habeant ad illorum utilitatem, qui, cum alio se transferre debeant, pecunia indigent levioris ponderis, & magni pretii; sicut e contra alii minutiori egent moneta ad quotidianas expensas; & pari pacto valde conducit, ut sint, qui pecuniam de loco ad locum transferant, vel qui pluribus in locis pecunias habeant, dandas in illorum utilitatem, qui absentes a loco, inibi solvendam pecuniam volunt.

IV. Artem campsoriam aliqui exercent publica auctoritate, qui propterea,

si a Republica stipendium accipiunt, nihil recipere possunt a privatis campsariis cambium petentibus; nisi forte aliquid ab ipso Principe sit constitutum. Ubi vero privatis interceditur cambium etiam minutum exercere, peccant, qui justas has Principum leges violant. Ubi vero hoc privatis conceditur, licet cuilibet campsoriam artem assumere, & exercere, ex eaque justum lucrum accipere.

V. Tituli, quibus honestum redditur in cambio manuali lucrum, sunt 1. ipsa materiæ diversitas, ex qua conflatur pecunia, quæ plures usus opportunos habere potest, cum plurimum conducat potius auream pecuniam habere, quam æream; nec non ejus pretiositas, quia pluris æstimatur pecunia ex auro puro, & obrizo, quam ex minus puro conflata est. 2. Varietas ponderis, & signi, cum minus valeat pecunia pondere suo diminuta, ea quæ legitimum pondus obtinet; & quædam pecunia tali forma signata uno in loco non valet, licet alibi valorem suum sortiatur. 3. Onus, quod sibi assumit campsarius, quodque plura illi offert incommoda, & expensas pro domo, ministris, & pecuniis congerendis, & servandis. Ita docet Auctor Opusc. 73. cap. 13. inter Opuscula S. Thom. scribens: „ Ars „ campsoria de se est justa, & est ratio, „ quia illud plus, quod accipitur a „ campsoribus in tali permutatione mo„ netæ, non accipitur ratione pecuniæ, „ quæ de se est invendibilis, sed ra„ tione periculi, vel interesse, ut sub„ veniatur salariis pensionum, domo„ rum, ministrorumque, & laboribus „ & expensis in arte necessaria, & li„ cita, ne frustra ponant operam, & „ sudorem suum in re licita ad utilita„ tem aliorum “.

VI. Quale autem lucrum accipere possint campsores in monetis permutandis: non facile est definire, sed est relinquendum arbitrio peritorum, & Deum timentium, inspecta qualitate monetæ, quæ datur, vel recipitur, sicut & ejus copia, vel raritate, immo & quantitate: nam in commutatione unius, vel alterius monetæ etiam aureæ, & pretiosioris pro æreis, & minutis aliquid exigere, avaritiæ foret; cum hujusmodi permutationes nullo æstimentur pretio, & passim gratis fieri consuescant.

VII. Lucrum vero ex locali cambio reportandum, vel a legibus determinatur, vel a consuetudine, & peritorum judicio est desumendum, spectata vel locorum distantia, vel commercii majori aut minori facilitate. Ex primo enim capite, quo longius asportatur pecunia majus exigi potest pretium; cum majus sit periculum, majoresque faciendæ expensæ. Ex altero vero capite contingere potest, ut aliquando etiam in remotioribus locis facilius cambia fieri possint, quam in propinquioribus; quia in remotioribus fortassis frequentius habetur commercium, in propioribus vero rarius, quamobrem & difficilius fit cambium, & fortassis majori expositum periculo. Sunt igitur hæc ad justitiam in cambiis servandam diligenter inspicienda.

VIII. Cambium vero siccum illud dicitur, quod omni caret succo, desumpta metaphora ab arbore aresfacta, quæ licet speciem præferat virentis arboris, inepta tamen est ad fructum faciendum: quod pariter contingit in fucato cambio, in quo licet specietenus permutatio simuletur, revera tamen palliatum mutuum est, proinde ejus lucrum usura. Porro hæc cambia illicita esse jam de se patet,& etiam declaravit S.Pius V, in

in Bulla de Cambiis 118. quæ incipit: *In eam pro nostro*, ubi decernit: *damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur*.

IX. Quænam vero sint hæc fucata cambia, declarat idem Pontifex, & explicant Theologi. Primum itaque fucatum cambium ex S. Pio V. illud est, quo contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambium simulant, ad quæ licet iis, qui pecuniam recipiunt, literas quidem sui cambii tradant, non tamen mittuntur, vel ita mittuntur, ut transacto tempore, unde processerunt, revertantur. 2. Quando nullis traditis literis pecunia in cambium data ibi numeratur, & recipitur, ubi contractus fuerat celebratus. Quis enim non videt, in his contractibus non nisi cambii nomen haberi, at verum cambium omnino non haberi? 3. Cum pecunia alicui traditur, ut per eam cambia fiant, quæ tamen minime a campsario perficiuntur, sed campsori interesse, ac lucrum solvit, veluti si ex peractis cambiis resultaret, & hoc optime campsori innotescit.

X. Hinc Theologi jure meritoque inferunt, inter fucata, siccaque cambia ea esse referenda, quæ cambia dicuntur cum recursu, quando scilicet aliquis a campsore pecuniam accipit ex g. Venetiis, reddendam Romæ: at cum inibi campsarius nec pecuniam habeat, nec procuratorem, campsoris Procuratorem adhibet, qui Romæ simulat se pecuniam accepisse, quam iterum novo cambio Venetiis remittit cum novo lucro, qui lusus aliquando per plures sive menses, sive annos durat, quin unquam aliquid revera solvatur in locis, ad quæ cambia remitti simulantur, & solum vere, & realiter in initio contractus aliqua pecuniæ summa solvitur, quæ tandem in eodem loco recipitur, sed cum pluribus auctariis, veluti ex repetitis, sed simulatis cambiis resultantibus. Hoc cambii genus & ipse benignissimus Sporerius tr. 6. in 7. Præc. cap. 6. sect. 2. n. 44. *rem diabolicam* appellat, *in Germania sua vix auditam, ideoque a Scriptoribus Germanicis tacitam*, & ab ipso quoque tacendam: nam subdit, *quidquid sit de rigore speculativo, revera practice non videtur esse aliud, quam cambium siccum duplicatum*.

XI. Dum autem dicit, quidquid sit de rigore speculativo, subindicat non deesse Theologos, qui hujusmodi contractus saltem speculative licitos, honestosque propugnant. At qua, amabo, ratione? Audi. Quia, inquiunt, si revera hujusmodi cambia efficerentur, lucrum ex illis perceptum honestum foret: honestum igitur erit, licet realiter non fiant; quia ex mutua conventione virtualiter fiunt: & licet non intersit realis pecunia; adest tamen virtualis, & æquivalens, quæ sufficientissima est ad veram solutionem faciendam. At falso istos Theologos ridendos refellit Concina scribens: „ Felices, faustique „ debitores, si hac pecunia virtuali „ mente concepta, & calamo exarata „ solvere debita sua possent. Lapis iste „ casuisticus omni lapide philosophico „ pretiosior esset, si quemadmodum „ usuram fucat, ita pecunias ad ve„ ram solutionem pareret debitorum “.

XII. Inter fucata, & sicca cambia istud etiam merito enumeratur a sapientissimo Pontifice Bened. XIV. de Synod. lib. 7. cap. 48. n. 8. „ 1. Cum Titius „ ab amico Cajo mille aureos mutuo „ accepit, illique dat facultatem, æqui„ valentem pecuniæ summam, sive a „ semetipso, sive ab alio per cambii

„ con-

„ contractum accipiendi: eamque ad „ negotiationem destinandi: simulque „ Titius se obligat ad solvendum Cajo, „ donec ei mutuum restituat, quidquid „ ratione cambii impendit, aut impendere deberet, si prædictos mille „ aureos a campsore accepisset. 2. „ Quando etiam ipsemet Titius mutuatarius assumit sibi onus cambiis negotiandi tantam pecuniæ summam, „ quantam mutuam accepit a Cajo, in „ commodum tamen, & utilitatem ejusdem Caji, cui quotannis solvit quantum ex cambiis lucratur, aut lucrari „ posset, donec ei mutuum restituat „. Quod secundum cambii genus ab aliquibus licitum reputari dicit Pontifex, quia „ aut Titius stat promissis, aut „ non. Si primum, Cajus creditor juste „ percipit fructus, sive pecuniæ accessiones ex cambiis productas, si secundum, quamvis tunc nihil ex cambiis „ consequatur, eosdem tamen fructus „ a Titio requirit, titulo *ejus quod interest*, seu damni, quod subit ex eo, „ quod Titius susceptæ obligationi non „ satisfecerit ". At his non attentis subdit sapientissimus Pontifex n. 9. „ „ Facile est suspicari, prædictas involutas ambages esse unice excogitatas „ ad palliandam usuram, quæ nihilominus non satis occultatur, & magis „ adhuc aperte se prodit, cum contractus secundo modo initur; quid „ enim absurdius, quid incredibilius „ fingi potest, quam quod Titius indigens mille aureis, quos mutuos „ accipit a Cajo, totidem statim paratos habeat ad nundinas transmittendos, atque in activa cambia erogandos in mutuantis Caji utilitatem? " Quamobrem num. 10. concludit: „ „ Quidquid sit de foro externo, qui „ in præsumptione fundatur, in foro „ interno, ubi sola spectator veritas, „ si pecunia accepta mutuo respondens „ neque a mutuante, neque a mutuatario juxta prædictas diversas pactiones, fuerit ad nundinas transmissa, „ seu in cambia activa erogata, nec „ unquam in alterutrius animo fuit eam „ ad nundinas transmittere, seu in cambia erogare, minime dubitandum est „ cambium esse illicitum, turpe, & „ usurarium, ac propterea a Christiana „ Republica prorsus eliminandum ".

XIII. In ipsis quoque realibus cambiis iniquitatem subrepere posse, & illicitum lucrum, innuit S. Pius V., ad quod præcavendum nonnulla statuit & in ipsis realibus, verisque cambiis servanda. Nimirum, 1. prohibet Pontifex, ne in ipso statim cambii initio determinati interesse solutio deducatur in pactum. Ubi adnotandum, S. Pontificem non lucrum cambii prohibere, sed lucrum determinatum ratione lucri cessantis, vel emergentis damni, si debitor in mora fuerit solvendi; & quidem nec hoc ipsum absolute vetat, sed pactum de determinato pretio solvendo ratione ejus, quod interest; hoc enim ab ipso eventu, & quantitate lucri cessantis, vel damni emergentis pendere vult, & determinari: alioquin facile usura sub pallio cambii tegi posset, dum ex præsumptione periculi cessantis lucri, vel damni emergentis incerti, & mere probabilis, immo si vis & probabilissimi, certa tamen pecunia pendenda statuitur. 2. Vetat Pontifex, ne cambia realia protrahantur ultra primas nundinas, *rejecto abusu cambia pro secundis, & deinceps nundinis sine termino exercendi*. Et quidem merito, nam hic quoque subesse potest usura, cambii fuco oblita: etenim quo magis differtur solutio, major exigitur sum-

ſumma, & majus lucrum ob dilationem; & ſic venditur tempus, & carentia pecuniæ. Advertunt tamen Theologi 1. primas nundinas, ſeu ubi nundinæ non ſunt, primos terminos illos intelligi, in quibus cambiales literæ ad locum pervenire poſſunt, & ſolutio fieri. 2. Has conditiones campſores reſpicere, non campſarios, qui perſoluto pretio, & pecunia Venetiis v. g. tradita, ut eam recipiat Romæ ad primas nundinas, vel primum terminum, poterit campſori concedere, ut ſolum ad ſecundas, vel tertias nundinas translationem pecuniæ differat; cum nullum ipſi ex hoc beneficium reſultet, ex quo ſit uſuræ periculum: ſicut etiam ſi ipſe campſor æquali pretio cambium daret ad ſecundas, tertias, & quartas nundinas, ac ad primas; nihil enim tunc lucraretur ex dilatione ſolutionis, quod tamen vix in praxi fieri puto. 3. Vetat Pontifex, ne longiores præfigantur ſolutionis termini, quam poſtulet ipſa longinquitas, vel proximitas locorum, ad quæ deſtinatur ſolutio. Et jure quidem meritoque, quandoquidem hæc ſolutionis dilatio nonniſi ad fucandam uſuram adhibetur, ut ſcilicet majus prodeat lucrum ex temporis mora, & dilatione; cum alioquin, ut ſuperius diximus n. 8. cambiale pretium non tam ex materiali deſumendum ſit locorum diſtantia, quam ex majori, vel minori facilitate trajiciendi pecuniam: nam ubi frequens viget commercium, licet fortaſſis locus remotior ſit, minus pro cambio ſolvitur, quam ſi in locum transferatur propinquiorem quidem, ſed in quo rarior occurrit trajiciendi pecuniam occaſio. 4. Denique illas vetat conſpirationes Pontifex, per quas mercatores congeſtam undique pecuniam ad ſe ita trahunt, ut qui cambiis egent, ad ipſos neceſſario confugere debeant, & illud pretium ſolvere, quod illis magis lubet. Vocat autem Pontifex hoc genus fraudis, quod illicitum eſſe nemo non videt, *quaſi Monopolium*; ad illud enim quam proxime accedit; ſicut enim verum habetur monopolium, quando aliqui mercatores ad ſe omnes merces trahunt, ut emptores ab ipſis emere cogantur majori pretio; ita & iſti campſores pecuniam congregant, & ad ſe trahunt, ut non niſi ab ipſis cambium poſſit obtineri, & majori quidem pretio: quamobrem illos pœnis etiam ſubjicit S. Pius, quæ a jure contra monopolia exercentes ſunt conſtitutæ.

XIV. Hinc ſequitur cambia Francofurtenſia, vel Lugdunenſia vera eſſe cambia illicita, & pallia uſuræ. In hiſce enim cambiis, ut exponunt Tournelius, Concina, aliique Theologi, campſor pecuniam numerat ex. c. Venetiis, ut eam a campſario Lugduni, vel Francofurti recipiat, vel poſt tres menſes, vel nundinarum tempore, cum actuario tanto majori, quo longiori tempore diſtant nundinæ, vel cum illo augmento majori, vel minori, prout pecunia plus, aut minus valet per tres illos menſes, inter ſingulas nundinas currentes. Porro hic contractus manifeſtam implicat uſuram. Nam auctarium non exigitur niſi pro carentia pecuniæ, & pro temporis dilatione: quare quo major eſt dilatio, eo majus exigitur mutuum. Porro pro pecuniæ carentia, vel ſolutionis dilatione aliquid exigere uſura eſt, ut omnes fatentur, & ſuo loco oſtendemus. Quapropter hoc cambii genus reprobatum eſt in ſuperius laudata S. Pii V. Bulla, in qua inter illicita cambia, & uſuræ labe infecta illud enumerat: *Cum pecuniæ, ſive depoſiti, ſive alio nomine ficti*

cambii,

cambii, traduntur, ut postea eodem loco (en cambium siccum) *vel alibi* (ecce cambium Lugdunense, vel Francofurtense) *cum lucro restituantur*.

XV. Non desunt tamen Theologi, qui hæc cambia reprobare non audent, sed excusare nituntur hisce argumentis. 1. Quia plerumque hæc cambia inter mercatores exercentur, qui cum negotiari soleant pecuniam suam, ex pecuniæ carentia illis vel lucrum cessat, vel damnum emergit: unde pro hoc titulo lucrum illud consequi possunt. 2. Quia, „ ut inquit Lacroixius, tempore propinquo nundinis major est copia pecuniarum, adeoque campsorum multitudo cambium vilius efficit: e contra vero tempore remotiore est minor „ copia ". Unde cum talis pecunia habeat se per modum mercis, pretium ejus augebitur ex penuria venditorum, & minuetur ex copia. 3. Plerumque hæc cambia a Principibus adprobantur, immo eorum auctoritate firmantur: non ergo sunt illicita reputanda. Verum hæc argumenta nec probabilem reddunt horum cambiorum justitiam, & honestatem. At 1. enim optime respondet Genetus, raro admodum, & fere nunquam etiam in Mercatoribus adesse periculum vel emergentis damni, vel lucri cessantis: „ Non enim (inquit) „ ut plurimum pecuniam sibi certo „ tempore solvendam tradunt, nisi cum „ inutilis, sterilisque in capsa remanet „ ob defectum opportunæ occasionis, „ & ita interesse, & lucrum, quod „ exigunt, est fere semper usurarium, „ cum non possit esse loco justæ compensationis pro lucro amisso, aut damno secuto ". Addendum, quod si vere hi tituli adessent, tunc pretium non ex dilatione temporis, non ex majori, vel minori pretio, quod obtinet pecunia in nundinis, auctarium erit taxandum, sed pro ratione, modo, & certitudine ipsius damni emergentis, & cessantis lucri. Ad 2. egregie respondet Franzoja: „ Falsum esse, quod pecu- „ nia se habeat instar mercis, & quod „ ejus pretium augeatur ex penuria „ campsorum, aut minuatur ex copia. „ Pecunia enim habet suum determi- „ natum pretium ex communi, aut „ Principum taxatione, quod propter „ campsorum penuriam, aut copiam „ non mutatur ". Quod si campsores illud mutant, ex arbitrio suo, & avaritia contra jus faciunt. Quamquam dum Lacroix ait, campsores esse pecuniæ venditores, & pecuniam apud ipsos esse instar mercis, satis declarat eos esse fœneratores: hoc enim posito, cambium quoque siccum iis permittitur, & eo lucrosius, quo nundinæ, quibus pecunia restituenda est ibi, ubi datur, remotiores sunt. Tertium aperte inficiatur Tournelius ex testimonio illorum, qui de cambiis licitis, vel illicitis plenius, & doctius scripsere, qui non a Principe adprobatum dicunt cambium Lugdunense, sed mere toleratum: „ „ Quod si forte & adprobatum foret, „ nonnisi ex præsumptione damni emer- „ gentis, vel lucri cessantis hæc ad- „ probatio obtineret, qua deficiente „ plane est usurarium habendum „.

XVI. Inter onerosos contractus dominium transferentes est etiam Transactio recensenda, quæ & late sumitur, & stricte. Transactio late sumpta sumitur pro omni actu, quo ab obligatione receditur, seu quo illa tollitur: & hoc pacto omnis distractus, sicut & sententia judicis, & cessio partis transactio dicitur. Stricte vero sumpta, de qua modo loquimur, definitur, *conventio, sive pactio onerosa, non gratuita*,

de re dubia, *&* *controversa*, *seu lite incerta*, *&* *non finita*. Ex definitione patet, ad veram, & rigorosam Transactionem tria requiri. Nimirum 1. ut fiat de re dubia; quamobrem, si transigens in conscientia probe noverit se nullum jus habere in re, de qua transigitur, tenetur coram Deo restituere totum id, quod ob talem transactionem ab altera parte accepit, vel illi remissum, seu condonatum fuit, cum omni careat justo titulo, vi cujus aliquid possit accipere. 2. Ut fiat lite incerta, nec dum finita: si enim lis sit per judicis sententiam definita, & nulla interposita appellatio, jam transiit in rem judicatam, nec amplius locus superest Transactioni. Tertio ut non fiat gratis, sed sit onerosa, hinc inde aliquid dato & retento, promisso & remisso; alioquin non transactio erit, sed amicabilis compositio, qua pars debiti gratis condonatur, & remittitur. Licet etiam in ipso jure transactio cum amicabili compositione confundatur, & plerumque in omni amicabili compositione aliqua admisceatur transactio, sicut & vicissim in transactione amicabilis intervenit compositio. Transactio vere, & proprie talis locum non habet in Beneficiis, aliisque rebus spiritualibus, si interveniat res temporalis vicissim data, remissa, vel promissa; nam simoniaca esset, & irreligiosa: at admittitur amicabilis compositio omnino gratuita. In spiritualibus tamen locum habebit transactio, si spirituale pro spirituali datur: ut si decimæ litigiosæ pro parte per transactionem dividantur; vel Clerici pro jure controverso decimandi se obligent ad Sacramenta administranda. Perfecta transactione, nisi læsio enormis intercedat, non licet a conventis resilire, nec conceditur in integrum restitutio.

CAPUT DECIMUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Campsores monetæ valorem mutare non possunt, sed lucrum ex cambio recipere.*

II. *Principum, & Campsorum ministri non possunt in proprium lucrum monetas mutare.*

III. *Idem nec privatis concessum in aliena moneta.*

IV. *Licet Campsori lucrum accipere ex cambio alias sibi utili, vel opportuno.*

V. *Quando liceat inferiorem monetam cum lucro permutare accepta pretiosiore.*

VI. *Licet Campsori pignus, vel fidejussorem a Campsario petere.*

VII. *Sicut & moroso debitore, quod patitur ex mora, damni compensationem exigere.*

VIII. *Non licet Clericis cambia activa nec per se, nec per alium exercere.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. CAMPSORES in pecuniis permutandis cambio manuali, seu minuto illarum valorem augere non possunt, sed lucrum valent exigere suæ arti debitum. Ratio est, quia ut mox diximus, pecunia suum sortitur determinatum valorem ex communi consensu, vel Principis taxatione, quem augere nulli privato licet; & qui hoc attentarent, merito a Magistratibus punirentur, vel a consuetudine universim adprobata: possunt tamen lucrum accipere ob rationes capite superiori allatas. Non tamen putandum est, campsores monetarum valorem augere, dum

dum lucrum suum singulis monetis adæquant: hæc enim adæquatio non monetæ auctarium est, sed distributio lucri in partes, ut æqualitas inveniatur in cambio, prout rem arithmetice consideranti patebit. Nam si res aliter se haberet, duplex consequeretur lucrum campsor, nimirum & ex actuario monetæ, & ratione artis suæ campsoriæ ob factam permutationem: quod si hoc duplex non repetat lucrum, manifestum est ipsum ex solo cambio, non ex auctario monetæ lucrari. Et revera titulum lucrandi in campsoribus non desumit Auctor Opusculi 73. D. Tho. tributi ex ipsa pecunia, quæ rationem habeat mercis, sed ex aliis titulis, scribens: „ Illud plus, quod accipitur a „ campsoribus in tali permutatione „ monetæ, non accipitur ratione pe- „ cuniæ, quæ de se est invendibilis, „ sed ratione periculi, vel interesse, „ ut subveniatur salariis pensionum, „ domorum, ministrorum, & laboribus, & expensis in arte necessaria, „ ne frustra ponat operam, & sudorem „ suum in re licita ad utilitatem aliorum".

Consectarium Secundum.

II. Principum Officiales, Thesaurarii, Quæstores pretiosiorem pecuniam, quam vel ex monetæ officina, vel ex Ærario Principis accipiunt erogandam, & distribuendam militibus, aliisque Principum creditoribus, nequeunt lucri gratia in minutiores, vilioresque monetas permutare, quas postea creditoribus distribuant; sicut nec Ministri Campsorum possunt hoc pacto lucrari. Ratio est manifesta, quandoquidem 1. hi Ministri jam suæ operæ mercedem, & præmium obtinent: tenentur itaque illud fideliter exercere absque alio lucro. Præterea qui vel a Principe, vel a Campsore pecuniam recipere debent, jus habent ad illam a Principe, vel Mercatore deputatam pro sui crediti solutione, quam Minister permutare non debet in deteriorem. 3. Id sine detrimento, & damno accipientium non evenit, qui lucrum illud, quod Ministri sibi arrogant, ex sua pecunia obtinere possunt; & semper utile est, & commodum creditoribus meliorem, ac nobiliorem monetam accipere, quam viliorem, & deteriorem, qua utilitate, & commodo per ministrorum avaritiam privantur. Multoque magis peccant, & ad restitutionem tenentur Principum Ministri, qui in pluribus Regnis, vel Provinciis constituti auream, & argenteam Principis monetam ad finitimas alterius Principis Civitates transferunt, ut inde æream, vel inferiorem accipiant cum non levi lucro. Nam vix dici potest, quantum detrimenti afferant Reipublicæ subditis, qui privantur pretiosiore moneta: etenim inferior, alienaque moneta ita exundat, ut negotiationi quammaxime obsit; & pauperes gravantur, cum rerum ad victum necessarium pretium ob monetæ vilitatem crescat, & augeatur: proinde gravissime peccant, & tenentur illatum communi bono damnum resarcire, tantumdem pecuniæ ab extero Principatu revocando, etiam cum suo damno, quantum cum suo lucro transtulere.

Consectarium Tertium.

III. Nec privatis licet pretiosiorem, nobilioremque monetam ab aliquo acceptam, ut alteri tradant, cum lucro in minutiorem permutare. Plures Theologi sunt, qui dissentiunt, & saltem aliquibus positis conditionibus id nec illicitum censent, nec injustum. Nimirum

rum 1., quando nec expressum, nec præsumptum habetur Domini mandatum de iisdem dandis monetis. 2. Quando sciunt, dominum non teneri eas nobiliores monetas in specie rependere. 3. Quando nullum inde nec domino danti, nec accipientibus damnum, vel nocumentum provenire certo noverint. Hinc inferunt non peccare hæredem, qui a Testatore jussus centum aureos in vidulo contentos pauperibus distribuere, illos in minutiores commutando monetas duos lucratur aureos; sicut & famulus, qui jussus parem aureorum summam creditori deferre, ad campsorem declinans in via per cambium in viliores monetas unum, vel alterum lucratur aureum. Verum, ne horum Theologorum opinioni plane acquiescam, hæc me movent argumenta. 1. Non video, quo jure, & titulo hæres, & famulus de re prorsus aliena disponere possint, nedum non consentiente domino, sed ipso fortassis dissentiente, & ex ea lucrari. 2. Famulus suam obtinet mercedem pro domini servitio; in eo igitur præstando nihil ulterius lucrari debet: & pari pacto hæres beneficium habet hæreditatis, cui onus adnexum est legata fideliter solvendi, prout est a testatore statutum. 3. Certe famulus injuriam irrogat domino, & hæres pauperibus de eorum pecunia disponendo, ut fatetur ipse Sporerius, licet hanc injuriam levem putet, ac venialem. 4. Denique famulus suspicari potest, dominum non sine causa creditori suo talem nobilioris monetæ speciem misisse, scilicet ut eum sibi magis devinciret, vel ad rem illi gratam faciendam, vel ad aliqualem restitutionis moram compensandam, vel alia fortassis non comperta, sed vera ratione; proinde periculo se exponit nocendi & ipsi domino, & creditori. Ab hoc igitur lucro absterrendos esse hujusmodi famulos, & hæredes probabilius censeo. Quod si fecerint, nulli tamen pacto restitutioni obnoxios: lucrum enim inde perceptum non fructus est ipsius pecuniæ, sed industriæ, illicitæ quidem, sed non injustæ; ut patet in fure, qui lucrum ex furtiva pecunia restituere non tenetur.

Consectarium Quartum.

IV. Licet campsori lucrum accipere ob cambium locale, & per literas, de quo ab alio rogatur, quamvis tale cambium illi valde commodum sit. Rem exemplo illustro. Titius campsor Venetus Romæ habet mille scuta, quæ Venetias transferre cogitat, ubi illis indiget: dum de medio transferendi inquirit, occurrit illi forte Sempronius, qui ab eo postulat, ut Romæ sibi transmittat mille scuta, quæ Venetiis solvit. Vel ex opposito, Sempronius habet Venetiis scuta mille, quæ dum molitur Romam mittere, a Titio rogatur, ut ipsi Venetiis ea solvat, reddenda Romæ. In his casibus qui alterum prævenit in petendo cambio, pretium cambii solvere debet, & alter licite potest accipere. Nam, ut optime animadvertit Sotus, qui dat cambium petenti, illi officium præstat pretio æstimabile; nec ex eo, quod illi tale cambium utile sit, sequitur, quod gratis præstare beneficium teneatur: in hisce enim commerciis, quid res in se valeat, pendendum est, non quantum sit alteri utilis; ut patet in venditione, in qua artis instrumenta, quæ utilissima, & necessaria sunt artificibus, non venduntur respectu habito ad utilitatem ementis, sed inspecta ipsa natura instrumenti, nimirum materia, for-

forma, opere; & sic acus vilissimo veneunt pretio, licet maxima sit ementibus earum utilitas. Ita pari pacto licet utile sit campsori Venetiis recipere scuta mille, quæ Romæ habet, vel Romæ recipere, quæ Venetiis solvit, adhuc tamen verum cambium in alterius utilitatem exercet, illique beneficium præstat pretio æstimabile, de quo rogatur: poterit igitur lucrum legitimum adipisci. Quamobrem non capio, quid sibi velit recentior Probabiliorista, dum Tr. x. cap. 6. §. 3. n. 2. scribit, sibi probabiliorem esse opinionem asserentium „ quod in hoc casu neuter lucrari debeat, sed cambium cambio reciproce compensandum, aliter etiamsi alter præveniatur, caret titulo lucrandi, cum *in eo loco pecunia careat* ". Quibus postremis verbis quid sibi velit, fateor me nullo modo percipere. Nam si in loco, ubi solvenda est pecunia, pecunia caret campsor, cambium perficere non poterit; si autem cambium perficit, profecto pecuniam in loco habeat, necesse est: ut enim campsor cambium perficere valeat, sufficit, ut in loco, ubi est solvenda, pecuniam habeat, licet careat in loco, ubi recebit. Qui igitur postulat a campsore, ut sibi Romæ solvat mille scuta, quæ Venetiis numerat, licet campsor jam in animo haberet ea scuta Venetias transferre, ubi eis indiget, & caret, habet tamen Romæ, ubi ad alterius petitionem numeranda scribit: habet igitur justum titulum lucrandi. Et idem dicendum vice versa de alio Venetiis petente pecuniam sibi solvi Romæ a campsore recipiendam. Quod vero ut licitum, & honestum concedo campsoribus, qui artem hanc ob publicam exercent utilitatem; illicitum tamen existimo, & iniquum inter privatos amicos, licet alter alterum præveniat: nam tunc censetur petens gratis petere cambium quoad lucrum cambii, licet paratus sit ad expensas, vel damna subeunda ob cambium resarcire, quæ cum hic compensentur per mutuam utilitatem, nullum lucrum, nullamque expensarum indemnitatem alter ab altero vel petere, vel recipere honeste poterit.

Consectarium Quintum.

V. Non licet pecuniam inferiorem, & minoris valoris cum pretiosiore, vel majoris valoris permutare, quando lucrum in utilitatem cedit illius, qui inferiorem, & minoris valoris monetam tradit. Nam hoc cambii pallio usura tegitur, & non cambium revera est, sed merum mutuum, quod frequenter in pluribus locis fieri hoc modo & vidi, & scio. Indiget aliquis pecunia vel ad negotiandum, vel suis subveniendum indigentiis, & amicum adit, a quo centum scuta petit, qui libenter, & quidem gratis concedit, verum in monetis vel inferioribus, vel quæ ex solo abusu certum habent determinatumque valorem, & solum ex silentio Principis cursum obtinent, onere imposito restituendi postea tantumdem, sed in moneta probata, vel aurea, & quæ legitimum obtinet valorem, unde ipse saltem quinque, vel quatuor pro centenario lucretur. Porro nullus est, qui statim non perspiciat hic non latere, sed pratere usuram. Nam quo titulo lucratur? Non titulo cambii, cum utilitas hujus contractus non jam se teneat ex parte illius, qui pretiosiorem tribuit monetam, ut æquitas postulat; sed ex opposito ille lucratur, qui deteriorem, & minoris valoris monetam persolvit. Non titulo negotiationis, quia qui primo dat pecuniam, nullam intendit inire negotia-

tiationem, nec de negotiando cogitat. Non alius igitur superest titulus, nisi mutui, cum pro pecunia pecunia recipiatur, restituenda post certum tempus, & quidem cum illo actuario, quod ex permutatione monetæ certo resultat, & a mutuante intenditur. Quod adeo certum est, ut nonnulli de hujusce contractus iniquitate moniti, ab illo quidem se recessuros dixerint, at simul non amplius suam pecuniam petentibus dare statuerint, licet, ut antea, a pluribus rogarentur; quia cum nullum amplius lucrum reportare possint, sua pecunia nec ad breve tempus carere volebant.

Consectarium Sextum.

VI. Campsor, qui prudenter dubitat de fidelitate campsarii in reddenda pecunia, potest quidem vel fidejussionem, vel pignus ab ipso petere; at lucrum cambiale proportionaliter ad periculum infidelitatis augere non potest. Prima pars positi consectarii manifesta est, & ab omnibus Theologis admittitur: sicut enim in aliis contractibus ad creditum factis licet cautionem, vel fidejussoriam, vel pignoratoriam exigere; sic ea poterit & in contractu cambii apponi; ut quemadmodum campsarius est securus de soluta a campsore pecunia, ita & campsor sit tutus de ea suo loco, & tempore a campsario solvenda. Altera tamen pars non ita communiter admittitur: non desunt enim Theologi, inter quos est P. Cuniliati, qui putat id licere, non quidem ubi est acceptata Bulla S. Pii V. vetantis, ne quisquam audeat sive in principio, sive alias, certum & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pacisci, quo Decreto & hoc cambialis lucri augmentum interdictum censet; sed, ut ipse dicit, inspecto jure naturæ. At, quonam pacto illud licebit lucrum, quod de se ineptum omnino est ad finem obtinendum? Exponit siquidem iste campsor pecuniam suam periculo amissionis, quia (ut supponit laudatus Auctor) *eam tradit decoctori, prodigo, cavilloso, perditæ conscientiæ viro, a quo non sine rationabili fundamento existimat non reddendam suo tempore pecuniam*. At quomodo ab hoc periculo cavet? Si pignus petat, si fidejussionem postulet, intelligo sibi cavisse: at per actuarium lucri quomodo sibi caveat ab hoc periculo, omnino non capio. Nam vel suo tempore pecuniam fideliter solvet Campsarius iste; & jam omne evanuit periculum: vel non solvit; & quomodo per augmentum lucri suæ securitati prospexit? Nonne tunc & pecunia carebit, & sperato lucro? Immo nonne difficilius hujusmodi genus hominum solvet quod majus est, quam quod minus? Si ergo timebat, ne pecuniam restitueret, quanto magis timebit, ne pecuniam; & auctarium non solvat? Sunt igitur hæc mera usuræ palliatio, ad avaritiam tegendam, & ad lucrum captandum inventa. Quare jure merito fuit a S. Pio V. reprobata, a cujus Decreto non est recedendum, utpote juri naturæ non adverso, sed quammaxime consono. Sed de his fusius, dum de mutuo, & usura disputabimus.

Consectarium Septimum.

VII. A moroso sive campsore, sive campsario, qui damnum ob dilationem solutionis patitur, potest exigere, quod interest, ne mora commissa foret; & debitor morosus sarcire tenetur: at nec recambium potest imponere; nec certam pœnam conventionalem statuere, nec remissionem pretii pro cambio postulare. Ratio primæ partis est, quia, ut diximus superius in tract. de Contra-

cti-

ctibus in genere, sua mora cuique noxia est; & justitiæ nomine potest, qui damnum ex aliena culpabili mora patitur, compensationem petere; & qui intulit, dare tenetur. At pacisci vel de recambio, vel de pœna pecuniaria solvenda illicitum dicimus; cum hoc & vetitum sit a S. Pio V. & alioquin media hæc inepta sunt ad damnum avertendum; solumque ad palliandum usuram adhibentur, ut diximus, ubi de pœna conventionali egimus. Similiter injustus esset, qui a campsore petens, ut post mensem Romæ sibi enumeret mille scuta, quæ statim illi solvit, si campsor dilationem solutionis usque ad tertium mensem exposcat, cum tunc paratam non habeat Romæ pecuniam, & ob hoc campsarius exigat, ut pretium cambii condonet, quod illi debetur; quia ex dilatione solutionis lucrum consequeretur, quod profecto usurarium est, & illicitum.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Non licet Clericis cambia activa nec per se, nec per alios exercere. Ita aperte docet sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. de Synodo lib. 10. cap. 6. §. 3. ubi late ostendit, cambium activum ad veram pertinere negotiationem, & Clericis, ut superius ostendimus, a Sacris canonibus vetitum: ac licet Clerici, qui cambium activum celebrant, valide contrahant, nec ab onere, & obligatione absolvantur solvendi, quod stipulatione promisere; possunt tamen Episcopi eos tamquam negotiatores statutis pœnis punire, & lucro privare. Quas pœnas non effugere ostendit §. 4. Clericos cambium activum per alios exercentes, etsi oppositum docuerint nonnulli celebriores Theologi, & Canonistæ, a quorum tamen opinione omnino recedendum docet. Immo, ut omnem adimeret contrariæ opinioni probabilitatem, præfatus Pontifex suis Apostolicis litteris datis die 21. Februarii 1741. declaravit, & statuit, nec cambia, nec aliud negotiationis genus licere Clericis etiam sub alieni nominis velamine exercere. Legatur totum laudatum Caput sextum.



PARS

PARS SECUNDA

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS IN PARTICULARI, IN QUA DE CONTRACTIBUS USUM, ET USUM FRUCTUM TRANSFERENTIBUS.

BINAS hasce Classes de contractibus onerosis transferentibus usum, & usumfructum simul conjungo; nam de prioribus pauca supersunt dicenda, cum satis dixerimus in tractatu de Contractibus in genere. Porro contractus onerosi transferentes merum usumfructum sunt Census, Emphyteusis, & Feudum; merum autem usum onerose concedunt Locatio, & Conductio. De his igitur disputabimus.

CAPUT PRIMUM.

De Censu Reali, Personali, Mixto.

DOCTRINA.

I. *Quid sit Census.* II. *Quotuplex.*
III. *Census Realis reservativus licitus est.*
IV. *Sicut & consignativus.*
V. *Ad hujus honestatem nonnullæ conditiones positæ a Summis Pontificibus.*
VI. *Aliæ additæ a S. Pio V.*
VII. *Harum nonnullæ ad jus naturale pertinent, aliæ ad positivum.*
VIII. *Quænam jus naturale respiciant.*
IX. *Quænam jus positivum.*
X. *Census personalis a Pontificibus reprobatus.*
XI. *Ejus natura exponitur, & discrimen a censu reali.*
XII. *Illicitus, & vetitus jure positivo.*
XIII. *Est mera usuræ larva.*
XIV. *Ejus defensores conveniunt cum Patronis usuræ moderatæ.*
XV. *Argumenta in favorem census personalis proposita.*
XVI. *Dissolvuntur.*
XVII. *Quid de Bullæ S. Pii V. acceptatione.*
XVIII. *Jure naturæ census realis etiam irredimibilis justus, & licitus.*
XIX. *Quid dicendum de censu mixto.*
XX. *Census vitalitius licitus est, & honestus.*

I. CENSUS hic non sumitur pro tributo, quod a supremis potestatibus imponi solet ad publica onera sustentanda, sive in subditorum mobilia bona, sive in eorum capita, vel personas: sed contractum designamus onerosum, quo quis *jus obtinet exigendi pensionem ex re alterius, vel ex persona fructifera.* In quo contractu adhuc tria sunt distinguenda, quæ census nomine designantur: nam 1. Census dicitur ipsum jus exigendi pensionem: 2. Census appellatur & ipsa pensio, quæ ab altero penditur, ab altero recipitur. 3. Ipse contractus, quo se mutuo contrahentes obstringunt, quorum alter, ille nimirum, qui pensionem solvit, Cen-

Censuarius audit; qui vero lucratur, & accipit pensionem, Censualista dicitur.

II. Multifariam dividuntur census. Nam 1. ex parte rei, supra quam fundatur census, alius realis est, alius personalis, alius mixtus. Prior jus importat percipiendæ pensionis ex re fructifera, puta oliveto, vinea, agro: alter ex ipsa persona, industria sua lucrum afferente, & cum ipsa cessat persona, supra quam fundatur; tertius vero jus impertit fructus percipiendi ex re simul, & persona; utraque enim obnoxia censentur. 2. Item ex parte rei, quæ percipitur, alius est pecuniarius, quia pecunia pro pensione solvitur; alius fructuarius, qui fructibus penditur. 3. Ex parte modi dividitur in reservativum, & consignativum. Reservativus dicitur census ille, quo quis rem suam fructiferam alteri tradit, translato dominio saltem utili, & adjecto onere annuam pensionem solvendi. Consignativus vero perficitur, cum retento rei frugiferæ dominio alteri jus venditur percipiendæ annuæ pensionis. 4. Ex parte durationis alius perpetuus est, quippe qui nullo definito circumscribitur tempore; quamobrem nunquam expirat, nec invito Censualista extingui potest, unde & irredimibilis dicitur: alius vero temporarius, qui ad certum tempus, puta ad decennium, vel ad vitam durat, & redimibilis est, vel arbitrio Censualistæ, vel Censuarii, vel utriusque, juxta initas in ipso contractu conventiones, & pacta.

III. Census reservativus omnino licitus est, & æquitati conformis. Hujus exemplum habemus in Scripturis: nam Genes. 47. legimus, Josephum bona Ægyptiorum Regi divendita pro tritico in annonæ caritate accepto, illis iterum reddidisse, reservata Regi Pharaoni, ejusque ærario quinta redituum parte, quotannis a subditis pendenda. Et revera quid magis justitiæ conforme, quam ut ille, qui rem suam frugiferam alteri sine pretio, vel levi pretio tradit, aliquam sibi super bona illa pensionem reservet? Hujus tamen census rarus modo est usus; & illius vestigium habetur in aliquibus Regionibus, in quibus ita celebrantur census. Primo publico instrumento Censuarius prædium, vineam, oliveta Censualistæ justo pretio vendit: deinde illico alio publico instrumento emptum prædium, olivetum, vineam cedit venditori cum onere annuæ pensionis, & facultate fundum fructiferum, recuperandi, cum sibi libuerit, persoluto venditionis pretio. Qui vero ita contrahunt, non censum constituere dicuntur, sed livellum. Hos vero contractus aliqui cum P. Paulo Comitolo ita distinguunt: in censu venditor pensionis remanet fundi frugiferi dominus, & proprietarius; in livello vero illius dominium per venditionem transfertur in emptorem. 2. In censu dominus fundi pensionem solvis; in livello vero domino pensio redditur. Verum hosce contractus non in se revera, sed solum in modo contrahendi differre existimo.

IV. Census realis consignativus in se omnino licitus est. Et primo quidem, si census fructuarius sit, nullus est, qui neget honestum esse, & licitum. Sicut enim quilibet vendere potest, & cedere totum prædium, vel usumfructum, retento dominio; ita quilibet potest partem fructuum, vel partem ususfructus alteri cedere, & vendere justo persoluto pretio. At si Census pecuniarius sit pecuniaria pensione solvendus, adhuc honestus, licitusque habendus est, licet

reluctentur nonnulli antiquiores Juristæ. Nam 1. ejus honestatem æquitatemque cognoverunt Pontifices Martinus V. Calixtus III. Nicolaus V. & S. Pius V. debitis tamen appositis conditionibus, de quibus infra. 2. Accedit universalis omnium Gentium, populorum, & nationum usus, hunc contractum realis census, probantium, & exercentium. 3. Ipsa naturalis ratio evincit. In censu enim reali res venditur pretio æstimabilis, scilicet jus ad fructus recipiendos ex fundo frugifero, quod emptori obnoxium redditur, & quorum loco substituitur pensio juxta leges, vel consuetudinem taxata, & justum pretium penditur correspondens valori pensionis loco fructuum substitutæ solvendæ, de quo inter se conveniunt contrahentes. Unde vera, & realis habetur emptio, & venditio, nimirum ususfructus rei frugiferæ, quæ ab uno venditur, ab alio emitur. Nec obstat hosce ususfructus tractu temporis summam excedere persoluti pretii: hoc enim commune est contractibus omnibus, in quibus usus rei utilis, vel frugiferæ seorsum ab ipsa re venditur: Sic in contractu locationis domus pensiones annuæ tractu emptoris valorem ipsius domus superant; quin tamen nullus hunc contractum illicitum existimet, Immo & in ipsa venditione agri vineæ, oliveti fructus, qui tractu temporis ab emptore percipiuntur, longius persolutum in emptione pretium excedunt; quin tamen illicita habeatur venditio. Ita pari pacto cum in contractu realis census ematur jus ad fructus rei frugiferæ, illius honestas non tollitur, eo quia tractu temporis hujusmodi fructus, & pensiones persolutæ pecuniæ, & pretii quantitatem adæquent, immo supergrediantur.

V. Summi Pontifices nonnullas conditiones servandas indixere, tum ad æquitatem in censibus servandam, tum ad usuræ labem, vel suspicionem ab illis amovendam. Martinus V. & Calistus III. has quatuor postulant conditiones, 1. ut Census fundentur in bonis immobilibus determinatis, & frugiferis, nimirum, ut inquit Martinus V. *super bonis suis, terris, agris, prædiis, domibus*. 2. Ut census emantur numerata pecunia. *Ipsi venditori integraliter in pecunia numerata solvi consueverant*. 3. Ut venditori semper liberum sit restituta pecunia census onere se exsolvere. *Semper in ipsis contractibus expresse ipsis venditoribus data fuit facultas, atque gratia, quod ipsum annuum censum in toto, vel in parte pro eadem summa denariorum, quam ab ipsis emptoribus receperunt, quandocumque velint, libere possint extinguere, & redimere, ac se ab ipsius census solutione ex tunc penitus liberare*. 4. Nec emptor unquam possit venditorem ad censum redimendum cogere. *Sed ad hoc hujusmodi census venditores inviti nunquam per emptores arctari, vel adstringi valeant*. Horum autem Pontificum Constitutiones habentur lib. 3. Extr. Titul. de emptione, & venditione.

VI. At S. Pius V. ad omne usuræ periculum magis adhuc removendum easdem confirmavit, & plures alias adjecit conditiones. 1. Confirmavit census constitui non posse nisi in re immobili, determinata, & frugifera: sic enim jubet Constit. edit. 1569. *Statuimus censum, seu annuum reditum creari, constituire nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sua natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit*. 2. Pretium census esse in numerata pecunia coram Notario, & Testibus persolvendum: *rursum nisi vere in pecunia numerata præsentibus Testibus, ac Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius* re-

recepto integro, justoque pretio. 3. Ne venditor cogatur censum anticipate solvere. *Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus*. 4. Ne venditor cogatur damnum subire etiam in casibus fortuitis ab illis distinctis, qui naturam census comitantur. *Conditiones directe, aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenentur, nullo modo valere volumus*. 5. Liberum sit venditori fundum, in quo constitutus est census, cum sibi opportunum censuerit, alienare, quin cogatur aliquid censualistæ ob hoc persolvere. *Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper ac libere, ac sine solutione laudemii, seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate alienari*. 6. In venditione tamen fundi præferatur censualista aliis emptoribus. *Ubi autem vendenda sit, volumus dominum census aliis omnibus præferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, & per mensem expectare*. 7. Censualista non cogatur solvere interesse ob moram solvendæ pensionis, vel ob expensas subeundas in ejus exactione. *Pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, seu expensas medio juramento creditoris liquidandas . . . . ex toto irrita sint, & nulla*. 8. Ne ex redditibus, vel pensionibus non solutis census ullo modo augeatur. *Immo & censum augeri, & novum creari super eadem, vel alia re in favorem ejusdem, aut personæ per eum suppositæ pro censibus temporis vel præteriti, vel futuri, omnino prohibemus*. 9. Ne ad aliqua onera solvenda cogatur venditor, ad quæ vi contractus census non obstringitur. *Sicut etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de jure, & ex natura contractus non spectarent*. 10. Si fundus, in quo census fundatur, vel in totum, vel in partem pereat, debitum solvendi pensionem vel omnino, vel in partem extinguatur. *Census omnes in futurum creandos non solum re in totum, vel in parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui. Non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, immo centum, & plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis, directe, aut indirecte talem facultatem conferentibus, quibuscumque verbis, vel clausulis concepta sint*. 11. Decernit Censuarium teneri monere Censualistam de census redemptione, quam meditatur, bimestri ante præfatam redemptionem, ad quam intra annum faciendam cogi possit, licet voluntatem mutaverit: at elapso anno cogi non possit, & adhuc liberum sit censuario censum extinguere, quandocumque sibi libuerit, prævia tamen nova denuntiatione. *Cum vero traditione pretii reditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denuntiari ei, cui pretium dandum erit, & post denunciam, intra annum tamen, etiam ab invito pretium repeti posse: & ubi pretium nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilominus quandocumque reditum extingui posse, prævia tamen semper denuncia, de qua supra . . . . idque observari mandamus etiam quod pluries & pluries denuntiatum fuisset, nec unquam effectus sequutus fuisset*. 12. Non possit pactum iniri, quo Censuarius ad censum extinguendum, sive in pœnam, sive ob aliam causam co-

cogatur præter mox expositam. *Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictum ab invito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse omnino prohibemus*. 13. Pretium census semel constitutum non possit progressu temporis vel minui, vel augeri. *Pretium semel censui constitutum nunquam possit ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quoad ultimo contrahentes minui vel augeri*.

VII. Ex his conditionibus plures ad jus naturale spectant, quibus deficientibus usurarius evadit contractus; nonnullæ vero ad usuræ periculum præcavendum ordinantur; aliæ denique modum præstituunt honestum, & rationabilem hosce contractus celebrandi. Ex primo capite Bulla S. Pii est declarativa juris naturalis, & divini, proinde omnes obligat, nec potest contraria consuetudine abrogari. Ex secundo capite est præceptiva, & certe obligat, ubi est acceptata, immo ubique est observanda, cum ubique periculum usuræ committendæ vitandum sit. Ex tertio vero capite est pariter præceptiva, sed non eo rigore, ut, si aliqua ex positis conditionibus bona fide, vel ex inadvertentia omittatur, statim contractus usurarius evadat, vel illicitus.

VIII. Ad jus naturale, & divinum spectare censeo 1. conditionem de censu in re natura sua fructifera, & immobili constituendo: Nam fieri non potest, ut res infrugifera fructum pariat, quod pretio emi possit. Quamobrem qui pro censu constituit rem infrugiferam, non ex ipsa re, sed ex persoluto pretio lucratur. Similiter si res sit mobilis, nequit fructum reddere sine sui vel in toto, vel in parte consumptione: proinde re consumpta vel definit census; vel si adhuc subsistat, jam non ex re, quæ non extat, sed ex ipsa persoluta pecunia fructus perciperetur, quod labem usuræ involvit. 2. Contra jus naturæ etiam sunt pacta omnia obligantia ad casus fortuitos; & quod pereunte in toto, vel in parte fundo, cesset pari pacto & census: iniquus enim esset, qui Censuarium cogeret ad pensionem solvendam, etiamsi fortuita fluminis inundatione ager, olivetum pereant. Quamobrem jus naturale attingit statuta conditio de censu statuendo in re determinata frugifera, qua pereunte cessat & pensio. Quod si census indeterminate constituatur super omnia vendentis bona, aliqua illorum parte pereunte, pro rata minui debet census solvendus, ut sit æqualitas in contractu. Similiter violatur jus naturale, si aliqua imponantur Censuario onera, quæ vi contractus illi non debentur. Immo & illam conditionem pertinere arbitror ad idem jus naturale, ne pensiones anticipata reddantur solutione: quandoquidem hoc pacto Censuarius censum vendere cogitur minus, quam valeat; vendit enim fructus oliveti puta centum nummis aureis; at ipse revera nonnisi nonaginta quatuor vel quinque recepit, aliis quinque, vel sex sibi retentis ab emptore; & præterea his quinque, vel sex aureis non receptis a venditore respondent fructus oliveti, vel agri singulis annis pendendi: nec hanc tollit iniquitatem, sed solum minuit, quod elapso anno censum non solvendo integrum habeat pretium.

IX. Ad jus vero humanum præcavendis usuris positum pertinent conditiones de pretio solvendo numerata pecunia coram testibus, & Notario; quod non constituantur census ex pecunia credita, nec merces, vel aliæ res dentur loco pecuniæ; quod liberum sit Censuario fua-

fundum suum vendere, licet censui subjectum; quod census non augeatur ex pensionibus non solutis; quodque liberum sit Censuario, cum sibi libuerit, censum redimere. Ad honestos vero civilis commercii, & conventionis modos reliquæ conditiones ordinantur, nimirum quæ prælationem concedit Censuario in emptione prædii censui obnoxii; quæ denuntiationem indicit faciendam ante bimestre a volente censum redimere; quæ facultatem cogendi denuntiatorem ad censum infra annum redimendum tribuit, sicut & hujusce facultatis cessatio elapso anno. Porro omnes hæ conditiones, ubi viget Pontificia Constitutio, sunt servandæ, nec sine culpa omitti possunt, quæ quandoque est cum injustitia conjuncta, quandoque ab illa sejungitur. „ Generatim vero „ in contractuum materia tenendum est, „ contractus omnes a Principum legibus „ pendere, quorum est naturale jus „ statu societatis applicare ".

X. Ex hactenus allatis, & expositis S. Pii, aliorumque Pontificum Constitutionibus manifeste patet ab ipsis personalem censum reprobari, & tanquam usurarium, & iniquum prohiberi: ut enim optime animadvertit sapientissimus Pontifex Bened. XIV. lib. 7. de Synod. cap. 48. „ Superfluum est censum per„ sonalem novis argumentis insectari, „ quem jam proscripsit S. Pius V. (cui „ præcesserunt Calixtus III. & Marti„ nus V.) in laud. Constit. *Cum onus*, „ ubi ad census honestatem inter cete„ ras conditiones hanc requirit, ut cen„ sus instituatur in re fructifera, non „ qualicumque, sed immobili, certa, „ ac nominatim designata „. Non desunt tamen Theologi, qui adhuc personalem censum honestum, licitumque propugnant: quia (inquiunt) juri naturali non adversatur; & S. Pii Constitutio solum præsumptione usurariæ fraudis nititur, vel non est usu recepta. At, quantum a vero aberrent, breviter invictis argumentis ostendemus, exposita prius hujus personalis census natura.

XI. Census itaque personalis in hoc solum a reali differt, quod non in re immobili, fructifera, & determinata constituitur, sed in ipsa Censuarii persona, quæ industriam suam, operam, labores vendit, & quorum loco pensionem substituit quotannis solvendam vel ab ipso, vel ab hæredibus, donec censum redemerit, qui nunquam in realem transit; licet pro ejus securitate quandoque res immobilis in hypothecam detur: nam pereunte re hypothecata non perit census (sicut contingit, cum fundus perit, in quo est realis census constitutus) sed semper remanet ad solutionem pensionis obstricta persona. Proinde hujus census defensores ad ejus honestatem postulant, ut persona, quæ fundamentum est illius, sit per se frugifera, idest apta, idonea ad lucrandum sua opera, industria, negotiatione, aliove modo. Censum hunc nonnulli solum approbant, quando est redimibilis ex parte censuarii, seu venditoris: alii tuentur etiam redimibilem ex parte utriusque, quando nimirum & Censuarius redimere potest pro libito censum, & cum a Censualista cogi potest etiam invitus ad redimendum. Nos longe probabiliorem, immo certam existimamus illorum doctrinam, qui censum personalem absolute illicitum pronuntiant, multoque magis iniquum dicunt, cum est utrinque redimibilis.

XII. Porro censum personalem illicitum esse, & jure positivo vetitum, ceu usurarium fatentur omnes Theologi,

etiam Probabilistæ, qui illum damnatum agnoscunt a S. Pio V. ut diserte testatur & ipse S. Pontifex Bened. XIV. loc. n. 10. citato. Præterea illum etiam usurarium, & illicitum absolute, ceu juri naturali adversum propugnant plures Theologi a Navarro citati: &, quando utrinque sit redimibilis illicitum dicunt & ipsi census personalis patroni, qui solum concedunt redimibilem ex parte censuarii, ut videre est apud Henricum a S. Ignatio, Carolum Billuart aliosque. Denique & ipsi benigniores Probabilistæ censum mere personalem ita probabiliter censent licitum, ut tamen fateantur probabilius illicitum esse, & usurarium, ut de Cardinali de Lugo testatur Busembaum lib. 3. tr. 5. cap. 3. n. 2. scribens: *Ita probabiliter Covarruv., Lessius, Sà . . . contra Navarrum, Molinam, Card. de Lugo disp. 37. sect. 225. n. 25. ubi censum mere personale illicitum esse, docet esse probabilius, & prolixius probat*. Quamobrem miror reperiri Theologos Probabilioristas, qui Probabilismum merito detestantes, nullamque agnoscentes probabilitatem in opinione probabiliori contraria, adhuc tamen censum personalem licitum esse propugnant, & in re saltem adeo dubia, & ancipiti tutiorem opinionem juxta eorum principia non amplectuntur, & defendunt.

XIII. Sed argumentis ostendamus, censum personalem non esse nisi usuræ larvam, proinde ipso naturali jure illicitum. Et quidem hanc spartam adornavit egregie P. Concina Tom. 7. lib. 3. diss. 4. cap. 10. n. 1. & seq. & multis argumentis hanc veritatem luculentissime evincit. Nos autem paucis contenti ea afferemus argumenta, quæ validiora sunt ad intentum. Et primum quidem argumentum suppeditat Bened. XIV. de Syn. Diœc. lo. n. 10. laud. „ In censu personali non emitur jus „ ad percipiendam annuam pensionem, „ sicut in censu reali; sed venditur „ ipsa pensio: quemadmodum enim is, „ qui accepto pretio se obligat ad dan„ dum equum, reipsa vendit equum; „ ita qui accepta certæ pecuniæ summa, „ se, suamque personam obligat ad „ solvendam quotannis certam pensio„ nem, dicitur vendere ipsam pensio„ nem. Quamobrem censum persona„ lem ementi, aurum ex auro per se, „ & immediate nasceretur, in quo tota „ consistit usurarii contractus nequitia. „ Quod magis evidens apparet in cen„ su personali utrinque redimibili, ubi „ nomine census mutua datur pecunia „ cum auctuario recuperanda ad dantis „ beneplacitum". At inquiunt, non ipsa pensio emitur, sed jus ad pensionem exigendam ex vendentis opera. Verum hæc distinctio futilis omnino est: nam & idem dici potest in ipsa manifesta usura; quandoquidem dum mutuum das cum onere reddendi quinque pro centenario, mutuando jus acquiris ad auctarium, & proinde emis ipsum auctarium, & sic vere usuram committis. Pari ergo pacto dum in personali censu jus emere præsumis ad accessiones, ipsas emere accessiones convinceris: usuram ergo vere, & proprie committis.

XIV. Qui licitam usuram moderatam sentiunt, ut sunt Molinæus, Salmasius, Brodersenius, aliique, ingenue fatentur in hujusmodi censibus personalibus veram esse usuram, quam tamen non vetitam pronuntiant. Nam ad hoc lucrum eas omnes postulant conditiones, quas census personalis Patroni pro ejus honestate requirunt. Nam volunt ad usuram licitam, ut pecunia non detur personæ pauperi, infirmæ, egenti, uno verbo, ad lucrandum ex pecunia ine-

ineptæ: immo nec diviti, aut mercatori datam, ut suæ subveniat necessitati, aptam putant ad lucrum obtinendum: sed opus est, ut determinate ad lucrum detur, & nihilominus lucrum inde proveniens veram usuram dicunt. At hoc idem postulant & defensores honestatis census personalis: ergo & ipsi veram usuram exigunt. Totum itaque discrimen est. Protestantes suo nomine usuram appellant, & eam licitam dicunt: Theologi vero, qui omnem detestantur usuram, nomen mutant. At sicut protestantium opinio, & argumenta eas usuras minime a peccato, & furto immunes redunt; ita nec nominis mutatio efficit, ut vere coram Deo furtum non sit, & usura; quod censum personalem ipsi appellant.

XV. At inquiunt, nonne licitus est realis census, quia fundum, in quo fundatur, frugiferum est? At persona ipsa hominis, præsertim solertis, gnavi, multæquæ industriæ sive in negotiando, sive in agendo, non minus frugifera habenda est. Ergo sicut ex fundo pensionem accipere licite possum per censum realem; ita non dissimile potero lucrum nancisci a persona per censum personalem. Et revera quis inficiabitur, posse quemlibet suam operam, & industriam locare; cur non igitur & vendere; An non quotidie videmus Principes personis ipsis tributum imponere, & decimis personas subjicere? Inspecto igitur jure naturæ licitus est dicendus personalis census. Eo vel maxime, quod per hoc discriminatur a mutuo, in quo mutuarius cogi potest ad mutuam pecuniam reddendam. At censualista in censu personali, solum redimibili ex parte venditoris, nunquam cogi potest ad pecuniæ restitutionem.

XVI. Verum hæc argumenta fucum quidem faciunt imperitis: quamobrem quidam Auctor Gallus Casuistarum libros non nisi artem cum Deo cavillandi continere, argute pronunciavit, & ipsis Casuistis idem contingit quod de Dialecticis scribit Cicero de Oratore lib. 2. cap. 38. *Ad extremum ipsi se compungunt suis acuminibus, & multa quærendo reperiunt non modo ea, quæ jam non possint ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorsa, & potius detexta prope retexantur*. Et revera hoc eodem argumento ex paritate census realis utuntur, immo illud vehementius urgent & ipsi usuræ moderatæ Patroni. Si quid igitur hoc argumentum valeret, evinceret aliquando licitas esse usuras; & cum mutuum datur personæ industri, negotianti, lucranti, licere ex dato mutuo lucrum accipere. Quid igitur prodest hoc usurarium lucrum levissimo census personalis fuco, & voce oblinire, & tegere? At Theologorum cavillationes omnes uno ictu obtruncat Ecclesia, dum census reales, ut licitos, æquitatique conformes agnoscit, & adprobat: personales vero census, ut usurarios, illicitos, injustos damnat, & rejicit. Sed ut pressius argumento respondeam. Comparatio fertilitatis agri cum fœcunditate hominis dulce est somnium, vana chimæra. Nam agri sunt de se stabiles, & semper statuto tempore suos fructus gignunt. At homo est res mobilis, quæ quotidie mutationibus subjacet, modo enim sanus, modo infirmus, modo negotiationi incumbit, modo ab illa abstinet, hodie vivit, cras moritur, in ipsis suis negotiationibus, operibus, industria fallitur, decipitur, pecunia perit, merces vilescunt, ac corrumpuntur, gravatur ære alieno, & innumeris aliis subjicitur vicissitudinibus. Præterea & ipsius industriæ fructus inconstans,

ac

ac incertus plane est, fortunæque ut plurimum, & sorti obnoxius. Porro sicut sors, quæ pro censu datur, immobilis est, & immobiliter perseverat; ita oportet etiam, ut quod pro ipsa emitur, si quid per se immobile, stabile, fixum; alioquin ipsa venditio omnino ficta foret, & ad fucum faciendum inducta. At hoc, ut patet, non contingit in censu personali. Nulla igitur cum censu reali convenientia. Quid quod? Nemo plane est, qui in censu personali constituendo de alterius industria, opera, peritia in toto, vel in parte emendis cogitet. Unus, in quem collineat, scopus est, ut lucrum ex pecunia reportet. Ipsius propterea parum aut nihil interest, num alter negotietur, num operam ponat, num industriam adhibeat; dummodo stato tempore fideliter censum persolvat. Præterea nonne in censu reali, si fundus perit, perit & census? Et in censu personali pereunte persona, quæ frugiferi fundi loco habetur, non perit, sed perseverat census, & hæredibus incumbit vel censum solvere, vel sortem reddere. Non igitur jus in operam, & industriam personæ emitur, sed, ut inquit Bened. XIV. *ipsa pensio emitur*; quæ non cessat, licet cesset industria, ac cesset persona. At urgent, nonne persona locare potest operam suam, artem, industriam? Fateor: at tunc apparet justitia, & proportio inter pretium, & operam; nam datur pretium pro labore, & industria præsenti, qua cessante cessat & pretium, quod si persolutum sit, est restituendum: proportionatur etiam operi, & dignitati personæ; aliud enim pretium solvitur Patrono, Medico, Magistro, aliud sutori, aliud famulo a pedibus, aliud in cubiculo a secretis: proportionatur & tempori præstiti famulatus, & operis; tandiu enim durat pretium, quamdiu durat industria, opusque præstitum. At e contra in censu personali nulla æquitas, proportio nulla: nam æque exigitur census a nobili, a divite, ab industri, & gnavo, quam a vili, a paupere, a plebejo, ab imperito. Nulla proportio inter censum, & fructum industriæ: nam ille exigitur, sive magnus, sive parvus, sive nullus sit industriæ fructus. Nulla proportio in tempore; nam perpetuus est census, temporanea persona, temporanea industria, temporaneus denique fructus. Qui igitur locare operam suam potest, fructus industriæ vendere omnino non potest: justa ergo locatio, illicitus census personalis. Quod vero Persona & tributis subjaceat, & decimis, nihil ad rem facit: sicut enim & ipsa Persona a Principe defenditur, & regitur; ita æquum est, ut de suo penu tribuat conservationi status, & Principis: & sicut in spiritualibus a Pastore regitur, ita debet & Pastori rependere alimenta, & sustentationem. Nec census personalis satis a mutuo discriminatur, ut usuræ vitium effugiat; quia censualista ad restitutionem sortis cogere non potest censuarium, sicut potest mutuatarius mutuatorem. Nam & huic quoque liceret fructum ex mutuo accipere, si se obstringeret ad non repetendum mutuum, nisi post certum tempus, ut quidam docuere Casuistæ, quorum doctrina damnata fuit ab Alex. VII. propositione 42. ajente: *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*. Et hoc est, quod præstat Censualista personalis, dum censum personalem ex sua parte irredimibilem celebrat; dat mutuam pecuniam sub ficto nomine census, & onus sibi assumit sortem non repetendi, quamdiu

diu censuarius vel pensionem fideliter solverit, vel sortem sponte restituere voluerit. Mutatur igitur turpe nomen usuræ in blandum census personalis; at pravitas illius & in isto perseverat.

XVII. Quoad acceptationem Bullæ S. Pii V. damnantis personales census, ea legantur, quæ scribit P. Concina loc. sup. laud. Hic solum addo detestandum plane esse, & intolerandum, quod scribit Continuator Tournelianæ Moralis par. 2. de Contract. cap. 6. conclus. 1. scilicet, binas illas conditiones a S. Pio V. statutas ad honestatem census, nimirum 1. constituatur in re frugifera, & immobili, 2. ut re in toto, vel in parte perempta, aut infructuosa in toto, vel in parte effecta, census ad ratam perire debeat „, nec in Gallia, nec „ in Hispania, nec in Belgio, immo „ nec Romæ observari, cum ibi census „ personales in usu sint, & vix ullibi ita „ creentur, ut sequi debeant conditio- „ nem rei, super quam constituti sunt, „ unde ea ex toto pereunte illi ne qui- „ dem ex parte pereant ". Aperta ergo fronte, si hunc Theologum audias, Romæ, in Galliis, in Hispaniis, in Belgio usura progreditur, atque triumphat. Undenam enim pensionem accipiunt hi Censualistæ? Non profecto ex re immobili, & frugifera, cum in ea non fundetur census. Non ex industria, opera, negotiatione personæ, nam iis etiam non positis adhuc census percipitur. Non in ipsa persona Censuarii, nam ea vel inepta, vel extincta census ne quidem ex parte perit. Superest igitur, ut ex sola data pecunia fructus dimanet. Aperta igitur grassatur Romæ, in Galliis, in Hispania, in Belgio usura. Et quod pejus est, quia hic mos viget in Belgio, in Galliis, in Hispania, &, si fides Auctori, etiam Romæ, non injustitia, non usura, non furtum, sed census legitimus, licitum lucrum, honestum commercium evadet. Quis talia legens temperet a lacrymis?

XVIII. Inspecto naturæ jure census realis perpetuus, & irredimibilis justus est, & honestus, servata tamen æqualitate pretii. Justum esse, & licitum hujusmodi censum manifestum est, cum sit venditio ususfructus rei immobilis, vel frugiferæ, quæ sicuti integre alienari potest, etiam quoad dominium perpetuum absque ulla spe, vel facultate in venditore recuperandi, ita potest vendi quoad dominium utile, sive quoad usumfructum: pereunte tamen re periret omnino census. Addidi, servata æqualitate pretii: nam longe pluris æstimatur perpetua venditio, & totalis alienatio, quam temporanea, & cum facultate recuperandi. Dixi, inspecto naturæ jure: nam jure positivo tum Ecclesiastico, tum civili hujusmodi perpetui census prohibentur.

XIX. De Censu mixto, quo nimirum ad annuam pensionem reddendam & bona obstringuntur Censuarii, & ejus simul persona, nihil est, quod hactenus dictis addamus: cum enim qua parte bona obnoxia fiunt, realis fit, honestum, & legitimum esse constat; qua parte vero operam, industriam, labores pro fundo constituit, illicitus est, & fœneratitius. Quapropter deficiente fundo, & pereunte vel ex toto, vel ex parte, perit æqualiter & census, quin persona sit obnoxia solutioni.

XX. Census vero, qui solum ad vitam durat vel Censuarii, vel Censualistæ, unde & vitalitius vocatur, improprie census dicitur: nihil enim revera emitur, aut venditur, sed datur summa aliqua pecuniæ per partes in singulis annis reddenda cum periculo vel minus accipiendi, quam datum sit ex parte Censualistæ, vel plus dandi, quam acceperit ex parte Censuarii: quare con-

contractus est sortis, & aleæ, non venditionis, & emptionis. Binas postulant ad hujus contractus honestatem, & justitiam conditiones Theologi: nimirum 1. ut fundetur in re fructifera; 2. ut ratio habeatur ætatis, valetudinis, habitudinis, aliarumque circumstantiarum. Hujus secundæ conditionis æquitatem agnosco, ut proportio sit inter datum & acceptum, & æquale utrumque periculum vel emolumenti, vel detrimenti. At prioris necessitatem non perspicio; non enim hoc contractu fructus aliqui vel venduntur, vel emuntur; sed ipsa pecunia datur reddenda per partes. Præterea in censu personali non requiritur res frugifera, in quo tamen est vel in perpetuum solvenda pensio, vel redimenda integra restitutione sortis, ut docent hi Theologi. Cur igitur postea rem frugiferam postulant in censu vitalitio, in quo & pensio extinguitur morte alterutrius, & nunquam est sors reddenda; Nec dicant, bona frugifera requiri pro hypotheca, & assecuratione sortis datæ. Nam hoc libenter admitto; quandoquidem & in gratuito mutuo per partes restituendo, constitui possunt frugifera bona pro hypotheca restitutionis: at quis unquam dixerit mutuum fundari in re frugifera?

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Nonnullæ S. Pii V. declarationes.*

II. *Census redimibilis ex parte emptoris usuram sapit.*

III. *Num cogi possit venditor ad censum redimendum intra certum tempus.*

IV. *Conditio apposita censui, ut pereunte fundo pereat & census, est juris naturalis.*

V. *Non est illicitum in censu pactum apponere de eo integre redimendo, & non per partes.*

VI. *Quando divisus est fundus census, a quo sint repetendi fructus.*

VII. *Pactum assecurationis sortis a quocumque periculo addi non potest contractui census.*

VIII. *Census valide, & licite vendi possunt, at non semper minori pretio.*

Consectarium Primum.

I. S. PIUS V. sua Constitutione anni 1570. x. Junii, nonnullas declarationes edidit sui prioris Decreti de Censibus creandis. 1. Itaque declaravit, tunc censum perire solum, quando res frugifera in toto, vel in parte perpetuo infructuosa efficiatur; non vero si uno, vel duobus, vel pluribus annis, sive tempestate, sive alia causa fructus non producat. 2. Eas tantum prohiberi expensarum exactiones, quæ ex pacto, vel conventione inita, & instrumento census apposita refici promittuntur, non autem eas, quæ ex juris dispositione repetendæ veniunt, & mandato judicis adjudicantur. Quapropter expensæ faciendæ pro extorquendo a moroso debitore sive fructus census, sive ipsam sortem, ex sententia judicis a censualista juste repeti possunt. 3. Cum statuit, ut census in bonis mobilibus frugiferis, & nominatim certis finibus designatis constituerentur, declaravit se minime prohibere, ne fidejussores dentur, & alia etiam bona hypothecæ subjiciantur; dummodo tamen solum pro evictione rei obligentur. 4. Denique non esse necessariam pecuniæ enumerationem in dotium assignandarum casu; sed loco pecuniæ apocham sive cedulam bancariam idoneam exhiberi posse.

CON-

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Sicut census redimibilis ex parte solius venditoris licitus, & honestus est; ita si redimibilis sit etiam ex parte emptoris, usuram sapit, & illicitus est habendus. Oppositum tenent plures Theologi, præsertim Probabilistæ; quoad secundam partem: putant enim licitum etiam censum ex utraque parte redimibilem. At illorum opinio rejicienda est. Nam quando census creatur redimibilis ex parte solius venditoris, liquida apparet voluntas emendi fructus alienæ rei frugiferæ, cum possit ex una parte venditor nunquam redimere censum, & ex altera emptor cogere non possit censuarium ad redimendum fortis solutione. At quotiescumque censualista cogere potest censuarium venditorem ad redimendum censum, apparet illum non animum habuisse emendi, sed ex pecunia lucrandi. Quid enim aliud est dare alicui mille scuta, quæ post duos, tres, vel plures annos pro suo libito repetat cum auctario quadraginta, aut quinquaginta in singulos annos? Hoc profecto non aliud manifeste apparet, quam fœnus census fuco oblinire, & tegere. Ita nobiliores Theologi Probabilioristæ. Nec dicas, semper hunc censum a vero mutuo distingui. Nam qui mutuo dat pecuniam, nulli unquam subest periculo eam amittendi: semper enim mutuatarius acceptum mutuum restituere debet; licet pecunia quocumque fortuito casu pereat. At non ita in censu etiam ex utraque parte redimibili: nam Censualista periculo subjacet amittendæ fortis, si fructiferum fundum census pereat. Non, inquam, hoc opponas. Nam vel periculum destructionis fundi frugiferi remotissimum est, & hoc etiam in ipso mutuo reperitur, cum fieri possit; ut mutuatarius ita in inopiam incidat, ut omnino ineptus fiat ad mutuum restituendum: immo facilius est, ut quis privatus ita depauperescat, quam ut fundi pereant; proinde hocce periculum nec flocci æstimandum est. Vel concipitur, ut periculum proximum, & facilis eventus; & tunc censualista sibi cavebit cogendo censuarium ad restitutionem fortis ante periculum; & ita semper securus erit de forte non amittenda, & de auctario ex data pecunia obtinendo.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. At quid, si census ita celebretur, ut censuarius obstringatur post quinquennium, vel sexennium censum redimere? Eritne putandum fœneratitius? Primum dico, certe a S. Pio V. omnino prohiberi tamquam illicitum, & usuræ periculo proximum. Sic enim jubet in sua Bulla; *Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictum ab invito aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse omnino prohibemus*. Num vero ita juri naturæ contraria sit apposita conditio, ut usurarium constituat censum, affirmat P. Concina ratione, & argumento superius adducto pro censu ad libitum emptoris redimendo, quæ revera urget etiam pro censu solum post quinquennium, vel sexennium redimibili. Nam revera Censualista animum non habet emendi, sed lucrandi per illud sexennium auctarium & postea fortem integram recuperandi. Verum doctissimus Franzoja putat allatam rationem non urgere: nam inquit, *in illo temporali censu intervenit venditio, & emptio fundi frugiferi, quæ licet temporanea, tamen vera est: justus igitur intervenit titulus lucrandi, nimirum ex fundo mihi obnoxio, & frugifero; nec onus*

adjectum redimendi post quinquennium ipsam emptionem destruit, ut fatetur ipse Concina, qui dicit emi censum. At falli puto doctissimum virum. Quandoquidem non negat Concina, nec ipse inficior emptionem in hoc censu intervenire; sed dicimus fictam esse hanc venditionem; umbratilem, & fucatam ad usuram tegendam. Quod sic evinco. Nam emptio de se, & ex parte ementis perpetuitatem importat, quippe quæ indole sua translationem affert dominii: quamobrem si temporanea sit, hoc progrediatur, oportet, ex parte venditoris, qui rem suam perpetuo alienare refugit, & contra emptoris voluntatem, qui rem vellet sibi perpetuo possidere. Quando igitur emptor ad tempus emit, clare indicat, se non rem velle emere, quam vult a se postea abjicere; sed luctum in emptione unice quærere. Eo ferme pacto, ut si quis amico mutuo postulanti mille scuta responderet, emam possessionem tuam mille scutis, quam postea restituam post sexennium, cum mille scuta reddideris: quis non statim videat, sane non veram esse venditionem, sed fucatam ad palliandam usuram, nec possessionis fructus sibi licite acquirere? Hoc idem profecto contingit & in censu, in quo per conditionem adjectam ab emptore destruitur venditio, quæ de se perpetuitatem importat; proinde non possessionem rei quærere, sed lucrum fucato venditionis titulo tantum velle convincitur. At subdit Franzoja, in mutuo semper est restituenda sors, quæ in hoc contractu non est restituenda, si fundus pereat intra quinquennium, vel sexennium. Fateor, sed, quod superius dixi, repono: vel periculum illud remotissimum est, & flocci faciendum; rarum enim est, ut pereant agri, vineæ, oliveta, domus, & similia: vel proximum, quia domus est ruinosa, agri, & vineæ prope flumen, vel sub rupe ruinam minitante: at quis est tam insipiens, ut sortem suam huic periculo exponere velit? Sed quid, si consuetudo ferat, ut census ita constituantur, ut non sit possibile alio modo celebrare? Egregie respondet P. Fulgentius Cuniliati tr. x. c. 7. §. 2. n. 5. „ Tunc celebrandum esse contractum „ interiori sincero animo coram Deo „ faciendi dumtaxat, quod justum est, „ & mente firma non imponendi censuario onus redimendi, quousque „ pensiones solverit, idemque non „ imponendi hæredibus suis ". Præterea animadverto, hanc consuetudinem ita celebrandi census solum locum habere, quando celebrantur ab illis, qui alienæ subjacent potestati in contrahendo. Ut contingit in bonis ecclesiasticis, quæ si de licentia Sedis Apostolicæ, vel alterius legitimi Superioris censui obligentur, ita conceditur licentia, ut simul etiam sub excommunicationis pœna teneantur Ecclesiastici intra quinquennium, & sexennium ea redimere. Porro si tunc apponatur conditio redimendi, id oritur non ex voluntate emptoris, sed ex lege superioris. Quod & dicendum est de censibus celebratis cum Collegiis artificum, cum Confraternitatibus laicis, aliisque Communitatibus, quibus Princeps, vel Judex vel licentiam non concedit, vel illis absolute jubet, ut census non nisi per quinquennium vel sexennium duraturos constituant. Inter privatos vero potest quilibet, ut sibi libet, censum celebrare, nec censuario onus imponere redimendi censum, sed illi liberam relinquere redemptionem. Denique libenter admitto, quod subdit laudatus

Fran-

Franzoja, censum redimibilem tantum in favorem emptoris, & irredimibilem a censuario, onerosum eidem esse, ab æquitate, & æqualitate alienum, ideoque juri naturæ contrarium.

Consectarium Quartum.

IV. Conditio, qua statuitur a Summo Pontifice S. Pio V., ut pereunte fundo census pereat & census, non ad jus positivum spectat, sed ad ipsum jus naturale: quamobrem census aliter celebrati vocati sunt iniqui, & illiciti jure naturæ. Nam quod licitum reddit lucrum in censu, est emptio ususfructus rei fructiferæ, qui per pensiones annuas rependitur, quo sublato jam lucrum ex ipsa pecunia proficisceretur, quod fœneratitium foret. Pereunte igitur fundo, ex quo fructus colliguntur, pereat, oportet, & ipse census. Quamobrem audiendi nullo modo sunt Salmanticenses, cum dicunt „ Census „ consistere posse etiam destructis rebus „ frugiferis, in quibus fundantur, „ ideo quia bona illa non assignantur, „ ut ex ipsis necessario census solvatur, „ sed ut ipsa solutio securior sit; pro- „ inde se habent, ut hypothecæ, & „ pignora, non ut fundamentum cen- „ sus". Unde igitur lucrum percipit Censualista? Non in fundo: ergo ex ipsa data pecunia. Non, inquiunt „ „ nam hujusmodi census mixti habendi „ sunt ex persona, & rebus; proinde „ pereunte re superest persona, pe- „ reunte persona superest res". At si in re non fundatur, quæ solum loco pignoris ponitur, pereunte persona perire deberet & census: & si in ipsa re fundatur, jam igitur non pro pignore ponitur, sed pro fundamento census: ea igitur pereunte pereat census, oportet. Aperta igitur fœnora sunt hujusmodi contractus; cum, sicut in mutuo, in quocumque eventu qui accipit, teneatur & sortem, & auctarium reddere. Nec hujusmodi census ulla consuetudine, sive usu honestari possunt.

Consectarium Quintum.

V. Non est illicitum censui pactum adjicere de ipso redimendo totaliter, & integre, & non per partes, & quidem in eadem, quæ data est, moneta. Summi quidem Pontifices Martinus V. & Callixtus III. liberum voluerunt Censualistæ censum redimere vel in totum, vel in partes. At S. Pius V. hujus conditionis non meminit in sua Bulla. Et certe, inspecto jure naturæ, præfata adjecta conditio quammaxime æqua videtur, nimirum, ut qui in censu emendo totam pecuniæ summam solvit, in ejus redemptione æqualem recipiat pecuniæ quantitatem. Similiter sicut in emptione census commodum fuit venditori tale monetæ genus; puta aureæ, vel argenteæ recipere; ita æquum videtur, ut pari pacto, & utilitate emptoris redimat: dummodo tamen nullum sit factum ipsius monetæ vel incrementum, vel decrementum, vel saltem æquale fuerit in initio contractus periculum sive incrementi, sive decrementi; tunc enim uterque contrahens sorti se committit.

Consectarium Sextum.

VI. Quando fundus frugifer, in quo fundatus est census, in plures dividitur dominos, a quolibet potest Censualista pensionem integram petere, nec tenetur seorsum singulos convenire, ut pro sua parte solvant. Ratio mihi videtur satis clara: nam actio censualistæ non est personalis, sed realis; proinde rei ipsi adhæret, quæ in quascumque transeat ma-

manus, cum hoc onere transit. Quod si vel ratione hæreditatis, vel emptionis titulo in plures divisa est dominos, hoc non obest juri Censualistæ, qui per hoc gravari non debet. Quilibet igitur vel hæres, vel emptor inter se dividere debet sicut hæreditatem, & fundum, ita omnes pensiones: at respectu Censualistæ singuli personam Censuarii repræsentant, a quo fundum cum onere obtinuerunt; proinde quilibet solvere censum debet, compensationem ab aliis cohæredibus petendo. Huic doctrinæ adhæret recentior Probabiliorista, sed solum, quando census ita est super fundum divisibiliter constitutus, ut totus toti, & pars parti respondeat, & quælibet portio divisa, sit ad totam pensionem sufficiens. Verum prætérquamquod ita in praxi nunquam celebrantur census, ratio, quam addit, mihi minime urgens videtur, videlicet quod in Decisione Romanæ Rotæ sub Cardinali Melino decisum sit, integros reditus solvendos esse etiam ex una parte prædii, aliis pereuntibus, si pars ad omnes reditus sufficiat; secus, si non sufficiat. Nam 1. Decisiones Rotæ Romanæ sunt decisiones juris civilis in singulari facto fundatæ, quæ proinde generalem regulam pro foro conscientiæ nequeunt constituere; & frequentissime contrariæ plane inveniuntur Rotæ Decisiones etiam de eadem lite. 2. Immo quando census ita est in re immobili fundatus, ut pars parti respondeat, & totum toti, æquitati consentaneum est, ut divisa pars a parte pro rata suum onus secum deferat: & ita qui partem tantum obtinet rei, non nisi partem oneris subire debet, licet toti oneri ferendo par sit; quia in initio contractus ita conventum supponitur, ut pars parti, totum toti respondeat: proinde Censualista in eo casu tenetur a singulis eorum partem, non totam pensionem extorquere. 3. Falsum mihi certe videtur universim statuere, quod pereuntibus partibus fundi adhuc totus census sit solvendus, si pars, quæ superest, sufficiat oneri pensionis. Nam, ut optime animadvertit Concina hic n. 5. Si pars fundi, puta domus, aut prædii, perit, pro rata perire debet emptori census, spectato naturali, nedum positivo jure: Nam si totum prædium, vel tota domus censui supponitur, obligatio comprehendit totum prædium, vel totam domum. Ergo si totus fundus, aut pars ejusdem perit, totus, aut pars quoque census pereat, necesse est. Nonne pars, tametsi indefinita, illius fundi amplioris subjecta censui, gravata est census onere? ergo pro rata perire debet census emptori. Alioquin attento solo jure naturæ, nedum jure Pontificio, injuste gravatur census venditor, si eidem soli perire pars illa fundi, quæ censui subjecta est, deberet: nam æque fructum redderet emptori, sive existeret, sive non existeret; quod profecto gravamen maximum infert venditori. Paritatem vero postea solvit ex Emphyteusi, in qua, nisi res tota pereat, non liberatur Emphyteuta cum pensio in hocce contractu solum in dominii testimonium solvatur, nec fructibus proportionetur: censuarius vero pensionem solvit ratione habita fructuum, quos res censui subjecta valet producere. Cui doctrinæ libens subscribo.

Consectarium Septimum.

VII. Pactum assecurationis sortis a quocumque periculo adjici non potest contractui census. Ita declaravit S. Pius V.

V. jubens, *conventiones directe, vel indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus*. Porro certum est, ad contractum census casus fortuitos non pertinere: nam si res censui subjecta casu pereat, perit & ipse census. Hoc verum quidem puto, si de periculo sermo sit remoto plane, & certe fortuito, quibus res omnes sublunares subjacent: a quo periculo cavere velle, vel illud in alium transferre cum ad se pertineat, videtur hominis rerum conditionem mutantis, & securitatem quærentis, ubi securitas non est, proinde ab æquitate alieni. At si sermo sit de periculo proximo, & probabili, puto assecurationem peti posse: nam tunc non agitur de casu fortuito, & contingente, sed de periculo proximo, & iminente, ut si quis censui subjiciat domum ruinosam, vel agrum torrenti proximum, poterit a Censualista peti sui census securitas, si vel domus ruat, vel ager ab inundante torrente abripiatur. Quod si hujusmodi periculum in se suscipere velit, vel minori pretio pensionem emere poterit, vel ipsam pro rata, & proportione periculi augere: neque enim de hisce periculis locutus est Sanctissimus Pontifex.

Consectarium Octavum.

VIII. Census valide, & licite vendi possunt, at non minoris, quam valeant; nisi specialis ratio concedat. Et quidem reales census vendi posse nullus est, qui ambigat, aut inficietur; cum sint res pretio æstimabiles, & inter bona computentur, sive mobilia, sive immobilia, quæ humanorum contractuum materiam ingrediuntur. Quod vero minoris, quam valeant, nisi minus pretio, quo constituti sunt, vendi non possint, patet manifeste: nam cum pretium census vel sit a lege taxatum, vel a consuetudine constitutum, justum in se est; proinde illum emere minori pretio est justitiam, & æqualitatem violare, & magis æstimare pecuniam præsentem pecunia absente. Addidi tamen, nisi specialis ratio concedat: nimirum si census sit difficilis exactionis, si pensio obtineri non possit sine molestiis, & difficultatibus, quia ad manus devenit Censuarii morosi; vel si bona, in quibus fundantur census, sint periculo proximo obnoxia, puta quia flumen, vel torrens prope ad vineam, agros, oliveta, censui obnoxia accessit, domus effecta est ruinosa, & similia. Recolantur ea, quæ diximus cap. 3. consect. 9. Admittenda tamen non est opinio Salmanticensium, qui docent etiam procul ab omni vel periculo, vel molestia licere minoris emere, si venditor emptorem ad emendum roget; eo quod merces ultroneæ vilescunt: quam vilitatem pretii docent usque ad tertiam partem, immo juxta aliquos usque ad medietatem descendere. Nam mihi videtur laxa, & falsa; cum oblatio venditoris ex ejus necessitate oriatur, quæ rem viliorem non constituit; & hoc esset ex aliena angustia lucrum capere, & pauperem opprimere.

CAPUT TERTIUM.

De Emphyteusi, & Feudo.

Doctrina.

I. *Quid sit Emphyteusis, & quotuplex.*
II. *Jura Emphyteutæ explicantur.*
III. *Ejusdem onera exponuntur.*
IV. *Feudatarii jura, & onera recensentur.*

I. DE Emphyteusi quæ magis generalia sunt, dedimus de Dominio cap.

cap. 3. n. 6. quibus hic nonnulla adjiciemus. Emphyteusis autem est contractus nominatus, quo *res immobilis alteri fruenda, & colenda conceditur sub onere annuæ pensionis proprietario solvendæ*. In hocce itaque contractu solum utile, non directum dominium transfertur. Alia laicalis est, alia Ecclesiastica. In illa conceduntur bona, quorum proprietas ad laicalem pertinet potestatem: ista autem solum illa complectitur bona, quorum proprietas ad Monasterium, Ecclesiam, vel alium pium locum pertinet. Ad Ecclesiasticam Emphyteusim instituendam requiritur assensus Pontificis, & necessitas, vel evidens utilitas. Dividitur ulterius in temporalem & perpetuam, quia vel ad certum tempus, aut pro certis determinatis personis conceditur; vel in perpetuum, quando jus emphyteuticum perpetuo durat, & extenditur ad omnes, sive hæredes, sive descendentes. Laicalis Emphyteusis, si sine ulla temporis expressione concessa sit, perpetua præsumitur, & ad omnes transit, sive hæredes, sive descendentes. Perpetua quoque esse potest & Ecclesiastica, si clausulæ institutionis ita indicent; ut si dicatur *pro te, & tuis hæredibus omnibus*. At semper excepti intelliguntur Filii naturales, & illegitimi, etiamsi Principis auctoritate legitimati fuerint, ut declaravit S. Pius V. Constit. 117. sed succedunt legitimati per subsequens matrimonium. Si ecclesiastica bona in Emphyteusim data redeant ad Ecclesiam, vel quia tempus concessionis elapsum est, vel quia deficiunt hæredes, potest Superior Ecclesiasticus iterum in emphyteusim alteri concedere absque Juris solemnitatibus, dummodo tamen eadem subsistat causa vel necessitatis, vel evidentis utilitatis.

II. Jura autem Emphyteuticæ hæc sunt. 1. Potest libere uti, & frui re emphyteutica; & ei competit actio realis contra quemcumque perturbatorem, aut invasorem. 2. Jus obtinet percipiendi fructus & ex incremento rei emphyteuticæ per alluvionem sive latentem, sive patentem facto; non tamen illius proprietatem, quæ finita emphyteusi simul cum utili dominio ad proprietarium revertitur. 1. Potest etiam sine consensu domini directi rem emphyteuticam oppignorare, seu hypothecare; cum per hujusmodi contractum res non transferatur in alienum dominium, sed adhuc sub emphyteutæ dominio comprehendatur, qui pensionem solvit, immo potest & ad breve tempus locare, & etiam ad diurnum tempus, dummodo non fiat ipsius rei emphyteuticæ simpliciter, sed solum commoditatis ex ea percipiendæ ipsius Emphyteutæ nomine. Potest etiam jus suum vendere, & in alterum transferre, servatis tamen conditionibus loco super. laud. expositis. Nequit tamen alteri in emphyteusim concedere sine consensu domini.

III. Onera autem Emphyteutæ sunt. 1. Ut statutam solvat pensionem, a qua non liberatur, quando modica est, licet ob sterilitatem, vel hostium incursionem paucos, aut etiam nullos percipiat fructus, cum præcedentium, subsequentiumque annorum fructus damnum abunde compensent. 1. Pacta servare tenetur in contractu Emphyteutico conventa: quamobrem meliorem reddere, si sub hac conditione acceperit; vel si tale non sit adjectum pactum, tenetur conservare in illo perfectionis statu, in quo accepit: unde si sua, vel servorum culpa deterior fiat, tenetur propriis expensis restaurare, & ad pristinum gradum restituere. 3. Si res fortuito casu, & sine culpa Emphyteutæ

tæ tota pereat, perit domino, & ad nihil tenetur Emphyteuta; si vero solum ex parte, adhuc ad pensionem solvendam adstringitur. 4. Si sua culpa pereat, quia e. c. domum non restauravit, agrum a flumine non defendit, tunc ipsi Emphyteutæ perit, & de toto damno tenetur. 5. Quando Emphyteusim amittat, sive, ut Juristæ loquuntur in commissum incidat Emphyteuta, diximus cap. 4. consect. 3. Innumeras profecto lites movent tum Juristæ, tum Canonistæ circa has omnes, quas posuimus, tum conditiones, tum modos creandi, obtinendi, & amittendi emphyteusim: sed illas expendere nostri non est instituti. Hæc proinde indigitasse sufficiat.

IV. De Feudo autem iis, quæ diximus loc. sup. laud. n. 8. nonnulla hic addimus de jure, & obligatione Feudatarii, seu Vassalli. 1. Jus competens Vassallo sistit in utili dominio Feudi, itaut rem feudalem possit libere administrare, feudo uti, & frui, & ea omnia circa illum disponere, quæ meliorem, non vero quæ deteriorem reddunt feudi conditionem. 2. Licet non possit feudum alienare sine consensu domini; potest tamen concedere, etiam pretio, illi, qui immediate sibi mortuo succederet, vel ad breve tempus, puta ad triennium, alteri locare: Cum consensu vero domini potest quocumque contractu alienare, dummodo feudum antiquum non sit; tunc enim & agnatorum requiritur consensus. Onera vero Feudatarii sunt 1. ea, quæ in investitura imponuntur, & ab ipso promittuntur, & præsertim juramentum fidelitatis, observare. 2. Contingente mutatione, sive ex parte Domini, sive ex parte Vassalli per mortem, vel alia causa, Vassallus petat investituræ renovationem, quæ licet communi jure gratis danda sit, consuetudine tamen investum est, ut pro nova investitura in directi dominii recognitionem aliquid præstetur, quod & relevium dicitur. Causas, ob quas Feudum amittitur, habes indigitata capite super. citato num. 4.

CAPUT QUARTUM.

De Contractibus onerosis usum concedentibus, scilicet Locatione & Conductione.

DOCTRINA.

I. *Quid sit Locatio, & Conductio contractus reciproci.*
II. *Onera, & Officia Locatoris recensentur.*
III. *Nonnulla alia enumerantur.*
IV. *Num pandere debeat vitia occulta rei locatæ.*
V. *Publica tributa, & vectigalia super rem locatam solvere tenetur.*
VI. *Quando teneatur pensionem vel in totum, vel in partem remittere.*
VII. *Ad quid teneantur, qui opera sua locant.*
VIII. *Onera Conductoris exponuntur.*
IX. *Quando sit pensio solvenda.*

I. CONTRACTUS onerosi, qui merum rei usum transferunt, sunt præcipue Locatio, & Conductio, de quibus modo dicendum.

Reciproci sunt hi contractus Conductionis, & Locationis, sicut & nomina Conductoris, & Locatoris: quamobrem unum sine altero bene dignosci nequit: igitur simul conjungendi. Locatio itaque definitur: *onerosus contractus, quo quis rem aliquam alteri utendam, vel fruendam concedit certo pretio, sive mercede constituta.* Reciproce vero condu-

ctio contractus est, *quo usus alicujus rei pro pretio, vel mercede comparatur*. Hinc qui rem concedit, Locator dicitur, qui accipit, emit, vel sibi comparat, Conductor audit: Adhibetur in definitione generale nomen *rei* ad significandum, locationis materiam esse posse quodcumque, cujus usus a substantia distinguitur; videlicet non solum res mobiles, & immobiles, sed etiam reditus Beneficii, Decimarum, Commendæ &c. Juxta vero rerum genera etiam Conductoris nomina distinguuntur: Qui enim prædium urbanum, vel domum conducit, Inquilinus dicitur; qui vero agrum, vel prædium rusticum, dicitur Colonus; qui operam personæ, dicitur Redemptor; qui publica vectigalia, Publicanus.

II. Onera, & officia Locatoris hæc sunt. 1. Curare debet, ut Conductor re sibi locata uti libere possit: quamobrem si ob ejus causam conductor frui, & uti nequeat re concessa tempore, & modo statuto, pretium locationis accipere non potest, & acceptum restituere debet. Immo si impedimentum a Locatore appositum fuit, vel ab alio, & hoc removere poterat, sed neglexit; tenetur & ad id quod conductoris interest, ne a conductione impediretur. Si vero nec ipse impedierit, nec appositum ab alio impedimentum auferre potuerit, solum ad accepti pretii restitutionem obligatur, non vero ad id, quod interest. Ita æquitas ipsa naturalis postulat, & statuunt Leges. Nam lege *ex conducto* 15. §. 8. ff. *locati*, & lege *si fundus* 33. indicitur: *Si Colonus frui re a te, aut ab eo prohibetur, quem tu prohibere, ne id faciat, possis, tantum ei præstabis, quantum ejus interfuit facti. Si vero ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter vim majorem, aut potentiam ejus non poteris, nihil amplius ei, quam mercedem remittere, aut reddere debebis*.

III. Tenetur etiam Locator propriis expensis in re locata reparare, ac reficere, quæ necessaria sunt, ut Conductor ea commode pro modo, & tempore concesso uti possit. Quod si præstare negligit, præsertim requisitus, id sibi procurare poterit Conductor, & expensas compensare tantumdem de pensionibus sibi retinendo. Quod nonnulli Theologi, & Canonistæ etiam ad res utiles post locationem permanentes extendunt. Verum in hoc puto, 1. conventionibus, & legitimis consuetudinibus standum. 2. Si finita locatione Locator nolit rei utilis pretium, & valorem compensare, poterit Conductor utiles meliorationes a se factas secum asportare, si sine rei locatæ læsione, & detrimento sejungi, & separari possint: si vero non possint, judicio peritorum, & piorum res transigenda.

IV. Pandere etiam tenetur Conductori vitia occulta rei locatæ, ne aliquod damnum illi obveniat: quod si omittat, & quidem vitium probe noscens, tenetur omnia detrimenta reparare; ut si quis alteri equum locet ad merces transvehendas, nec illum moneat de vitio, quo equus laborat, se videlicet projiciendi in aquam; vel locet cymbam rimarum plenam, tenetur de omni emergente damno. At sit ignoret vitium, & putet rem opportunam locare, tenetur quidem vel pretium non petere, vel acceptum restituere; sed detrimenta reparare non tenebitur. Ita docet S. Antoninus 2. P. tit. 1. cap. 13. §. 6. „ Si quis locat rem vitiosam scienter, „ vel equum claudicantem, vel aliquid „ defectuosum, peccat mortaliter, si „ inde secutum est, vel verisimiliter „ se-

„ sequi poterat grave damnum Conductori, & tenetur ad satisfactionem „ ex damno secuto . . . Si nesciebat, „ non tenetur “.

V. Tributa, & onera publica ratione locati fundi, puta domus, vel agri, solvere ad locatorem pertinet, non ad conductorem; nisi aliter conventum sit. Nec ante completum locationis tempus potest conductorem expellere, nisi justa intercedat causa: quod si injuste expellat, & ad pretium refundendum, & ad interesse tenebitur. Causæ autem juste expellendi hæ a Theologis assignantur. 1. Si conductor per biennium pretium locationis non solverit, quando locatio ad decem vel plures annos facta sit: quod si ad brevius tempus, poterit etiam citius expelli. 2. Si Conductor locata re, puta domo, abutatur ad recipiendas meretrices, lenones, fures, vel ad prohibitos ludos, aut si rem locatam deteriorem reddat, vel destruat. 3. Si ipsemet locator re locata ad proprium usum indigeat, urgente aliqua necessitate, quæ tempore locationis non existebat, & cui aliter prospicere non possit: quæ necessitas extenditur etiam ad filios, & parentes locatoris, quippe qui præferendi sunt extraneo conductori. 4. Si res locata, puta domus, necessaria indigeat reparatione, & refectione, quæ perfici nequeat, nisi conductor recedat. Refecta vero, & reparata domo, Locator inquilino concedere tenetur, ut revertatur, si velit, ad pristinam conductionem pro tempore in contractu constituto.

VI. Quando ex re frugifera locata Conductor sine culpa fructus vel exiguos, vel nullos percipit, ex æquitate naturali tenetur Locator in toto, vel in parte pensionem remittere: nam cum pensio locationis loco fructuum sit, qui domino cederent, nisi res esset locata, æquum videtur, ut sicut nullos perciperet, vel exiguos fructus prævie ad locationem, ita post locationem tenuem, vel nullam recipiat pensionem. Quæ regula, licet vera sit absolute, nonnullis tamen subest exceptionibus. Et 1. si sterilitas, vel damnum unius anni fertilitate compensetur, & ubertate aliorum, vel præcedentium, vel subsequentium. Immo non desunt Theologi, & Canonistæ, qui probabilius sentiunt, remissa a Locatore in toto, vel in parte ob sterilitatem anni pensione, si subsequentibus annis uberiores proveniant fructus, qui damnum compensent, posse remissam pensionem repetere, prout etiam in jure statuitur Leg. *ex conducto* §. Papinianus ff. *Locati* ubi decernitur: *Si uno anno remissionem quis colono dederit ob sterilitatem, deinde subsequentibus annis contingit ubertas, nihil obesse domino remissionem, sed integram pensionem etiam ejus anni, quam remisit, exigendam*. 2. Si Colonus partiarius sit, idest partem fructuum pro pensione solvat, sive in re, sive in pecunia, tunc, ut manifestum est, damnum æque dividendum erit inter Locatorem, & Conductorem. 3. Quando pensio adeo modica est, ut convenerit Conductor de ea solvenda, etiam quocumque eventu fructuum perceptionem impediente; vel quia vitium est ipsi locatæ rei intrinsecum, puta quia ager prope flumen est, vel torrenti subjectus; vel tempore belli conductus, cum hostium incursiones prævideri possunt; in utroque enim casu vel modicitas pensionis huic æquatur periculo; vel ipse conductor sibi damnum imputare debet, si rem tali vitio sibi probe comperto obnoxiam conduxerit.

VII. Qui opera sua locant, ut ope-

rarii, famuli, artifices, tenentur conventionibus stare, & opera sua fideliter, ac sedulo præstare: alioquin tenentur pro rata laboris omissi, vel non diligenter præstiti, de mercede remittere, vel de accepta restituere. Immo ad damna, & interesse reparandum obstringuntur, si ex eorum culpa lata, vel levi, non vero levissima damnum aliquod obveniat conductori. Quamobrem si quis conductus ad opus aliquod faciendum, quod ob suam imperitiam, & culpam vitiosum evaserit, imperfectum, inutile ad finem, tenetur ad id, quod interest, & ad damna reparanda: sicut pariter, si ante terminum locationis absque legitima causa, & ex culpa sua ab opere discedat, quod imperfectum remaneat, vel per alios majori impendio perfici debeat.

VIII. Conductor vero vi conductionis tenetur pactam mercedem solvere locatori juxta quantitatem, & tempus in conventione statutum: ideoque si ex diminuta, vel dilata solutione operarius damnum patiatur, conductor illud resarcire tenetur. Et in hoc frequenter peccant, qui mercedem non solvunt mercenariis, quippe qui tenentur sibi, familiæque suæ necessaria subsidia credito emere, & proinde carius, quam si emerent parata pecunia; vel tenuem supellectilem oppignorare non sine gravi incommodo, & detrimento: de qua iniquitate, & injustitia, quæ ad Deum clamat, raro admodum in confessione se accusant; nec satis eam advertunt Confessarii. 2. Tenetur re conducta uti solum ad eum usum, ad quem concessa fuit, & de quo conventum: alioquin reus erit furti; ideoque, si res etiam fortuito casu perierit, tenebitur de detrimento, & damno: c. ex. conduxisti equum ad equitandum Romam, & vel eo usus es ad trahendam rhedam, vel ad pergendum Neapolim: si in itinere pereat, vel si a latronibus rapiatur, ad damnum compensandum obstringeris. 3. Ante completum conductionis tempus rem conductam dimittere non licet conductori absque legitima, & justa causa: quod si dimittat, ad omnes pensiones tempori statuto conductionis respondentes solvendas tenebitur. Justæ autem dimittendi causæ illæ omnes sunt, quæ usum rei conductæ sine conductoris culpa impediunt; puta si domus terræmotu facta sit ruinosa, si larvis, & spectris infestetur, & similia. 4. Completo locationis spatio res est domino restituenda integra, non diminuta, non deterior effecta ex culpa conductoris (non vero, si deterior evaserit usu, vel lapsu temporis) alioqui ad sarciendum damnum tenebitur. 5. Si conductor re conducta uti non possit impedimento orto ex parte sua, nihilominus constitutas pensiones solvere debet; neque enim ex aliena causa damnum locator subire debet. Hinc qui personarum operam conducit, si forte illorum opera ex parte sui non utatur, tamen pactam mercedem dare tenetur: & pariter qui domum conducit, licet illam aliquo tempore non inhabitet, pensionem solvere debet. Excipiendum tamen, nisi forte vel famuli operas suas, vel dominus domum alteri concedere interim possit: tunc enim sicut nullum sentiunt detrimentum, ita nec pensionem accipere possunt.

IX. Pensio est solvenda statuto tempore: quod si determinatum non sit solutionis tempus, juxta regionis consuetudinem erit solutio facienda. Si dubium oriatur de non solutis pensionibus, & Conductor apochas ostendat solutionis factæ, & acceptæ postremis tribus an-

nis.

nis, in foro civili præsumitur, etiam anteriores fuisse solutas: quæ præsumptio & in foro conscientiæ locum obtinere poterit, quando certo non constet Conductori, vel a se, vel a suis prædecessoribus non fuisse solutas. Fructus rei locatæ, sive adhuc sint in prædio, sive divisi, & collecti, obnoxii sunt locatori, qui taciiam obtinet hypothecam in ipsis, etiam respectu priorum creditorum: hinc executive agere potest super eosdem fructus, & eorum asportationem, ac venditionem interdicere, quamdiu soluta illi non fuerit pacta pensio.

CAPUT QUINTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quænam sit locationis & conductionis materia.*

II. *Num liceat pauperi jus petendi eleemosynam alteri locare.*

III. *Quomodo locator, & conductor mutuo sibi obligentur.*

IV. *Non possit conductor alteri sublocare, & quo onere.*

V. *Quando, & quare possit conductor rem conductam deserere.*

VI. *Ad quid teneantur, qui opera sua locant.*

VII. *Num possit quis operam suam locare pluribus integro, & justo a singulis pretio accepto.*

VIII. *Quando conductio, & locatio finem accipiant.*

IX. *Qui uberiorem reddit agrum a se conductum, a quo expensas, ad hoc factas repetere possit.*

Consectarium Primum.

I. RES omnes, sive mobiles, sive immobiles, quæ vendi, & emi possunt, possunt & locari. Sunt tamen nonnulla, quæ legibus Civilibus, vel Ecclesiasticis locari prohibentur. Hinc ex Concilio Tridentino locare non licet, quæ ab Ecclesiastica pendent jurisdictione. Nam sess. 25. cap. 11. statuitur: „ Non licet „ jurisdictiones Ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios „ in spiritualibus locare, nec conductoribus per se, aut per alios exercere“. 2. Bona Ecclesiastica locare prævis acceptis pensionibus idem Concilium vetat, eodem loco statuens: „ Magnam „ Ecclesiis perniciem afferre solet, cum „ eorum bona repræsentata pecunia, in „ successorum præjudicium aliis locantur. Omnes igitur hæ locationes, si „ anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præjudicium successorum validæ intelligantur; quocumque indulto, vel privilegio non obstante; nec „ hujusmodi locationes in Romana Curia, vel extra eam confirmentur“. 3. Jure Canonico res ecclesiasticæ immobiles sine requisita juris solemnitate locari nequeunt, ut statuitur in Extra *Ambitiosæ* de rebus Eccles. alien. quod statutum ita intelligendum est, ut primo elapso triennio, rursum liberum sit eidem Conductori locationem confirmare, & sic in sequentibus; ut non liceat conditionem apponere primæ, vel secundæ locationi, sicut & ceteris de ipsa locatione renovanda. 4. Clericis, & Monachis in jure can. 1. causa 2. quæst. 3. & cap. 1. *Nec Clerici, vel Monachi*, prohibetur alienas possessiones, & seculares res conducere, quod intelligitur lucri gratia: nam domum pro habitatione, vel alia illis necessaria conducere non interdicitur. Recolantur, quæ superius diximus de Clericorum negotiatione. Legibus vero civilibus interdicitur militibus prædia conducere ad

colendum, non vero domum ad habitandum, vel stabulum ad equos custodiendos, & nutriendos. 2. Nec Curiales Curiæ obstricti, & obnoxii prædia conducere queunt, ne curis, & negotiis prædiorum ab officii sui muneribus distrahantur. 3. Nec servitutes prædiales, seu reales, ut sunt inter, via, jus pascendi pecora &c. locari possunt L. *locare* 44. ff. si 2. statuente: *locare servitutem nemo potest*. 4. Res fungibiles, quæ nimirum unico actu, & usu statim consumuntur, locari non possunt, cum eorum usus ab ipsa rei substantia disjungi nequeat, ut suo loco ostendemus: possunt tamen locari, si non ad consumptionem tradantur, sed ad ostentationem, ut optime docet S. Th. 2. 2. q. 78. a. 1. ad 6. ubi & ipsam pecuniam pro ostentatione locari posse concedit, scribens, " Usus principalis pecuniæ argenteæ est distractio pecuniæ in commutationes, unde non licet ejus usum vendere .... Potest esse aliquis secundarius usus pecuniæ argenteæ, ut puta si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad ponendam loco pignoris, & talem usum pecuniæ licite homo vendere potest ".

Consectarium Secundum.

II. Meretricibus, usurariis, & aleatoribus domos, vel cubicula locare licitum non esse late ostendimus tum in Tract. de scandalo, & cooperatione ad malum, tum in sexto Præcepto, ubi hanc rem fuse expendimus. Num autem liceat pauperi jus, quod habet eleemosynas petendi in tali Civitate, Ecclesia, Loco, alteri locare, etiam non pauperi, nec indigenti, licitum affirmant nonnulli Probabilistæ Theologi. Verum eorum opinio est rejicienda absolute loquendo. Nam 1. fallunt elargientes eleemosynas, qui stipem dant ad levandam egeni paupertatem, non ad augendam non indigentis, qualis est conductor, pecuniam. 2. Conductor, qui jus illud conduxit, jam non pauperis nomine, sed suo proprio eleemosynam petit, & accipit, cum non indigeat: fraudem igitur committit & erga dantes, & erga alios pauperes, quos eleemosynis privat, & quod sibi non competit, usurpat. 3. Tale jus concedens pauperi, ejus personæ concedit, ut eleemosynam petendo suæ auxilietur indigentiæ, non vero ad negotiandum cum non indigentis emolumento. Imbecillis autem est adversantium Theologorum ratio, nimirum posse pauperem, mediante etiam divite persona, eleemosynam petere. Nam tunc qui eleemosynam largiretur, probe nosset, se non diviti, & non indigenti, sed vere egeno, & pauperi dare, quod sibi per divitem petitur: & ita nulla esset fraus, nullus dolus. Quod si pauper, qui hujusmodi jus, seu potestatem habet eleemosynam petendi, morbo, vel alia causa mendicare impediatur, poterit alteri pariter egeno, & pauperi jus illud concedere, partem eleemosynæ illi cedendo: hoc enim pacto & vere egenus est, qui mendicat, & eleemosyna in levamen cedit pauperis, qui invitus jure suo uti præpeditur.

Consectarium Tertium.

III. Locatores, & Conductores sibi mutuo obligantur ex culpa lata, vel levi, non vero ex levissima; sicut nec ex fortuitis casibus. Et quidem obligari ex culpa lata, & levi, ea ratio est, quia, ut suo loco dicemus, ubi de restitutione, contractus est in commodum utriusque; quemadmodum dicit S. Anto-

toninus 2. P. tit. 1. C. 13. §. 6. *In hoc contractu venit culpa levis, quia gratia utriusque celebratur*. Non teneri vero ex casu fortuito, patet: quia in hoc contractu rei non transfertur dominium, quæ domino suo servatur, vel perit. Hoc tamen non impedit, quin aliquando ex fortuitis casibus conductor teneatur, nimirum 1. si rei periculum in se susceperit, & ad fortuitos casus se obstrinxerit; & adhuc tamen non teneretur de naturali rei corruptione: ut si quis equum conducat, in se periculum suscipiens, non obstringitur ob mortem naturalem equi, quæ non inter casus fortuitos, sed necessaria computatur, & æque accidisset in manu domini, ac locatarii. 2. Si conventis, & pactis non steterit: ut si quis domum conducat cum pacto, ne ignem in certo domus loco accendat, vel lucernam apertam non deferat, quia prope est locus fœno, vel aliis combustibilibus rebus repletus; si ignem accendat, & lucernam deferat, reus erit, & ad damnum reparandum tenebitur.

Consectarium Quartum.

IV. Post Conductor rem sibi locatam alteri sublocare, nisi aliter conventum sit. Sed tenetur ob culpam, vel negligentiam alterius, sicut de culpa famulorum, & servorum suorum, si quod damnum rei locatæ obveniat. Ita enim statuunt leges, & præsertim 25. §. 7. ff. de Locat. ubi dicitur: *Periculum præstat, si qua ipsius, eorumque, quorum opera uteretur, culpa acciderit*. Sunt tamen, qui dicunt teneri quidem de culpa sublocatarii, vel servorum, si in his deligendis negligens fuerit, & incautos, stupidos, & imprudentes elegerit; secus vero si probos, si attentos, & diligentes. At hæc distinctio inepta videtur. Nam 1. patet ex eventu in electione errasse, cum eorum culpa damnum emerserit. 2. Cum locator usum rei, puta domus, communem aliis fecerit, qui sibi soli concessus erat, illorum culpam in se suscepit respectu locatoris, cum quo convenit; & respondere huic debet de illorum culpa, negligentia, & imprudentia. 3. Vel ille, cui domum sublocavit, & cujus culpa incendio flagravit, est idoneus solvendo, vel secus, si primum, locator quidem liberabitur, & damnum erit a sublocatario reparandum: si alterum, conductor ad damni reparationem tenebitur, quippe qui rem locatam deteriorem reddidit, eam sublocando illi, qui damnum ex culpa inductum reparare non potest, dum locator illi locaverat, quem noverat respondere posse de damno, si quod ejus culpa obvenisset. Pari pacto si conductor alteri injuriam inferat, ex qua exasperatus domum incendat, obstringitur damnum reparare, cujus ipse sua iniquitate in causa fuit; secus vero dicendum, si inimicus solum ob suam malitiam domum incendat, puta ob iram vel odium injustum, quia nimirum conductor cum judex esset illum vel punivit, vel sententiam adversus illum tulit: ubi enim nulla intervenit culpa, nec damnum intercedere debet.

Consectarium Quintum.

V. Qui rem conductam ante tempus deserit ob grave periculum, quod timet, non tenetur integras pensiones solvere, sed solum pro rata temporis: secus vero, si ob levem, & imprudentem metum. Nam quod primo quæritur in re conducta, est, quod conductor nulli subsit ob conductionem periculo, præsertim gravi, sine sua culpa:

tunc

tunc enim conductio non sibi utilis, sed noxia evadit, eam proinde deserere potest; præmonito tamen locatore, ut suæ indemnitati prospiciat: quam monitionem si negligat, cum præstare possit, tenebitur ad pensiones præstandas. Quamobrem, si in urbe, ubi quis domum conduxit, lues grassetur, potest domum deserere, & ad alium securiorem locum se transferre. Auctor recens Probabiliorista putat cum Cardinali de Lugo distinguendum „ si domus „ peste inficiatur absque culpa condu- „ ctoris, posse deserere dicit, nec ad „ pensionem teneri: si vero lue non „ inficiatur, nec posse deserere, nec „ pensiones denegare; quia, inquit, „ cum adhuc habitabilis sit, & reapse „ multi alii indigenæ proprias domos „ non infectas habitent, & adhuc do- „ mus non infectæ locentur; non est „ rationabile, quod locator sua pen- „ sione privetur “. At hæ rationes meo videri nimium imbecilles sunt, & Auctoris doctrinam, nedum probabiliorem, sed nec probabilem efficiunt. Et 1. quidem expectare ne debet conductor ad domum deserendam, ut pestis, quæ in urbe grassatur, ipsam domum invadat? At hoc est mortem infirmi expectare ad Medicum vocandum. Nonne satis est, si prudenter timeat, ne pestis domum invadat, ut illam justa de causa deserere possit? At alii incolæ domos non deserunt. Sit ita. Sed suo periculo non deserunt; sed sua fortassis interest non deserere; sed deserere non possunt. Iste vero & periculum subire detrectat; & sua non interest ibi manere; & discedere potest: cur ergo tuta conscientia non poterit? Domus (subdit) adhuc non infectæ locantur. At quibus? profecto non nisi iis, qui vel aufugere non possunt, vel sub dio manere deberent, vel quorum interest & cum periculo in urbe manere. Non igitur horum exemplo constringitur ad domi manendum cum vitæ discrimine. Poterit igitur tuta conscientia recedere, solutis pro rata temporis pensionibus. Et revera L. 55. §. 2. ff. de locat. indicitur: „ qui contra „ legem conductionis fundum ante tem- „ pus *sine justa, & rationabili causa* de- „ seruerit, ad solvendas totius tempo- „ ris pensiones ex conducto conveniri „ potest “. Porro quæ justior, & magis approbanda causa deserendæ locationis, quam timor mortis ex lue in urbe grassante? Ita sentit & Juveninus To. 2. Resol. Casuum conscientiæ tract. 11. cap. 3. n. 10. & 17. Quod & dicendum de domibus, & prædiis rusticanis, si hostium immineat irruptio, quæ omnia vastet. At si timor panicus sit, & inane terriculamentum, non potest juste deserere; cum justa non sit, nec urgens causa recedendi cum alterius damno. Et idem dicendum, si quis a domo discedat ob aliquam utilitatem vel commodum, puta quia meliorem invenit domum, & suæ negotiationi opportuniorem; vel quia dignitate auctus, vel matrimonio junctus ampliori, & nobiliori indiget domo; cum liceat quidem unicuique propriam quærere utilitatem, at non cum alterius damno. Quamobrem mutare quidem poterit domum, at simul pensiones pro futuro tempore solvere, vel alteri illam locare de licentia domini, qui propterea ab omni damno reddatur immunis.

Consectarium Sextum.

VI. Pariter qui opera sua locant, tenentur ex culpa lata, & levi, non vero levissima. Hinc pastores, & custodes gregum tenentur ad restitutionem,

nem, si animal perit, vel deperditur eorum culpa; quod & dicendum de quocumque custode mercede conducto. Azorius putat, hosce etiam ex levissima culpa teneri. At Molina probabilius docet, & probat nimis rigidam esse hanc doctrinam, & a communi contractuum regula recedere. Hisce tamen incumbit probare, quando dubium sit, num sine culpa, vel secus res perierit, & rem periisse, & sine sua culpa periisse. Hinc si custos gregis dicat, oves vel sibi furto ablatas, vel a bestiis devoratas, vel fugisse, illi incumbit probare & quod ita contigerit, & absque sua culpa contigerit; secus ac in aliis rebus, quæ non ad custodiam, sed ad usum conceduntur, in quibus si res pereat, & dubium sit, num perierit culpa conductoris, locatori probatio incumbit. Ratio vero discriminis est, 1. quia in rebus in custodiam datis facilius dolus, & fraus custodis, vel saltem ejus negligentia præsumitur; & in rebus ad usum datis hæc negligentia, & fraus non præsumitur; præcipue si rei perditio cum ipsius conductoris damno juncta sit, ut si domus locata incendio absumatur.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Idem potest pluribus operam suam locare accepto ab utroque integro pretio, dummodo perfecte utrisque satisfaciat. Id patet in aurigis, qui vel ita conducuntur, ac si vacui redituri essent, vel vacui mittantur ad aliquem locum soluto pretio tum pro itu, & reditu; qui tamen, si inveniant conductores, possunt & currum, & operam suam integro pretio locare. Quod & dicendum de illo, qui conductus, ut Romam pergat ad aliquod officium præstandum, rursum potest & alteri se locare integra accepta mercede. Ratio est, 1. quia ita se uni obstringit, ut altero etiam deficiente totam operam illi præstaret; nec ex eo, quod pluribus præstat, minus singulis præstat. 2. Quia opus, quod secundo conductori locat, & est pretio æstimabile, & tale pretium revera de se meretur. Quod vero idem, & alteri præstet, hoc est per accidens, & nihil conductori nocet, licet prosit locatori. 3. Cum rari sint, & mere fortuiti hujusmodi eventus, ipsi conductores libenter consentiunt, ut conducti sibi prospiciant, & uberius lucrum procurent. Nec dicas, quod si secundus conductor sciret jam nuntium ab altero esse conductum, integram nollet rependere mercedem. Utique. At nuntius nullo justitiæ onere premitur ad manifestandum, se & ab alio mitti: & sicut prospere contingeret alteri minori pretio nuntium mittere, qui ab alio jam conductus est; ita prospere contingit nuntio, ut a duobus mittatur accepta ab utroque integra mercede: quod autem contingenter, & prospere evenit, rei naturam non mutat.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Locatio, & conductio tunc finiuntur, quando tempus elapsum est in contractu præstitutum. Quod si eo completo adhuc conductor, sciente locatore, re uti prosequatur, prorogata censetur locatio, & quidem rei conditione inspecta; videlicet si res sit prædium urbanum, vel domus, quousque alterutri contrahenti libuerit; si vero sit prædium rusticum, saltem ad annum: non censetur tamen prorogata fidejussio, si qua intervenit, sed necesse est, ut fidejussor de novo fidejussionis præstet securitatem. Non cessat vero ante

ante temporis lapsu n morte locatoris, si illi succedat hæres universalis, vel necessarius, qui cum suo prædecessore unam repræsentat personam. Cessat vero, si hæres sit successor particularis, ut Legatarius, vel donatarius; quia hic testatoris personam non gerit. Quod si locator domum, vel agrum alteri vendat, aut donet durante locatione, emptor, vel donatarius locationi stare non coguntur: at conductor a locatario repetere potest, quod sui interest, ne res locata donetur, aut væneat. Similiter cessat locatio redituum, & bonorum ecclesiasticorum morte locantis, si bona sint, quæ suæ dignitati, & beneficio sunt deputata ad sui sustentationem. Perseverat vero, si res sint non privatæ personæ, sed ad Ecclesiam, vel Monasterium pertineant, proinde ipsius nomine locatæ. Primæ partis ratio est, quia reditus, & fructus beneficii post Beneficiarii mortem ad successorem pertinent, in cujus detrimentum nihil præstare potest antecessor. Secundæ vero partis hæc est ratio, quia Prælati, & Superiores legitimi sunt ecclesiasticorum bonorum administratores: quamobrem eorum locationes ejusdem sunt rationis, ac factæ a Tutore, vel Curatore pupilli, quæ semper subsistunt; nisi forte gravis intercederet, & enormis læsio, pro qua beneficium deposcere possent restitutionis in integrum. Eodem titulo valent locationes maritorum de bonis dotalibus uxorum, quorum licet sint mere usufructuarii, sunt tamen & legitimi administratores. Immo si in ipso matrimonii initio dotalia bona accepisset, quæ nulli locata existimabat; non tenetur locationi stare, cum sit successor particularis in eisdem bonis: si vero locata noverat, & acceptavit, sua acceptatione locationi jam factæ assensisse præsumitur; eapropter illam dissolvere non poterit.

Consectarium Nonum.

IX. Qui ab usufructuario prædium, sive agrum rusticum conducit decem annis, & sperans se toto eo tempore illo frui, prioribus annis summa diligentia excolit, & uberius reddit, ac melius; si post quinquennium defuncto usufructuario ager ad hæredem pariter usufructuarium transeat, nequit ab ipso expensas repetere, nisi forte deceptus fuisset a locatore defuncto, qui se proprietarium simulasset: tunc enim ab hærede indemnitatem petere posset ob dolum, & fraudem. Si vero ad fundi proprietarium transeat, poterit indemnitatem, & expensas exigere. Prima pars hujus consectarii in textu fundatur Legis *si quis domum* §. idem quærit ff. locati ubi dicitur: *Si sumptus fecit ad fundum quasi in quinquennium fruiturus, an recipiat?* Et ait, *non recepturum, quia hoc* (mortem scilicet usufructuarii locatoris) *evenire posse prospicere debebat*. Altera vero pars patet ipso naturali jure, quia deceptus in locatione fraude, & dolo locatoris, qui se proprietarium simulavit, cum non esset nisi usufructuarius, posset ab ipso deceptore indemnitatem reposcere, proinde & ab ejus hærede, qui sicut in bona defuncti succedit, ita & ejus oneribus realibus subjacet, cujusmodi est resarciendi illata damna. Tertiæ vero Consectarii parti adversantur plures Theologi, qui putant proprietarium non teneri ad expensas compensandas; at probabilius alii docent, & conductorem petere posse a proprietario, & hunc ad compensationem teneri, & quidem merito. Nam Usufructuarius

sua

sua locatione totum jus suum transtulit in Conductorem, qui proinde eo frui debet beneficio usufructuario convenienti. Porro si usufructuarius eas subjisset expensas, & obiisset, non ne ejus hæredes possent a proprietario incrementi beneficium petere? poterit igitur & Conductor usufructuarii, cujus personam repræsentat: & sicut Proprietarius teneretur hæredes usufructuarii compensare; ita & conductorem indemnem servare tenetur. In textu vero juris superius adducto solum sermo est de conductore exigente indemnitatem ab hærede mere usufructuario, non a vero domino, & proprietario.

PARS TERTIA

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS DOMINIUM, VEL USUM, VEL USUMFRUCTUM TRANSFERENTIBUS, ET A SORTE PENDENTIBUS.

HUJUSMODI Contractus, licet quoad eventum a sorte pendeant, suas tamen servant regulas justitiæ, & æquitatis certas, & determinatas, a quibus si exorbitent, injusti fiunt, & illiciti. Sunt autem Societas, Ludus, & Sponsio, de quibus singillatim.

CAPUT PRIMUM.

De Societate, & Contractu Trino.

DOCTRINA.

I. SOCIETATIS contractus definiri potest *duorum, vel plurium conventio, qui in communi ponunt pecuniam, industriam, laborem, vel aliam quamcumque rem pretio æstimabilem, ut inde commodius lucrum reportent*. Dicitur duorum, vel plurium conventio, nam unus, & idem nequit sibi socius esse: additur in communi ponunt, ut scilicet æquale sit, & commune omnibus sociis sive lucrum, sive detrimentum; alioquin leonina esset illa societas, in qua alter socius semper lucraretur, vel damnum non sentiret, alter vero detrimentum omne subiret. Hinc L. 67. ff. Pro socio indicitur: *Societas cum contrahitur, tum lucri, tum damni communio initur*. Subditur pecunia, industria, labor, vel res pretio æstimabilis, cum hæc solum possint esse licitæ societatis materia; nam societates de rebus illicitis, bonisque moribus adversantibus iniquæ sunt, & detestandæ; ut est societas latronum ad grassandum, de quibus in L. 35. §. 2. ff. de contra. empt. statuitur: *Societas flagitiosa rei nullas vires habet*. Denique dicitur ad lucrum commodius faciendum; lucrari enim intendunt socii, & quidem per mutuum adjutorium, quo onera, & sollicitudines dividuntur.

II. Societas multiplex esse potest, alia scilicet universalis bonorum omnium, alia particularis aliquorum tantummodo, Peculiaris societas alia versatur in mercibus emendis, vendendisque, alia in agris colendis, alia in animalibus, vel præcise ad usum, culturamque inservientibus, cujusmodi sunt boves, equi, mali; vel præcise ad fœtum, & multiplicationem, cujusmodi sunt oves, capræ, sues; vel ad culturam, & usum simul cum multiplicatione, ut vaccæ, equæ, asinæ; aliæ denique in reditibus, vectigalibusque colligendis. Aliquando contractus iste simplex, idest meræ societatis, aliquando mixtus ex alio illi adnexo contractu.

III. Licitum esse Societatis contractum nullus est, qui ambigat, si debitæ serventur conditiones, pro quibus hæ statuuntur Regulæ.

Regula Prima.

Prima licitæ societatis conditio est, ut in societate omnia in quibus constituitur societas, in commune conferantur, sive pecuniæ, sive opera, sive industriæ; unde commune etiam sit omnibus lucrum, vel detrimentum. Veritas hujus regulæ est de se manifesta, & statuitur a Sixto V. in sua Constit. quæ incipit *Detestabilis*, ubi indicitur: *Contrahentes societatem, fructus, expensas, & damna in commune conferant, & prout æquum, & justum fuerit, sibi communicent, atque dividant*.

Regula Secunda.

IV. Proportio servanda inter socios non semper debet esse arithmetica, ut scilicet æquale lucrum, vel detrimentum omnes sentiant; sed geometrica, ut scilicet correspondeat quantitati rei in societatem collatæ lucrum, vel detrimentum. Declaratur. In societate cumulus est constituendus pecuniæ, operum, & industriæ, & singulis æstimatis juxta suum capitale assignari debet cuilibet socio deponenti tantum lucri, & tantum detrimenti, quantum depofita res expostulat. Quamobrem, si pecunia deposita pretiosior sit industria, & labore, majus lucrum percipiat, qui pecuniam deposuit, quam qui contulit operam. Nam ut habetur in Instit. tit. 6. §. 2. de societate: *Ita iniri potest* *socie-*

societas, ut alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit, quia sæpe opera alicujus pro pecunia valet. Et e contra, si pretiosior, æstimabiliorque sit labor, & industria, quam collata pecunia, operatius, & negotiator majus lucrum consequetur. Nam ut subditur in Instit. §. 2. *Sæpe quorumdam ita pretiosior est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliore in societatem admitti*. Quod si omnia sint æqualia, æquale erit & lucrum, vel detrimentum.

Regula Tertia.

V. Optima est regula tradita a S. Antonino P. 3. tit. 2. cap. 7. *In societate damnum procedens ex natura rei pertinet ad tradentem, sequens ex culpa negligentiæ ad suscipientem, ex fortuito casu spectat ad utrumque*. Quamobrem qui rem tradit, quæ materia sit societatis, corruptam, vel oves morbidas, vel monetam adulterinam, aut deficientem, ipse solus damnum subire debet. Qui industriam, & operam præstat, si a suo munere deficiat, si ejus culpa res pereat, solus damnum reparare debet, & id etiam compensare societati, quod interest, ne culpa commissa fuisset. Quando vero casu fortuito perit sine sociorum culpa, ad totam pertinet societatem, ut statuitur L. 6. ff. pro socio: *Fatalia damna socii non coguntur præstare*. Qui vero Societati operam præstat, & industriam, eam adhibere tenetur diligentiam, quam pro suis rebus adhiberet. Indicitur enim in Instit. lib. 3. tit. 26. §. ult. *Sufficit talem diligentiam communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet quilibet homo prudens*. Res vero societatis durante societate spectantur, ac si nullius essent disjunctive, sed omnium sociorum collective.

Regula Quarta.

VI. In societate quidquid aliquis sociorum adeptus fuerit ratione societatis, in commune ponendum est; non vero quod illi obvenerit, non ex societate, licet causa societatis; ut si quis socius pecunia sua, vel industria non applicata, vel debita societati aliquid lucretur, lucrum illi soli cedit; & pari pacto, si cui socio, qui occasione societatis bonum sibi nomen adeptus est, aliquid donatum fuerit vel testamento legatum, retinere sibi soli poterit. Similiter si quis sociorum damnum aliquod patiatur causa societatis, quia nimirum iter habendo pro negotiis societatis, a latronibus fuit spoliatus, aut vulneratus, hæc sunt ex communi penu societatis sarcienda; sicut & expensæ in illo itinere, vel negotio factæ. At contra, si non causa societatis, licet occasione societatis, aliquod incurrat detrimentum, puta quia iter habens pro societate ad propria tractanda negotia a via diverterit, & interim fuerit spoliatus a latronibus, ipsi soli adtribuendum foret damnum, non societati.

Regula Quinta.

VII. In omni societate sors debet esse periculo obnoxia respectu conferentis: quamobrem injusta, & illicita est omnis societas, in qua sors, sive capitale respectu ponentis certum redditur, & tutum ab omni periculo, & tamen inde lucrum ab ipso percipitur. Ita aperte docet S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5. scribens: *Ille qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus: ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel ar-*

tifex operatur. Et ideo sic licite potest partem lucri inde provenientis expetere, tamquam de re sua. Ubi aperte S. D. totam rationem, quæ lucrum honestat in societate, non aliunde desumit, nisi quia cum rei non sit translatum dominium, totum periculum rei penes dominum stat. Hanc veritatem confirmavit Sixtus V. in sua Bulla 45. quæ incipit *Detestabilis*, ubi aperte declarat, & statuit: „ Damnamus, & reprobamus omnes, & quoscumque contractus, conventiones, & pactiones posthac ineundos, seu ineundas, per quos, seu quas cavebitur personis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus ut etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, & integrum a socio recipiente restituatur, sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, vel menses durante societate respondeatur. Statuimusque hujusmodi contractus, conventiones, ac pactiones usurarios, & illicitos posthac censeri debere, atque in posterum non licere iis, qui pecunias, animalia, vel alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter se pacisci, & concordare, neque etiam sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios, qui ea recipient, ad sortem seu capitale salvum & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum, quovis pacto, aut promissione sibi obligare. Ac ne de cetero societates ineantur sub hujusmodi pactis, & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districte interdicimus, & prohibemus “. Idem etiam ante statuerat S. Carolus Borromæus in suo I. Mediolanensi Conc. tit. de usuris scribens: „ Ne in societate, in quam alter pecuniam confert, alter operas, lucri distributio constituatur, nisi per quotas partes. Nec ultra eas certa pensionum summa, vel quid aliud conferenti pecuniam persolvatur, nec fiat pactio, ut sors salva sit, fructus vero communiter dividantur „.

VIII. Ex hac itaque certa, & inconcussa doctrina sequitur, Contractum trium contractuum omnino usurarium, & illicitum esse. Tres autem hi contractus, qui in unum coeunt, sunt 1. Contractus societatis, quo pecunia in societate ponitur cum altero, qui ex parte sua operam, & industriam in negotiatione pollicetur. 2. Assecurationis sortis, sive capitalis, quo socius, qui pecuniam in societate ponit, paciscitur cum consocio de capitalis securitate, ne pereat; & si pereat, non conferenti, sed accipienti pereat, concessa pro tali securitate majori lucri parte. 3. Venditionis lucri sperati; per quam qui pecuniam contulit, & capitale priori contractu in tuto posuit, deinde lucrum certum reddit, cedendo alteri socio majus speratum lucrum pro minori certo quotannis persolvendo; & hoc pacto ambo socii ab omni onere liberantur rationum reddendarum, tam quoad sortem, quam quoad lucrum. Sic iteque perficitur salebrosus hic contractus. Titius dat Sempronio mercatori centum nummos aureos ut negotietur spe lucrandi quadraginta nummo aureos. Porro, si negotium Dii bene vertant, & revera lucrum quadraginta nummorum resultet, jam viginti ad Titium pertinent, cujus sors, sive capitale est periculo obnoxium. Hic autem, ut illud in tuto ponat, paciscitur cum Mercatore, & illi cedit decem nummos aureos ex sperato

rato lucro, ut in se sortis periculum suscipiat: atque ita erit, ut Mercator triginta nummos aureos habeat, Titius vero non nisi decem. At quia lucrum quadraginta aureorum incertum est, & esse potest majus, vel minus, idem Titius spem hujus lucri Mercatori vendit pro tertia sui parte, & cum, si negotium bene cedat, decem aureos sperare possit, quinque certis contentus; alios quinque cedit emptori; atque ita fit, ut in singulos annos quinque aureos tutos ab omni periculo sortis, & incertitudine lucri, & finita societate, sortem integram consequatur. Hujus contractus iniquitatem clarissime, & usque ad evidentiam ostendit V. C. Daniel Concina non solum in sua Theologia Christiana, sed etiam integro Opere de hoc argumento, cui Titulus *Usura Contractus Trini demonstrata*, ubi omni argumentorum genere ejus injustitiam luculentissime evincit, & argumenta in ejus favorem adducta a Theologis dissolvit, & enervat. Nos nonnulla delibabimus, tum ex auctoritate desumpta, tum ex ratione.

IX. Et 1. quidem Can. 17. Nicænæ Synodi I. illi damnantur Contractus, in quibus mutuum quidem datur, sed, ut lucrum inde obtineri possit, aliqua adinventione, vel titulo negotiationis tegitur, ut mutuum non videatur, & sic lucrum percipi possit. Sic itaque statuit Generale Concilium: „ Quoniam „ multi sub regula constituti avaritiam „ ob turpia sectantur, oblivione divinæ Scripturæ dicentis: *Qui pecuniam* „ *suam non dedit ad usuram*, mutuum „ dantes centesimam exigunt, juste „ censuit sancta, & magna Synodus, „ ut si quis inventus fuerit post hanc „ definitionem usuras accipiens, vel „ ex *adinventione aliqua, vel quolibet* „ *modo negotium transigens*, semiola „ idest sexcupla exigens, vel aliquid „ tale prorsus excogitans turpis lucri „ gratia, dejiciatur a Clero, & alienus „ existat a regula. . " Quem Canonem sic explicat Zonaras in Pandectis: „ „ Fœneratorii nominis infamiam aliqui „ declinantes, pecuniam ita dant mutuam, ut sibi lucri partem ex ea „ paciscantur, nec se fœneratores, sed „ SOCIOS dicunt, emolumentorum „ tantummodo participes, nullum interea jacturæ periculum subeunt. „ Hæc igitur & hujusmodi omnia Canon vetat, eaque qui exercent . . . „ deponi jubet ". Quibus verbis Zonaras non obscure contractum trinum indigitat, & tanquam usurarium a Concilio damnatum agnoscit. Nam 1. indicat contractum societatis in illis verbis, *sed socios dicunt*, & ficto societatis nomine pecuniam erogant. Deinde alterum contractum assecurationis ostendit illis verbis, *emolumentorum participes nullum interea jacturæ periculum subeunt*, salvam enim sortem volunt. Tertio & venditionis tertium contractum tangit dum dicit, *sibi lucri partem paciscuntur*, majus lucrum incertum pro minori, sed certo cedentes. Quod & confirmat alter Juris Canonici Doctor Isaacus Balsamon in expositione Canonum dicens: „ Dant nonnulli pecuniam, & tantum „ ex lucro partem se capturos paciscuntur; periculum enim agnituros, „ qui eam accipiunt, & cum sint revera FŒNERATORES, verbo tamen „ SOCIETATEM prætexunt. Hoc enim „ Canon adversatur, & eos, qui hujusmodi quid faciunt, deponit ".

X. Ecclesia Græcæ Patribus consentiunt & Latini. Gregorius XIII. usurarium declaravit censum illum Germanicum, sibi a Bavariæ Duce proposi-

tum,

tum, in quo 1. pecunia datur (non mutua, nulla enim in propositione casus mutui mentio) Sempronio, sive negotiatori, sive cujusvis conditionis homini, ad nullum certum usum, sed pro arbitrio debitoris distribuendum, 2. Pactum initur, ut quamdiu pecunia penes accipientem sit, quotannis quinque florenos pro centenariis solvat. 3. Quod summæ capitalis perpendæ creditor nullum periculum subeat. 4. Quod data pecunia accipienti sive fructificet, sive non, creditor jus habet exigendi a debitore lucrum quinarium annuum pro centenario. Hunc itaque Contractum Gregorius in sua responsione & usurarium declaravit, & subdit, *neque enim ad aliam speciem, quam mutui cum conventione lucri ex eodem mutuo reduci potest*. Et præterea declaravit, *per nullam consuetudinem, aut legem humanam, neque ulla contrahentium etiam bona intentione defendi posse*. Porro totum illud, quod in hocce usurario contractu, & damnato habetur, & in trino contractu reperitur. 1. In illo celebrando nulla mutui mentio, immo nomen adhibetur societatis. 2. Pactum ut quamdiu pecunia penes accipientem, quem socium dicunt, sit, ipse quotannis quinque, aut sex pro centenariis solvat. 3. Ut sors, sive capitale nullum respectu dantis periculum subeat. 4. Ut sive fructificet, sive non fructificet, & socius sive lucretur, sive jacturam patiatur, quinarium, vel sextarium quotannis solvat. Si primus igitur contractus Germanicus, declarante Summo Pontifice, illicitus, iniquus, usurarius est; & alter contractus trini talis sit, oportet; cum inter se conveniant, sicut ovum ovo, & lac lacti simile est.

XI. Sixtus V. trinum contractum usurarium pronuntiasse in sua Bulla anni 1586. quæ incipit *Detestabilis*, sic luculenter ostendo. Martinus Navarrus, qui gloriabatur se trinum contractum adinvenisse, & quem ut licitum mordicus tuebatur adversus Dominicum Soto acerrimum ejusdem contractus oppugnatorem, ad Sixtum V. provocavit, qui re maturius discussa præfatum contractum reprobavit, declarando, ut superius n. 7. omnes societates, in quibus de *certo lucro perficiendo contrahentes inter se paciscuntur, & concordant, vel sive ad certum, vel incertum lucrum convenerint, socios, qui sortem, seu capitale accipiunt, ad illud salvum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione sibi obstringant, & obligent, illicitas esse & iniquas*. Porro in hac sua Constitutione vel Summus Pontifex nihil omnino controversiam sibi ad definitionem propositam attingit, & solum in communi quemcumque usurarium contractuum reprobavit, & vetuit; vel sententiæ Navarri favit, & victoriam illi adjudicavit, licitum declarando trinum contractum; vel denique ejus doctrinam reprobavit, & rejecit. Primum quidem affirmant cum Comitolo nonnulli Theologi, non quidem ex verbis, & doctrina in ipsa Bulla exposita, sed ex ficto quodam vivæ vocis oraculo, relato a Stephano Tuccio, qui illud audierat a Cardinalibus Toleto, & S. Severinæ, quo Pontifex interrogatus respondit, se in ea Bulla solum prohibere voluisse injustos contractus, & conventiones solitas apponi societatibus, quos classici Doctores condemnarunt. At quis prudens, & cordatus credat, Sixtum V. in sua Constitutione edita ad dirimendam tunc ferventem inter Navarrum; & Sotum controversiam de trini con-

contractus vel justitia, vel iniquitate, verbis lusisse, & quæstionis nodum non solum non solvisse, sed ne attigisse quidem; & solum, quod omnino certum, compertum, evidens est apud omnes Theologos, immo & christianos, definiisse, nimirum non licere societatis contractui conditiones injustas, & usurarias, quas Theologi reprobant, adjicere? Præterea vel Sixtina Constitutio congruam admittit interpretationem in favorem contractus trini, vel non admittit. Si primum; cur igitur non ex ipsis Bullæ verbis hoc evincitur; Cur ad vivæ vocis oraculum confugiunt. Si alterum, quis credat, vel asserere præsumat, Summum Pontificem universali Bulla toto orbe diffusa ad totum orbem data, damnasse contractum trinum, quem postea privato vivæ vocis oraculo tanquam licitum adprobavit? At posita etiam oraculi vivæ vocis veritate, quid inde extenditur? non aliud profecto, nisi Sixtum non novam legem condidisse, sed contractum proscripsisse, quem in se turpem, iniquum, labe usuræ defœdatum deprehenderat; quod profecto cum Bulla egregie congruit. Alterum vero, nimirum Navarri sententiæ favisse Summum Pontificem, nullus est, qui asserere præsumat, nec per somnium cogitet. Immo oppositum diserte testatur Azorius minime severioris Ethicæ sectator 3. P. Lib. 9. cap. 4. ubi hæc habet. „ Optabat Navarrus, ut Pontifex declararet, tale pactum in societate licitum esse, & justum. At contrarium Pontifex declaravit, ac definivit, ut superiori capite dixi in sexta quæstione. Theologorum, & utriusque juris Doctorum sententia semper fuit, tale pactum esse fœneratitium " . Superest igitur tertium, adprobatam nimirum Dominici Soto sententiam, & improbatum tanquam omnino usurarium trinum contractum. Hæc autem Pontificis Bulla doctrinalis est, & Moralis Evangelicæ punctum in re gravissima declarat, & definit: non igitur ab acceptatione pendet.

XII. Idem sentiunt, & docent omnes pene christiani orbis Episcopi, & Pastores. Novem Archiepiscopi, & Episcopi Hispaniarum per manus Eminentissimi Cardinalis Belluga supplicem libellum obtulerunt Innoc. XIII. & Bened. XIV. in quo plures exposuerunt laxas, & falsas opiniones, quas censura notari, & proscribi postularunt, inter quas 57. hæc erat: *In contractu trino aliquid ultra sortem in pactum deducere non est lethale*: pro certo igitur habebant præfati Præsules, illicitum esse ex contractu trino aliquid lucrari. In Gallis jamdudum de contractus trini honestate: & justitia doctrina a Sacra Parisiensi Universitate damnata fuit: nam de hac propositione. *Si contractui societatis adjungatur contractus assecurationis capitalis, ac venditionis lucri incerti pro certo, licitum est exigere lucrum certum cum assecuratione capitalis*, tale tulit judicium: *Falsa est, & scandalosa, inducens ad usuras committendas, variasque aperit artes eas palliandi, justitiam & veritatem violandi*. Et iterum anno 1717. die 15. Julii, doctrinam suam hac de re patefecit his duabus propositionibus 93. *Qui in contractu legitimæ societatis capitale etiamsi absque consortis culpa perierit, salvum sibi fore paciscitur, usuram committit sub simulato societatis nomine*. Et 94. *Vi trium, ut ajunt, contractuum, scilicet societatis, assecurationis summæ principalis, & venditionis majoris lucri incerti pro minori, quod certum sit, lucrum exigere, vel intendere usu-*

usura est. In Belgio quoque tanquam usuraria reprobatur illa societas, in qua in favorem pupillorum traditur pecunia ad lucrum, cum sortis assecuratione, ut apparet ex documento Collegii Lovaniensis, ubi declaratur. „ Cum „ Tutores tradunt pecuniam, obligan„ tes eos, qui eam accipiunt, ad red„ dendum certo, præscriptoque tem„ pore æqualem summam, sive ipsam „ principalem sortem, constat eos mu„ tare pecuniam ex definitione mutui. „ Et quia ex mutuo accipiunt ultra sor„ tem principalem lucrum, id videli„ cet, quod singulis annis usque ad elo„ cationem pupilli recipiunt, constat eos „ esse usurarios “. In Italia vero trinum contractum, & societatem omnem in qua sors in tuto est, plures reprobarunt Episcopi. Quid statuerit S. Carolus Borromæus in sua S. Synodo Mediolanensi, superius dedimus *n.* 7. Addendus Cardinalis Denoff Episcopus Cæsenatensis, qui in suo Pastorali Edicto italico sermone exarato anni 1694. sic statuit: „ Juxta veriorem sententiam „ prohibita est, & usuraria trium con„ tractuum societas, quia scilicet se„ cundus priorem contractum destruit, & „ in nudum mutui contractum mutat “. Et Franciscus Laynerius Episcopus Umbraticensis in sua Synodo habita anno 1717. & typis ædita Romæ anno 1719. sic statuit: „ Contractus trium contra„ ctuum (quamvis raro, vel nunquam „ in nostra Diœcesi iniri contingat) „ societatis scilicet, assecurationis, & „ venditionis lucri majoris incerti pro „ lucro minori certo, tanquam usura„ rios, & proscriptos esse Apostolica „ Constitutione (Sixti V.) nostris Diœ„ cesanis volumus innotescere, ut ab „ illis casu occurrente valeant abstine„ re. “. Et Episcopus Urbevetanus Edicto publico, anno, 1726. evulgato, &, quod a Parochis bis in anno inter Missarum solemnia populo legi jussit, inter contractus usurarios recenset societatem trium contractuum. Quid, quod Benedictus XIV. in suo de Synodo opere duo declaravit lib. 10. cap. 7. nimirum I. n. 3. delatam ad Summum Pontificem Sixtum V. quæstionem de Trino contractu inter Sotum, & Navarrum sua Constitutione 68. *Detestabilis* examinasse, & ea diligenter discussa, duplicis securitatis pactionem adjectam USURARIAM pronuntiasse, eamque deinceps fieri prohibuisse? 2. Posse Episcopos in suis Synodis ab hoc contractu celebrando avocare, & avertere, quod a pluribus Episcopis sapientissime factum ex Geneto refert.

XIII. Theologos vero, & Juris Canonici Doctores, qui trinum contractum damnant, si recensere vellem, infiniti essem; eorum nomina, & testimonia legi possunt apud Concinam lib. de Usura Contractus Trini Diss. 4. in §. unico. Nonnullos tantum proferam, & quidem ex recentioribus: nam antiquiores omnes, qui ante litem inter Navarrum, & Sotum excitatam scripsere, sibi adversarios fatentur trini contractus Patroni. Damnant igitur contractum trinum Natalis Alexander lib. 3. art. 5. Reg. 23. Gennarus in Usura detecta To. 1. Recognit. 1. Cuniliat. Tr. X. cap. 5. §. 2. Boranga de Contract. cap. 7. §. 2. Cajetan. Tr. de Usura disp. 2. Steyaert conclus. 59. Genettus Tr. 9. cap. 14. Sylvius 2. 2. q. 78. art. 2. Henricus a S. Ignatio lib. 9. cap. 83. Petrus Ballarinus Prolect. 2. in T. 2. S. Antonini cap. 3. part. 2. Cardinalis de Luca lib. 5. de Usuris disc. 1. Quid, quod & ipsi contractus trini Patroni sponte fatentur, rem esse plenam periculi hujus contractus celebrationem? Ita

Ita fatetur Ludovicus Bail in triplici examine Ordinandorum par. 2., ubi postquam docuit, sententiam defendentem, ut licitum, trinum contractum non *videri probabilitate destitutam*: „ proinde qui hujusmodi societatem celebrarent non esse molestandos, nec „ ad restitutionem cogendos " subdit; „ attamen si res sit in fieri, & petatur a Confessario consilium, puto „ quod non debeat dare consilium hujus societatis, sed dissuadere, quantum poterit, ne fiat . . . eo quod „ vix observentur conditiones requisitæ, „ ut sine peccato fiat talis societas „. Idem prorsus fatentur Salmaticenses Tr. 14. cap. 3. punct. 21. §. 2. n. 102. sic scribentes: „ quia limitationes, „ quæ apponi solent ad honestatem hujus contractus, frequenter solent „ omitti, & parum de illis curatur, „ plenus est talis contractus periculi, & „ viam latam aperit ad multas usuras „ patrandas ". Immo & ipse recentissimus Auctor Operis de occupata pecunia (dell' Impiego del denaro) postquam trini contractus honestatem asseruit, parum sibi cohærens eumdem contractum adeo ceu dolis, technis, & ambagibus involutum, detestatur, ut malit moderatam usuram admittere, quam illum societatis ineundæ modum, quem *sinceritati, & candori christiano adversum* asserere non reformidat. Sic enim scribit: „Factum (scilicet societas „ cum assecuratione sortis & lucri) secundum generalia & tuta Ethices sanioris principia in se irreprehensibile „ videtur: at dicere audebo, non talem mihi videri modum celebrandi; „ & hæc contractuum implicatio, & „ congeries mihi non placet ". Quid sibi volunt hæ ambages? Cur tres inis, seu potius comminisceris contractu, „ ubi revera non nisi unum celebras? „ ubi candor? Ubi christiana sinceritas "? Egregie profecto, nam revera trinus iste societatis contractus non nisi unus, est, mutui scilicet cum lucro, ut ipse clarissimus Auctor fatetur; licet ad invidiam declinandam mutui nomen refugiat, & pecuniam mercatori traditam non mutuo datam appellet, sed *occupatam*, quasi iniquitas sit in verbo, non in facto. Unde opportune in ipsum regero Ambrosii celebre effatum lib. 4. de Tobia cap. 14. *Quodcumque sorti accedit, usura est. Quodvis ei nomen imponas, usura est. Si licitum est, cur vocabulum refugis? cur velamen obtexit? Si illicitum est, cur incrementum requiris?*

XIV. Denique hujus trini contractus iniquitatem luculentissime evincunt argumenta. Horum præcipua sunt, quæ refert Bened. XIV. l. l. de Synodo dicens: „ Quod contractus trium contractuum sit in se fœneratitius, evidenter „ patere prædicti Auctores arbitrantur: „ quoniam conferens pecuniam, rejecto „ periculo in accipientem, censetur „ mutuum dare, & pecuniæ dominium „ in eumdem accipientem transferre, „ cui res ipsa perit, si pereat . . . Addunt præterea trini contractus obtentu omnes leges eludi usuras prohibentes, cum petenti mutuum quilibet respondere possit, nolo mutuum „ dare, sed societatem tecum inire „ sub pacto, ut me de sorte securum „ facias, & ob majus lucrum, quod „ ex negotiatione spero probabiliter „ eventurum, aliquod minus, sed certum mihi tradendum promittas ". Quæ duo argumenta quam valide iniquitatem contractus trini evincant, paulo fusius exponere operæ pretium duco. Et primo quidem tres illos contractus fict-

fictitios esse, chimæricos, & ad palliandam usuram excogitatos, manifeste patebit, si ipsorum genuinam indolem expenderimus. Societatis natura est, ut rerum, operum, pecuniæ collatio fiat in communi: ut communio haberi possit lucri, & damni. Ita decernunt omnes Juristæ. Ulpianus lib. 52. ff. pro Socio §. 4. scribit: *Sicut lucrum, ita damnum quoque sociis commune esse oportet*. Et lib. 55. *aequum est, ut cujus participavit lucrum, participet & damnum*. Et Paulus lib. 67. pro Socio statuit: *Cum societas contrahitur, tam lucri, quam damni communio coitur*. Verum in hac societate nulla operum, & rerum communis collatio, nulla lucri, & periculi communio. Non primum; nulla enim fides inter mercatorem, & capitalistam, cum neuter alteri societatis, & negotiationis vel rationem reddat, vel fidem spondeat. Quamobrem mercator societatis jurium nunquam violator existet, quocumque se gerat modo; dummodo & sortem reddat tutam, & lucrum solvat. Et pari pacto, qui pecuniam contulit, nullam de negotiatione sollicitudinem, nullam habet curam, immo nec ad illam unquam cogitando mentem convertit, tantummodo sollicitus, ut annuatim lucrum percipiat, & finita societate sortem integram recipiat. Chimærica igitur est hæc societas, purum putumque figmentum, & solum reale mutuum, per quod in socium transfert pecuniæ dominium, & inde lucrum percipit. Nec minus chimæricus, fucatusque est alter assecurationis contractus. Contractus assecurationis indole sua alienæ rei periculum in alium rejicit, vel gratis, vel pretio accepto. Supponit igitur nullam esse in re assecurata inter contrahentes communionem, & societatem; hæc enim, sicut lucri, ita damni communionem importat: tollit autem assecuratio omne periculum; ergo destruit societatem; alioquin plane contradictoria acta essent de uno, eodemque subjecto, puta pecunia respectu ejusdem socii. Quandoquidem socius, qui pecuniam ponit, respectu ejusdem pecuniæ, & ejusdem socii & periculo obnoxius esset, & ab omni periculo immunis: primum, quia socius; secundum, quia per assecurationem tutus. Esset ex opposito, qui operam ponit, acceptæ pecuniæ & dominus, & non dominus: dominus, quia suo periculo aut perit, aut fructificat ratione assecurationis; non dominus, quia ad socium pertinet, qui eam contulit, & cui fructificat. Præterea hæc assecuratio quænam respicit pericula, a quibus indemnem servare debeat conferentem pecuniam? Num omnia? num aliqua tantum? Si omnia, quis unquam reperietur in mundo tam stupidus, qui rem alienam ab omni periculo, & infortunio etiam inexcogitabili, & quidem per plures annos alterum servare velit extra hunc iniquum trinum contractum, nisi forte tantum conferat, quam valet res ipsa? Num ab aliquibus tantum? At amabo, a quibus? A periculis maris, tempestatis, piratarum. Hoc licere fateor: at si pecunia collata non pereat horum causa, sed alio prorsus infortunio, conferenti peribit; quod omnino recusat celebrans contractum trinum, quippe qui in trino contractu ab omni periculo postulat immunitatem. Num a periculis debitorum, dum merces credito vendit? Verum pro hoc cavendo periculo negotiator, qui pecuniam accipit, pretium nequit recipere, cum ex vi societatis omnem jam teneatur diligentiam adhibere, tamquam de re propria, ita ut vel non vendat nisi illis,

qui

qui sunt solvendo, vel sub pignore. Num assecuratio erit de propria fidelitate? At ubinam gentium auditum, quempiam se fore fidelem ministrum assecurasse, & pro hac assecuratione pretium postulasse? Superest igitur, ut assecurationem postulet pecuniae collatae a periculis jacturae, aut diminutionis sortis, cum mercium pretia modo crescant, modo decrescant, & etiam quandoque de repente vilescant; quae praeterea, cum sint tractandae, custodiendae, vendendae a famulis, & ministris, eorum infidelitatis periculo subjacent. At haec pericula intima sunt negotiationi, & societati: quamobrem hoc genus commercii rejiciat, oportet, qui ab illis periculis cavere vult; & revera rejicit, qui pecuniae in negotiationem datae omnimodam assecurationem postulat. Non ergo superest, nisi pecunia mutuo data cum lucro, idest usura, pallio assecurationis obtecta. Tertius vero contractus venditionis lucri majoris incerti, certo persoluto minore pretio, hujusce contractus iniquitatem clarius patefacit. Nam lucrum ex negotiatione speratum, vel omnino certum est tum in specie, tum in quantitate; vel incertum. Si primum assecuratione opus non est, quae locum non habet nisi in rebus incertis. Si secundum, solvendum est igitur pretium talis venditionis. At nihil solvitur venditori in contractu trino, sed solum incertum, & speratum lucrum remittitur: incertum igitur incerto emitur, ut certum lucrum inde emergat contra ipsum naturale lumen, quo quisque statim agnoscit, incertum additum incerto certum quidpiam efficere non posse; sicut nihilum nihilo additum aliquid producere plane est impossibile. Urgeo. Per contractum assecurationis sortis societati adjectum, jam sicut tota sors est assecuratoris, ita & totum lucrum illius fit, oportet, cum juxta aequitatis, justitiaeque leges, illius esse debeat lucrum, cujus est periculum: cadit igitur tota venditionis materia, nimirum speratum lucrum ex sorte, quod cum sit assecuratoris, illi, quod suum est, vendere sine iniquitate non potes. Superest igitur, ut lucrum, quod reportas, non sit nisi lucrum pecuniae mutuatae, & tibi integre procul ab omni periculo restituendae cum auctario.

XV. Egregie itaque Bened. XIV. cum Theologis ajebat secundo loco, per trinum contractum usurae peccatum chimaeram evasisse, nec reperiri amplius in mundo posse: nam quilibet pecuniam petenti respondere poterit, se non habere pecuniam mutuo dandam, sed quam occupatam cupit; proinde se paratum dare, si fructus illi, & lucrum rependatur. Interim tamen sub velamine contractus trini non ab orbe exulat usura, sed impune vagatur, & cladem maximam christianis infert, eo magis deplorandam, quo minus agnoscitur, & vitatur. Revera nullus est, qui pecunia indigens vel ad aes alienum solvendum, vel ad ruentes fabricas reparandas, vel ad filiam dotandam, vel ad litem sustinendam, & urgendam, vel aliud negotium peragendum, si ad pecuniosum virum confugiat, & sibi necessariam pecuniam petat, statim fructum, & lucrum vel sponte exhibeat, vel pendendum ab alio audiat, ad morem, ut inquiunt, *plateae*, sive *emporii*, (ad uso di Piazza) idest mutuam accipiendo pecuniam cum onere sortis restituendae post certum tempus, & annui interim proventus ad semissem quotannis solvendi: quin sive qui petit, sive qui tribuit pecuniam, de trino contra-

ctu vel cogitet, vel quidpiam noverit. Mihi hisce diebus contigit videre negotiatorem indigentem quingentis Venetis Ducatis ad res suas in apertam ruinam vergentes fulciendas, necessitate compulsum non ad alium mercatorem, sed ad virum pecuniosum, qui de negotio instituendo nec cogitabat, confugisse, & ab eo præfatos quingentos ducatos petiisse, exhibito etiam pignore in gemmis, & auro elaborato. Annuit ille accepto pignore, at hac iniqua pactione, ut singulis mensibus dimidium ducati pro singulis centenariis solveret, & acceptæ pecuniæ partem restitueret, fructu tamen, seu lucro non nisi post sex menses diminuto, quo pacto & fructum redditæ pecuniæ solvebat, & hoc donec totam sortem reddidisset. Ingemui hoc audiens, & amicum a tam iniqua negotiatione pro viribus sum dehortatus. At ille necessitate pressus ab iniquo contractu abstinere non potuit. Qui vero pecuniam dedit, tantum abest, ut se usuram committere saltem suspicaretur, quin etiam opus misericordiæ in paupere sublevando se exercuisse gloriabatur: lucrum vero legitimum ex emporii consuetudine, & omnino justum esse constanter asseverabat, hac adducta Salmanticensium tr. 14. cap. 3. punct. 11. §. 2. doctrina: „ non esse necessarium „ tales contractus (trinos) expresse „ fieri, sed satis esse, quod fiant ta„ cite, & implicite; ut si dicas, do „ tibi centum, ut des mihi quinque „ (vel sex juxta consuetudinem empo„ rii) securo capitali eo modo, quo „ Doctores dicunt fieri posse. Multi „ enim sunt seculares, quorum capita „ non capiunt hujusmodi tricas, & ar„ gutias; quibus sufficit totum in con„ fuso velle, quod Doctores dicunt „ licere " Ubi estis fontes lacrymarum?

XVI. Sed Theologorum, qui trini contractus patrocinium suscipiunt momenta breviter expendamus. 1. Itaque proferunt auctoritatem plurimorum Theologorum, consuetudinem, & usum hujusmodi contractus celebrandi approbantium. En quid scribant Salmaticenses l. l. n. 12. „ Hanc sententiam (de „ honestate trini contractus) tot popu„ lorum consensu firmatam, tam anti„ qua, & generali consuetudine appro„ batam, tot gravissimorum Auctorum „ auctoritate munitam, rationibus for„ tissimis fultam deserere non possu„ mus ". 2. Bulla Sixti V. vel non est usu recepta, vel contraria consuetudine abrogata. 3. Tres præfatos contractus cum tribus distinctis personis celebratos licitos esse, & justos nullus est, qui inficietur; qui ergo usurarius fiet, si cum una, eademque celebretur persona, quæ trium munia subeat, & moraliter triplex reputatur? Ut enim inquit Gibalinus lib. 6. cap. 3. art. 3. „ Ista „ entia moralia ex pluribus etiam in „ sese integris, & perfectis coalescere „ per unionem quandam moralem pos„ sunt ". 4. Si conditiones a Theologis appositæ ad æquitatem trini contractus servantur, nulla in eo reperitur inæqualitas, proinde nec injustitia. Nam 1. supponunt, contractum primum societatis iniri, quo jam apparet pecuniam mutuo non dari: nam accipiens non, quod sibi lubet, de ea statuere potest; sed tenetur vi hujus contractus eam negotiationi exponere. 2. Pretium assecurationis respondere debet quantitati periculi, a quo liberatur, qui pecuniam confert. 3. Pretium venditionis lucri debet esse spei pariter proportionatum juxta prudentum existimationem: nulla ergo in eo reperitur inæqualitas, & injustitia. 5. Contractus assecurationis,

nis, & venditionis adjecti contractui societatis non sunt contra naturam societatis, sed præter naturam, proinde cum ipsa conjungi possunt; sicut cum locatione, commodato, & deposito. 6. Denique ipsa experientia ostendit utilem esse mercatoribus hunc contrahendi modum, quippe qui & illum libenter amplectuntur, immo aliter secum contrahere volentes repellunt.

XVII. His itaque respondemus ad 1. cum P. Concina, verba Salmaticensium meras esse ad populum fallendum phaleras, & ad imperitorum aures occupandas tumida verba. Nam, ut ipse Diss. 3. de Usura contractus trini cap. 1. §. 1. evidenter evincit „ tota Theologorum „ auctoritas restringitur ad duodecim „ recentiores Probabilistas . . . . Num- „ quid exiguus iste Probabilistarum ma- „ nipulus vel minimum probabilitatis „ gradum tribui contractui trino, si e „ regione spectentur, non dicam Pon- „ tifices, & Sixtina Constitutio, a qua „ contractus trinus damnatus est, & „ a qua modo præscindo, sed Episcopi, „ Synodi, Universitates, Theologi, „ Canonistæ (immo & Juristæ) adversus „ hunc trinum contractum pugnantes? „ Consensus populorum ineptus est ad „ probabilitatem honestati hujus contra- „ ctus conciliandam, cum ipsis faten- „ tib us Salmaticensibus, multi sint se- „ culares, quorum capita non capiunt „ hujusmodi TRICAS, & ARGUTIAS". Consuetudo igitur ex hoc invecta mera est corruptela dicenda. Fortissimæ denique rationes mera sunt sophismata, ut mox videbimus.

XVIII. Ad 2. Resp. 1. Teste Gibalino trini contractus Patrono acerrimo lib. 6. art. 3. n. 5. pag. 378. *Tres contractus prohibiti sunt jure positivo, ubi Sixti Constitutio recepta fuerit*. Contra igitur Pontificis prohibitionem damnatum ab ipso contractum defendere non formidant Theologi? At cur damnavit hunc contractum Pontifex? num quia contrahentibus perniciosum? Numquid Pontificibus Summis cura est de mercatorum emolumentis, vel detrimentis? Damnavit, quia usurarium, quia iniquum, quia illicitum. Et ejus Constitutio doctrinalis est, quæ evangelicæ Moralis gravissimum punctum declarat, ac definit: nec quid novi in Ecclesiastica disciplina statuit, sed quid juris divini sit, & legi divinæ contrarium exponit, & ut supremus Magister definit; proinde non a populorum consensu (ut diximus) ejus pendet auctoritas. Falsum esse luculentissimis argumentis ostendit Concina Diss. 1. laud. per plures paragraphos, non esse in Christiano orbe acceptatam Sixtinam Constitutionem. Nam illam acceptarunt Archiepiscopi, & Episcopi Hispaniarum, Clerus Gallicanus, & Universitas Parisiensis, a quibus trinus contractus, ut usurarius, damnatus fuit. In Belgio quoque acceptatam Constitutionem testatur Henricus a S. Ignatio adductis monumentis Synodi Antuerpiensis, Mechlinensis, Cameracensis, Iprensis, Atrebatensis, & Collegii Lovaniensis, a quibus omnibus collocationes pecuniæ pupillaris trino contractu circumseptæ, tanquam usurariæ damnatæ sunt. In Italia quoque vigere Sixti Constitutionem ostendunt Provinciales, & Diœcesanæ Synodi, præsertim Sancti Caroli Borromæi, & plurium Episcoporum, qui trinum contractum ovibus suis interdixere.

XIX. Ad 3. Mirum non est, eumdem contractum licitum, & honestum esse respectu unius personæ, non respectu alterius; & distinctionem personarum ad essentiam contractus pertinere

ctu vel cogitet, vel quidpiam noverit. Mihi hisce diebus contigit videre negotiatorem indigentem quingentis Venetis Ducatis ad res suas in apertam ruinam vergentes fulciendas, necessitate compulsum non ad alium mercatorem, sed ad virum pecuniosum, qui de negotio instituendo nec cogitabat, confugisse, & ab eo præfatos quingentos ducatos petiisse, exhibito etiam pignore in gemmis, & auro elaborato. Annuit ille accepto pignore, at hac iniqua pactione, ut singulis mensibus dimidium ducati pro singulis centenariis solveret, & acceptæ pecuniæ partem restitueret, fructu tamen, seu lucro non nisi post sex menses diminuto, quo pacto & fructum redditæ pecuniæ solvebat, & hoc donec totam sortem reddidisset. Ingemui hoc audiens, & amicum a tam iniqua negotiatione pro viribus sum dehortatus. At ille necessitate pressus ab iniquo contractu abstinere non potuit. Qui vero pecuniam dedit, tantum abest, ut se usuram committere saltem suspicaretur, quin etiam opus misericordiæ in paupere sublevando se exercuisse gloriabatur: lucrum vero legitimum ex emporii consuetudine, & omnino justum esse constanter asseverabat, hac adducta Salmanticensium tr. 14. cap. 3. punct. 11. §. 2. doctrina: „ non esse necessarium „ tales contractus (trinos) expresse „ fieri, sed satis esse, quod fiant ta„ cite, & implicite; ut si dicas, do „ tibi centum, ut des mihi quinque „ (vel sex juxta consuetudinem empo„ rii) securo capitali eo modo, quo „ Doctores dicunt fieri posse. Multi „ enim sunt seculares, quorum capita „ non capiunt hujusmodi tricas, & ar„ gutias, quibus sufficit totum in con„ fuso velle, quod Doctores dicunt „ licere " Ubi estis fontes lacrymarum?

XVI. Sed Theologorum, qui trini contractus patrocinium suscipiunt momenta breviter expendamus. 1. Itaque proferunt auctoritatem plurimorum Theologorum, consuetudinem, & usum hujusmodi contractus celebrandi approbantium. En quid scribant Salmaticenses l. l. n. 12. „ Hanc sententiam (de „ honestate trini contractus) tot popu„ lorum consensu firmatam, tam anti„ qua, & generali consuetudine appro„ batam, tot gravissimorum Auctorum „ auctoritate munitam, rationibus for„ tissimis fultam deserere non possu„ mus ". 2. Bulla Sixti V. vel non est usu recepta, vel contraria consuetudine abrogata. 3. Tres præfatos contractus cum tribus distinctis personis celebratos licitos esse, & justos nullus est, qui inficietur; qui ergo usurarius fiet, si cum una, eademque celebretur persona, quæ trium munia subeat, & moraliter triplex reputatur? Ut enim inquit Gibalinus lib. 6. cap. 3. art. 3. „ Ista „ entia moralia ex pluribus etiam in„ sese integris, & perfectis coalescere „ per unionem quandam moralem pos„ sunt ". 4. Si conditiones a Theologis appositæ ad æquitatem trini contractus servantur, nulla in eo reperitur inæqualitas, proinde nec injustitia. Nam 1. supponunt, contractum primum societatis iniri, quo jam apparet pecuniam mutuo non dari: nam accipiens non, quod sibi lubet, de ea statuere potest; sed tenetur vi hujus contractus eam negotiationi exponere. 2. Pretium assecurationis respondere debet quantitati periculi, a quo liberatur, qui pecuniam confert. 3. Pretium venditionis lucri debet esse spei pariter proportionatum juxta prudentum existimationem: nulla ergo in eo reperitur inæqualitas, & injustitia. 5. Contractus assecurationis,

nis, & venditionis adjecti contractui societatis non sunt contra naturam societatis, sed præter naturam, proinde cum ipsa conjungi possunt; sicut cum locatione, commodato, & deposito. 6. Denique ipsa experientia ostendit utilem esse mercatoribus hunc contrahendi modum, quippe qui & illum libenter amplectuntur, immo aliter secum contrahere volentes repellunt.

XVII. His itaque respondemus ad 1. cum P. Concina, verba Salmaticensium meras esse ad populum fallendum phaleras, & ad imperitorum aures occupandas tumida verba. Nam, ut ipse Diss. 3. de Usura contractus trini cap. 1. §. 1. evidenter evincit „ tota Theologorum „ auctoritas restringitur ad duodecim „ recentiores Probabilistas . . . . Num„ quid exiguus iste Probabilistarum ma„ nipulus vel minimum probabilitatis „ gradum tribui contractui trino, si e „ regione spectentur, non dicam Pon„ tifices, & Sixtina Constitutio, a qua „ contractus trinus damnatus est, & „ a qua modo præscindo, sed Episcopi, „ Synodi, Universitates, Theologi, „ Canonistæ (immo & Juristæ) adversus „ hunc trinum contractum pugnantes? „ Consensus populorum ineptus est ad „ probabilitatem honestati hujus contra„ ctus conciliandam, cum ipsis faten„ tibus Salmaticensibus, multi sint se„ culares, quorum capita non capiunt „ hujusmodi TRICAS, & ARGUTIAS". Consuetudo igitur ex hoc invecta mera est corruptela dicenda. Fortissimæ denique rationes mera sunt sophismata, ut mox videbimus.

XVIII. Ad 2. Resp. 1. Teste Gibalino trini contractus Patrono acerrimo lib. 6. art. 3. n. 5. pag. 378. *Tres contractus prohibiti sunt jure positivo, ubi Sixti Constitutio recepta fuerit*. Contra igitur Pontificis prohibitionem damnatum ab ipso contractum defendere non formidant Theologi? At cur damnavit hunc contractum Pontifex? num quia contrahentibus perniciosum? Numquid Pontificibus Summis cura est de mercatorum emolumentis, vel detrimentis? Damnavit, quia usurarium, quia iniquum, quia illicitum. Et ejus Constitutio doctrinalis est, quæ evangelicæ Moralis gravissimum punctum declarat, ac definit; nec quid novi in Ecclesiastica disciplina statuit, sed quid juris divini sit, & legi divinæ contrarium exponit, & ut supremus Magister definit; proinde non a populorum consensu (ut diximus) ejus pendet auctoritas. Falsum esse luculentissimis argumentis ostendit Concina Diss. 1. laud. per plures paragraphos, non esse in Christiano orbe acceptatam Sixtinam Constitutionem. Nam illam acceptarunt Archiepiscopi, & Episcopi Hispaniarum, Clerus Gallicanus, & Universitas Parisiensis, a quibus trinus contractus, ut usurarius, damnatus fuit. In Belgio quoque acceptatam Constitutionem testatur Henricus a S. Ignatio adductis monumentis Synodi Antuerpiensis, Mechliniensis, Cameracensis, Iprensis, Atrebatensis, & Collegii Lovaniensis, a quibus omnibus collocationes pecuniæ pupillaris trino contractu circumseptæ, tanquam usurariæ damnatæ sunt. In Italia quoque vigere Sixti Constitutionem ostendunt Provinciales, & Diœcesanæ Synodi, præsertim Sancti Caroli Borromæi, & plurium Episcoporum, qui trinum contractum ovibus suis interdixere.

XIX. Ad 3. Mirum non est, eumdem contractum licitum, & honestum esse respectu unius personæ, non respectu alterius; & distinctionem personarum ad essentiam contractus pertinere

mere; ut videre est in contractu mohatra, ab Ecclesia proscripto, ut superius ostendimus par. 1. de vend. cap. 5. Nam hæc realis distinctio efficit, ut contractus non sint amplius umbratiles, & fictitii, sed solidi, subsistentes, & reales. Etenim si quis Petro mercatori simplici contractu societatis mille scuta tribuat in negotiatione expendenda, legitimus est contractus: nam sors periculis est obnoxia negotiationis. Pari pacto si ab alio postules, ut pecuniam negotiatori traditam tibi securam reddat, plura etiam a te postulabit, quæ præstare tibi utile non erit. Nam 1. postulabit, ut pretium assecurationis numerata pecunia persolvas; nec unquam pro pretio incertum lucrum ab alio negotiatore reportandum acceptabit. 2. Postulabit, ut pericula designes, a quibus cautam pecuniam velis; & ab illis solis te immunem præstare pollicebitur, persoluto reali pretio probabilitati periculi respondente. 3. Si petieris, ut pecuniam immunem, & tutam servet ab omnibus periculis terræ & maris in transvehentis mercibus, a periculis diminutionis pretii, & difficilis venditionis, a periculis famulorum, & ministrorum inhabilium, & ipsius negotiatoris, si decoctor fiat, a periculis denique omnibus fortuitis ignotis, & etiam inexcogitabilibus: & præterea addas, assecurationem tandiu perdurare oportere, quandiu vel sors ad alterius voluntatem tibi restituatur, vel tibi repetere illum placuerit, proinde per decem, viginti, triginta annos, & ultra, neminem in toto orbe reperies, qui talem in se assucurationem suscipiat: & tamen hoc est, quod postulas ab eo, quem socium appellas, qui proinde personam gerit non alterius hominis, sed chimæræ; cum hujusmodi assecuratorem inter filios Adæ reperire sit impossibile. Si vero tertio negotiatori exhibens emptionem lucri a te sperati, hic scire a te volet, in quo negotio pecunia sit occupanda, quinam sit, qui negotiatur, quandiu durabit societas. Quod si respondeas te, forte jam in tuto posita, non esse de negotiatione solicitum, tempus societatis non esse sed definitum, ad libitum, vel tuum, vel mercatoris posse finiri; videbis illum minimo maximum speratum lucrum emere velle, vel omnino non velle. Quod si adderet se emere quidem, at non persoluto tibi pretio, sed concessa parte sperati lucri; nonne tibi illudere putares? At hoc est, quod tu tuo trino contractu præstas, in quo omnia ficta, fucata, chimærica sunt, & solum superest reale mutuum cum lucro.

XX. Ad 4. Immo summa inæqualitas, proindeque aperta elucet in trino contractu injustitia. Quod sic evinco. Iniqua, & leonina est illa societas, in qua alter socius omne subit periculum, & sortis, & lucri; alter vero & de lucro certus est, & de sorte; porro id contingit in trino contractu: ergo iniqua & leonina in eo apparet societas. Nequaquam, reponunt adversarii, nam pericula sortis, & lucri pars pretio ab altero socio redimuntur. At quonam pretio? Num numerata pecunia, & quidem tanta quantitate, ut probabilitati periculi respondeat? Minime. Sed persoluto pretio chimærico, incerto, fictitio, sito in spe lucri incerti percipiendi. Quod ut clarissime percipias, finge Paulum dare mercatori mille aureos in societatem ad decem annos. Accipit negotiator nummos, & merces emit: sed secundo anno occurrente naufragio, incendio, furto, bello, alioque infortunio totum capitale

amit-

amittit. Ubi societas? ubi nunc capitale? ubi lucrum speratum? Et tamen Paulus singulis annis quinquaginta aureos a misero negotiatore extorquebit; & post decem annos integram sortem mille aureorum. At quo titulo, amabo? Societatis? At quomodo consistit societas sublato penitus capitali? Titulo assecurationis? At ubi pretium pro ea persolutum? Titulo lucri sperati? At ubi lucrum, si lucri fundum periit? Unus igitur superest titulus & usurarius, nimirum data pecunia ad lucrum. Addo. Conditiones appositæ ad honestandum trinum contractum non sunt nisi fuci, & linimenta ad turpem usuræ faciem obumbrandam. Nam 1. ut ipsi fatentur Salmanticenses laud. n. 102. *frequenter solent omitti, & parum de illis curatur*. Et revera, quis celebrans trinos contractus socium de negotiatione convenit, genus constituit mercium, & loca designat, pericula expendit, lucri probabilitatem ponderat? Omnia arbitrio socii recipientis pecuniam relinquit, qui, cum rationem socio reddere minime teneatur, de pecunia pro suo libito disponit; & nomen negotiationis ad fucum adhibetur. Unum respicitur lucrum ex pecunia mutuo data: unde hanc formulam celebrandi trinos contractus exhibet Lessius. *Confero mille ad mercaturam, ut quotannis solvas quinque, vel sex, salva sorte, eo modo, quo DD. docent, id esse licitum*. Tolle fucum in verbo *ad mercaturam*, & appone proprium, & verum nomen *ad mutuum*, vel *ad usuram*, & genuinam habebis contractus faciem. En quo tandem recidit servandarum conditionum apparatus, qui dum una manu a Theologis orditur, altera destruitur. At finge, positas conditiones ad amussim timoratum negotiatorem servare, & sancte custodire velle; statim comperies trinum contractum cum uno, & eodem socio esse impossibilem. Nam ad æqualitatem, & justitiam servandam oporteret, ut lucrum speratum esset supra quadraginta pro quolibet centenario, cum & ipsi mercatores peritissimi fateantur, quamcumque negotiationem etiam florentissimam in hisce nostris regionibus vix quindecim in centum afferre. Audiatur Cardinalis de Luca lib. 5. de Usuris disc. 1. n. 16. scribens. „ Hoc autem „ impracticabile videtur in lucro retra„ hendo ex pecunia numerata, quoniam „ ad effectum, ut creditor, seu mu„ tuator assecuratus tam de sorte, quam „ de lucro obtineat quinque pro cente„ nario, oportet dare lucrum in plus„ quam quadraginta pro centenario, „ dum ex lucro detrahere prius oportet „ portionem quodammodo colonicam, „ debitam ipsi mutuatario tanquam so„ cio ponenti operas pro istarum con„ grua, & proportionata renumeratio„ ne. Deinde vero de eo, quod supe„ rest ad commodum creditoris, tan„ quam species portionis dominicalis „ detrahenda est magna, & notabilis „ quantitas, quæ verosimiliter sit con„ grua merx dictæ duplicis assecuratio„ nis, etiam a quolibet tertio negotia„ tore facienda, quod videtur impra„ cticabile „. Quod confirmat & Mi„ nutulus in sua brevi notitia just. com„ mut. P. 1. art. 1. dicens „: In ne„ gotiationibus non solum sunt necessa„ ria conservatoria pro mercibus, sed „ famuli, scriptores, expensæ domo„ rum, & rursus duæ partes lucri re„ cepti in societate debent esse alte„ rius socii pro assecuratione capitalis, „ & emptione lucri incerti sperati pro „ certo, & etiam pro parte ad ipsum „ tangente in societate de industria, & le-

„ labore: ergo ridiculum est, quod „ possint prædicti socii lucrari quadra- „ ginta, & plus “, En igitur, quomodo etiam servatis conditionibus a patronis trini contractus constitutis, nunquam æqualitas haberi possit, proinde nec justitia in trino contractu.

XXI. Ad 5. Licet non omnis assecuratio dominium rei assecuratæ transferat in Assecuratorem, ut contingit in commodato, locato, & deposito: quia cum eadem res & subsistat, & restitui possit eadem numero, & præterea usus rei ab ipsa substantia distinguitur; fieri utique potest, ut quis & domum conducat, & ab omni periculo assecuret, quin tamen domus ita dominus fiat, ut eam destruere, ac vendere possit pro libito: at non ita in contractus societatis, in quo pecunia assecuratur; nam tunc posita assecuratione, pecunia in dominium transit assecuratoris, qui ea uti potest, ut sibi libet, cum suo periculo vel pereat, vel fructificet, nec alio modo possit uti pecunia, nisi eam distrahendo. En igitur, quomodo contractus assecurationis in societate non solum sit præter, sed etiam contra naturam societatis, quæ postulat, ut sicut pericula, & detrimenta, ita & utilitates communia sint inter socios; ut superius luculentissime ostendimus. At posita assecuratione, multoque magis adjecta venditione incerti fructus, ita destruitur societas, ut socius nec rationem reddere debeat alteri socio de ejus pecunia, & ipsi soli fructificet, & ipsi soli pereat, quæ veri dominii aperta sunt argumenta. At destructa societate non superest, nisi mutuum: ergo trinus contractus est usuræ pallium. Reponunt Adversarii, nequaquam negotiator, qui pecuniam ad negotiationem accipit, potest eam, prout sibi lubet, distrahere filiam dotando, prædia emendo, in litibus expendendo: quod si fiat contra societatis leges, peccabit. At hoc cumulat quidem iniquitatem, sed non tollit. Nam 1. Socius, qui pecuniam recipit, obnoxius est omni excogitabili & etiam inexcogitabili periculo pecuniæ, teneturque semper fructus reddere: & adhuc facultate privatur de sua pecunia pro libito disponendi? Quid iniquius? quid perversius? 2. Concesso etiam cum legibus societatis non posse, nisi in negotiationem, pecuniam impendere, adhuc adjecto duplici pacto assecurationis, & venditionis, dominus sit pecuniæ, quæ semper suo periculo stat, vel cadit, perit, vel fructificat: sicut fidei commissarii, licet non valeant bona sibi sub fide commissa vendere, nihil tamen prohibet, quin certi illorum bonorum domini sint, cum eorum damno pereant, vel fructificent eorum beneficio. Scrupulus vero, quem ingerere tentant de violata lege societatis, si negotiator socii pecuniam aliter expendar, quam in negotiatione, aranearum telis comparatur, quæ facile, & sine labore infringuntur. Quis enim negotiator sibi vitio, & peccato vertat, si pecuniam aliter disponat, quam in negotiatione; dummodo & fructum pendat, & suo tempore aptus sit ad sortem reddendam; sicut quis, dum pecuniam dat negotiatori, sollicitus est de ejus negotiatione? Satis illi, superque est statuto tempore fructus prompte recipere, & securum esse de sorte finita societate, vel, cum sibi libuerit, recuperanda. His positis cetera flocci faciunt, unde manifestum est solum lucrum ex pecunia sperare, & velle, quod usurarium est.

XXII. Ad 6. Duo sunt, quæ negotiatores ad hujusmodi trinum contra-

ctum

ctum celebrandum impellunt, nimirum necessitas, & cupiditas. Necessitas, cum alio modo pecuniam se reperire vix posse agnoscant, præsertim desperatis rebus, & in proximo decoctionis periculo. At hoc titulo & ipsa usura licita evaderet; cum ad fœneratores confugiant plerique nonnisi necessitate compulsi. Cupiditas quoque est alia causa, cur negotiatores malunt hanc fictam societatem inire, quam veram: quia, ut inquit Auctor libri *Pecuniæ occupatæ* (dell'impiego del denaro) „ hæc (vera societas) pedicas ponit mercatori, „ & speratum lucrum diminuit, & ad „ rationem reddendam, & negotia sua „ patefacienda obstringit ". At quis dicat, cupiditatem titulum esse honesti lucri: cum hæc potius fons sit, ex quo fœnera, illicita lucra, iniqui contractus scaturiunt? Finge utilissimum esse mercatoribus trinum contractum: num ex utilitate statuenda honestas? cum & juxta ethnicos Philosophos utile non sit, quod non est honestum. Quamobrem non ex utilitate honestas, sed ex honestate utilitas est pensanda. Porro hæc utilitas, & necessitas in causa fuit, ut Salmasius, Brodeersenius, Marchio Maffejus, aliique usuras moderatas licitas esse docuerint, & eas dumtaxat vetitas dixerint a divina lege, quæ mordentes sunt, & cum pauperibus exercentur. Errarunt quidem, & turpissime, ut suo loco videbimus. At saltem candide, & ingenue fassi sunt, lucrum ex ipsa pecunia mutua data usuram esse. Theologi autem minus candide, & sincere nolunt usuram esse, quæ vera usura est; & nomen mutantes, malitiam simul ablatam esse arbitrantur, quasi iniquitas sit in nomine, non in actione. Verum de hoc fusius suo loco, ubi de mutuo & usura disputabimus.

XXIII. Rejecto itaque tanquam illicito, & fœneratio trino contractu, nunc perpendendum, an in tali societate saltem duo celebrari possint disjunctive contractus, nimirum vel assecuratio sortis, non vendito incerto, & sperato fructu; vel venditio fructus sine sortis assecuratione. Utrumque expendamus contractum, quem licitum existimant Billuart, & Continuator Tournelii. Et de primo verba faciamus in quo sors ab omni periculo tuta redditur. Hic duplici modo celebrari potest, nimirum ut pro sortis assicuratione Capitalista quinque, vel sex in annum pro singuli centenariis solvat, & quidem de sua pecunia; vel nihil solvat, sed tantumdem de sperato lucro socio condonet. Utroque modo celebratum contractum puto illicitum, & injustum. Et primo quidem modo, quia assecurata sorte, sive capitali ab omni periculo, omnis abest titulus justi lucri, qui solum duplex esse potest, nimirum vel sortis periculum, vel industria: primus ablatus est per assecurationem, tunc enim pecunia transit in dominium socii, cujus periculo omnino stat vel perit, fructificat, vel sterilis manet, alter locum non habet, cum ad alium socium omnino pertineat. 2. Quia quinque, vel sex in centum justum non sunt assecurationis pretium ab omni periculo, tum obvio, tum fortuito, tum possibili. Et revera ubinam gentium invenietur, qui pecuniam negotiationi expositam velit ab omni excogitabili periculo tutam, & immunem reddere? Quæ omnia multo magis militant contra alterum modum, quando scilicet pro assecuratione pars assignatur lucri sperati: nam tunc socius, qui sortem tutam reddit, periclitatur, ne quid accipiat, si lucrum ex negotiatio-

ne nullum proveniat; quod meo videri majorem ostendit injustitiam. Utrique vero modo adversatur Sixtina Constitutio superius non semel laudata, qua tanquam usurariæ omnes prohibentur societates, in quibus sors in tuto posita est. Quamobrem & ipse Billuart, qui duplicem hunc contractum absolute non damnat, optime tamen subdit, „ „ Hic tamen contractus duplex non est „ facile admittendus in praxi, quia „ facile potest irrepere usura; ut si „ assecuratus de sorte assignet pretium „ assecurationis accipiendum ex lucro „ sperato .... Similiter, si non servetur „ æqualitas inter pretium assecurationis sortis, & ejus periculum, vel „ inter spem lucri, & lucrum assignatum. Quibus de causis posset juste „ prohiberi, & de facto videtur prohibitus per Bullam Sixtinam in locis, „ ubi viget “. Quæ postrema verba sunt emendanda, nimirum dicendo, non videri, sed revera esse prohibitum in Bulla Sixti, ut legenti constabit, & eam ubique terrarum vim obtinere.

XXIV. In altero vero duplici contractu, in quo sors quidem periculo est exposita, sed certum redditur, & securum lucrum, nulla aperta est injustitia. Nam societas integre consistit ex parte sortis, quæ revera periculo stat ponentis: legitime igitur ex ea lucrari potest. Hoc vero lucrum cum incertum sit, & modo minus, modo majus esse possit, objectum esse poterit, & materia contractus sortis, in qua & æquale sit periculum, & æqualis spes. Honesta etiam de causa institui posse videtur, nimirum ut socius, qui æquivalentem præstat in negotiatione operam, videns hoc contractu majus lucrum in suam redundare utilitatem, sedulius, diligentius, accuratius negotiationi vacat, ut sortem & accuratius conservet, & utilius occupet. Nihilominus illum nunquam adprobare ausim, cum Sixtus V. & hunc contrahendi modum, utpote qui attenta hominum cupiditate, & spectatis fraudibus, quæ committi possunt, in praxi difficillime omni culpa vacat, in sua Bulla vetaverit illis verbis, ubi jubet: *Societates sincere, & bona fide ita esse celebrandas, ut non ad certam summam, aut quantitatem ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem* LUCRI *nomine persolvendam neque*; AD CAPITALE, *si casu fortuito perit, restituendum socius accipiens teneatur*. In quibus verbis, & capitalis assecurationem, & ipsius lucri securitatem prohibet Pontifex.

XXV. Completa vero societate sunt rationes inter socios instituendæ, & debitis factis supputationibus lucra emolumenta, utilitates sunt inter socios dividenda, non arithmetice quidem, sed geometrice, inspectu scilicet cujuslibet socii præstita vel sorte, vel industria, ut superius diximus. Hinc si opera, & industria socii capitalis quantitatem æquet, lucrum est dimidiandum; si vero non æquet, aut etiam superet, & lucrum quoque servata proportione illi accrescit, vel minuitur. Quod si initis rationibus, detractis expensis, & detrimentis, nihil lucri supersit, sors non est inter socios dividenda, sed Capitalistæ restituenda, nisi vel consuetudo aliter ferat, vel aliter inter se socii contrahentes convenerint. Huic doctrinæ adversari videtur Daniel Concina, qui censet, si industria socii æquet capitalis quantitatem, tum socium non solum lucri, sed etiam sortis participem esse debere: quamobrem si operæ socii æquent summam Capitalistæ; tum æqualiter sors & lucrum dividenda sunt. Cui tan-

tanti viri doctrinæ ne acquiescam, duo me movent. 1. Definitio, & declaratio ipsius Pontificis Sixti V. qui in toties laudata Bulla statuit: *Si vero finita societate ipsum capitale extet, ei, qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, vel aliter inter ipsos contrahentes super eo legitime conventum sit*. Jubet igitur Pontifex capitale restituendum, non dividendum. Consonat hæc Pontificia definitio cum doctrina S. Th. qui 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5. docet: *Ille, qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ, sed remanet, ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotietur, vel artifex operetur*. Igitur juxta S. Th. Capitalista semper dominium retinet sortis, adeout illi pereat, si perit: ergo illi salva esse debet, si non pereat. At inquit Concina, ad negotiationem non minus conferunt operæ socii, ac sors Capitalistæ. Annuo: & ideo sicut Capitalista ex sua sorte lucratur, ita socius ex opera, quam præstat, lucratur; & si unum alteri sit æquale, lucrum est æqualiter dividendum. At non video, cur dividenda sors. Utique, reponit Concina, quia alioquin non servaretur æqualitas: nam Capitalista solum lucrum ex pecunia amitteret, si nullum est, & sortem salvam consequeretur, dum socius negotiator, seu operarius & capitale operis perderet, & lucrum. Et hoc iterum concedo: at dico hanc inæqualitatem non ex injustitia societatis oriri, sed ex natura rei in societatem positæ, quæ plane diversæ rationis est: nam altera, scilicet pecunia, res permanens est, quæ etiam sine lucro consistere potest; at opera, & negotiatio socii res est fluxa, transiens, non permanens, quæ proinde, si lucrum non reportet, nec in se permanet, nec in suo effectu. Præterea ex sorte, & opera, sive ex pecunia, & negotiatione non fit unum capitale, sed una societas, in qua alter pecuniam, alter industriam ponit, proinde utrique æquale jus ad lucrum. At capitale non dicitur, seu sors, nisi illud permanens, sive pecunia sit, sive quid aliud, quod periculo exponitur, quod proinde stat, vel cadit exponenti. Ita docet Juveninus, sive Auctor. Resol. Casus Conscientiæ T. 2. tr. 12. cap. 6. Sylvester V. Societas 1. q. 20. Sotus lib. 6. de just. & jur. q. 6. art. 1. in fine; Navarrus in Enchiridio cap. 17. n. 353. immo & Lessius lib. 25. dub. 20. a n. 18. ad 20. aliique tum Juris Canonici, tum Civilis Doctores. Addidi tamen, nisi consuetudo, & quidem probata, ita ferat, vel aliter conventum sit: nam socii justas, legitimasque pactiones custodire debent, ut docuit in sua Constitutione Summus Pontifex Sixtus V.

CAPUT SECUNDUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Omnia, quæ ad societatem generalem pertinent, toti societati communia sunt*.

II. *Quinam socius non sit, sed sui operis locator*.

III. *In societate animalium illicitum est sortem salvam velle*.

IV. *Quomodo sit divisio facienda in societate animalium*.

V. *Nonnullæ conventiones licitæ, vel illicitæ in societate animalium*.

VI. *Alia conventio quando licita, & quando illicita*.

VII. *Ad quem spectent damna, & detrimen-*

menta in societate animalium .

VIII. *Num quis possit pluribus societatibus operam suam obligare* .

IX. *Quando socius teneatur ex proprio etiam sine culpa damna societatis reparare* .

X. *Damna socii , & expensæ sunt a tota societate sarciendæ , & faciendæ* .

XI. *Quando finem habeat societas* .

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. IN societate generali, & communi omnium bonorum quidquid cuique socio ex quolibet titulo etiam personali obveniat, debet esse toti societati commune ; sicut & cujusque socii damna , pericula , detrimenta communia sunt . Ita L. 1. §. ff. pro socio ; *Omnes res , quæ coeuntium sunt , continuo communicantur* . Hinc socii ex fundo societatis sibi sumere possunt alimenta, & cætera quæ suæ familiæ sustentationi sunt necessaria, at non dotationem filiæ: dos enim tunc sumenda est ex privata portione dotantis L. 79. §. 1. ff. pro socio. Similiter nec ex communi penu sunt accipienda , quæ in ludis , voluptatibus, aliisque illicitis rebus insumuntur ; cum nulla sit societas in turpibus , & illicitis . Quamobrem L. 19. §. 1. ff. de Soc. dicitur: *Quod in alea , vel adulteriis perdiderit , socius ex medio non est laturus* . Non est tamen censenda generalis illa societas, quamvis in Actis dicatur simpliciter societatem iniri inter plures , sed censenda est particularis , id est de iis solum , quæ in mutuum commercium veniunt ; ut declaratur in L. 7. ff. pro Soc. ubi dicitur : *Si non fuerit distinctum, videtur coitum esse universorum , quæ ex quæstu veniunt , hoc est si quod lucrum ex emptione , venditione , locatione , conductione descendit* .

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Qui in societate operam , industriam , & laborem præstat , si certum, & determinatum pretium accipiat, licet proportionatum lucro ex negotiatione provenienti , socius proprie non est, sed sui operis locator; licite tamen pretium illud potest accipere . Socius dici non potest, qui actus, quos præstat, sorti , & periculo non exponit: nam certus est de sua mercede , licet fortassis incertus de majori,vel minori quantitate juxta majorem , vel minorem lucri abundantiam . Licite tamen potest pretium etiam majus accipere ; quia tunc habetur contractus locationis cum contractu sortis ; primus mercedem justam efficit , alter sicut ejus diminutionem , ita & incrementum justum reddit .

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Illicita est , & usuraria illa animalium societas , in qua statuitur , ut sors , sive capita bestiarum semper salva sint tradenti , & aliquid ex animalium fructibus in annos singulos solvatur . Veritas hujus Consectarii manifesta est tum ex his , quæ superius diximus ex Bulla S. Pii V. tum ex ipsa naturali ratione : nam tunc mutuum intervenit , societatis pallio obtectum ; quandoquidem animalia jam transeunt in dominium accipientis , cui pereunt , si pereant : illi proinde fructum reddere debent , non tradenti , qui nullum subit periculum . Eapropter merito S. Carolus Borromæus in secundo Mediolanensi Concilio statuit P. 2. de usuris : *In societate animalium , quæ inæstimata alicui dantur ad custodiam , sive ut operas præstes , omnes casus , etiam fortuiti , semper sint periculo ejus , qui dederit , nisi id alterius socii dolo , vel magna negligentia ac-*

accidisse constiterit. Nec fiat pactum, ut sors semper sit salva, etiam ex primis fœtibus. Neve quidpiam certi præter sortem solvatur, aut capiatur.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. In contractu animalium, si alter socius omnia præstet capita, alter vero operam in iis alendis, pascendis, curandis, si animalia pereant, tradenti pereunt, si salva sunt, in fine societatis sunt domino restituenda: fructus vero dividendi juxta debitam proportionem, qua industria, & opera æquent sortem, sive capitale. Si vero socius non sola præstet opera, sed animalium partem, sive propria pecunia, sive ex novis fœtibus ponat, sive periculum ad utrumque pertinet, ita societatis lucra, & emolumenta sunt dividenda, & in fine ipsum etiam capitale partiendum. Patet hujus consectarii veritas in utraque sui parte: nam cum socius suo periculo animalia socio tradat, fructus ex illis tanquam de re sua potest recipere, ut docet S. Th. & sicut suo periculo vivunt, & pereunt, ita si in fine societatis salva sint, ad ipsum pertinebunt, sive meliora effectu sint, sive deteriora, cum illorum dominium nunquam amiserit, vel dimiserit. Dum vero alter non solum industriam præstat, sed & animalium partem ponat, capitale factum est commune, proinde pro rata, & pro portione dividendum, sicut & fructus juxta eamdem proportionem.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Nec illicitus, nec injustus est contractus societatis animalium, in quibus quis rustico juvencas, vel oves tradit ea pactione, ut ex primis fœtibus pretium sibi restituatur, deinceps vero omnia sint communia: at contra illicitus, si conveniant, ut quæ perierunt, ex fœtibus restaurentur, & societate finita restitutis animalibus, fœtus reliqui, aliique fructus dividantur. Nam in primo contractu cum domino animalium pretium restituatur ex fœtibus, quorum dimidia pars ad dominum pertinet, dimidia ad rusticum, hoc pacto rusticus dimidiam partem emit capitalis, idest juvencarum, & ovium, & sic æqualitas servatur, cum & fructus æqualiter dividantur, & capitale, dummodo tamen capitale, scilicet juvencæ, & oves domini periculo stent, & ipsi pereant, si fortuito pereant, antequam ex fœtibus capitale restituatur. Alioquin iniquus esset contractus, si totum periculum esset rustici; sicut pariter injustus, si periculum foret commune, quia rusticus injuste gravaretur. Ita S. Antoninus, P. 2. tit. 1. §. 39. „ Est „ illicitum, si tradens pecora velit ca- „ pitale suum salvum, grege pereunte, „ & si non perit in præsenti, vult nihilo- „ minus prius de fructu pecorum suum „ capitale. Si vero pereunte grege to- „ tus pereat tradenti ipsa pecora, sed „ si non perit, vult tradens prius de „ fructu trahere capitale, & exinde „ facere pecora communia, secundum „ istum modum licitum esse". At paulo post optime animadvertit S. Archipræsul: „ videndum in hoc contractu, „ num labores, & opera rustici in „ alendis, curandis, custodiendis pe- „ coribus æquent ipsum capitale ani- „ malium, vel solum mediate respon- „ deant. Si primum, injustus esset „ contractus, nam rusticus gravaretur. „ Nam ubi male fortunentur, ipse „ amittit duo, scilicet medietatem „ pretii, seu capitalis, & laborem suæ „ custodiæ; tradens autem amittit

unum,

„ unum, scilicet medietatem pretii „ pecorum. Ex quo igitur rusticus recipiens, seu conducens pecora substat majori periculo, debet etiam „ plus participare de lucro“. Si vero opera rustici æstimentur medietati capitalis æquivalere, cum tunc perfecta adsit æqualitas, licitus omnino erit contractus. At contractum secundo modo celebratum injustum esse, & illicitum nullus est qui ambigat; cum tradens pecora sortem salvam velit saltem ex dimidio, & in fine societatis eam non dividat, sed integre sibi reservet. Unde subdit laudatus S. Præsul: „ Injuste fit hujusmodi societas, „ cum quis dat certa capita ovium „ æstimata certo pretio, hoc pacto „ quod rusticus non accipiat aliquam „ utilitatem, donec tradens receperit „ prius totam sortem. Hoc enim pa„ ctum est valde iniquum. Sicut etiam „ si quis pacifcatur, quod antequam „ rusticus recipiat aliqua, restaurabit „ de fœtibus omnia mortua. Hoc enim „ pacto est quasi tradere oves immor„ tales“.

Consectarium Sextum.

VI. Non est culpanda societas, qua socius juvencas, vaccas, oves tradit rustico æstimatas, adjecta pactione, ut iterum post annum æstimentur, & si quidem pluris æstimabuntur, incrementum cum fructibus dividatur: si vero minoris decrementum ex fructibus per medietatem suppleatur. Nam huic contractui adjectus est alter contractus sortis de fortuito incremento, & decremento sortis, in quo cum servetur æqualitas (nam æquale est periculum utilitatis, & damni) nulla apparet injustitia; quæ tamen locum haberet, si socius tradens animalia æstimata, incrementum quidem divisum vellet, totum vero decrementum supplendum imponeret rustico, qui hoc pacto ultra æquitatem gravaretur; cum alias rusticus teneatur decrementum solvere, si sua culpa contingat.

Consectarium Septimum.

VII. Quando animalia ita in societatem conferuntur, ut commune sit danti, & accipienti utile, & damnum, & in fine tam sors, quam fructus dividantur, si animalia pereant ex morbo, vel morte naturali, danti pereunt; si vero pereant ex casu fortuito, puta bello, incursione hostium, alluvione, maleficio, periculum est commune. Si vero pereant culpa recipientis, tenetur damnum resarcire, tum capitale, seu animalia restituendo, tum medietatem fructuum perceptorum. Ratio primæ partis est, quia eo modo periissent etiam apud dominum, si apud ipsum mansissent, nec tradita fuissent in societatem: & licet sub æstimationem tradita sint, cum tamen in societatem sint data, dominium non transfertur; cum æstimatio venditionem non faciat. Ratio secundæ partis, quia sicut capitale, & fructus facta sunt communia, ita detrimenta, & pericula debent esse communia. Quamobrem si animalia æstimata fuissent centum, quinquaginta a recipiente danti sunt refundenda. Tertiæ vero partis ratio est, quia in contractu societatis eamdem tenetur curam habere socius de rebus societatis, ac de rebus propriis; proinde tenetur nedum ex culpa lata, sed & levi, licet non ex levissima, ut suo loco de restitutione dicemus. Tota vero responsio doctrinæ innititur, quam tradidimus regula 3.

CON-

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Qui operam, & industriam suam uni societati obligavit, non injuste agit, si alia negotia suo nomine instituat, vel alteri societati se adjungat, ut magis lucretur; dummodo tamen nec suo muneri desit, vel aliter conventum non sit. Ratio est, quia nonnisi eam spopondit operam, & industriam, quæ rebus societatis procurandis tamquam propriis necessaria est. Si igitur hoc munus recte adimpleat, non præpeditur, ne & propriis negotiis, & aliis etiam societatibus vacare possit; cum jam etiam ex culpa levi teneatur, si quæ obveniant, societati detrimenta sarcire. Addidi tamen, nisi aliter conventum sit: nam tunc sponte se obstringit ad alia quæcumque negotia dimittenda, & ut ita dicam se totum uni obligavit. Hinc in ext. de Pactis cap. 1. statuitur: *Standum est pactioni, quia pacta ex conventione legem accipiunt, & servanda sunt, si tamen justa sunt, & non gravetur magis una pars, quam altera.*

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Si societatis negotia ob ingruentes calamitates sint in maximum discrimen adducta, nec reparari possint, nisi alter ex sociis magnam vim pecuniæ de suo conferat, id præstare tenetur, si commode possit. Cum enim ex lege societatis quilibet socius bona communia societatis tanquam propria procurare debeat, & quilibet ad propria reparanda damna libenter pecuniam suam impendit, ad idipsum erga societatem præstandum teneri palam est. Societas tamen adstringitur, & pecuniam ad hoc collatam in fine societatis restituere, & pro illius rata emolumenta interim communicare. Ita Juvenimus l.l. cap. 4. n. 3.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Expensæ, vel damna, quæ sociorum aliquis causa societatis vel subire, vel pati debet, sunt e penu societatis sarcienda; non vero quæ ob propriam utilitatem etiam occasione societatis incurrit. Hoc Consectarium applicationem continet regulæ. 4. Quamobrem si socius iter habens secum deferat & societatis communem pecuniam, & aliam privatam ad propria peragenda negotia, & in itinere a latronibus omni pecunia spolietur, illius quidem, quæ societatis est, commune est damnum; at propriæ detrimentum nonnisi solus debet subire. Num vero ex expensis, quas in itinere pro societate subit, sint illæ detrahendæ, quas ipse socius domi fecisset, litigant Theologi: plures siquidem, Lessius, Azorius, Reginaldus, Layman, Bonacina, Reiffenstuel, aliique censent non esse detrahendas hac duplici ratione permoti: primo quia leges, & jura decernentia hujusmodi expensas esse de societatis bonis faciendas, non distinguunt; ubi vero lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: 2. addunt, consuetudinem esse optimam legum interpretem; & per eam expensæ omnes, nulla facta distinctione, a societate persolvuntur. Alii vero e contra censent detrahendas, nimirum Angelus V. Societas n. 22. Sylvester V. Societas 1. q. 12. Filliucius, Rosignolius, & alii hac ducti ratione; quia socius expensas, quas subire debet pro privatis suis rebus, ex suo, non ex societatis penu præstare debet; expensæ autem, quas domi fecisset, privatam suam respiciunt & personam, & familiam. Et hanc puto verosimiliorem, & probabiliorem doctrinam. Nam revera titulum non inve-

venio accipiendæ, vel retinendæ pecuniæ, quam pro suis necessitatibus jam expendere debuisset: non ipsa erogatio pecuniæ, nam eam etiam domi consumpsisset; non labor, & officia societati præstita, hæc enim sunt jam ex contractu societatis debita. Cum nullus igitur adsit titulus, injusta esset illa pecuniæ vel acceptio, vel detentio. Leges autem non quid peculiare statuunt, sed quid juris sit in societate, declarant, nimirum expensas pro societate subeundas, esse de bonis societatis solvendas; de iis autem, quæ ad privatam socii personam spectant, nihil omnino decernunt. Consuetudo vero, ubi adesset, esset servanda: nam contractus omnes, nisi aliter statuatur, juxta probatas, & communes consuetudines celebrantur. Quid autem si socius, dum societatis negotia curat, domi magnum subeat detrimentum? Erit ne hoc ex societate sarciendum? Non puto, nisi aliter conventum sit; nam cum societati suam operam obligaverit, quæ absentiam a domo postulat, ipse sponte hoc detrimentum subivit. Quod si per accidens contingat, ut aliquis, socii absentiæ capta occasione, litem familiæ intentet, tunc detrimentum non ex societate oritur, sed occasione societatis, quæ illud sarcire non tenetur. Sicut ex opposito, si socius in aliqua civitate negotia gerens societatis, vel optimam hæreditatem consequatur, vel pingue legatum, tota utilitas illi cedit, non societati, cum non ex societate, sed occasione societatis illi obvenerit.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Finem accipit societas 1. elapso termino societati præstituto, ante cujus lapsum non licet uni socio sine alterius, vel aliorum consensu resilire: alioquin ipse quidem socios a se liberabit, at ipse societati obstrictus manebit, nisi resiliendi justa adsit causa. Et in hoc sensu intelligendam puto legem 14. ff. *pro socio* statuentem: *Sed si convenit tempus societatis, & ante tempus renuntietur potest rationem habere renuntiatio*. Quod si societati nullum sit præfinitum tempus, cuilibet socio licitum semper erit resilire, dummodo tamen non intempestive fiat, & cum aliorum sociorum detrimento, vel dolo malo, quia ipse velit societatis negotium ad se trahere. 2. Communi sociorum consensu, vel sententia judicis societatem dirimentis per dissolutionem contractus ob dissentiones inter socios ortas. 3. Morte sive naturali, sive civili socii, nimirum professione religiosa, exilio, & media, vel maxima capitis diminutione, nec tunc in ejus locum succedunt hæredes; nam electio personæ est ad societatem necessaria, cujus industria præcipue respicitur: quamobrem nisi ipsi hæredes se societati in casu mortis obstrinxerint, necesse est, ut cum illis novo consensu societas instauretur. 4. Denique, si sors, seu capitale in totum pereat, vel ita conditionem mutaverit, ut non sit amplius in commercio hominum; ut si religiosa, vel Deo sacra, sive de jure regio sit facta, ut habetur L. *verum est* 63. §. 10. ff. *pro socio*, ubi statuitur; *Res vero, quæ aut nullæ relinquuntur, aut conditionem mutaverint; neque enim ejus rei, quæ nulla sit, quisquam socius est, neque ejus, quæ consecrata sit*.

CAPUT TERTIUM.

De Assecuratione.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Quid sit assecuratio, & quomodo ab* *aliis*

aliis contractibus discrepet.

II. *Licitus est hic contractus respectu cujusque.*

III. *Ad ejus justitiam nonnullæ sunt servandæ leges, quæ enumerantur.*

IV. *Quænam assecuratio primæ legi adversetur.*

V. *Quænam illicita sit, quia opposita secundæ legi.*

VI. *Refellitur opinio Ferraris.*

VII. *Assecuratio esse debet de rebus vere existentibus.*

VIII. *Et aliquo modo designatis.*

IX. *Ad quæ pericula se extendat assecuratio.*

X. *Assecurator, qui non habet, unde pretium rei assecuratæ solvat, si pereat, tenetur de dolo.*

I. ASSECURATIO definitur *contractus quo quis suscipit in se periculum alicujus rei alienæ pro pretio.* Contractus iste, licet gratuitus esse possit, & per modum donationis, communiter tamen fit pretio. Distinguitur a fidei jussione, quia in hac, ut in sequenti videbimus, fideijussor non est debitor principalis, sed ejus obligatio est accessoria, si alter non solvat: in assecuratione autem assecurator est debitor principalis, & per se; adeoque, si res pereat, ipse illius pretium sive in toto, sive in parte, prout conventum fuerit, compensare tenetur. Præterea materia fideijussionis est solum æs alienum, sive alterius debitum; assecurationis vero sunt res alicui periculo obnoxiæ; Quamobrem celebratur hic contractus, quando quis pecuniam, vel mercem, aut navem per loca periculis obnoxia mittendam ita assecurat, ut, si forte pereat, vel incendio, vel naufragio, vel latronum, sive piratarum violentia, damna assecurator compenset. Non inter innominatos contractus, ut quidam putant, est recensendus, cum proprium nomen obtineat; nec ad venditionem revocandus, cum non sit traditio rei pro pretio, ut aliis placet, nam assecurans pretium quidem accipit, sed nihil aliis tribuit, sed solum in se periculum suscipit. Est ergo contractus nominatus, & propriæ speciei, sicut sunt mutuum, commodatum, locatio, & ceteri, qui proprium obtinent nomen; & assecuratio dicitur.

II. Licitum esse hunc contractum negant aliqui Auctores, si cum illo celebretur, qui nullam rei assecuratæ curam gerit, nec pro illius incolumitate aliquam præstat operam: hinc licitum solum dicunt vel cum nauta, sive alio vectore, qui rem transferre debet, vel cum illorum custode, cum aliis vero nequaquam. Verum hanc opinionem improbabilem esse, & cum quolibet celebrari posse, etiam nullam rei curam gerente, invicta ostendunt argumenta. Siquidem contractus ille licitus est, quo uterque contrahens aliquam pretio æstimabilem in se suscipit obligationem; & alter beneficium pretio æstimabile consequitur; & uterque periculo, ac lucro exponitur: porro in assecuratione assecurator in se periculum suscipit rei, si forte pereat; quod onus in se pretio æstimabile esse nemo negaverit; qui vero pro assecuratione pretium solvit, beneficium obtinet compensationis damni, si forte obvenerit; quod profecto est pretio æstimabile: ergo licitus omnino est hujusmodi contractus. Præterea dominus sorti se exponit sibi utili, rem suam scilicet habendi, licet perierit; alter vero pecuniam lucrandi, si res incolumis perseveret, tametsi nullam operam,

nullum laborem præstet; quia contingere potest, ut pretium solvere teneatur: nihil igitur reperitur in hoc contractu, quod justitiæ legibus adversetur. His additur utilitas tum publica, tum privata, quia hoc pacto & negotia foventur, & negotiatores utilius rem suam gerunt.

III. Ad ejus justitiam tamen nonnullæ sunt leges servandæ, a quibus si recedat, illicitus fieri potest, & iniquus. 1. Conditio, ut pretium justum sit, & adæquatum majori, vel minori quantitati, & qualitati periculi juxta vel emporii, vel consulatus leges, aut consuetudines. 2. Ut pericula sint vera, & tam assecuratori, quam assecuratario comperta. 3. Denique, ut assecurator habeat, unde possit assecuratarum mercium pretium solvere.

IV. Ratione primæ conditionis infertur, non posse assecuratorem pretium accipere proportionatum timori mercatoris gravissima existimantis pericula, quæ tanta non sunt, sed ipsis periculis in se, & juxta communem æstimationem pensatis: nam pretium non errori existenti in alterius mente proportionari debet, sed ipsi reali periculo; alioquin injustum esset pretium, & ab æquitate exorbitans. Quod pariter dicendum est de assecuratario, qui scit majoribus periculis rem esse obnoxiam, quam putet assecurator: tunc enim & ipse æquitatem inducere debet inter periculum, & pretium, & monere assecuratorem de veris periculis, quibus subjacet, si illi sint ignota; sicut tenetur venditor vitium, & defectum intrinsecum rei emptori ignotum manifestare.

V. Ex secunda conditione, qui scit merces, vel navem esse jam in tuto positam, & hoc ab alio ignoretur, qui assecurationem postulat, non potest pretium accipere; sicut ex adverso, qui sciret jam merces periisse, vel esse in periculo proximo pereundi constitutas, non potest ab alio ignorante assecuratione redimere. Hinc minime probabilem puto doctrinam Lessii dicentis, si res nondum sit in tuto posita, etsi privata scientia sciat, non fore periculum, posse licite ordinarium pretium assecurationis accipere, *quia illa obligatio ob pericula ordinaria magni æstimatur, & causæ occultæ, quæ periculum minuunt, non minuunt communem existimationem*. Nam, ut optime notat clariss. Franzoja, cum nullum est periculum, sive hoc privata scientia innotescat, sive publica, res est in tuto; rei autem in tuto positæ pretium, ac si in periculo foret, accipere idem esset, ac vendere, quod non existit: pericula vero ordinaria, si reipsa in se nulla sint, non possunt pretio æstimari, nisi ex errore, vel ignorantia, quæ profecto efficere non valent, ut quod non subsistit, sit pretio æstimabile. Nec dicas, posse aliquem frumentum vendere pretio currenti, licet sciat ob proximam superventuram copiam minuendum. Nam optime respondet S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 3. ad 5. „Vitium rei facit „rem in præsenti esse minoris valoris, „quam videatur; sed in casu præmisso „in futurum res expectatur esse mino„ris valoris per superventum (frumen„ti) qui ab ementibus ignoratur„. Quamobrem si in præsenti, dum assecurationis contractus celebratur, pericula ordinaria nulla sunt, pretium pro indemnitate ab illis juste peti non potest.

VI. Minime pariter probabilem puto & aliam Ferrarii doctrinam V. Societas n. 9. docentis, quod si merces de facto perierint, sed notitia deperditionis ha-

haberi non potuerit, quando celebratus est contractus, assecuratorem remanere obligatum: quia, inquit, onus contrahentium juxta receptam praxim est, ut periculum intelligatur susceptum etiam quoad præteritum, si mercator ignoret merces esse deperditas. Nam contractus de re, vel non existente, vel impossibili, licet putetur vel existens, vel possibilis, nullus est ipso jure naturæ; & error, vel ignorantia, dum circa rei substantiam versatur, nullum efficit contractum, ut superius diximus in Tract. de Contract. in genere. Porro eo ipso quod contrahentes merces periisse ignorant, censent revera existere, & in hac suppositione contractum celebrant: falluntur igitur in ipsa substantia contractus, qui proinde nullus est. Decisio Rotæ, quam affert Ferrarius, illi potius contradicit, quam faveat: sic enim statuit, *dum dicitur, quod assecurationis contractus fieri potest de re perempta, id intelligitur verum, quando adest pactum expressum, ut etiam jam perempta nave assecurator teneatur de interitu*: quibus verbis non ex recepta praxi, sed ex pacto onus assecuratori incumbere asserit Rota.

VII. Cum itaque necesse sit, ut res existat, sicut & tertia postulat conditio, sequitur, fingentem se habere merces in curru vel in nave, & postulantem assecurationem, doli mali reum esse; &, si vel currus a latronibus rapiatur, vel navis naufragio pereat, nihil posse ab assecurante accipere, cum nihil revera perdiderit. Num autem assecurans possit sibi pretium retinere pro tali facta assecuratione acceptum, affirmant Ferrarius Bonacinam citans, quia *nihil retinet*, inquit, *invito Domino*, cum quo, quantum in se fuit, voluit justum assecurationis contractum inire. At puto aliter dicendum, si assecurans nullum patiatur detrimentum vel ex cessante lucro, vel ex emergente damno; quia abest titulus justæ detentionis pretii: non enim potest sibi retinere titulo donationis, cum pecunia donata non sit; non titulo contractus assecurationis, quippe qui deficiente materia nullus est. Quod pariter dicendum est, si quis assecuranti dicat merces assecuratas centum valere, quæ nonnisi quinquaginta valeant, cum fraus, & mendacium adsit, & quidem circa rei quantitatem, quæ ipsam substantiam multiplicat; & propterea, si merces pereant; plus accipit, quam revera periculo exposuerit; exposuit enim solum quinquaginta, & pereuntibus mercibus, recipit centum, a quibus si demantur puta decem pro assecuratione persoluta, lucratur quadraginta. Ita Juveninus l. l. cap. 2. Molina tamen Disp. 501. in hocce contractu sinceritatem christianam, & veritatem lædi fatetur; at justitiam minime violatam existimat. Nam sive merces centum valeant, sive solum quinquaginta, assecurans pretium solvit respondens centenario valori mercium, & assecurator damnum compensare debet in ea quantitate, pro qua pretium assecurationis accepit, si merces pereant; si vero salvæ sint, datum sibi pretium juste retinet. Assecurans vero, si merces servantur indemnes a periculo, nonnisi verum valorem quinquaginta in tuto posuit, at pretium majus amittit, quod pro centenarii assecuratione persolvit. Si vero pereant, lucratur quidem supra illud, quod periculo exposuit; at per hoc pretium jam solvit. Quamobrem si non est contractus assecurationis, est tamen sortis, quo minori pretio spem emit majoris lucri. Verum hæc splendida mihi vi-

dea-

dentur, sed non omnino vera. Nam 1. certum est in hoc contractu assecurationis, dolum & fraudem adesse celata vera mercium quantitate, quæ certe ad substantiam contractus pertinet, quam multiplicat. 2. Quo jure contractum assecurationis in contractum sortis commutat? Fieri non potest validus contractus cum altero omnino ignorante, & nesciente, immo dissentiente; eo enim ipso quod contractum assecurationis inire intendit, omnem alium contractum excludit. Existimo igitur, mercibus pereuntibus ab assecuratore nonnisi pretium deperditarum mercium peti posse; qui pariter comperta veritate de minori valore mercium, tenetur pretium restituere pro rata, nisi vel lucrum cessans, vel emergens damnum ex alterius fraude passus sit.

VIII. Necesse est etiam, ut res non solum existant, sed & sint aliquo modo determinatæ, & designatæ, non confusæ cum aliis, quæ assecurationi non subsunt; alioquin contractus nullus erit, cum ignota omnino non possit esse contractus materia. Quamobrem si quis navem mille oneret modiis tritici, & ab assecurante postulet quingentos assecurari, illi numerum modiorum tritici manifestando, tunc si quingenti pereant, periculo assecuratoris pereunt: si vero non manifestato numero, quingentorum modiorum assecurationem petat, & quingenti pereant, salvis reliquis quingentis, nullum puto contractum; eapropter nec assecurantem teneri indemnem reddere assecuratum, nec istum ad pretium assecurationis persolvendum obligari, cum non fuerit designata contractus materia, & objectum. At si medietatem mercium in navi positarum assecuret, licet diversi plane generis, nec tamen hoc potius, quam illo mercis genere designato, puto teneri, si medietas pereat: quia non tam ipsæ merces, quam illorum valor fuit assecurationis objectum; quod cum per medietatem determinatum sit, sufficienter contractus materiam designavit. In hisce tamen, similibusque casibus & praxis, & judicium peritorum in mercatura sunt inspectanda.

IX. Assecuratio fieri solet ab aliquibus tantum periculis: nullus enim, puto, erit, qui rem alterius ab omnibus periculis etiam inexpectatis, & inexcogitabilibus velit assecurantem se exhibere. Quamobrem assecuratio facta a tali determinato periculo, puta naufragio, non se extendit ad alia pericula, puta piratarum, vel infidelitatis naucleri: hinc si merces non naufragio pereant, sed alio infortunio, non tenetur assecurans damnum compensare. Si tamen fiat in forma amplissima pro omni, & quocumque periculo, valebit; immo si unum tantum excipiat periculum, se ceteris obnoxium reddere declarat assecurans. Oportet tamen, ut res in statu maneant, in quo sunt assecurationi obnoxiæ: hinc si quis merces, in tali navi sub dati naucleri regimine positas, a naufragio, vel a piratis assecuret, & deinde in aliam inscio assecurante transferantur, aliique nauclero tradantur, assecurans, etsi naufragio pereant, vel piratæ prædentur, non tenetur damnum compensare; cum & ipsius navis conditio, & naucleri peritia multum conferre possit, & soleat ad pericula vitanda.

X. Assecurans, qui simulat se habere in bonis, unde rerum assecuratarum pretium, si pereant, solvere possit, & reveta non habet, injuste, & dolose agit; & tenetur tum pretium assecurationis acceptum restituere, tum damna,

&

& detrimenta, quæ mercatori obvenissent, quorum est causa injusta, sarcire. At si non totum pretium, sed partem pretii solvere potuisset, licebit ne sibi saltem partem pretii pro assecuratione acceptam retinere? Non puto, nam adhuc dolus est dans causam contractui: nunquam enim assecurans cum eo assecuratore contraxisset quem novisset non esse solvendo parem.

CAPUT QUARTUM.

De Ludis præsertim Aleatoriis & Clericorum: nec non de sponsionibus & sortibus.

DOCTRINA.

I. *Triplex Ludi genus.*
II. *Ejus definitio.*
III. *Ludi causa lucri illiberales.*
IV. *Ludi alii meræ artis, & industriæ, alii sorte, & fortuna innixi.*
V. *Quinam liberales, honesti, & liciti.*
VI. *Non omnes tamen Religiosos decent.*
VII. *Aleatorii ludi illiberales, & illiciti.*
VIII. *Aleatorii ludi, in quibus uno jactu magna pecunia exponitur, pessimi.*
IX. *Illos detestantur SS. Patres, & Concilia.*
X. *Jure naturæ illicitos pronuntiant antiquiores Theologi, & Canonistæ.*
XI. *Ostendit ipsa naturalis ratio.*
XII. *Ludi aleatorii Clericis, & Religiosis vetiti a sacris Canonibus, & Conciliis.*
XIII. *Illorum statuta antiquata dici non possunt.*
XIV. *Specialiter tamen vetantur Regularibus.*
XV. *Quid sit sponsio, & quando licita.*
XVI. *Quænam illiberalis, & illicita.*
XVII. *De ludis Ollæ, seu Lotariæ.*
XVIII. *Argumenta in favorem ludorum dissolvuntur.*
XIX. *Ludi etiam liberales quomodo injusti esse possint.*
XX. *Quando violetur justitia in ludis aleatoriis.*
XXI. *Quando in ludis arte, & fortuna mixtis.*
XXII. *Quando injusti lusores ad restitutionem teneantur.*
XXIII. *Num qui lucrantur in ludo aleatorio, lucrum possint sibi retinere.*
XXIV. *Quibus restituere debeant.*
XXV. *Quid de legibus civilibus censendum.*

I. S. THOMAS in IV. Dist. 16. art. 2. triplicem distinguit ludorum speciem, scribens: „Ludorum triplex „ est differentia. Quidam enim ludi „ sunt, qui in se ipsis turpitudinem „ habent, & tales ludi ab omnibus „ vitandi sunt, & præcipue a pœnitentibus, qui per fletum peccata corrigere debent; sicut ludi, qui in „ Theatris agebantur, ad luxuriam „ provocantes. Alii ludi sunt, qui ex „ gaudio devotionis procedunt, sicut „ David dixit, *ludam, & vilior fiam coram Domino*; & tales ludi non sunt „ vitandi, sed laudandi, & æmulandi. „ Quidam autem sunt nullam turpitudinem habentes, quos Philosophus „ liberales appellat; & hi sunt materia „ virtutis, scilicet Eutrapeliæ: ideo „ servatis debitis circumstantiis possunt „ laudabiliter fieri ad quietem propriam „ & aliis delectabiliter convivendum“. Quam S. Thom. doctrinam paucis complexus S. Antoninus 2. P. dist. 2. tit. 1. cap. 24. docet: „ Triplex est ludus. „ Primus proveniens ex magna devotione, & hic promovendus. Secundus contingens ex humana delectatione, & hic tolerandus. Tertius procedens ex diabolica suggestione, & „ hic vitandus“. De ludis itaque ex pie-

pietate, & religione proficiscentibus ad nos disserere non pertinet. De ludis vero turpibus, & ad luxuriam provocantibus dicemus in calce hujus disputationis. Solum igitur hic ad examen ludos revocamus, qui ad delectationem, animique levamen ordinantur.

II. Hujusmodi vero ludi ab Ang. Præc. 2. 2. qu. 168. a. 2. definiuntur *ludicra, vel jocosa dicta, vel facta, in quibus non quæritur nisi delectatio animalis*. Ludus enim, ait Genettus Tract. 6. cap. 3. qu. 1. „ proprie inventus, & „ introductus est tanquam remedium ad „ reficiendas, reparandasque animi vires: & quemadmodum somnus ad „ vires corporis refocillandas inservit; „ ita ludus institutus est, ut aliquantulum a seriis averteretur animus, „ & aliqua intermissione vires diuturnis „ negotiis, curisque fatigatas repararet, „ & deinde novis laboribus magis idoneus redderetur “.

III. Ex qua S. Thomæ, & Genetti doctrina patet a vero aberrare recentiores Casuistas, dum ludum definiunt *contractum, quo ludentes res suas periculo exponunt propter spem rei alterius acquirendæ*, quasi ludi natura in ea pactione posita sit, ejusque finem constituat spes lucri, quod est actum virtutis in vitium commutando pervertere. Nam, ut optime docet S. Thom. l. l. „ Habitus „ secundum rationem operans est virtus „ moralis. Et ideo *circa ludos potest esse* „ *aliqua virtus*, quam Philosophus *Eutrapeliam* vocat: & dicitur aliquis „ Eutrapelus a bona conversatione, „ quia scilicet bene convertit aliqua dicta, vel facta in solatium “. Lucrum itaque quæsitum in ludo præsertim per se, & principaliter, statim ipsum ludum inficit, & vitiosum reddit, ut ad unum omnes fatentur antiquiores Theologi. D. Raym. lib. 2. de negot. sec. „ Quam magnum peccatum sit „ (aleis ludere) patet inter alia ex „ novem, quæ in talibus ludis attenduntur. Primum, desiderium lucrandi, ecce cupiditas, quæ ex radix „ omnium malorum “. S. Antoninus l. cit. „ Ludus aleæ est peccatum mortale secundum Raymundum.. quod „ credo verum, quando ex cupiditate „ quis ludit, scilicet principaliter motus non ob recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum „. Dionysius Carthusianus de Laud. Vitæ Conjug. cap. 41. „ Ludus tunc est illicitus, dum ex desiderio lucrandi „ quis ludit “. Abulen. in cap. 6. Matth. q. 53. „ Cum sit animo lucrandi ut solum lucrans habeat pecuniam, „ ludus non est licitus, eo quod finis „ est inhonestus, scilicet accipere id „ quod est alienum, nihil conferendo „ ejus, cujus est “. Et q. 55. subdit: „ In ludo taxillorum cum intendat ludens spoliare proximum, quod etiam „ intendit raptor, dicitur committere „ rapinam “. Navarrus in Manual. cap. 19. n. 18. „ Lege prohibetur etiam „ ludus industria, & arte potius, quam „ fortuna nixus, quo æque vel principaliter luditur causa lucrandi, ac „ relaxandi animum: tum quia est inordinatus lucrandi actus, cum rei in „ unum finem ordinatæ fiat usus in „ alium fere semper contrarium; tum „ quia ludus, ad honestam animi recreationem inventus, vertitur in negotiationem turpem “. Ex qua verissima doctrina patet, quam a vero aberraverit Recentior Probabiliorista, dum ludum, quem *contractum* definivit Casuistarum more, *quo ludentes conveniunt, ut victori præmium aliquod cedat ab ipsis depositum*, inter virtutis Eutrapeliæ

actus

actus an numeravit ex doctrina plane contraria D. Thom., qui illum solummodo ludum virtutis actum appellavit, qui ad animi levamen unice inspicit. Id patet ex loc. cit. ubi dicit: „ hujusmodi autem facta, vel dicta, in „ quibus non quæritur *nisi* delectatio „ animalis, vocantur ludrica, vel jocosa: & ideo *necesse est talibus interdum* „ *uti quasi ad quandam animæ quietem* „. Et e contra in 4. dist. 15. q. 2. a. 4. quæstiunc. 3. ad 2. inter illicita enumerat, *quod aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum*. Quid, quod & ipsæ feculares leges virtutem in ludo non agnovore, nisi cum abest lucrandi animus? Tit. *de Aleat.* ff. 11. L. solent. „ Senatus consultum vetuit in „ pecunia ludere, præterquam si quis „ certet hasta, vel pilo jaciendo, vel „ currendo, saliendo, luctando, pu„ gnando, quod virtutis causa fit “. Immo Stagyrites ipse, licet gentilitatis tenebris obvolutus, lucrum ex ludo inter illiberales actus enumeravit, & aleatores furibus coæquavit, scribens Ethic, 4. cap. 3. „ Aleator, & fur . . . ex „ illiberalibus etiam ipsi sunt, cum „ turpi lucro dediti sint . . . Utrique „ igitur cum, unde non oportet, ve„ lint lucrum comparare, turpi lucro „ dediti sunt; atque omnes hujusmodi „ acceptiones sunt illiberales “. Displicet igitur Thomistam asserere, S. Thomam evangelica luce perfusum inter actus virtutis enumerasse ludum causa lucri, quem Aristotiles solo naturali lumine vitiosum esse, & illiberalem rectissime docuit; & quidem ex sola naturali ratione, quia ludus, cum non sit institutus ad lucrandum, qui in illo lucratur, *unde non oportet*, lucrum quærit.

IV. Ludi autem alii industriæ solum sunt, in quibus sola industria locum habet; cujusmodi sunt ludus latrunculorum, tabulæ viridis, globorum missilium, & similia: alii plane fortuiti, in quibus exitus a sola forte, & fortuna pendet; unde & aleatorii vocantur: alii denique mixti, in quibus fortuna, industria, & ars adjunguntur. Ita quidem recentiores Casuistæ. At antiquiores Theologi duas tantum classes ludorum agnovere, industriæ scilicet, & fortunæ: mixtes enim ludos inter aleatorios connumerarunt. Unum afferam S. Antoninum loc. sup. laud. ita scribentem: „ Ludus aleæ secundum Hie„ ron. intelligitur omnis ludus, qui „ committitur fortunæ, ut ludus taxil„ lorum; & idem videtur de chartis, „ vel naibis, quamvis sit aliquid indu„ striæ, principaliter tamen est fortunæ „ . . . & potest dici ludus aleæ omnis „ ludus, qui innititur fortunæ princi„ paliter, etiamsi fiat ibi aliquid de „ industria, sicut ludus chartarum, „ taxillorum, & alia hujusmodi “. Hinc apparet nimium fidenter recentiorem Probabilioristam asseruisse: „ alea„ rum vocabulo illum dumtaxat ludum „ intelligi, quo sine chartis . . . mero „ casu fortuito victoria obtinetur. Ita „ enim communi sensu semper intelle„ cta fuit hæc vox alea “. A quo communi sensu recedit benignissimus Busembaum, qui lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 13. scribit: „ Peccat item ludens „ si lusus sit lege positiva prohibitus, „ ut lusus alearum, & similes, qui „ MAGIS in fortuna, & casu, quam in „ industria fundantur “.

V. Ludi industriæ, sicut & illi, in quibus robur, & dexteritas corporis adhibetur ad unicum animi solamen, & liberales dicuntur, liciti de se sunt, ut ex D. Thom. vidimus: dummodo ta-

tamen omnes adsint pravæ circumstantiæ, quæ illos defœdare valent, vel corrumpere. Hujusmodi autem sunt, quos notat S. Thom. laud. quæst. scribens: „ Tria præcipue esse cavenda, „ quorum primum, & principale est, „ quod prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel „ verbis turpibus, & nocivis. 2. Ne „ totaliter gravitas animæ resolvatur, „ unde Ambrosius dicit in lib. 1. de „ Officiis cap. 20. *Caveamus, ne dum* „ *animum relaxare volumus, solvamus* „ *omnem harmoniam, quasi concentum quen-* „ *dam bonorum operum*. 3. Attendendum „ est, sicut & in omnibus aliis actionibus, ut congruat personæ, tempori, „ & loco, & secundum alias circumstantias debite ordinetur, ut scilicet „ sit tempore, & homine dignus “. 4. Ut ludus non fiat ob delectationem, & voluptatem in eo perceptam: alioquin vitiosus esset, cum delectatio, & voluptas per se non sit expetibilis, sed in ordine ad finem honestum; cujusmodi est quies animi ad ejus vires reficiendas reparandasque. Ita docet S. Th. dum scribit: „ Dicitur aliquis Eutrapelus a bona conversatione; quia bene „ convertit aliqua dicta, vel facta ad „ solatium; & inquantum per hanc „ virtutem homo refrænatur ab immoderantia ludorum, sub modestia continetur “. Et in resp. ad 3. „ Ipsæ „ operationes ludi secundum suam speciem non ordinantur ad aliquem „ finem, sed delectatio, quæ in talibus „ actibus habetur, ordinatur ad aliquam „ animæ recreationem, & quietem. Et „ secundum hoc, si fiat moderate, „ licet uti ludo “.

VI. Ratione tertiæ conditionis a S. Thom. positæ ad honestatem ludi, non omnis ludus, etiam liberalis, Clericos, & Religiosos decet: quia eorum gravitati, honestati, & decori status minime conveniunt, cujusmodi sunt omnes ludi publici, & coram multitudine habiti. Unde in Concilio Senonensi can. 25. statuitur, *ne Clerici in publico ludant pila, aut aliis ludis*. His accensendæ & illæ ludorum species, quæ clamores, tumultus, corporis violentam agitationem, vestium depositionem postulant, qualis est ludus Pilæ pneumaticæ (Pallone). Quamobrem sapientissime S. Carolus Borromæus in Concil. I. Mediol. cap. de Armis indixit: „ Clericalis Ordinis hominibus omne genus saltationis, & ludi, præsertim vero aleæ, „ ac talorum interdicimus; prohibemus „ etiam globos, qui ligneis malleis impelluntur. Si autem valetudinis interdum causa parva pila, aut alio „ non indecoro exercitationis genere „ uti contigerit, nec publice id faciant, nec pecunia intercedat in ludo “. Ab illis quoque ludis abstinere decens est, qui vel jurgia, vel verborum contentiones secum ferunt, vel nimiam mentis postulant attentionem; cujusmodi est latrunculorum, seu scaccorum ludus, qui mentem, animumque magis obruit, & fatigat quam levet, & leniat. Jam compertum est, quod narrat Baronius ad ann. 1061. n. 41. & 42. de Episcopo graviter a S. Petro Damiano reprehenso, quia latrunculis lusisset; & quam gravem illi injunxerit pœnitentiam, recitandi scilicet meditando ter integrum Psalterium, abluendi pedes duodecim pauperum, eosque deosculandi, ac totidem nummos in eleemosynam erogandi. Absit tamen, ut lethalis peccati reos velim Religiosos latrunculis ludentes; quin immo libenter doctrinæ subscribo Peyrini de Prælat. q. 2. cap. 2. §. 5. dicen-

centis: „ De ludo scaccorum, seu latrunculorum, an sit licitus, & Religiosis permissus, dubitant. E contra vero hunc ludum esse Religiosis permissum alii docent. Cui opinioni subscribo ea lege, ut nullo proposito præmio ludatur, horis solum, & temporibus congruis, absque arbitris extraneis, & modo cultus divinus non omittatur: cum enim non sit jure aliquo prohibitus, immo concessus, cum industria nitatur, Religiosis, qui dicto modo utuntur, non est denegandus ".

VII. Alearum vero ludi, sive industria admixta sit, sive sola fortuna locum habeat, si lucri causa fiant, illiberales sunt, & non nisi raro in aliquo singulari casu omni culpa vacant: sunt autem magis, vel minus mali, juxta quod magis a forte pendent, quam ab industria. Et quidem malos esse hujusmodi ludos ex ipsa lucrandi cupiditate fateri, & docere vidimus nobiliores Theologos, & Canonistas, quos superius n. 3. laudavimus. Et revera D. Thom. 2. 2. q. 77. a. 4. docet, & ipsam mercaturam Reipublicæ omnino necessariam, si propter lucrum fiat, quandam habere turpitudinem: quanto magis igitur turpis erit ludus, qui non ad lucrum, sed ad animi solatium institutus est, unde ordo pervertitur? Hanc autem turpitudinem magis apparere dixi in ludis illis, qui magis a forte pendent, quam ab industria: tum quia magis apparet desiderium lucrandi; tum quia sorti præmium datur, quod non meretur. Audiatur S. Franciscus Salesius Philotheæ lib. 3. cap. 32. scribens: „ Taxillorum, chartarumque lusoriarum, & hujusmodi ludi, in quibus lucrum a fortuna pendet, & casu, nedum perniciosa sunt animi oblectamenta ad instar chorearum, sed simpliciter, & natura mali, & vituperandi; quamobrem civilibus, canonicisque legibus interdicuntur. At quid mali, dices, in eis? Lucrum ex eis non est secundum rationem, sed sortem, & casum sæpissime illi faventem, qui industria sua, & arte nihil meretur. Rationi igitur adversatur. Sed ita convenimus, inquis. At id quidem ostendit, lucrantem aliis injuriam non inferre; sed hoc non impedit, quin hujusmodi conventio rationi non adversetur, & ludo; quoniam lucrum, quod industriæ esse deberet præmium, pretium efficitur casus nullum merentis præmium, cum a nobis nullo modo dependeat ". Cum S. Francisco Salesio consentiunt & S. Carolus Borromæus, & S. Bernardinus Senensis, Jo: Sarisberiensis, Thomas Cantipratensis, & innumeri pene alii Doctores Theologi.

VIII. Pessimi sunt, & omnino detestandi ludi lucrativi, qui unico jactu tesserarum, vel chartarum perficiuntur, quocumque vocentur, juxta varia idiomata, vocabulo; in quibus, nisi parvitas materiæ ludo expositæ excuset, lethale peccatum non effugitur. Hos enim ludos omnes detestantur, & vetant 1. & ipsi Ethnici Philosophi, qui aleatores furibus æquant, ut Aristoteles 4. Ethic. cap. 1. Cicero pluribus in libris eos ludos insectatur, & præsertim Philip. 2. M. Antonium *hominem omnium nequissimum appellat, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, lege, quæ est de Alea, condemnatum*. 2. Leges omnes civiles, tum Ethnicorum, ut ex Cicerone vidimus, tum Christianorum Principum eos vetant, prohibent, detestantur, nedum antiquiores, sed & recentiores, immo & recentissimæ; cujusmo-

 di

di sunt novissimæ leges Regum Galliarum, Hispaniarum, Invictissimæ Imperatricis, & Reginæ Hungariæ, Regum Siciliæ, Sardiniæ, & omnium fere Europæ Principum, & Rerumpublicarum, qui severissimis interminatis pœnis, etiam infamiæ, hosce ludos vetant, immo omni robore carere, proinde nullos declarant. Turcæ vero, & ceteri Infideles hosce ludos nec norunt: quod quam probro sit christianis, quisque videt, & deflere deberet.

IX. Quam acriter vero in hosce ludos, & lusores insurrexerint SS. PP. nullus est, qui ignorat; immo & ipsimet fatentur Probabilistæ. Unum, vel alterum proferam. Auctor Oper. de Aleat. inter opera S. Cypriani: „ Aleatrices manus libidinoso studio confuserunt, id est, aleæ tabulæ; quod „ est Diaboli venabulum, & delicti „ vulnus insanabile. Aleæ tabulam dico, ubi Diabolus præsto est, ad capiendum summissus . . . Tabulam „ aleæ dico, ubi dementia, & furia „ . . . . ubi possessionum amissio, & „ pecuniarum ingentium perditio, monstrum, furax dementia . . . Alea alveus mali, & supplantatio amici, „ quæ nec lucrum confert, sed totum „ consumit “. S. Isidorus Orig. lib. 18. cap. 6. de interd. ale.: „ Ab alea „ fraus, & mendacium, atque perjurium nunquam abest, postremo & „ odium & damna rerum; unde & aliquando propter hæc scelera interdicta „ legibus fuit “. S. Ephræm ser. de Abren. „ Væ alearum lusoribus, quandoquidem se a corpore & sanguine „ D. N. J. C. alienos reddunt, sicut „ Spiritus Sanctus per sanctos admonuit Apostolos “. S. Bonaventura in Spec. Animæ: „ Fructus rapinæ est ludus alearum, seu taxillorum, qui „ prohibitus est a jure canonico, & civili: unde de hoc dicunt quidam, „ quod sit peccatum mortale, eo quod „ sit contra jus canonicum, & civile; „ & quod ex ludo habetur, nullo bono „ titulo possidetur, nec potest retineri “. Reponunt Probabilistæ, hos Patres excessum in ludo, & circumstantias tantum vituperare, non ipsum ludum in se. Utique in omnibus excessum, & immoderantiam reprehendunt Patres, etiam in rebus de se bonis, ut in eleemosynis, quemadmodum S. August. in ep. ad Edilium, in vigiliis, in jejuniis, solitudine &c. At quandonam de eleemosyna, de jejuniis, de abstinentia tam acriter locuti sunt Patres, sicut de aleis, & aleatoribus? Non itaque excessum, ac immoderantiam, sed ipsum aleatorium ludum in se & detestantur, & horrent. Patribus consentiunt Concilia. Can. 42. inter eos, qui Apostolici dicuntur, statuitur: “ Episcopus, „ aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, „ aut ebrietati vacans deponatur . . . „ similiter & laicus “. In sexta Synodo Constantinopolitana indicitur: „ Nullus omnino sive ab hoc deinceps tempore alea ludere permittatur: qui „ secus fecerit, excommunicetur“. At hi canones, inquiunt benigniores Theologi, non amplius obtinent. Sit, ut lubet, quoad pœnam: at per hoc ablata ne est iniquitas ludi, & lusorum, qui tanta pœna digni habiti sunt?

X. Canonistæ omnes, & Theologi, qui ante Probabilismi exordium scripsere, ludum aleatorium, qui brevi jactu perficitur, & in quo gravis pecuniæ summa periculo exponitur, tanquam illicitum jure naturæ, & graviter prohibitum agnovere, licet diversis permoti rationibus. Nonnulli enim reprobarunt ratione cupiditatis rei alienæ, ut S.

S. Raymundus super. cit. quæ cupiditas profecto a ludo, de quo loquimur, nunquam abest; cum ad hoc institutus unice appareat. S. Raymundo adhæret & S. Antoninus, cujus verba super. n. 3. recitavimus, & novissime Comitolus lib. 3. q. 7. idem confirmat scribens: „ Multi, in quibus gravis est innocen„ tis vitæ, & doctrinæ auctoritas, sen„ tiunt & probant, mortiferum hunc „ esse animæ ludum, quando cupidi„ tate alicujus magnæ rei lucrifaciendæ „ instituitur ". Alii, quia utroque jure civili & canonico vetitus est. Alii, quia in ludo multa fere semper committuntur peccata; ut S. Bonaventura, qui ita in speculo scribit: " In ludo multa „ committuntur peccata, scilicet fraus, „ mendacium, perjurium, blasphemia, „ scandalum, amissio temporis". Gravitatem autem peccati non excusant, nisi cum levis est pecunia, quæ ludo exponitur; ut S. Antoninus, qui postquam statuit veram esse S. Raymundi doctrinam, ludos lucratorios, de quibus loquimur, esse in se graviter culpabiles, hanc unam addit exceptionem: *Ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem, & moderate, non videtur esse mortale*.

XI. Confirmat meo videri eamdem veritatem & ipsa naturalis ratio. Nam ludus mere lucrativus, & aleatorius decimo adversatur Decalogi præcepto, *non concupisces rem proximi tui*. Qui enim eum adhibet ludum, non aliud aliud cupit, & intendit, quam re sua proximum spoliare, quin illi aliqid conferat de suo: quod non contingit in aliis contractibus, in quibus alter quidem alterius vel pecuniam, vel rem concupiscit, & simul de suo aliquid confert; & æqualitas servatur. At in ludo nonnisi socium secundo pecuniæ sanguine exhaustum optat videre aleator. Quamobrem merito & ipse Stagyrites scribit lib. 4. Ethic. „ Alterius detrimento fieri locu„ pletiorem magis est contra naturam, „ quam mortes, & morbi ". Minime, inquit recentior Probabiliorista: „ qui „ ludit ex intentione primaria lucran„ di cum communiori Cajetani, & Soti „ non peccat lethaliter; quia revera „ non desideratur damnum proximi, „ sed desideratur res proximi, ut ad „ ludentem perveniat modo justo ". Corrigatur igitur decimum præceptum Decalogi, ubi dicitur, *non concupisces rem proximi tui*, sed dicatur, *non concupisces damnum proximi tui*. Sed quando non concupiscitur damnum proximi, dum omnis adhibetur fortis conatus, ut damnum illud incurrat? Quia, scribit, *desiderat, ut res ad ludentem perveniat modo justo: & quemadmodum non est lethale, desiderare etiam rem pretiosissimam, ut sibi perveniat modo justo, puta donatione, vel alio justo titulo; ita in præsenti*. At quisnam Legislator inter modos justos rem alienam obtinendi ludos aleatorios enumeravit? Nonne ipso facto, quo ludus instituitur in hunc finem, jam pravus, jam illicitus est, ut superius n. 3. ex doctrina S. Thom. & aliorum Theologorum clare ostendimus? Et quoniam pro se Cajetanum laudat, audiat, quid scribat in Sum. V. Ludus: „ Septimo ex abusu, dum „ multi ludo, qui causa recreationis li„ citus, & sanctus est, abutuntur, ut „ negotiatione ad lucrum, ita quod „ non ludunt propter delectationem „ principaliter, & pecuniam ponunt „ quasi stimulum ad vere ludendum; „ sed ludunt principaliter propter lu„ crum ". Præterea si laudati Theologi argumentum urgeret, evinceret veram esse propositionem 14. ab Innoc. XI. damnatam, asserentem: *licere ab-*

so-

soluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. Nam iste filius non damnum patris cupit, sed rem patris, & ut ad se perveniat modo justo; cujusmodi est mors patris naturalis a Deo proveniens, quæ profecto nec illicita, nec injusta. At subdit, nonne licet desiderare rem etiam pretiosissimam, ut sibi perveniat donatione? Fateor. At donatio inter legitimos contractus in utroque jure enumeratur: & qui donat rem etiam pretiosissimam justa de causa, actum exercet virtutis liberalitatis; & ipse quidem rem amittit temporalem, quam donat, at bonum animæ adipiscitur spirituale, scilicet virtutem. Quod *si lucrum* (prosequitur I. Theologus) *intentum prævideretur allaturum familiæ colludentis grave detrimentum, secus dicendum.* At quare? Non & tunc ludens non detrimentum, sed rem familiæ desiderat, ut ad se perveniat modo justo? Cur damnum, & detrimentum familiæ colludentis ludum reddit illicitum, damnum vero, & detrimentum ipsius ludentis ipsum non injustum reddit, & illicitum? Quia, inquit, iste consentit, ille non consentit. At quis potest ne licite consentire in grave suum detrimentum, ut ludat? & colludens hoc detrimentum velle, ut ludat, & lucretur? *Sicut noxius est* (dicitur Proverb. 26. v. 18.) *qui mittit sagittas, & lanceas in mortem: ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo: & cum fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci.* Quamobrem & falsum puto, quod subdit: „ Si quis „ autem modeste ludendo intenderet „ & lucrum, non propter ipsum lucrum „ sed ut filiæ dotem convenientiorem con„ stituat &c. tunc nec venialis forte vi„ detur ". Nam quinam est iste moderatus lusus, qui convenientiorem dotem statuere potest? Profecto lucrum unius, aut alterius obuli; vel, si luber, etiam unius, vel alterius aurei dotem non constituet convenientiorem. Oportebit igitur, ut ludo non parvam pecuniam exponat, ut parem augendæ doti lucretur, si artifex sit, si mercator centum aureos, si nobilis, si in dignitate constitutus, saltem quingentos, vel fortasse mille. At moderatus ne dicendus ludus, in quo tanta exponitur pecunia? Verum finge hanc pecuniam in ludo amitti. Jam filiæ non convenientiorem, sed nec necessariam dotem dare poterit: licebit ergo ludere, ut necessariam dotem recuperet. Ea recuperata, ut convenientiorem indipiscatur, iterum ludere poterit. Quid, si plures filias habeat? pluries ludere poterit. Quid, si filios collocandos, neptes, & nepotes adjuvandos habeat? pro omnium utilitate ludere poterit. At si ludo lucrari conceditur in aliorum beneficium, quis prohibere poterit, ne in propriam utilitatem ludat, ut scilicet lucro convenientiorem vitam ducat minus laboribus, & sollicitudinibus gravem? Quamdiu igitur durabit lusoria ista negotiatio? Procul dubio, si opus sit per plures annos: & tamen fortassis nec veniale peccatum committet. Ita esse oportet, ut, qui semel relicta veritatis via inter instituunt, quo magis progrediuntur, semper magis, ac magis aberrent. Verbis itaque concludam doctissimi Comitoli lib. 3. q. 8. „ Non „ jus est ludentibus hoc flagitioso, & „ aleatorio ludo dominium suum ali„ quod majoris momenti in alium trans„ ferendi. Quia ejus transferendi nul„ lus honestus, nullus justus est titulus: „ quandoquidem ipse ludus cupiditate „ lucri totus inficitur, nec titulum pro-

crea-

„ creare potest justum. Nam justus titulus cur non bonus? Quare quod „ contra divinam, & naturalem, & „ humanam legem perficere conantur, „ pro infecto habendum erit.

XII. Ludus aleatorius, & lucrativus Clericis, & Religiosis est omnino vetitus. Si hujus prohibitionis monumenta omnia afferre vellem, nimius profecto essem: nonnulla itaque, & quidem luculentissima recitabo. Canones, qui Apostolici nominantur, 41. & 42. sic statuunt: „ Episcopus, vel Presbyter „ aleis, ac ebrietatibus vacans vel cesser, vel deponatur. Subdiaconus „ autem, aut lector, aut cantor simi- „ lia faciens aut desinat, aut commu- „ nione privetur". In Concil. Lat. IV. can. 16. in cap. Clerici indicitur: „ Cle- „ rici.... ad aleas, vel taxillos non „ ludant, nec hujusmodi ludis inter- „ sint". In Authent. de Sanctiss. Epis. §. Interdicimus L. 1. tit. 3. „ Interdi- „ cimus Sanctissimis Episcopis,& Presby- „ teris, & Diaconis, & Subdiaconis, „ & Doctoribus, & aliis cujuslibet or- „ dinis.... ad tabulas ludere, aut „ aliis ludentibus participes esse, aut „ inspectores esse.... si quis autem „ in hoc deliquerit, jubemus hunc tri- „ bus annis a venerabili mysterio pro- „ hiberi, & in Monasterium redigi". Quo Decreto Glossa declarat, vetitos esse Clericis etiam ludos aleatorios sine lucro, sic enim ait: „ Numquid lu- „ derę gratis ad tabulas potest? Resp.: „ quod non: cum etiam spectacula hic „ prohibeat". Hos antiquiores canones confirmavit, & innovavit Trid. Synodus sess. 22. cap. 1. de Ref. indicens: „ Statuit S. Synodus, ut quae alias „ a Summis Pontificibus, & a Sacris „ Conciliis de Clericorum vita, hone- „ state.... aleis, lusibus.... fu- „ giendis copiose, ac salubriter sancita „ fuerunt, eadem in posterum iisdem „ pœnis, vel majoribus, arbitrio or- „ dinarii imponendis, observentur". Quod repetit sess. 24. cap. 14. Concilia quoque, sive Provincialia, sive Diœcesana idem praeceptum frequentissime inculcant. Duo proferam in Italia celebrata. Concil. Mediol. I. praeside S. Carolo Borromaeo statuit par. 2. de armis, & ludis: „ Clericalis ordinis ho- „ minibus omne genus saltationis, & „ ludi, praesertim vero aleae, & talo- „ rum interdicimus". Synodus Farfensis cap. 22. „ Aleas, chartasque „ lusoria, ac similia.... sibi omnino „ per sacros Canones interdicta esse „ scire debent Clerici". Novissime easdem leges confirmavit Innoc. XII. Const. quae incipit: *Apostolici*, quam Benedictus XIII. innovavit, & confirmavit Constit. *In supremi*. Hinc Canonistae, & Theologi etiam recentiores hoc praeceptum sub mortali Clericos obligare declarant. Jacobus de Grassis Decis. aur. par. 2. lib. 3. cap. 9. scribit: „ Item ludus aleae & tali dubio „ procul sunt Clericis prohibiti.... „ igitur tales ludi cum sint in utroque „ jure prohibiti, ludentes peccant „ mortaliter secundum Hugonem in „ dict. cap. Episcopus". Navarrus in Manuali cap. 20. n. 9. „ Lege etiam „ ad mortale obligante prohibentur „ Monachi, & Clerici beneficiarii, vel „ in sacris ordinibus constituti, ludere „ hujusmodi ludis aleae, sive fortunae „ illicitis notabilem quantitatem, prae- „ sertim de fructibus beneficiorum.... „ quia Canones jubent, Clericum ob „ aleae lusum deponi ab officio, vel be- „ neficio: quod mortalem culpam prae- „ supponit.... dixi praesertim de „ fructibus beneficiorum, quia idem

puto

„ puto quoad peccatum, licet non quoad „ restitutionem de his, quæ ludunt de „ bonis patrimonialibus: nam ratione „ folius ordinis, & professionis interdicuntur eis hujusmodi ludi".

XIII. Sed inquiunt, consuetudine abrogatos esse hujusmodi canones, & decreta; cum ita obtinuerit etiam apud Ecclesiasticos ludendi mos, ut leges sint omnino antiquatæ: alioquin plurimos Ecclesiasticos dignitate fulgentes, & doctrina præstantes, reos lethalis peccati damnare oporteret; quod quis dicere audebit? Sed audiant D. Hieronymum epist. 56. ad Ruf. „ Peccantium „ multitudo non parit errori patrocinium"; & iste non mos est, sed turpissima corruptela, ut dicit Innoc. III. cap. inter dilectos. Quamobrem nulla consuetudine præfatos canones, & decreta vel obsolevisse vel obsolere potuisse optime docet, & ostendit Monacelii par. 3. tit. 2. scribens: „ Nec „ ab hac ludendi aleis prohibitione ex„ cusat dicterium in ore vulgi positum „ quod canones sint antiquati, & per „ desuetudinem abrogati; cum passim „ multi Clerici aleis ludant, nec pu„ niantur.... Etenim respondetur 1. „ quod non minus ardebunt, qui cum „ multis ardebunt, ut ait Glossa. 2. „ Quod ludus iste prohibetur Clericis „ sub gravi pœna depositionis ab offi„ cio, quæ mortalem culpam præsup„ ponit, & includit.... & sic, cum „ afferta consuetudo sit nutritiva pecca„ ti, non consuetudo, sed corruptela „ nuncupatur.... 3. Canones ludum „ alearum Clericis prohibentes fuerunt „ a Concilio Tridentino sess. 22. de „ ref. expresse innovati, ibique abro„ gantur consuetudines in contrarium, „ & injungitur Episcopis, ut eis non „ obstantibus, canones quoad hoc obser„ vare faciant, *ne subditorum neglectæ* „ *emendationis ipsi condignas*, Deo vin„ dice, pœnas persolvant (sunt verba „ Concilii). Hinc duæ emergunt pro„ positiones, quæ lusores devinciunt. „ Altera, quod cum decretum conci„ liare contineat clausulam irritantem, „ excluditur contra illius dispositionem „ omnis prætensa contraria consuetudo „ .... Altera, quod Episcopus, nisi „ velit ipse pœnas pro culpis Clerico„ rum ludentium coram Deo persolve„ re, non potest eos in hoc malo abusu „ tolerare, nec excusare... Amplia„ tur iste effectus, ut in tantum sit ve„ rum, quod Clerici ludentes non pos„ sunt excusari contraria consuetudine, „ quia talis consuetudo est damnata, „ & dicenda potius corruptela.... „ Et ut Lector adde, quod hæc con„ suetudo non excusat apud Deum, „ sed accusat". Iterum opponunt, præfatis canonibus non absolute ludum sub tanta pœna, tantoque rigore prohiberi, sed assuetudinem, usum, frequentiam ludendi: hinc non peccare lethaliter Clericum si aliquando aleis ludat. At his respondet S. Antoninus par. 2. tit. 1. cap. 23. „ Et quamvis „ Guilelmus dicat, quod tunc est mor„ tale, quando ducitur in consuetudi„ nem, istud de se non videtur verum, „ quia consuetudo, etsi aggravet pec„ catum, non tamen mutat speciem „ peccati, vel genus, ut de veniali „ fiat mortale secundum B. Thomam: „ sicut etiam vitium ebrietatis, cui „ ludus in pœna æquiparatur, etiam „ semel commissum advertenter est „ mortale, sed frequenter hoc faciens „ videtur hoc agere ex cupiditate". Et Abul. in cap. 6. Matth. q. 83. „ „ Clerici semper peccant, quando lu„ dunt ad taxillos, & aleas; tamen

non

„ non semper eis imponitur pœna depositionis, aut excommunicationis; „ quia nec solent ista imponi pro quolibet peccato mortali, sed pro magnis solum, ubi est contumacia, & „ incorrigibilitas “.

XIV. Quod si Clericis omnibus aleatorii ludi vetiti sunt, multo magis Religiosis Regularibus interdicuntur; immo ludi omnes etiam meræ industriæ, & qui liberales dicuntur, si lucratorii sint, & præsertim si pecunia ludo exponatur, vetiti sunt habendi. Ratio 1. partis est, quia Regulares præterquamquod iisdem canonibus, & legibus Ecclesiasticis subjiciuntur, etiam ex propria cujusque Ordinis regula ab aleatoriis ludis etiam afflictivis pœnis arcentur. Secundæ vero partis ratio ex voto paupertatis ab ipsis emisso deducitur, per quod omnem etiam liciti lucri, & præsertim pecuniæ cupiditatem, & potestatem a se abdicarunt. Hinc quoties ludo exponunt pecuniam, vel aliam rem pretio æstimabilem, peccant contra paupertatis votum, vel leviter, vel graviter juxta rei quantitatem. Nec illos excusat licentia Prælati, vel præsumpta, vel etiam concessa: quia Superiores nec præsumuntur, nec possunt veniam largiri expendendi pecuniam ludo, cum voti paupertatis non dispensatores, sed custodes sint, & sartum tectumque tueri tenentur; nec licentiam pecuniam expendendi, nisi in rebus licitis, & honestis, queunt elargiri. Porro ludi, in quibus pecunia exponitur, cum cupiditate inficiantur, & fini ludi adversentur, licet de se honesti sint, & liberales, statim perversitate inquinantur. Ita docet S. Antoninus p. 2. tit. 1. cap. 23. „ Religiosi, si „ quæ haberent ad usum suum, vel per „ administrationem, illa tamen donare, vel alienare non possunt illicite, „ ut in ludis “. Abulensis in cap. 6. „ Matth. q. 54. Monachis ludere nunquam licet, eo quod ipsi nihil proprium habere possint, de quo ludant; & dato quod interdum alicui „ Monacho data sit administratio alicujus pecuniæ ad substentationem „ suam, puta si esset in studio, non „ liceret ludere; quia nomine substentationis non intelligitur expositio pecuniæ ad ludum, etiam quando pecunia debet verti in cibum, & potum ludentium, etiam quia repugnat „ honestati & gravitati Monachali sic „ ludere “. Genettus Tom. 1. tract. „ 6. cap. 5. q. 1. „ Religiosi professi, „ quibus Superiores aliquid in proprios „ usus insumendum relinquunt, hoc „ tamen in ludo alienare non possunt, „ quia hic usus Religiosis licitus non „ est “. Gabriel Antoine de oblig. spec. cap. 2. q. 5. „ Qui in ludo aliquid lucratus est ex bonis Religiosi „ . . . tenetur illud restituere Religioni, perinde ac si accepisset a fure “. Igitur cum pecunia, vel res generaliter conceditur a Superiore, intelligi debet concedi solum in usus honestos, necessarios, vel utiles, & statui Religioso decentes. Non est igitur, ut probabilis, in praxi tenenda illorum Theologorum opinio, qui docent licere Regularibus aliquid pecuniæ ludo exponere, & quantitatem limitant ludo, ut ipsi putant, licite exponendam, nimirum juxta quantitatem concessi peculii; puta cui centum aurei concessi sunt, possit sex, aut septem, cui quinquaginta, solum tres, aut quatuor, cui triginta, binos, vel ternos in anno ludo consumere. Sed quis sapiens non obstupescat, audiens Regulares Christi patrimonium a piis fidelibus oblatum posse ludo consumere;

re; & qui ostiatim panem manticis super humeros delatis mendicant, vel de sponte oblatis vivunt, in crumena aurum habere, quo ludant; Verum hanc spartam egregie ornavit P. Daniel Concina de discipl. Apost. Monast. par. 1. diss. 6. cap. 4. per plures paragraphos, ad quos Lectores remittimus.

XV. Ad ludos aleatorios revocantur & sponsiones, & ludus ollæ, qui novo vocabulo lotariæ dicitur. De utroque pauca dicemus. Sponsio (Italice *scommessa*) definiri potest *conventio, qua duo, pluresve de rei alicujus eventu, aut veritate diffidentes paciscuntur aliquam pecuniæ summam, vel aliud pretio æstimabile, solvendum vera sustinenti*. Duplex esse potest hujusce sponsionis objectum, seu materia: nimirum vel aliquid honestum opus, quod ab arte, industria, peritia alterius omnino pendet; puta quod non valeat triginta milliaria pedestri itinere una die conficere, vel integrum Psalterium addiscere, aut memoriter recitare, & similia: vel aliquid, quod omnino a fortuito casu, vel latentibus causis pendet; puta quod tali die pluerit; quod mulier prægnans masculum pariet, quod exercitus alicujus Principis vel victor fuit, vel erit & sexcenta hujusmodi. Primum sponsionum genus nihil habet ex se turpitudinis, vel illiberalitatis; proinde licitum est, cum ab industria omnino pendeat, & arte alterius ludentis; & quandoque etiam virtuti inservire potest ad ingenium acuendum, memoriam exercendam, & studia promovenda. Quamobrem optime docet Peyrinus de Præl. q. 2. cap. 2. §. 5. „ possunt Religiosi causa virtutis probandæ sponsiones facere, v. g. quod melius recitabo memoriter, vel vulgariter declarabo, quam alter hymnum, „ *ales diei nuntius* “. Fieri tamen possunt illicitæ hujusmodi sponsiones, 1. si sint de re de se mala, puta de vindicta capienda, de puella, vel honesta muliere sagaciter decipienda, de prægrandi vini copia uno haustu, vel una cœna epotanda, & similia; vel de re periculosa, ut de vorticoso flumine, vel sinu maris ventis agitato natatu pervadendo, vel de magno spatio uno saltu pervolando cum discrimine vitæ, vel membrorum: & tunc lethaliter peccant sponsores, & provocantes, & provocati. 2. Si magna sit pecuniæ copia, quæ tali sponsione promittitur. 3. Denique si frequentius, quam ratio, honestasque permittit, celebrantur.

XVI. Secundi vero generis sponsiones de se malæ sunt, illicitæ, & illiberales, & jure naturæ prohibitæ, & ab ipsis legibus civilibus simul cum aleatoriis ludis interdictæ; cum nullam habeant honestatem, & solum vel ex cupiditate oriantur, vel ex pertinacia: immo & apparente carent ludi honestate, cum nullam oblectationem, vel animi levamen afferant, nisi spem illam rei alienæ sine ulla commutatione acquirendæ, & proximum spoliandi. Ita sentiunt nobiliores Theologi. S. Antoninus p. 2. tit. 1. cap. 23. „ Quæritur, „ quid juris cum altercantibus duobus, „ puta Petro, & Martino supra aliquo „ rei eventu præterito, vel futuro, „ puta morte alicujus Principis: unus „ ut Petrus, asserit mortuum talem „ dominum, vel venturum talem „ Principem ad talem civitatem infra „ certum tempus; quod si secus fuerit, „ obligat se Martino daturum centum, „ ita tamen, quod si ita est, ut asserit, Martinus, qui tenebat contrarium, vice versa teneatur dare Petro centum secundum conventionem

factam:

„ factam: utrum tale lucrum sit licitum? „ Respondeo quod non: sed turpe lucrum „ dici potest, procedens ex avaritia, & nulli deserviens utilitati, sed vanitati, & „ prodigalitati “. Cajetanus 2. 2. q. „ 168. a. 3. ait: „ Turpe lucrum appellatur, quod ludo acquiritur. Simile autem judicium est de vocatis commissis, videlicet cum aliqui disputantes de aliquo eventu futuro, committunt suas pecunias, ut si evenerit pars affirmativa, lucretur mille, si negativa, perdat totum, vel minus, prout spes major pro altera parte est, „ detestanda quippe sunt hujusmodi “. At dum subdit, non esse peccatum mortale tantam pecuniæ copiam tali sponsione amittere, puto doctissimum virum a vero aberrare; cum prodigalitas nunquam sit futura peccatum mortale, si talis non est in posito casu. Sylvester V. Ludus n. 6. „ Quæritur, „ quid juris de eo ludo, qui usitatur „ crebro apud omnes, dum duo litigant super veritate alicujus sententiæ „ sub aliqua pœna, puta uno dicente, „ talis Princeps est mortuus, alio vero „ dicente quod non, ludunt autem aurum lucrandum a veridico, & a falsidico solvendum? Et dico hoc non „ esse proprie ludum, cum hoc inventum non sit ac recreandas vires animalis . . . . & secundum mentem „ Archidiaconi hoc esse peccatum, quia „ dicit hoc lucrum non esse licitum, „ sed turpe ex avaritia descendens, & „ nulli utilitati, sed vanitati deserviens, „ & prodigalitati “: Peyrinus de Præl. Reg. q. 2. cap. 2. §. 102. „ Nunquam „ tamen licuit Religiosis, sive viris, „ sive feminis, sponsiones facere super „ extractione Senatorum hic Genuæ; „ quia tales sponsiones fiebant ob cupiditatem lucri, quæ omnino abesse „ debet a pectoribus Religiosorum “. Passerinus To. 2. de stat. q. 183. n. 319. „ Ego vero credo, quod cum „ sponsio sit ludus fortunæ, sit prohibitus Clericis, & Religiosis, sicut & „ alii fortunæ ludi. Hujusmodi enim „ sponsiones non sunt, nisi jactus quidam taxillorum, ut pro puncto, quod „ advenerit, ludentes vel lucrentur, „ vel perdant “. Rejicienda igitur Dianæ sententia par. 3. tr. 9. ref. 61. „ docentis: „ Sponsiones per se esse licitas, quia nullo jure prohibentur, „ nec naturali, quia in sponsione nihil reperitur rationi dissonum, nec „ positivo, quia nullo tali prohibentur “. Nam manifestum est adversari juri naturali, cum nonnisi ex avaritia, cupiditate, prodigalitate, & pertinacia oriantur: & in jure positivo vetantur, dum aleatorii ludi interdicuntur.

XVII. Alter vero ludus, qui fortitionis, vel ollæ ab antiquioribus dicitur, sed recenter (cum novæ res novis postulent vocibus designari) *lotariæ* dicuntur, sunt pariter conventiones inter plures, quibus modica persoluta a singulis pecunia, magnum, immo & maximum speratur lucrum; vel nullum habetur cum amissione pecuniæ collatæ. Et hic pariter duplex est; alter in quo nonnisi utilitas contrahentis spectatur, ut scilicet alter habeat pecuniam, quæ a singulis tribuitur; alii autem sperent, & aliquod obtineant lucrum majus quam quod sorti exponitur: alter vero, in quo non solum utilitas ludentium, sed etiam aliquod aliud bonum opus respicitur; puta collocatio alicujus puellæ in Monasterio, Principis, vel Reipublicæ utilitas, constructio alicujus Ecclesiæ, subventio pauperum & similia. Innumeri pene sunt Theologi, etiam sanioris doctrinæ, qui horum ludorum investam cernentes consuetudinem, eos

damnare, vel reprehendere reformidant, non attendentes, quod Patres de consuetudine scripsere. Clemens *Adhort. ad gentes* sub finem: „ Fugiamus, „ scribit, consuetudinem tanquam sco„ pulum difficilem . . . suffocat homi„ nem, & a veritate avertit, abducit „ a vita, est laqueus, est barathrum, „ consuetudo". Et Tertull. *de veland. Virg.* cap. 1. „ Ex eis fere consuetu„ dinis initium, ob aliqua ignorantia, „ vel simplicitate sortita in usum, per „ successionem corroboratur, & ita ad„ versus veritatem vindicatur. Sed „ Dominus noster Christus se veritatem, „ non consuetudinem cognominavit". Et pius quidam Auctor optime scripsit: „ Pauci admodum sunt, qui consuetu„ dinis vi, & efficacitati valeant obsi„ stere. Mens humana imbecillis, & „ infirma capere non potest, malum „ esse posse, quod longa consuetudine, „ & plurimorum exemplo corroboratur. „ Consuetudo est Evangelium mundi, „ hostis Christi. Hoc mentem obruit, „ & boni a malo agnitionem, & discre„ tionem aufert". Hac igitur spreta, & solo veritatis lumine refulgente, res est inspicienda. Hoc itaque, nisi mea me fallit philautia, ostendit, omnes hujusmodi ludos illiberales esse, & de se illicitos. Et 1. quidem, quia omnes ad aleam legibus tum naturalibus, tum Ecclesiasticis, tum politicis vetitam pertinent: parum enim interest, num pagellæ, & chartæ vel ab una manu misceantur, & aliis distribuantur, vel ex scriniolo, urna, aliove vasculo extrahantur; semper enim sors est, quæ dominatur. Hinc in Curia Parisiensi ann. 1563. cum primum sors instituta esset, cujus materia aureum horologium constituebat, & lis orta esset inter ludentes, re ad Curiam delata, Judex supremus laicus homo pronuntiavit, hujusmodi sortis ludos nunquam a republica *adprobatus*, *quippe qui* (verba sunt pronuntiatæ sententiæ) *hæc penitus ab homine christiano aliena videntur*. 2. Quia in hisce ludis sola cupiditas dominatur, & desiderium acquirendi, quæ tanto magis accenduntur, & crescunt, quanto minus est, quod penditur, & maximum, quod inde speratur, emolumentum. Hanc cupiditatem permovere, allicere, urgere student qui hujusmodi ludos instituunt. Rem pretiosam vel in seipsa in propatulo ponunt, vel cornucopia aureos nummos affatim effundente exprimunt, aliquos divites ex summa inopia repente factos, ob oculos ponunt, rei pretiositatem, maximum lucrum exaggerant, illud cum tenuitate oblati pretii conferunt. Victorum nomina recitant, numerum ostentant. Ad quid hæc omnia, amabo, nisi ad cupiditatem pecuniæ accendendam? Utique, inquit eximius Theologus concellita meus, quem maximi facio, & diligo, sed scribit, *hoc est per accidens*. At hoc est parum humani cordis indolem nosse. Cupiditas lucri, & pecuniarum dominatur in corde; & unum est ex vulneribus per originale peccatum animæ inflictis: *a majore usque ad minorem omnes avaritiæ student*, inquit Dominus per os Jeremiæ cap. 6. v. 13. Hac omnes rapiuntur, & pauci admodum sunt, qui obsistant, & reluctentur, nisi forti virtutis lorica muniti, & bonorum temporalium contemptu admirandi. Quamobrem immo e contra per accidens est, ut unus ex millibus, qui ad hosce ludos pecuniam conferunt, id sine cupiditate faciat, & solum ut amico roganti indulgeat, de spe, & lucro nihil solicitus. Et revera ita sentiunt piissimi simul, & doctissimi Theologi. Sam-

Sambovius Tom. 2. caf. 191. animadvertit, in ludis ollæ, fortitionis, five lotariæ *infeparabilem effe a corde illorum, qui pecuniam conferunt, fpiritum cupiditatis, & avaritiæ, qua quifque fibi blanditur, fperans maximum lucrum ex tenui pecunia* : & animadvertit, fuo tempore hofce ludos ab omnibus tanquam illiberales, & illicitos habitos fuiffe, nec nifi tres recentiores recitari Theologos, qui illos licitos putarent, fcilicet Jo. Briaret, Delrium, & Sylvium. Pater Le Brun. hift. crit. de fuperftitiofis ufibus Tom. 1. q. 265. fcribit, hofce ludos *media effe aptiffima ad accendendam, augendamque hominum cupiditatem, defiderium divitiarum injiciendo, fine labore obtinendarum*. Conradus Summenhert. Tract. de Contract. q. 71. *Ex prædictis fundamentis* (humanæ fcilicet cupiditatis lucri) *patet etiam fufficienter reprobari non folum ludos fortunæ, taxillorum, factos prædicto animo, fed etiam ludum dictum ollæ, ad quem ponuntur fchedulæ continentes nomina ponentium pecuniam. Si enim principaliter propter lucrum quærendum talis olla erigitur in civitate, & imponentes principaliter imponant propter quærere fuam fuftentationem a fortuna fibi inde eventura; tam erigentes, quam ponentes non funt a peccato prorfus immunes; fed de hoc latius Deo accedente in tract. de ludo dicetur*, quem tamen tractatum ab Auctore editum ignoramus. 3. Hoc ludorum genus aureæ illi adverfatur regulæ, quam tradit Sanctus Ambrofius lib. 3. cap. 2. De Off. pro mutuis hominum commerciis. *Qui perfecte fapit, nefcit fua fpectare commoda .... quærens non quod fibi utile eft, fed quod omnibus. Itaque hæc fit formula, ut inter duo, honeftum, atque utile, errare nequeamus; eo quod Juftus nihil alteri detrahendum putet, nec alterius incommodo fuum commodum augeri velit. Hanc formulam tibi præfcripfit Apoftolus*, neque quod fuum eft quærat, fed quod alterius: *unde & alibi dicit* ... non quæ fua funt, finguli cogitantes, fed quæ aliorum. Si igitur non licet honefto viro, juxta S. Doctorem, fuum lucrum quærere alterius incommodo, & juxta Apoftolum non debent finguli cogitare, quod fibi utile, fed quod & aliis vel utile fit, vel faltem non perniciofum; manifefte apparet, hujufmodi ludos illiberales effe, & illicitos. Nam nemo poteft lucrari, nifi cæteri omnes perdant; & contra S. Ambrofii regulam, commodum fuum folum augere poteft aliorum omnium incommodo, & contra Apoftoli monitum finguli quidem commodum fuum cogitant, aliorum vero omnium damnum, & perniciem omnino non cogitant. At inquies, hæc inquinamenta non reperies in iis ludis fortis, in quibus faltem vel publica refpicitur utilitas, ut in ollis publica auctoritate inftitutis; vel Dei famulatus, ut in Templi alicujus conftructione; vel bonum proximi, ut in puellis pauperibus dotandis. Fateor quidem horum ludorum inftitutores minus reprehenfibiles effe illis, qui eos folum ob privatam utilitatem inftituunt; quippe qui non cupiditate ducuntur, cum nullum ipfi lucrum, ut fuppono, reportent, quod totum in publicam utilitatem, vel in Dei gloriam, vel in proximi adjutorium redundat. At ab omni labe immunes non funt; nam aliorum faltem cupiditatem accedunt, irritant. Mirandum fane hominum ingenium, qui cupiditate utuntur, ut liberales populos conftituant; & ad benefaciendum impellunt pauperibus, cupiditate ditefcendi. Quod confirmat fuperius dictum, nimirum hanc perverfam cupiditatem in hi-

fce

fee ludis unice dominari. Audiant Binfeldium commentario Theologico-juridico in tit. Juris Can. de Usuris, in cap. Naviganti q. 4. Concl. 4. pag. 546. & seq. Edit. Augustæ Trevirorum ann. 1546. „ Hoc loco moveri potest „ dubium, quid sentiendum de ludo ollæ „ in Flandria, quem vulgariter lotariæ vocant, & erigitur sæpius pro „ publico, aut pio opere instituendo „ . . . In erectione talis ludi ollæ erigentes solvunt suum lucrum, & non „ sentiunt periculum; imponentes autem tantum experiuntur ancipitem „ fortunam . . . . Nec videtur, quod „ etiam defendi valeat per viam emptionis, & venditionis, cum illud „ excessivum lucrum non commensuratum sit pretio mercium, & impensis „ necessariis pro ludi ollæ erectione. „ Injustitia autem committitur in emptione, & venditione, quando non „ est moralis æqualitas pretii, & rerum, „ quæ emuntur. Unde non satis apparet, quo titulo illud excedens lucrum „ publico, aut pio operi destinatum „ acquiratur. Nec excusat, quod ob „ bonum opus ordinetur: quia injustitia nec etiam pro redemptione captivorum, & opere pio exercenda est. „ Si quis dicat quod imponentes donent „ pecuniam, quam imponunt in eventum, si nihil sors dederit: hoc incertum est, cum nemo suum donare „ præsumatur in dubio, nisi certo constet. Ad consuetudinem ergo patriæ „ recurrendum est . . . At obstat, quod „ consuetudo non derogat juri divino, „ & naturali; nec excusat a peccato, „ quando jus est clarum". At illorum, qui pecuniam ad hoc tribuunt, minime illiberalitatem, & turpitudine minuit. Quippe nullo habito ad bonum commune, ad Dei gloriam, ad proximi utilitatem respectu, unice spem lucri respiciunt, & lucrum ipsum inhiant, & ad bonum opus solum, ut ita dicam, inviti rapiuntur; quia non alio modo quam hoc onere, speratum lucrum consequi se non posse agnoscunt. Quod ut evidenter pateat, finge ollam, sortem, lotariam institui, in qua tota pecunia irrogata in solum Dei honorem, bonum publicum, proximi utilitatem redundet, quin ullus, qui pecuniam contulit, nec minimum lucretur. Quot invenies, qui pecuniam conferre velint? Audax ero, si dixero ex millibus qui libenter ollæ, & lotariæ ludunt, & magnum pecuniæ copiam lubentissime exponunt, decem reperias, qui vel unicum obulum erogare velint. Spe sublata lucri, cessat pietas erga Deum, boni communis zelus, erga pauperes misericordia. Excusandi igitur fortassis, qui hac arte & malos ad bonum faciendum tradunt; & cupiditate aliena, ad bonum proximi, vel publicum utuntur. At minime excusandi, qui unica spe lucri, & quidem magni, inviti potius trahuntur ad bonum faciendum, quam sponte consentiant. Excusandi præsertim supremi Principes, & Potestates, qui in suis Regnis, & Provinciis hosce ludos ex necessitate potius, quam voluntate instituere coguntur. Quippe qui optime perspiciunt, hanc sacram auri famem populis dominari, hac lucri cupiditate subditos incessanter urgeri; qui proinde, nisi hosce ludos in propriis Regionibus institutos reperiant, ad exteras regiones, ubi obtinent, confugiunt. Et sic infinita prope vis auri, & argenti ex eorum Provinciis in alienas migraret regiones magno Regnorum detrimento, quæ suis divitiis spoliarentur, & depauperascerent. Instituunt illos igitur in suis urbi-

bibus, ut cives, si suæ cupiditati indulgere velint, & famem auri explere, hoc quidem præstent sine communi detrimento; & eorum vitium saltem in commune bonum redundet. Quamobrem illiberalitatem, & turpitudinem illorum ludorum tolerant ad majus malum vitandum. Nam humani Legislatores, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 91. art. 4. ex S. Augustino lib. de lib. arbitr. cap. 5. & 6. non possunt omnia, quæ male fiunt, punire, vel prohibere; quia dum auferre vellent omnia mala, sequeretur, quod etiam multa bona tollerentur, & impediretur utilitas boni communis, quod est necessarium ad conservationem humanam. En iterum luce meridiana clarius ostensum, cupiditatem in hisce ludis non per accidens immisceri, sed solam dominari, urgere, moderari ludentes. Omitto exponere innumera pene peccata, quæ occasione istorum ludorum committuntur. Quod enim sunt, qui furantur, ut ludant, spe restituendi; qui necessaria sibi, & familiæ subtrahunt; qui æs alienum vel contrahunt, vel non dissolvunt, ut ludant; qui superstitionibus operam dant; qui somnia observant; qui rebus sacris abutuntur, ut vincant? Nam hæc omnia & ipsi horum ludorum Patroni execrantur. At vitia vocabunt ludentium, non ludi: verumtamen hic ipse quomodo honestus, quomodo liberalis, & licitus dici poterit, si certo certius portam aperit, & viam latissimam tot criminibus pandit, & sternit?

XVIII. At inquiunt, nonne lusores consentiunt, & quadam societate conveniunt, ut quisque obtineat, quod illi forte obtigerit, & alii pecuniam perdant? Porro volenti, & consentienti non fit injuria. Nulla ergo injustitia. 2. Nullus ad ludendum cogitur; & si sponte ludit, & pecuniam amittit, nulli imputare debet, sed sorti adversæ; ergo nec caritas violatur. Nulla ergo in his ludis turpitudo. Verum respondeo ad 1., non hic de justitia horum ludorum disputo, de qua inferius; sed de eorum honestate. Non sint, si lubet, injusti: ergo per hoc liciti: Nequaquam: alioquin licita esset & societas latronum, qui conveniunt, ut rapta ad æqualitatem dividantur; licet alius minima, alius maxima rapuerit. Sic igitur, si lubet, justa hæc societas, erit per hoc honesta, in qua conveniunt, ut alter alterum spoliet, & major sociorum pars re sua privetur, ut unus tantum, vel alter abundantius habeat: inhonesta profecto, & turpis societas. Ad 2. cur caritati non adversatur, cum lucrum suum quisque optet cum detrimento aliorum, & sit inseparabile lucrum ab aliorum damno, & pernicie? Nonne superius ostendimus ex S. Ambrosio, & D. Paulo, caritatis, & humanæ amicitiæ vinculo adversari, si quis suum lucrum quærat alieno incommodo, & sollicitus de sua utilitate aliorum damnum minime consideret? Deinde adversatur caritati ipsius ludentis, in quo quantum crescit cupiditas, & dominatur, tantum decrescit caritas. Cupiditatem vero in hocce ludo dominari qui non perspicit, cæcus sit, oportet. Illiberales igitur sunt hujusmodi ludi ex indole sua, & illiciti. Quod fusius fortassis ostendi, sed, ut puto, non inutiliter; cum pauci sint ex Theologis, qui hanc veritatem expenderint.

XIX. Præter nativam, ut ita dicam, illiberalitetem, quam ex cupiditate lucrativa omnes ludi contrahunt, & alia longe turpiori labe inquinari possunt, & defœdari, nimirum injustitia, & im-

iniquitate, si æqualitas non servetur. De hac igitur modo differendum. Et primo quidem injusti fiunt & ipsi liberales ludi, quando lucrativi sunt, si æqualitas inter ludentes non servetur, tum in lucro, tum in damno. Æqualis sit igitur oportet, pecuniæ summa ab utroque exposita. Immo & ludentium peritia, si ludi sint, in quibus sola ars, & industria locum obtinet, pensanda est: si enim alter alterum multum excedat, adeo ut semper vincat, & lucretur, alter vero vincatur, & perdat, cum non sit æqualitas, ludere non licebit, & injustum erit lucrum. Quod si modicus sit excessus peritiæ, non damnarem, cum impossibile ferme sit omnimodam in ludentibus æqualitatem reperire, & unus altero sit semper vel oculatior, vel magis experrectus, acutior, & solers in ludendo: unde fieri etiam potest, ut attentio, & solertia unius alterius majorem alio ex capite peritiam vincat.

XX. Pari pacto in ludis mere aleatoriis justitia violatur, si cum iis instituatur ludus, qui non habent, quod perdere licite possint; cujusmodi sunt filiifamilias, uxores, Regulares, aliique bona propria non possidentes, vel, ut inquit S. D. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. *qui rem suam alienare non possunt*. Nec præsumenda unquam est in hisce aleatoriis ludis concessio illius, qui dominium habet: cum nunquam præsumi possit, Parentes, Maritos, Tutores, Religiosorum Superiores licentiam concedere pecuniam insumendi in his ludis, omnibus legibus vetitis, & illicitis. Injustitiam etiam inducit inæqualitas, quocumque ex capite oriatur, sive ex parte pecuniæ, quæ major sit una ex parte, quam ex altera, sive in punctis, sive jactibus fortis, ut quando alius plura habet pro se, quam contra se fortunæ momenta, licet hæc compensari videantur majori præmio: cum semper, qui hos instituunt ludos, ita fortes componant, ut semper magis sint de victoria seculi, quam de amissione solliciti. Omnes autem, quæ adhibentur, fraudes in hisce ludis justitiam lædunt; cum locum in hisce habere non possint stratagemata quædam, & astutiæ aliorum ludorum propriæ, sed victoria, vel amissio omnino a forte pendere debeat. Nec excusantur ex eo, quod neminem ad ludum provocent, sed sponte advenientes admittant, qui inæqualitatem contractus optime cernunt, vel animadvertere possunt: proinde juri suo renuntiare videntur, &, quod amplius est, donare. Non, inquam, excusantur. 1. Quia ut plurimum, qui hisce ludis pecuniam exponunt, sunt rudes, & simplices, ut pueri, rustici, mulieres, qui fraudem, & inæqualitatem non advertunt, & decipiuntur. Alii vero, qui vel advertunt, vel advertere possunt, & nosse inæqualitatem fortis, adhuc donare non præsumuntur: nam ut optime observat Binsfeldius in Comment. Theologico-juridico in tit. de Usuris in caput naviganti q. 4. Concl. 4. pag. 546. *nemo suum præsumitur donare in dubio, nisi constet*. Præterea in hisce ludis idem contingit, ac in usuris, in quibus & mutuatarius sponte mutuum petit, & sponte auctarium pollicetur, & suo tempore sponte & fortem, & auctarium solvit; quin tamen per hoc donare præsumatur. „ Accipiens mutuum, scribit Auctor Opusculi 73. inter Opuscula S. Th. cap. „ 9. libera voluntate accipit, sicut is „ qui mutuum dat. Sed accipiens mutuum non libera voluntate amplius „ promittit, vel dat, sed quasi coactus „ perversitate mutuum dantis “. Ita

pari

pari passu in istis iniquissimis ludis, qui pecuniam exponit, ludere quidem vult, sed non cum illa inæqualitate sibi noxia cui ideo coactus consentit ex perversitate colludentis, qui nonnisi tali iniquo modo ludere vult.

XXI. In ludis vero, in quibus sors, & fortuna minimam, ars vero, & industria maximam partem habere dicuntur, cum sors semper varia sit, & nunquam stabilis, vel firma, æqualitas est servanda, sicut diximus de ludis liberalibus in perito ludente: hinc peritus cum imperito, licet provocatus, ludens de pecunia, vel aliqua re pretio æstimabili, non poterit licite lucrari. Absit, ideo, ut probem, quæ Recentior Probabiliorista hac de re tradit tr. 10. cap. 11. §. 3. n. 4. nimirum: „ Si „ qui ludere suscipiunt, ignorent vicissim gradum suæ peritiæ, cum uterque se periculo remittat, licite ludunt, & pariter juste lucrantur. Prosequendo tamen ludum, & cognita clare collusoris longe minori peritia, tenetur peritior a ludo desistere .... eo quod cognita inæqualitate contractus, evadit injustus, si celebretur: ludus autem est contractus ". Si enim secunda pars positæ doctrinæ vera est, prima falsa sit, oportet. Nam si detecta imperitia colludentis injustus est ludus, quia deficeret æqualitas; injustus ergo erat contractus & ante detectam imperitiam, cum & tunc deesset æqualitas. Solum vero discrimen inter primum ludum, & secundum hoc intervenit, quod bona fide primo lusit ignorans alterius imperitiam; at in secundo luderet mala fide: bona autem fides quidem a culpa excusat; at æqualitatem non inducit, nec contractum de se injustum, reddit justum: ut patet in illo, qui bona fide rem aliquam a fure emens, quem putat esse rei venditæ dominum, non peccat quidem; at detecta veritate rem domino tenetur restituere. Non ergo in primo ludo juste lucratur, sed pecuniam eo modo acceptam tenetur restituere ob inæqualitatem in contractu, ignotam quidem, at veram, & realem causam percepti lucri. Pari pacto non omnino verum puto, quod subdit, peritiorem posse cum imperito licite ludendo lucrari, si alter collusor velit ludum prosequi: immo quod paulo post ex Molina docet, posse peritissimum cum imperitissimo ludendo licite vincere; quia in utroque casu censetur velle imperitiorem perito donare. Nam & hic quoque locum habet, quod superius diximus, nimirum nunquam censendum aliquem donare, nisi certo constet. Hic autem unum dumtaxat certo constat, imperitiorem videlicet adeo esse ludo addictum, ut etiam cum suo damno, & pernicie velit ludere: quod utrum honestum, & justum reddat ludum, quisque sapiens discernat. Alterum minus certum, sed admodum probabile, nimirum illud suam imperitiam non agnoscere, vel confiteri nolle, sed vel pertinacia animi, vel spe tandem lucrandi in sibi pernicioso ludo pertinaciter velle perseverare, quin de donatione non dicam aliquid statuat, sed ne quidem cogitet. Proinde hanc donationem in eo solo casu locum habere puto, si opulentus nobilis cum paupere nobili cui auxiliari vult, nec rubore afficere, ludat ludo, in quo imperitus est, vel imperitum se simulat, ut eleemosynam nomine lucri largiatur. At in tanta ludentium turba tam pii lusores quam pauci sunt; Profecto *rari nantes in gurgite vasto*.

XXII. Ad restitutionem itaque tenentur male parti lucri 1. qui, ut inquit S.

S. Th. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. *lucrantur ab his, qui rem suam alienare non possunt*, sicut sunt minores, furiosi, & hujusmodi; item filii familias, uxores, Regulares, servi &c. Qui pariter ad restitutionem tenentur, si vincant, nam sicut perdere non possunt, ita nec juste lucrari; cum æqualis debeat esse utriusque ludentis conditio. Hæc autem restitutio ab illo, qui lucratus est a carente potestate alienandi, facienda est non collusori, sed rei domino, nimirum parenti, domino, Monasterio &c. Si vero hi lucrentur, & vincant, collusori suo, qui paris conditionis non sit, restituere debent. Quod si sint in pari conditione constituti, neuter alteri, sed uterque domino, parenti, Monasterio reddere debent. 2. Ad restitutionem tenetur ex eodem S. D. *qui alium traheret ex cupiditate lucri ad ludum*; quia alteri injuriam irrogat, & illud plenum voluntarium, quod in hujusmodi contractibus requiritur, aufert. Quod quidem verum est, sive ad ludum, ut ita dicam, coactio fiat conviciis, irrisione, importunitate, sive verbis, aut precibus, sicut sive fiat in principio, sive in progressu ludi; cum semper irrogetur injuria, ut optime docet S. Antoninus p. 2. tit. 1. cap. 23. §. 3. „ Cum quis „ attraxit aliquem ad ludum per vim, vel „ nimiam importunitatem, sive in prin- „ cipio ludi, sive in medio, cum alius „ vellet dimittere, & non finit; tunc „ etiam tenetur restituere secundum Th. „ & Raymundum ". Quibus accensendi sunt & ceteri D. Th. Discipuli, Sylvester, Cajetanus, Banez, Soto. Et ex extraneis addendus Didacus Covarruvias, scribens 2. p. cap. 4. Reg. Peccatum. „ Datur præterea obligatio „ restituendi in animæ judicio, quoties „ quis alterum ad ludum, cupiditate „ lucri, involuntarium attraxerit secun- „ dum Thomam, quem cæteri commu- „ niter sequuntur ". Qui tamen ita coactus, & involuntarius lucratur in ludo, instituere non tenebitur; cum ipse passus sit, non injuriam intulerit. 3. D. Angelicus eum ad restitutionem obstringit, qui fraudulenter ab alio lucratur, ex quocumque capite fraus oriatur, sive in inæqualitate periculi, sive lucri, & damni, sive alio quocumque modo. At inquiunt recentiores Probabilistæ, non omnem fraudem, & deceptionem in ludo illicitam esse. Fateor ludos, sicut & bella, sua habere stratagemata, quæ maxime in ludis liberalibus ex ingenio, industria, & arte pendentibus locum obtinent, ubi ars cum arte certat, sagacitas cum sagacitate confligatur. At in ludis aleatoriis, in quibus fortuna multum dominatur, artes, quæ adhibentur, ferme semper sunt veræ deceptiones, mendacia, amphibologiæ, restrictiones, simulationes, omnino ad alterum decipiendum ordinatæ; indignæ propterea viro nedum christiano, sed & honesto. Id patet in iis ipsis, quæ a ludi legislatoribus (optimi profecto judices!) licitæ putantur, & quod pejus est a Theologis permittuntur. Prima (quam, sicut & sequentes, ex Henrico a S. Ignatio se transcribere affirmat Recentior Probabiliorista) est, *habere chartas meliores, unde certa sit victoria, & nihilominus augere sponsionem provocando socium, si velit tenere*. Hoc profecto non licita industria, sed apertum furtum mihi videtur: nam posita certa victoria, jam sublata est æqualitas in ludo, cujus tota justitia in eo sita est, ut æquale sit periculum & victoriæ, & amissionis. Certus est igitur de victoria, & collusorem provocas certo perditurum? Ubi

honestas? Ubi æquitas? Ubi justitia? At inquies, in eo est æqualitas, quod in pari casu socius eodem utitur jure. Conveniunt ergo isti lusores, ut certo certius se invicem spolient, & fraudent? At justa ne est coram Deo, Ecclesia, honestis viris, prædatoria ista conventio? Qui sapit, judicet. Altera fraus, quæ, ut licita traducitur, est. *Habere chartas inferiores, & nihilominus simulare, & provocare sponsionem, ac si meliores haberet, ut alter recuset.* At inepta, vel perniciosa simulanti hæc fraus. Perniciosa, nam si alter teneat, non recuset, in caput suum vertitur simulatio. Si recusat, inepta simulatio, & inutilis. 3. *Habere chartas meliores, & simulare formidinem, ut alter animatus provocet, & magis perdat.* At hæc simulatio & in se iniqua est, & ad perversum finem ordinata. In se quidem, quia ut docet S. Thom. 2. 2. q. 111. a. 1. in corp. *Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est. Signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet: ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est, quod proprie simulatio dicitur. Unde simulatio proprie est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. Non refert autem utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto. Unde cum omne mendacium sit peccatum, consequens est etiam, quod omnis simulatio est peccatum.* Augetur perversitas ex fine, nimirum in damnum proximi, *ut magis perdat*, & præterea irrisioni pateat. 4. *Videre adversarium sumentem plures chartas, quam debeat, & silere, ut propter talem excessum perdat.* Si credatur hoc ab adversario fieri fraudulenter, non repugno licitum esse silere, ut fraus in fraudatoris caput recidat: at si constet ex errore factum, honesti ludentes (si tamen ex professione aleatores honesti esse possunt) ludum in irritum revocant, & novum incipiunt. 5. *Aspicere chartas minus custoditas ab adversario, non quidem fraudulenter, sed utendo oscitantia adversarii.* At optime respondet Franzoja. „ Qui „ suas chartas in ita ex negligentia dis„ ponit, ut ab adversario inspici pos„ sint, adversarii fide, & sinceritate „ nititur: ergo bona fides, & honestas „ postulat, ut adversarius vel chartas „ non inspiciat, vel suum adversarium „ suæ negligentiæ admoneat. Ipsos ho„ nestos lusores ita se gerere contra re„ centis probabilitatis placita, atque „ ita in animum conduxisse putem ". 6. Denique *non monere socium, dum errat in numeratione punctorum.* At quæso te, si erret in tui perniciem, & detrimentum, monebis ne, an silebis? Profecto clamabis, fidem astantium exposcens. Cur ergo alteri facias, quod tibi nolles fieri, & quidem in eodem opere, in eodem ludo? At ita consuetudo obtinet, inquis. Consuetudo igitur aleatorum poterit & ipsa prima naturæ principia mutare? Flere magis lubet, quam disputare. Porro qui fraudulenter ludit, si fraus adhibita sit tota causa victoriæ, nedum quod lucratus est, restituere debet, sed & quod alter lucratus esset, nisi fraus fuisset adhibita. Si dubium sit, num fraus in victoriam influxerit, pro rata dubii restituere debet; & illud certe, quod lucratus est: nam in dubio, nemo debet certo re sua spoliari; etenim melior est con-

ditio possidentis. Si vero certa futura fuisset victoria, etiam præcisa fraude, licet collusori restituere minime teneatur, in pœnam tamen a studioso Confessario lucro percepto privandus est, & pauperibus erogare jubendus, ne unquam in fraude spem reponat.

XXIII. Sed operosius inquirendum superest, num licite retinere possint aleatores lucrum perceptum ex ludis aleatoriis lege positiva omnino vetitis, & interdictis. S. Thom. aperte docet, eos, qui legibus Principum hos ludos vetantium subiiciuntur, teneri ad restitutionem, nisi hæ leges contraria consuetudine sint abrogatæ. En S. Th. verba 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. „ In „ ludo aliquid videtur ulterius esse il- „ licitum ex jure positivo civili, quod „ prohibet universaliter tale lucrum. „ Sed quia jus civile non obligat om- „ nes, sed eos solos, qui sunt his „ legibus subjecti, & iterum per de- „ suetudinem abrogari potest, ideo „ apud illos, qui sunt hujusmodi legi- „ bus obstricti, tenentur universaliter „ ad restitutionem, qui lucrantur: nisi „ forte contraria consuetudo præva- „ leat ". Porro certum est, Principes omnes, Reges, Imperatores, Respublicas, Pontifices Summos, ut temporales Principes in suis ditionibus, immo & ipsum Mahumetem in suo Alcorano capite *de Mensa* hujusmodi aleatorios ludos districte vetuisse, etiam severissimis interminatis pœnis, & legitime prohibere potuisse: nam, ut habetur in Instit. lib. 1. tit. 8. *Expedit Reipublicæ, ne sua re quis male utatur*. Non antiquas tantum affero leges in jure civili positas, ubi statuitur Cod. de Aleatoribus, & alearum lusu lib. 3. tit. 43. L. Victum; *Victum in alea ludo non posse conveniri, &, si solvit, habere repetitionem tam ipsum, quam hæredes ejus adversus victorem; & ejus hæredes, idque perpetuo, & etiam post triginta annos*; sed & recentes a cujusque Regionis Scriptoribus recitatas. In Galliis Ludovicus XIII. duplici edicto anni 1611. die 3. Martii, & anni 1629. relato a Tontanonio T. 1. lib. 3. tit. 13. declaravit, *omne æs alienum* (verba sunt Edicti ex gallico latine reddita) *ex ludo contractum, nullum esse, omnes vero promissiones, obligationes causa ludi, licet alio nomine palliati, nullas esse, nullius roboris, omnem obligationem, sive civilem, sive naturalem illis denegantes*. Quæ Decreta identidem renovata fuere aliis Decretis supremæ Curiæ Parisiensis, quorum postremum est anni 1710. Et novissime anno 1741. die 18. Aprilis felicissimus, & piissimus Rex Ludovicus XV. qui omnia vetustiora decreta, & Leges confirmavit, ludos aleatorios novissime adinventos, quorum nomina etiam recenset, districte vetuit, & abolitos voluit. Augustissima Imperatrix Regina Maria Theresia, quam diu D. O. M. sospitem, & incolumem conservare dignetur, recentissimis Legibus hos ludos etiam sub pœna infamiæ interdixit, nullamque inducere obligationem statuit. Pari pacto Carolus nunc Hispaniarum Rex, cum utriusque Siciliæ sceptrum teneret, anno 1753. omnia antiqua Decreta, Statuta, Leges, Ordinationes variis temporibus contra alearum ludum, & aleatores constitutas innovavit, instauravitque, etiam interminata infamiæ aleatoribus nota. Quam legem & in ipsis Hispaniarum regnis constitutam fuisse nullus est ambigendi locus, licet Decreta afferre non valeam, quia mihi non comperta. Plures tamen antiquorum Regum Leges referuntur a Molina disp. 512. a Mo-

Morinæo Siculo Hispaniarum historiographo, & a Thomasio de Discipl., a Comitolo, a Taburino, & Henrico a S. Ignatio. In hocce faustissimo Serenissimæ Venetorum Reipublicæ dominio plures sunt latæ Leges contra aleatores & domos, vel cubicula ad ludendum tenentes, & aperientes; atque interminata pœna carceris, triremis, & perpetui a toto dominio exilii: & ipsi nobiles Viri aleatores inepti, & incapaces declarantur ad ea obtinenda Officia, quæ publicæ pecuniæ procurationem habent adnexam. Hæc Decreta, & Leges & a Barbeyracio referuntur, & a nobilissimo Viro, qui anonymam edidit Dissertationem de aleatoriis ludis, Venetiis typis Simonis Occhi impressum ann. 1755. Romani vero Pontifices severius illos ludos iu suis ditionibus vetuere. His igitur constitutis manifeste patet, aleatores non posse lucrum his ludis acquisitum sibi retinere, cum Principum Decreta non solum illos interdicant, vetent, & prohibeant, sed nullam inde oriri obligationem declarent; adeout, etiamsi pecunia soluta sit, repeti possit. Quamobrem minus veram puto illorum Theologorum sententiam, qui censent non teneri restituere ante sententiam judicis. Nam adversantur doctrinæ S. Thom. aperte asserentis, *hujusmodi legibus obstrictos teneri universaliter ad restitutionem, qui lucrantur*, nulla facta de Judicis sententia mentione. Immo paulo post subdit, attractum ad ludendum de lucro eleemosynam facere debere, nec aleatori restituere; quod profecto indicat S. D. non putasse expectandam sententiam judicis. Et confirmat S. Antoninus P. 2. tit. 1. cap. 23. scribens: „ Tertio dicunt, quod „ tali jure durante, sic acquisitum est „ simpliciter restituendum ei, a quo „ acquisitum est ex jure positivo; quia „ jura prohibent non solum ludum, „ sed & acquisitionem per ipsum; & „ malæ fidei possessor dicitur, qui con„ tra legum jura mercatur, Cap. de „ *agr.* & *cens.* Lege *Quemadmodum*. Hæc „ est opinio Azonis, & Glosæ super „ caput Episcopus dist. 37. & Clerici „ D. 2. de Vita & Honest. Cleric. Et „ Hostiensis dicit, quod fere omnes Docto„ res hoc sentiunt, & sequitur B. Thom. „ 2. 2. q. 32. a. 7. & in 4. dist. 15. „ & Richardus in 4. scilicet, quod est „ restituendum ab illis, qui sunt tali„ bus legibus obstricti “.

XXIV. Nunc videndum, num hujusmodi lege sint contraria consuetudine abrogatæ. At rem extra omnem dubitationem ponunt præfata Decreta Principum, quæ in suo rigore persistunt, & a Principibus observari jubentur. Nec contraria inducta censenda est consuetudo, quia Principes fortassis in aliquibus locis, statis temporibus, ludos aleatorios tolerant: hoc enim præstant ad majus malum vitandum; & quædam dissimulare coguntur, ne pejora erumpant mala, & corruptelæ. Præterea præ oculis habenda aurea D. Thom. regula 1. 2. q. 97. a. 3. ad 2. „ Si „ adhuc maneat ratio, propter quam „ prima lex utilis erat, non consuetu„ do legem, sed lex consuetudinem „ vincit “. Porro quis inficiabitur, rationem, quæ causa fuit tot legum, nedum adhuc vigere, sed ob summam Reipublicæ, & civium ruinam nunc fortius urgere; ita ut non consuetudo legem, sed lex consuetudinem longius superet? Hinc optime observat Ludovicus Habert, nullam posse contra has leges induci consuetudinem, sicut nec contra leges canonicas hosce ludos Clericis vetantes, scribens Tom. 4. Theol. Dogm. & Moral. P. 3. cap. 19, §. 2. „ Ne-

„ Neque dicant, contrariam consuetudinem contra hujusmodi leges præscripsisse. Namque primo sapientiores, „ & qui ceteris in exemplum adduci „ possunt, ab aleis prorsus abstinent. „ Porro consuetudo contraria non præscribit contra legem, quando sanior „ pars multitudinis ei repugnat . . . 2. „ Quia consuetudo contra legem præscribere nequit, cum Legislator reclamat, & contradicit: atqui ab initio „ Christianæ dominantis Reipublicæ Imperatores, Reges, Principes usque ad „ hæc nostra tempora nova semper contra aleatores ediderunt edicta, præsertim contra Clericos. 3. Nulla est „ consuetudinis auctoritas, quando contraria est bono publico, morum disciplinam solvit, & innumera mala „ in societatem invehit. Atqui alea „ adeo evidenter est periculosa, & contraria bono publico, ut jure gentium „ videatur interdicta. Omnes enim homines cujuscumque nationis, & sectæ „ (etiam Mahumetanæ) illam proscripserunt, tanquam omnium malorum „ conciliatricem". Qua posita sapientissima, & vere christiana doctrina, omnes evanescunt quæstiunculæ a Probabilistis institutæ de expectanda sententia Judicis, de ea licite impedienda, de compensatione occulte facienda ab eo, qui pecuniam aletorio lucro amissam recuperare non potest, & aliæ, quæ omnes falso, & improbabili principio innituntur.

XXV. Ultimo loco videndum superest, quibus restituendum sit lucrum ex alea acquisitum, quando qui perdidit, alienare pecuniam poterat S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. aperte docet, attractum ad ludendum non posse retinere lucrum ob juris civilis prohibitionem; nec debere perdenti restituere, quia indignus est recipere; eapropter esse pauperibus distribuendum: Sic enim scribit: *Si aliquis lucratus sit ab eo, qui traxit eum ad ludum: in quo casu non tenetur restituere; quia ille qui amisit, non est dignus recipere, non potest licite retinere, tali jure positivo durante; unde debet de hoc eleemosynam facere in hoc casu*. Quam doctrinam mox S. D. extendit etiam ad illos, qui dant, & accipiunt, lege dationem, & acceptionem vetante: unde subdit; *Alio vero modo est aliquid illicite acquisitum, quia ille quidem, qui acquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei, a quo acquisivit; quia scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit: sicut contingit in simonia, in qua dans, & accipiens contra justitiam legis divinæ agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari. Et eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet & datio, & acceptio est contra legem*. Qui igitur ab aleatoribus ex professione, cujusmodi sunt, qui mensam lusoriam semper paratam habent, vel domum apertam ludentibus, vel quacumque captata occasione alea ludunt, lucrantur, illis profecto restituere non debent, cum indignissimi sint, qui recipiant, & solum severissimis pœnis a Legibus interminatis digni; sed pauperibus elargiri debet reportatum lucrum. Quod pariter dicendum puto, quando similes aleatores inter se ludunt, cum ambo pari scelere coinquinentur. Et certe de his loquitur Glossa in C. Clerici off. de vi. & hon. Cler. ubi hæc habentur: *Sed nunquid potest repeti, quod perditur in alea? Dicunt quidam, quod non, sed pauperibus est eroganda pecunia*. Et S. Bonaventura in speculo animæ cap. 2. scribit: „ Quod ex ludo habetur, nullo bo-

„ bono titulo possidetur; nec potest „ retineri, sed debet pauperibus erogari". S. Antoninus P. 2. tit. 1. cap. 23. docet: „ Et addit Petrus de Palude in 4. ad hoc, quod talis retinere „ non potest, sed debet pauperibus „ erogare ante sententiam judicis; & „ tunc non tenebitur, si in judicio repetatur, si potest probare erogationem factam pauperibus, sed post „ sententiam oportet, quod restituatur, „ nec sufficeret pauperibus erogare. „ Alii dicunt simpliciter, & indistincte „ non esse restituendum, sed de necessitate pauperibus erogandum, & hoc „ secundum Placen. & Hugo". Pari pacto qui lucrantur a Clericis sola bona Ecclesiastica habentibus, lucrum non illis, sed pauperibus restituere debent, quorum sunt bona ecclesiastica, in superfluos, immo plane iniquos usus consumpta. Si vero qui ludunt, non sunt revera aleæ addicti, sed ex humana fragilitate, & dominante cupiditate aliquando, sed raro ludunt, qui lucratur, collusoribus suis restituere poterit, sed tamen, si pauperibus erogare voluerit, non culpabo; cum semper indigni sint recipere lucrum, contra supremarum Potestatum Leges, & jura perceptum; qui proinde merito puniri possunt.

CAPUT QUINTUM.

Consectaria Praecedentis Doctrinæ.

I. *Vix a lethali peccato excusari possunt, qui magnam pecuniæ summam etiam ludis artis, & industriæ exponunt.*

II. *Qui aleatorios ludos frequentant, non sunt absolvendi, nisi desistant.*

III. *Regulares chartis lusoriis ludere absque culpa nequeunt.*

IV. *Æqualitas semper in ludo servanda.*

V. *Quænam sponsiones sint de se illicitæ.*

VI. *Qui in sponsione certus est de victoria, juste lucrari nequit.*

VII. *Nonnullæ sponsiones vetitæ, & nullæ jure positivo.*

VIII. *Conditiones servandæ in contractu ollæ, vel sortitionis, ne justitia lædatur.*

Reflexio.

Consectarium Primum.

I. VIX a peccato lethali excusari possunt, qui in ludis etiam liberalibus artis, & industriæ magnam pecuniæ copiam exponunt. Nam si spectetur ludus ex parte pecuniæ ludo expositæ, vel illa pecunia est sibi, & suis necessaria, vel opportuna, vel omnino superflua. Si primum, plane contra caritatem sibi, & suis debitam graviter peccant ludentes: qui se & suos opportunis, & necessariis subsidiis, a Deo fortassis liberaliter concessis, ob lucri, & ludi cupiditatem privant. Si vero plane superflua, jam est pauperibus debita, quibus, ut Christus præcipit, quod superest, in eleemosynas erogandum est. Si vero spectentur ludentes, jam patet istos rem alienam concupiscere, & proximum re sua, & quidem notabili expoliare, & privare velle. Nec excusat utriusque consensus: quia ambo ex pari prava cupiditate moventur. Quamobrem ambo conveniunt, ut se invicem grandi pecunia expolient; quod profecto iniquissimum est, & sicut non licet provocare, ut duello alter alterum feriat, & sanguinem e venis extrahat; ita non licet gladio chartarum invicem ita certare, & mutuo ferire, donec alteruter secundum pecuniæ sanguinem in magna quantitate deperdat. Re-

Recolantur ea quæ diximus cap. super. n. 8. 9. & 10. Et licet in istis ludis liberalibus non lucrum primo quæratur, sed oblectatio ; quando tamen magna exponitur pecunia , cupiditas dominatur , & tota oblectatio in spem lucri fertur . Nam si ludus prospere cedat, lætitiam parit , & gaudium ; si secus , in gravem oblectatio tristitiam degenerat . Quod si verum est de laicis hominibus , multo magis verum erit de Ecclesiasticis , præcipue bona Ecclesiæ obtinentibus, & de Regularibus voto paupertatis adstrictis . At quanta sit oportet , pecuniæ summa , ut notabilis dici possit , fateor hanc absolute designari non posse , sed respectivam esse , juxta ludentium conditionem , & opes . Principum leges , postquam aleatorios ludos prohibuere , liberales , & honestos concedentes subdunt L. *Alearum* C. de Relig. & sumpt. func. *Sed nec permittimus in his ludere ultra unum solidum , etiamsi multum dives sit , ut si quis vinci contingerit , casum gravem non sustineat* . Quam legem exponens Barbosa scribit : „ Notatur ad hoc, quod non licet ludere in magna quantitate etiam in ludo „ permisso; & magna dicitur quantitas, „ si ludatur in toto tempore , quo quis „ ponit se ad ludendum, & ludum continuat ultra unum aureum. Et Jacobus de Grassis P. 2. lib. 3. cap. 9. „ n. 8. ait: In ludis omnibus, qui ex „ ingenio aut virtutis causa ostendendæ „ fieret , qualis est ludus schaccorum , „ pilæ &c. non videtur licitum ludere „ ultra unum aureum “. Quod verum puto , si ludus non nimis frequens sit ; nam quotidiæ unum aureum perdere , immo singulis hebdomadibus , & etiam mensibus , gravem puto etiam viro opulento materiam . Quod si frequenter ludens modo vincat , modo perdat , adeo ut singulis annis nonnisi duos, vel tres aureos perdat , in hisce liberalibus ludis gravis culpæ non damnarem .

At si sermo sit de ludis Filiorum-familias, & uxorum , non est credendum istis expressam facultatem concedi a Parentibus , & maritis , ut singulis ludis aureum exponant , & certe ludo dissipent in singulos annos , si diurnus sit ludus , supra trecentos aureos , vel si hebdomadalis , supra quinquaginta , immo nec duodecim, si ludus menstruus sit: sed id solum concedere ad summum solent , quod nec familiæ grave sit, nec ludi , & lucri cupiditatem , quæ facile suprepit, fovere possit in filiis , & uxoribus . Quod si non de expressa, sed præsumpta licentia ludant , multo minus pecuniam non modicam ludo exponere illis licebit . Nam si S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. ad 3. docet , *cum ea , quæ sunt filii-familias , sint & Patris , ideo non potest eleemosynam facere , nisi forte aliquam modicam , de qua potest præsumere , quod Patri placeat* : multo magis aliquam modicam dumtaxat quantitatem poterunt ludendo insumere, cum semper præsumendum sit , liberaliores esse Parentes in eleemosynis concedendis, quam in insumendis in ludo. Hinc minime recta , & æqua videtur regula, quam statuit recentior Probabiliorista , ad dignoscendum , num liceat filio a patre absente , & in Collegio procul a patria constituto magnam pecuniæ summam , puta centum , quæ ludo lucratus est, iterum ludo exponere, de præsumpto consensu patris, nimirum ut exploret indolem patris , an liberalis , & ad filium benevola , an restricta , & œconomiæ domesticæ non modice addicta . Nam finge indolem patris liberalem, ideone præsumendum, ampliorem concedere ludendi facultatem , & ludo in-

insumendi majorem pecuniæ summam? quis hoc credat? An non potius contrarium præsumendum? ne filius & diutius, & frequentius ludat, unde consuetudinem, & habitum ludendi contrahat; & ne spe æqualis lucri insatiabili cupiditate lucrandi abripiatur. Prodigalitas esset, non liberalitas Parentis, qui quidem plura concedat filio in ordine ad lautiorem victum, nobiliorem vestitum, ad servitium, ad artes addiscendas, sive ad magistros exteræ linguæ, vel soni, vel cantus, vel certaminis, pretio conducendos, nunquam vero ad ludum. Finge esse erga filium beneficum. Ideo ne concedet ampliorem ludum? Est ne beneficium filii, & ipsi honestum, ac utile, ut ampliorem pecuniam possit in ludo insumere, eo titulo quia ludo vicit, & sibi comparavit? Non est igitur a doctrina S. Thom. recedendum, qui sicut docet, non nisi modicas posse filium-familias eleemosynas facere, licet pater sit & liberalis, & ad filium benevolus, ita docet nonnisi modicissimam posse summam ludo de præsumpta licentia patris insumere.

Consectarium Secundum.

II. Qui aleatoriis ludis deserviunt, eosque frequentant, præsertim si a sola fortuna pendent, & brevi manu perficiuntur, non sunt absolvendi, donec a prava desistant consuetudine; qui solum vero aliquando, & raro, nisi emendationem polliceantur. Hujus Consectarii veritas patet ex iis, quæ late diximus cap. præced. cum hujusmodi aleatores æstu rapiantur cupiditatis; nec nisi lucris inhient. Nam si lucrantur, eorum crescit cupiditas, & semper nova lucra quærunt; si perdunt, ut pecuniam deperditam recuperent, nulli non parcunt studio, omnia prodigunt, sibi & familiæ necessaria subtrahunt, bona dissipant, mercedes non solvunt, creditoribus non satisfaciunt, ut quotidiana ipsa docet experientia. Qui vero raro ludunt, si serio ludant, hoc est non est de re minima, sed ut aleatorii ludi ratio postulare videtur, de graviori summa, non sunt absolvendi, nisi omnino desistere polliceantur. Nam sensim habitus gignitur, & consuetudo efficitur, quæ repetitis actibus roboratur; unde crescit auri fames, & pecuniæ cupiditas, quæ illos ita abripere potest, ut aleatorii ex professione fiant. Multo magis a Sacramentis arcendi sunt, qui mensas lusorias pro hujusmodi ludis semper paratas habent, vel domos apertas ad lusores vel alliciendos, vel admittendos; sicut etiam qui aleatoribus in ipso usu aleæ deserviunt, vel necessaria ad lusum suppeditando, vel accedentes excipiendo, vel pro ipso principali aleatore vel absente, vel defesso ludentes; sicut & qui simulate ludunt, & vincere fingunt, ut adstantes ad lusum alliciant: hi enim omnes pessime cooperantur sorti, & iniquo lucro cum summo & privatorum civium, & reipublicæ detrimento. De his optime clamat S. Bernardinus Senensis: „ Dans domum, „ ut intus ludatur, fit particeps tot „ peccatorum, quot ibi fiunt; dans tabulam, & præstans taxillos toties „ peccat mortaliter, quoties præstat: „ nullus Confessor poterit eos absolvere, „ donec removerit domum a tali pessimo usu ludendi: impossibile est illum „ salvari, nisi relinquat illas suas artes „ maledictas “. Nec immunes sunt a culpa, qui ludentibus adsunt, ut spectatores in hujusmodi aleatoriis ludis, præsertim si Ecclesiastici sint, & Regulares; quia licet non adprobent, sua tamen præsentia illis quodammodo favere

vere videntur, illisque oblectationem præbent; cum potius eos detestari: & alios ad eos odio habendos hortari deberent.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Regulares chartas lusorias in ludo adhibentes, licet non alea ludant, sed aliis ludis arte, & industria mixtis, a peccato immunes non sunt, quod aliquando & lethale esse potest. Ita docent Donatus Lainensis T. 4. tract. 17. q. 28. qui, postquam ludum taxillorum reprobavit in Regularibus, subdit: „ „ Jure optimo in mea religione hujusmodi lusores condemnantur ad pœnam „ gravioris culpæ, & inhabilitantur „ ad gradus. Quod dicitur de taxillis „ per allegata supra, extenditur ad illos, qui inventi fuerint ludere ad „ chartas, vel tabellas, vel fabas, aut „ ad similes ludos, qui, ut dictum est, „ principalius nituntur casu, & fortuna, quam industria, & arte humana ". Cardinalis de Lugo de Just. disp. 31. sect. 1. „ Nec dissentit Molina disp. 52. in fine, ubi dicit, quod „ ludus chartarum Religiosis eo magis „ indecens est, & scandalosus aliis, „ quo arctiorem vitam profitentur, & „ magis in ea Religione disciplina viget, majorque est opinio in populo „ de ipsorum observantia, ac sanctitate. Unde perdoctus P. Magister Banez indubitanter aliquando asseruisse „ fertur si hominem nostræ societatis „ vidisse chartis semel ludentem, judicaturum peccati mortalis reum ". Porro non apud solos Jesuitas & regularis disciplina viget, & arctior vita ducitur. Nam & Diana p. 3. tract. 9. ref. 4. scribit: „ Et ego de mea Religione idem constanter assero, cum „ in illa tam arcte regularis disciplina „ vigeat, ut hujusmodi ludorum (chartarum) & ipsa nomina sint penitus „ interdicta ". Hinc benigniores Theologi apud Rotarium Tom. 2. lib. 3. cap. 1. q. 12. n. 13. dum a lethali culpa excusant Regulares illos, qui chartis ludunt, ubi invectus est usus, subdunt tamen: „ Professis illorum ordinum, in quos chartarum lusoriarum „ usus nondum invectus est, & regula „ id vetante reguntur, hujusmodi ludos „ culpæ merito esse vertendos ". Peyrinus de Prælatis reg. quæst. 2. cap. 2. n. 102. scribit: ". Non possunt Religiosi in dictis recreationibus ludere „ aleis absque mortali etiam joco „ propter scandalum, & periculum „ infectionis. Per aleas intellige eos „ ludos, qui magis nituntur casu, „ & fortuna, quam industria, & „ arte, ut ludus foliorum, seu chartarum ". Rationem autem efficacissimam reddit Passerinus Tom. 2. de stat. q. 187. art. 2. „ Semper considerandum est, quod ludi chartarum „ maxime cupiditati, & avaritiæ deserviunt, & quod de uno ex illis ad „ alium est facilis transitus; & hujusmodi ludi in secreto de facili haberi „ possunt, & valde distrahere animum „ Religiosorum a negotiis spiritualibus. „ Unde pensatis pensandis difficile est, „ quod possit in Regularibus dari consuetudo ludendi aliquo ludo chartarum, quæ non sit abusus; & eo magis quod non desunt alii ludi, qui „ honestæ recreationi Religiosorum possunt deservire ". Quamobrem væ „ Prælatis Regularibus, hos ludos induci permittentes, vel invectos non „ extirpantibus ". Legatur P. Daniel. Conc. de discipl. Apost. Monastica p. 1. diss. 6. cap. 4.

CON-

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. In ludis minime lucratoriis, in quibus sola inspicitur animi relaxatio, parum interest, licet magna sit disparitas peritiæ, & artis in ludentibus; cum par sit oblectatio tum in perdente, tum in victore, & nullum sit in alterutro damnum. At si pecunia interveniat, æqualitas servanda inter ludentes est quoad peritiam, & quoad sortem ludo expositam. Patet veritas hujus consectarii ex his, quæ diximus cap. præc. n. 18. Hinc iniqui lusores sunt, qui imperitiam simulantes, minus cautos ad ludendum pertrahunt; qui chartis adulterinis utuntur, vel aliquibus notis distinctis, ut queant cognosci; qui eas ita artificiose componunt, ut meliores, & optimæ non sorte, sed fraude sibi obveniant; cum commonitore conveniunt, qui nutibus, vel signis collusoris chartas alteri significet; & denique qui aliis pene innumeris utuntur dolis, & fraudibus, quos humana cupiditas, avaritia, vel malitia adinvenit. Sed quid sentiendum de illis, qui in fine ludi, quod superest de sorte in principio ludi exposita, ludunt ignorantes, quanta sit alterutrius summa? Resp. Certum esse, & in hisce ludis æqualitatem servandam: quamobrem, si utriusque summa sit æqualis, vel ferme æqualis, adeout exiguum sit discrimen, licitum puto, & inæqualitas illa sorti committitur. At, si discrimen non leve sit, sed alicujus momenti, dico æqualitatem lædere, ac proinde justitiam. Nam vel ludentes mala fide ludunt, putantes alterius pecuniam longe suam excedere; & tunc ludus est injustus, nec dolus, aut fraus debet patrocinari; proinde victor non plus recipere debet, quam perdere poterat: vel bona fide ludunt, sincere animo putantes æqualem, vel prope æqualem utriusque summam; & tunc si notabilis sit excessus, victor nec accipere, nec retinere potest; cum error circa substantiam nullum reddat contractum. Porro error in quantitate est error in substantia, quam multiplicat. In hoc igitur ludo intervenit hic error, cum uterque puret æqualem, vel ferme æqualem ludo summam exponere, quod profecto nollet, si veram pecuniæ agnosceret quantitatem. Est igitur inducenda æqualitas, ne alter altero magis vincere quam perdere potest. Quod quidem verum est, quando certamen ludi est singulare, & inter duos. At si plures sint colludentes, absque injustitia contingere potest, ut ex ludentibus alter nonnisi parvam, quam ludo exposuit, pecuniæ portionem amittere possit, & aliorum omnium fortasse quadruplo, vel octuplo majorem adipisci; ut contingit in illo sortis ludo, quo ludentium singuli certam pecuniæ summam exponunt, quæ tota sit victoris, illius videlicet, qui meliorem obtinuerit sortem: quod quidem ludi genus ad lotariam pertinens, si sit de bellariis, aliisque esculentis, & minima sit, quæ exponitur, pecunia, levem tantum continet illiberalitatem, & ad levandum tædium itineris præsertim fluvialis confert. At si non levis sit pecunia, quæ exponitur, in turpitudinem aleatorii ludi degenerat, & cupiditate inficitur; cum sit bellum omnium contra omnes, nec alter vincere possit, nisi ceteri omnes sua pecunia spolientur.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Illicitæ sunt sponsiones, vel de re, quæ nonnisi cum damno proximi evenire potest, vel de aliquo peccato, vel ab altero ex sponsoribus non com-

mittendo, vel a tertia persona committendo. Nam in primo casu argumentum præbetur spondenti, vel damnum proximi procurandi, vel optandi, vel de illo gaudendi. At inquit Busembaum, *id est per accidens*. Verum illum egregie refellit vir christianæ Ethices optime meritus Franzoja subdens: „ Sponsio „ de morte, aut alia calamitate alicu„ jus intra certum tempus, vel annum „ futura, considerata hominum pro„ pensione ad malum, vehementi vin„ cendi cupiditate, avaritiæ stimulis, „ addita præsertim morum pravitate, „ quahujusmodi sponsores carere non so„ lent, vim habet inducendi sponsorem „ ad machinandam, aut saltem op„ tandam mortem, vel de illa gauden„ dum, ergo hæc occasio non est occa„ sio per accidens, sed per se ". In altero vero aperta est fœditas, cum objectum sponsionis sit peccatum, quod quilibet christianus horrere debet: ad quod tamen vel alterum sponsorem spondendo impellit; vel si a tertio sit perpetrandum, & comitti optat, ne sponsionem perdat, & de illo patrato ob victorium gaudet, vel non perpetrato ob amissionem tristatur: & hæc quidem omnia nonnisi turpis lucelli gratia. Rejicienda est igitur opinio Cardinalis de Lugo, affirmantis, non esse de jure naturæ illicitum sponsionem facere super peccato comittendo, vel non commitendo ab aliquo tertio. Solum toleranda videtur sponsio, quando quis spondet, alterum in tali occasione lapsurum, dum ipse gloriatur se fortiter reluctaturum, quia spes lucri illum magis a peccato absterrere potest, præsertim si hæc sponsis fiat a pio aliquo viro, ideo spondente, ut alter non peccet, vel occasionem peccandi fugiat. Nihilominus & hæc fugienda, cum fieri possit, ut tristetur de non patrato crimine ob pecuniæ amissionem.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Qui in sponsione certus est de ejus objecto, nec spondere potest, nec lucrari. Id ipso rationis lumine innotescit; cum enim sponsio sit ludus aleatorius de re incerta, & plane dubia, posita certitudine omnino tollitur æqualitas, ad justitiam necessario requisita. Nec justa evadit sponsio, si alter alteri sponsori dicat, se certum esse de rei eventu, & nihilominus ille in sua opinione perseverans adhuc spondere velit: nam semper verum est, in contractu non reperiri æqualitatem. Nec obstat, quod scribunt Salmaticenses, detrimentum esse alterius pervicaciæ, & duritiei tribuendum, si probe conscius de alterius certitudine adhuc spondere velit. Nam alterius pervicacia, & durities æqualitatem non inducit; & iniquum est alterius perversitate abuti ad illum sua pecunia certo spoliandum sub obtentu sortis, & sponsionis. At subdunt, conscius de alterius certitudine cedit juri suo. Sit, ut lubet: at hæc cessio tota in errore fundatur, & quidem ipsam rei naturam respiciente, qui error omnem contractum nullum reddit, ut suo loco diximus: non enim juri suo renuntiat sponte, ut ita dicam, & ex animo, sed ex errore intellectus, quo putat collusorem, vel falli, vel mentiri & certitudinem simulare, quam non habet. Præterea nec vere juri suo cedit, quasi cognita veritate velit donare; sed quia rem dubiam adhuc reputat, & materiam contractus sortis, quo & æque vincere possit, & perdere; & spem vincendi semper retinet, cum jure & ipse exigendi pretium victoriæ. At in hisce tricis non est diutius immorandum; cum

cum nullus cordatus sit, qui statim injustitiam contractus non perspiciat. Consentio tamen libenter Salmaticensibus, qui docent illicitam esse, & injustam sponsionem illam, qua quis quatuor, aut quinque concurrentibus ad aliquod publicum ministerium; sive officium obtinendum, cum singulis spondet munus non obtenturos: ex quo fit, ut, cum nisi unus officium consequi possit, cum illo solo pretium sponsionis perdat, & cum ceteris certo vincat. Quandoquidem duplex est inæqualitas: 1. cum singulis seorsim, quorum quilibet cum quatuor, vel quinque habeat oppositores, nonnisi unum obtinet gradum probabilitatis pro se, & quatuor, vel quinque adversus se, qui omnes pro alio sponsore crescunt: 2. cum omnibus collective sumptis; certus est enim de victoria adversus tres, vel quatuor, cum periculum non subeat, nisi cum uno licet indeterminato: quod profecto æqualitatem tollit, & injustitiam inducit.

Consectarium Septimum.

VII. Sunt nonnullæ sponsiones jure civili, & Ecclesiastico omnino vetitæ. Et primo quidem civili jure vetantur sponsiones omnes, quæ corporis certamina spectant, odii, vel æmulationis causa susceptæ. Jure vero Ecclesiastico sponsiones Summi Pontificis electionem respicientes vetantur a Gregorio XIV. sub excommunicatione latæ sententiæ, sibi, & successoribus suis reservata; & insuper eas nullas, irritasque declaravit, quarum proinde pretium sit restituendum. Quod decretum limitatum & ad solam Summi Pontificis electionem, & tempore Sedis vacantis, postea Pius IV. & pro quocumque tempore, & ad electiones etiam Cardinalium extendit sub eadem pœna, & contractus nullitate.

Consectarium Octavum.

VIII. In contractibus ollæ, sive sortitionis, quæ privata auctoritate instituuntur de re aliqua pretio æstimabili, puta horologio aureo, vasis argenteis, & similibus, ne illiberalitatis vitio addatur & injustitia, nonnullæ sunt servandæ conditiones. 1. Ut res, quæ sortitioni proponitur, non carius æstimetur, quam revera valeat. Hujusmodi enim sortitio venditioni analoga est, & emptioni, & solum res summo pretio vendi poterit intra limites justi pretii. quamobrem & pretium solvendum, & numerus contribuentium ejus valori erunt coæquanda. 2. Si qui sunt labores subeundi in hac sortitione ab eo præstandi, qui ollam instituit, non sunt pretio æstimandi, cum etiam in ejus cedant utilitatem, & abunde compensentur per summum pretium: quo rem vendit: quod non consequeretur, si res foret parata pecunia uni vendenda. Injuste proinde agunt, qui hujusmodi ludis quotidianum sibi victum comparant, nec alio modo suam quærunt sustentationem, cum res ultra summum pretium vendere cogantur; & hæc ars (si tamen artis nomen meretur) nullius sit utilitatis in Republica, & tota tum in constituente ollam, tum in ponentibus schedulas, in cupiditate lucri fundetur: 3. Ut procul sint fraudes omnes, nec res ita componatur, ut non sorte, sed arte præmium uni potius obtingat, quam alteri. 4. Ut certiores fiant, qui sortitioni concurrere volunt, & de pretio singulis constituto, & de quantitate inde colligenda, ut noverint num ipsis intersit suam pecuniam exponere. 5. Denique non instituatur, nisi vel

vel tacite permittant, vel expresse consentiant, qui Reipublicæ præsunt, & communi bono invigilant.

REFLEXIO.

Jure naturæ æquum esse, neminem cum alterius detrimento, & injuria locupletionem fieri, clamant Legislatores omnes, qui hanc regulam constituunt, & frequentius in suis Codicibus repetunt, & inculcant; quæ si vel sola sancte custodiretur, proculdubio omnes ab humano convictu exularent fraudes, tollerentur doli, & in humanis contractibus sola dominaretur æquitas, & justitia. At proh dolor! dirum illud vulnus, cupiditas, & divitiarum amor, per originale peccatum inflictum saniem incessanter emanat, & virus suum usquequaque diffundit. Hinc tot doli, tot fraudes, tot cavillationes, machinationes, studia, cogitationes in humanis contractibus ad fallendum proximum, ad corrodendum undequaque lucrum, ad augendas divitias. Hinc tot invectæ in humana Republica artes, industriæ, adinventiones, artefacta christianis moribus vel inutilia, vel infensa. Tot mundi muliebris ornamenta, fuci, vestes tanta licentia circumductæ, ac sinuum late inundantium laxitate, ut ad navigandum vela, non ad tegendum corpus instituta videantur, vel ex adverso adeo arctæ, constrictæque, ut ipsis vestibus exprimantur artus, quibus adduntur dextrariola, inaures, armillæ, capitis turrita ornamenta, fictæ capillaturæ, quibus construendis, adinveniendis, augendis innumeri pene sudant artifices. Tot fabricatores personarum ad faciem occultandam, ne pudor, & rubor in vultu iniquitatem corde erumpentem compescant, & planior, ac tutior sternatur via ad scelera perpetranda, ad Religionem irridendam, ad honestatem corrumpendam. Tot Taxillorum, tesserarum, pictarum chartarum artifices, innumerabilium, & pene infinitorum scelerum instrumenta. Tot scurræ, histriones, Mimi, Pantomini, Comœdiarum Auctores, qui innumeros detinent Auditores, & magno pretio, non fine familiarum, & publici boni detrimento, & in summam animarum perniciem, a longinquis etiam regionibus adsciscuntur, & detinentur. Tot saltatores, & saltatrices, tot cantores & cantatrices, Musici recutiti, qui, ut aurum aucupentur, nec propriis parcunt membris, cupiditatis Martyres minime coronandi, immo summo contemptui habendi, quippe qui & virilem, quem a natura sortiti sunt, sexum sponte abjiciunt. His addendi, qui culinariam exercentes, innumera gulæ irritamenta, saporum sapientes architecti, excogitarunt, non ad corporis alimoniam, sed ad sanitatem pellendam, morbos accersendos, funus ipsum properandum. Omitto mendacissimorum genus hominum, qui astrologiam profitentes, aures verbis ditant alienas, suas ut auro locupletent domos, sicut & illorum, qui supervacaneo præparandi per artem auri, conficiendique studio, conficiuntur ipsi prius, quam aliquid efficiant, planeque ad ignem decoquuntur. Hos profecto omnes cupiditas invenit, conservat, & ad instar inutilium stirpium propagat.

At non cupiditas, inquiunt, sed necessitas impellit. At quæ, amabo, necessitas? Num Reipublicæ, & communis boni? Absit. Huic non prosunt hæ artes, quin immo quam maxime obsunt. Quid enim bono communi conferunt tot Pigmentarii, Cerusatii, Unguentarii? Quid Mimi, Histriones,

Sal-

Saltatores? Quid Reipublicæ prosunt tot Aleatores, & chartarum Artifices? Quid tot ludorum genera, & portentosa nomina Latina, Par Impar, Tali, tesseras jacere, micare digitis; Italica Bassera, Faraon, Biribis; Gallica Trictrac, le Tope, le Quinquenove, le Dupe, le Mormonique, & alia in quovis idiomate pene innumera. Arabica tamen ne quæras, nec Turcica; nam penes has Gentes hæc prorsus ignota sunt, & inaudita. Nulla profecto horum omnium necessitas, immo nec utilitas adstruenda. Num igitur privata saltem ad vitam trahendam, & victum comparandum? Verum honestæ ne habendæ hæ artes, quia utiles? Absit, Nam ut egregie animadvertit Conradus Summehart Tract. de Contract. q. 71. „ In corpore naturali sic est, quod nullum membrum deputetur ad actum, „ nisi ad eum, qui natus est utilitatem „ afferre ceteris commembris, vel corpori; sic dicitur esse in corpore mystico, idest Republica, quod actus „ hominum debent esse nati afferre utilitatem Reipublicæ . . . Quærere autem per actum nullius utilitatis in „ Republica suum nutrimentum, originatur ex cupiditate; quia cupiditas „ est velle temporalia per vias illicitas. „ Opera autem otiosa, cujusmodi sunt „ illa, quæ nullam utilitatem Reipublicæ afferre nata sunt, sunt viæ illicitæ, sic & verba otiosa". Non igitur his artibus quærendus victus; sed illæ excolendæ, quæ utiles, quæ necessariæ bono communi, & Reipublicæ: cui quidem maxime prosunt Agricolæ, Vinitores, Architecti, Fabri ferrarii, lignarii, lanarii, Artium libaralium professores, Mercatores, aliique, qui honestum lucrum sibi comparant, non cupiditati servientes, sed Deo obedientes: quia, ut inquit S. Basilius in Constit. Monac. cap. 1. „ Eo consilio „ Dominus hominem finxit . . . ut esset, „ qui se in laboribus honestis exerceret. Quandoquidem & primo in Paradiso Adæ præcepit, ut laboraret, „ & Paradisum ipsum custodiret . . . Et „ tum deinde, quando ex eo ille ejectus exulavit, sententiam tulit, ut „ pane suo in sudore vultus sui vescetur. Quod autem, quæ Adæ dicta „ tunc fuerunt, ea omnibus etiam dicta sunt, qui ab eo sunt oriundi". Hoc est, quod attendentes primorum sæculorum Christiani, nulla respuebant communi utilitati opportuna ministeria, officia, & artes. Quamobrem merito de illis dicere potuit Tertullianus in Apologetico cap. 40. „ Non sine foro, „ non sine macello, non sine balneis, „ tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, ceterisque commerciis cohabitamus hoc seculum. Navigamus „ & nos vobiscum, & vobiscum militamus, & rusticamur, mercamur, „ proinde miscemus artes, operas nostras publicamus usui vestro. Nullum „ fructum operum repudiamus, plane „ temperamus, ne ultra modum aut „ perperam utamur". Quos utinam & modo nostræ ætatis Christiani imitarentur.

CAPUT SEXTUM.

De Choreis, Spectaculis, & Theatris.

DOCTRINA.

I. *Choreæ moraliter inspectæ turpitudinem insitam habent.*

II. *Ut modo fiunt a Christianis, a SS. PP. tamquam perniciosæ reprobantur.*

III. *Et etiam ab antiquioribus Theologis.*

IV. *Argumentis chorearum malitia ostenditur.*

V.

§. I.

De Choreis.

I. CUM inter ludos recenseat Theologi ea omnia, quæ animum recreare solent, inter eas locum habent etiam choreæ, publica spectacula, & Theatra, sive Comœdias exhibeant, sive Tragœdias, sive Dramata musico concentu recitata. De his omnibus in calce disputationis dicendum superest. A choreis exordium sumamus.

Choreæ, si in se physice spectentur, nihil habent vel turpitudinis, vel illiberalitatis: cum revera in se non aliud sint, nisi pedum motus concentui respondens, & pulsationi musici alicujus instrumenti. Verum moraliter inspectæ, inquit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. de Synodo lib. 11. cap. 3. n. 1. *insitam habent turpitudinem, quæ nullo Religionis fuco obumbrari potest.* Nec excusantur, subdit, exemplo Davidis ante Arcam saltantis; quia, ut exponit S. Ambrosius de Pœnit. lib. 2. cap. 6. n. 42. „ Per mysticam Davidis saltationem „ unice Deus præmonstrare voluit Hebræis, quibus omnia in figura contingebant, ut unusquisque corpus „ adtollat impigrum, nec humi pigra jacere membra, vel tardis finat „ corpore vestigiis: propterea cavendum, ne quis putet saltationis lubricæ histrionicos motus, & scenæ „ deliramenta mundari „.

II. Multoque magis malæ, & illicitæ & inhonestæ choreæ, prout a Christianis haberi solent, videlicet inter mares & feminas, inter puellas & adolescentes, inter sponsos & sponsas, aliis adjunctis circumstantiis, frequentia videlicet, ornatu, aspectu, turpiloquio &c. Hujus positionis veritatem ostendunt Sancti Patres, & Theologi, variis pro cujusque ingenio, sed veris adductis rationibus, & argumentis. 1. Nonnulli reprobant, *quia ipsa ballandi consuetudo de Paganorum observatione remansit*, ut scribit Auctor serm. 265. al. 215. de tempore inter Opera S. Augustini, unde subdit: „ Isti infelices, & miseri homines, qui ballationes, & saltationes ante ipsas Basilicas Sanctorum „ exercere non metuunt, nec erubescunt, etsi Christiani ad Ecclesia venerunt, Pagani de Ecclesia revertuntur “. 2. Quia turpitudinem præferunt, & immodestiam præsertim in feminis. S. Ambrosius lib. 8. de Virgin. cap. 5. „ An quidpiam est tam pronum „ ad libidinem, quam inconditis motibus ea, quæ vel natura abscondit, „ vel disciplina velavit, membrorum „ aperta videre, ludere oculis, rotare cervicem, comam spargere? Meri-

„ rito inde in injuriam divinitatis pro„ ceditur. Quid enim ibi verecundiæ „ potest esse, ubi saltatur, strepitur, „ concrepatur? Quid dicitis vos, sanctæ „ feminæ? Videtis, quid docere, quid „ etiam dedocere filias debeatis? Sal„ tat, sed adulteræ filia. Quæ vero „ pudica, quæ casta est, filias suas re„ ligionem doceat, non saltationem “. Alii, quia in choreis Diabolus animabus insidias struit, ut S. Jo. Chrysost. hom. 48. in Matth. „ Non ad tripudia „ pedes nobis præbuit Deus, sed ut „ modeste incedamus; non ut impu„ denter more Camelorum saliamus, „ sed ut in Angelorum choris consista„ mus. Quod si corpus deforme fit im„ pudenter saltando, quanto magis ani„ mam fœdari credendum est? His tri„ pudiis Diabolus saltat, hiis a Dæmo„ num ministris homines decipiuntur “. Alii denique, & frequentius ob peccata, quæ choreas semper comitantur, & præsertim quia libidinem provocant. S. Antoninus P. 2. tit. 6. cap. 6. choreis adaptat visionem Joannis in Apocalypsi de fornace magna, ex qua exeunt locustæ, scribens: „ Locustæ illæ sunt „ mulieres chorizantes. Puteus abyssi, „ unde istæ ascendunt, est profunditas „ inferni, unde suggeritur tale exerci„ tium chorizandi a Dæmonibus. Fu„ mus fornacis magnæ, cum quo exe„ unt locustæ de puteo, est incitamen„ tum, & signum magnæ concupiscen„ tiæ, & lasciviæ, unde ortum habent „ choreæ, & cum qua fiunt. Et hic „ fumus obscurat solem, & aerem, „ idest concupiscentia obtenebrat viros „ etiam sapientes, & doctores, & ae„ rem, idest contemplativos, & spiri„ tuales homines. Eæ ascendunt super „ terram, scilicet chorizantes, discur„ rentes sicut locustæ saltantes, nec „ rationem habent regentem eas, sed „ ut bruta animalia hinc inde discur„ runt . . . Vanæ mulieres inquirunt „ de locis, ubi possint ostentari, & „ currunt ad talia loca, in quibus „ Diabolus dejiciat, & prosternat mul„ tos gladio concupiscentiæ “. S. Ca„ rolus Borromæus in Med. part. 2. cap. 6. „ Sileant execrandæ illæ, pu„ blicæque saltationes christianorum, „ castitati adeo exitiosæ, rixarum, jur„ giorum, inimicitiarum, cædiumque „ radices, & occasiones, immo cujus„ cumque lasciviæ seminaria. Quid plu„ ra? Ex hujusmodi saltationum con„ sortiis oriuntur corporum, famæ, „ rerum, & christianæ denique posthac „ disciplinæ detrimenta. Eliminentur „ ergo choreæ, & una cum his tot aliæ „ morum corruptelæ, quibus hoc ma„ xime tempore solet Satanas hominum „ mentes suo imperio vindicare “.

III. Hac SS. PP. auctoritate, & argumentis permoti antiquiores Theologi, choreas, prout exerceri solent inter christianos, ut graviter interdictas, & sub lethali culpa vetitas pronuntiarunt. Gers. Dom. 4. Adv. scribit: „ Choreas „ ob fragilitatem difficile sine diversis „ peccatis agitari, & omnia peccata „ cadere, & concurrere in choreas “. Hic itidem 6. Decal. præcept. cap. 3. scribit: „ Est præterea aliud multum „ peccato luxuriæ deserviens, videlicet „ chorea „. Angelus in Summa V. Chorea post septem præstitutas conditiones, ut choreæ immunes sint a culpa, concludit, & „ quia præfatæ con„ ditiones in choreis nostri temporis „ non inveniuntur, ideo non video, „ quomodo sine mortali peccato quis „ eas faciat ex consuetudine, sicut „ communiter fiunt “. Sylvester V. Ludus: „ Secundo est prohibitus ludus ra-

,, ratione probabilis periculi animæ ,, suæ, vel alterius; & hoc etiam est ,, mortale, ut crebro accidit in cho- ,, reis ". Armilla: ,, bonum esset, si ,, hæ choreæ modernorum temporum ,, possent annihilari, " quoniam, ut prius dixerat, ,, ut plurimum his cho- ,, reis accedunt peccata mortalia ". Denique Summus Pontifex Bened. XIV. in sua Notificat. 9. choreas pluribus titulis illicitas ostendit, & validissimis confirmat argumentis, ac denique concludit: ,, Cum hæc ita sint, quis in- ,, ficiari audebit, choreas (licet for- ,, tassis speculative loquendo culpa im- ,, munes videantur) esse criminosas, ,, & communiter in praxi peccatis abun- ,, dare "?

IV. Et revera si ipsa chorearum praxis spectetur, plura occurrunt, quæ ostendunt, illas in se summopere malas esse, & perniciosas, & proximas per se ferre occasiones, & pericula peccandi lethaliter. Nam ut docet S. Thom. 2. 2. q. 43. a. 1. ad 4. ,, *Aliquis potest dupliciter esse alteri causa peccandi; uno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem, quando aliquis suo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiam, si ipse hoc non intendat, ipsum factum est tale, quod de se rationem habet, quod sit inductivum ad peccandum.* Porro licet, qui choreas instituunt, qui illis assistunt, qui in illis saltant, nulla supponantur fœdari prava intentione alios inducendi ad peccatum; nihilo tamen secius omnia, quæ in ipsis habentur, *de sui ratione habent* (verbis utor S. Doct.) *quod sint inductiva ad peccandum*. Nam 1. occurrit aspectus mulierum, & virorum mutuus, & quidem non transitorius, non fugitivus, sed permanens, & morosus, & per longum tempus: talis autem aspectus est de se concupiscentiam movere quammaxime potens, ut Scriptura frequentius inculcat. Eccl. cap. 9. *Virginem ne aspicias, ne forte scandalizeris in decore illius . . . propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Et si ex Evangelio non licet alienam mulierem desiderare, nec licet aspicere juxta auream S. Augustini regulam, *non licet aspicere, quod non licet desiderare*. 2. Ornatus mulierum, quæ ad choreas accedunt, velut ad nundinas, ut quidquid pulchritudinis habent, decoris, & lenocinii aspicientium oculis objiciant, ad illos in sui amorem alliciendos. Et hoc quoque incentivum est libidinis, ut testatur Scriptura loc. cit. *Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam*. 3. Verba, quæ adhibentur; nam hæc, licet concedere velimus non esse turpia & obscœna (semper mala, etiam extra choreas) sunt tamen saltem dulcia, blanda, seducentia, ad amorem, & benevolentiam captandam, ad cor emolliendum, & animos alliciendos ordinata: mirum proinde in modum concupiscentiam excitant, dicente Domino: *Favus distillans labia meretricis*. 4. Contactus alterum præbet peccandi periculum. Nam, ut scribit S. Hieronymus lib. 1. contra Jovin. *Mulierum tactus per se contagiosus, & venenatus, est viro fugiendus non minus quam rabidissimi canis morsus.* Et Scriptura Proverb. 6. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus si tetigerit eam.* 5. Pudoris, verecundiæ, & modestiæ virginalis, & muliebris profundatio, In choreis enim omnis exuitur pudor, ve-

verecundia deponitur, quæ sunt veluti sepes, a Deo muliebri sexui adjunctæ, ut a peccatis caveant; quemadmodum optime animadvertit S. Jo. Climacus Gradu 14. *Ligavit Deus concupiscentiam mulieris fræno verecundiæ, aliter non fieret salva omnis caro*. His igitur disjectis castitatis repagulis, & diruiis mœnibus, hostis ingreditur, & animam misere deprædatur. 6. Denique motus corporis inconditi, soni, concentus, astantium plausus vel de pulchritudine vel de dexteritate saltantium, periculum augent. Audiatur in amore peritissimus Petrarca, fortassis experientia edoctus: „ In choreis non tam „ delectatio præsens, quam speratæ de„ lectationis auspicium. Veneris præ„ ludium, illud quidem solet stupidas, „ ac misellas circumducere, atque ur„ gere, ac stringere, ac specie urba„ nitatis atterere. Liberæ ibi manus, „ liberi oculi, liberæ voces, pedum „ strepitus, & multarum cantus disso„ ni, & tubarum clangor, concursatio, „ & pulvis, & quæ sæpe ludis additur, „ hostis pudicitiæ, & amica scelerum „ nox ipsa. Hæ sunt, quæ timorem, „ ac pudorem pellunt. Hi sunt libidinum „ stimuli, hæc laxamenta licentiæ, & „ hæc est, nec me falli facilem putes, „ illa delectatio, quam simpliciter, & „ veluti innocua chorearum appellatio„ ne profitemini, & ludi tegmine cri„ mine crimen obnubilatis ". Hæc rationum momenta a me libenter adumbrata potius, quam exposita, legere poteris latius adornata a piissimo P. Paulo Segnerio 3. P. Christiani edocti Ser. 29. ubi & aperte fatetur, recentiores Casuistas, choreas a peccato excusantes, adversari doctrinæ SS. Patrum, & Ecclesiæ, & solum inepta prorsus ratione, & falsa eos excusare nititur, dicens „ „ SS. Patres damnasse choreas, prout „ revera, & in praxi habentur, Casui„ stas autem a peccato absolvere, quia „ de iisdem loquuntur speculative, & „ abstracte ": quod quam falsum sit, aperte testatur Francolinus chorearum Patronus, dum scribit in suo Clerico Romano lib. 2. disp. 7. col. 7. n. 32. „ Quid? Casuistæ nostri, qui sunt Do„ ctores temporum, *speculative* de cho„ reis loquuntur? Qui ergo Theologi „ decidunt occurrentes casus? Schola„ stici? Dogmatici? Patres? At Patres „ illi sunt qui abstracte, speculative, & „ nimis universe declamant „. Redarguuntur igitur a piissimo Segnerio recentiores Casuistæ de falsa, & laxa doctrina in Ecclesiam invecta, dum ipsos falsa prorsus ratione ab ipsis Casuistis improbata excusare conatur.

V. At dices: Peccati igitur lethalis arguendi erunt omnes, quotquot choreas agunt, licet id raro faciant, omni prorsus prava intentione abjecta, & ad modestiam compositi? Huic interrogationi respondet 1. Guilelmus Rodanensis Glossator S. Raymundi relatus a Jo. Hyderio in 6. Decal. Præcep. cap. 13. „ Si aliquis, vel aliqua mulier raro, „ & sine aliqua corrupta intentione im„ misceat se hujusmodi choreis, non „ audeo dicere, quod sit mortale pec„ catum; sed nec audeo eum, vel „ eam excusare, & assecurare a pec„ cato mortali, cum se ingerat pe„ riculo provocandi alios ad libidinem, „ & ipso facto videtur approbare cho„ reas, & exemplo suo auctoritatem „ aliis similia faciendi præstare ". Quo recitato testimonio, subdit Hyder, *cui subscribo & ipse*. 2. Respondet S. Carolus Borromæus in sua ad Confessarios Instructione. „ Oportet eum (Confes„ sarium) severiorem esse circa eas „ actiones, & exercitia, quæ Reipu-

„ blicæ inutilia ſunt , aut minime ne„ ceſſaria (& quanto magis , ſi peri„ culoſa ſint !) quæ licet ex natura ſua „ certe homines non inducant ad pec„ catum mortale , dant tamen propen„ ſionem aliquam ad malum , & ſæpiſ„ ſime pertrahunt ad peccata mortalia, „ cujuſmodi ſunt choreis intereſſe (mul„ toque magis choreas , agere) , cum „ blaſphemis verſari , aut rixæ deditis, „ popinas frequentare , indulgere otio, „ & id generis alia , quæ conſuetudi„ nem offerunt peccandi mortaliter ; „ tum abſolutionem non debet imper„ tiri , quin his omnibus renuntiet pœ„ nitens , ſpondeatque deinceps ea ca„ vere diligenter . Si tamen ſpem ali„ quam de ſuo Pœnitente Confeſſarius „ conjicit , ſemel iterumque poterit ab„ ſolutionem indulgere , ea tamen ſem„ per lege , ut ſi in iis diutius immo„ retur , eam poſtea differat , donec „ certis, & evidentibus indiciis conſtet, „ illum ab his occaſionibus penitus eſſe „ ſegregatum “ . Faxit Deus , ut Confeſſarii hæc ſalutaria monita Sanctiſſimi Præſulis in praxi ampleɛtantur , & ſervent .

§. II.

De Spectaculis .

V. Ea hic reſpicio ſpectacula , quæ a ſcenicis , & theatricis diſtinguuntur ; de his enim in ſequentibus . Spectaculorum itaque nomine eas intelligo actiones , & facta publica , ad quæ ſive videnda , ſive agenda civium copia promiſcue ſolet intereſſe . Non ſunt enim inter ſpectacula enumeranda, quæ inter privatæ alicujus domus parietes aliquibus dumtaxat amicis , & conſanguineis intereſſentibus fiunt ; ut ſunt ſolemnitates nuptiarum , & conviviorum . Hæc porro plane varia ſunt , & diverſi generis , nimirum & publica & privata , & ſacra & profana . Inter publica ſacra recenſentur ſolemniores pompæ , ſive Proceſſiones , quæ vel ſtatis diebus ſolemnes habentur , vel alia de cauſa inſtituuntur ; ſicut & acceſſus Epiſcopi ad Epiſcopatus poſſeſſionem , celebratio alicujus Synodi , vel Diœceſanæ , vel Provincialis , vel Generalis , & ſimilia. Porro hiſce ſpectaculis , intereſſe eſt omnino licitum , immo pium opus , & Religioſum ; dummodo nihil fiat , quod Religionem dedeceat . Privata vero ſacra ſunt diſputationes Theologicæ, examina , & promotiones ad munus Doctoris , quæ in publicis habentur Univerſitatibus , & ſimilia: & in his quoque nihil eſt , quod illicitum reddat vel ea habere , vel illis intereſſe , niſi ea fœdent vanitas , rumor , & importuna contentio ,

VI. Spectaculis vero profanis , & publicis, uti ſunt innocua haſtiludia , ignitarum machinarum exploſio , taurorum cum canibus pugnæ , & ſimilia juxta varios regionum mores , intereſſe raro non omni culpa vacat , ut optime docet S. Thom. IV. Sent. diſt. 16. q. 4. a. 2. quæſtiuncula 2. ad 2. ſcribens : *Dicendum , quod per ſpectacula ſenſibilia magis animus ad vanitates diſtrahitur , quam per intelligibilia; & ideo iſta magis ſunt cavenda , quamvis peccatum curioſitatis in omnibus cavendum ſit .* Hinc appoſite ſcribit S. Bernard. de Con. ad Clericos : „ Spectacula vana quid cor„ pori præſtent , quid animæ , certe „ nihil in homine , cui curioſitas poſ„ ſit , invenies : frivola prorſus , nuga„ toria , & inanis conſolatio ! ac nemo „ quid illi durius impreces quam ut „ ſemper habeat , quod requirit , qui „ jucundæ quietis pacem fatigans cu-

rio-

„ tiosa inquietudine delectatur.

VII. Addit tamen A. P. 2. 2. q. 97. a. 2. ad 2. „ Quod inspectio spectaculorum vitiosa redditur, *in quantum* „ *per hoc homo fit pronus ad vitia, vel* „ *lasciviæ, vel crudelitatis per ea, quæ* „ *ibi repræsentantur* ". Unde Chrysost. hom. 6. in Matth. dicit, *quod adulteros, & inverecundos constituunt tales inspectiones*. Quod & repetit in IV. dist. 16. q. 4. a. 2. quæstiunc. 2. scribens: „ Si spectacula sint rerum turpium, & „ ad peccatum provocantium, studiosa „ eorum inspectio peccatum est, & „ quandoque in eis tanta potest libido „ adhiberi, ut sit etiam mortale: unde „ a tali inspectione omnes se arcere „ debent, sed præcipue pœnitentes „. Quamobrem ob crudelitatem, & sevitiam damnantur illa spectacula, in quibus contingere potest, & ferme semper contingit mors, mutilatio, vel periculum vitæ sive agentibus, sive adstantibus hisce spectaculis. Hinc in Concilio Lateranensi vetitum fuit militibus, ad virium ostentationem iis interesse torneamentis, in quibus sæpe mors corporum, & animarum proveniebat: & Mariana agitationem Taurorum in Hispaniis usitatam, tam spectatoribus, quam pugnantibus illicitam ostendit; cum semper aliqui vel de vita periclitentur, vel reapse vitam amittant. Innoxiæ tamen cum sint pugnæ, quæ in aliquibus Italiæ locis fiunt, Taurorum cum canibus, non adeo sunt reprobandæ, quin tamen usquequaque adprobentur, cum & ipsæ animum trucem & crudelem efficiant.

VIII. Tertio denique S. Tho. l. mox cit. illa spectacula exponit, *quæ*, inquit, *sunt de rebus utilibus, & ad vitam necessariis, sicut sunt venationes, & cætera hujusmodi; & talia spectacula distrabunt animum; unde quamvis possit sine peccato iis intendi, servata discretione debita, quantum ad conditiones personæ, & aliarum circumstantiarum; tamen pœnitenti sunt vitanda propter hoc, quod debet cor ad Deum colendum habere, nisi quantum necessitas exposcit*. Inter hæc spectacula, quæ sine peccato haberi possunt, iisque interesse, sunt & ignitarum Machinarum explosiones, ingressus Principis, eorum vel consecratio, vel coronatio: panis, vini, pecuniarum ratione alicujus lætitiæ populo vel jactatio, vel ad prædam dimissio; quamvis longe melius foret, si pauperibus per Parochos, idoneosque ministros distribuerentur; cum aliter non sine tumultu fiant, vulneribus, & periculis ex nimia rapientium cupiditate non raro provenientibus.

IX. Sunt denique privata quædam spectacula, quæ a Circulatoribus populo exhibentur, ut supra funem ambulatio, vel per funem ab editissimo loco volatus, inter gladios saltus, & similia: & hæc, si sine ullo periculo fiunt, & solum dexteritas agentis admirationem excitat, non alio nomine turpantur, nisi quia vana sunt otiosa, ineptaque animi juvenilis oblectamenta; quæ tamen turpiora fiunt, si mulieres sint, quæ supra funes vel ambulent, vel choreas ducant, quæ proinde apparent depositis vestibus, solo indecoro, & brevi amictu, ad concupiscentiam non leviter excitandam idoneo. Si vero hæc spectacula sint cum vitæ periculo conjuncta, & illa agere, & illis interesse longe turpius, & illicitum puto, tum agentibus, tum spectatoribus. Peccant quidem talia agentes, quia sine justa, ac legitima causa, quam certe non constituit cupiditas lucri, vitæ periculo se exponere illicitum est. Nec in sua dexte-

veritate, & experientia fidant cum sæpe contingat aliquo casu ruinam imminere; ut accidit duobus circulatoribus non multis ab hinc annis mihi notis, quorum alter, dum ex altissima Turri descendere ficto volatu conabatur, repente disrupto fune in terram prolapsus, prius dilaniatus apparuit, quam mortuus; alter vero inter sex spathas præacutas saltum edere volens, duabus in lateribus infixis, mortem oppetiit. Hisce proinde deneganda est a Confessariis absolutio, nisi a tam inutili, & simul periculoso opere omnino abstinere polliceantur. Spectatores vero peccant, dum pecunia vel data, vel promissa ad hæc præstanda vel invitant, vel jam dispositos impellunt, & de vitæ humanæ periculo inaniter oblectantur, & gaudent. Ita docet S. Antoninus P. 3. tit. 8. cap. 4. §. 12. scribens: „ Ubi „ immiscetur periculum vitæ, ut tendere arcum supra funem, & hujusmodi, illicita est ars, & eam oportet dimittere: & de tali intelligitur „ de consecr. dist. 2. cap. de dilectione. „ Et peccatum est talia aspicere, & „ talibus pro illo opere aliquid dare, ut „ dicit Augustinus dist. 16. Can. *Donare*.

§. III.

De Theatris.

X. Theatra, in quibus vel Dramata, vel Comœdiæ, vel Tragœdiæ populo exhibentur, etiam prout modo emendata (si Superis placet) jactantur, esse libidinis irritamenta, dæmonum receptacula, turpitudinis, & obscœnitatis veluti publica Gymnasia, & vitiorum omnium fomenta, plures invictis argumentis demonstrarunt, & contra illorum Patronos intrepide tutati sunt etiam nostris temporibus viri doctrina, natalibus, pietate celeberrimi, Serenissimus Princeps Contiacus, ejusque Apologista Voisinius, Illustriss. Bossuetus, doctissimus Lamy, disertissimus Vulpius, & studiosissimus Concina, productis Sacrarum litterarum, Sanctorum Patrum, Conciliorum, Theologorum, & Casuistarum ea reprobantium testimoniis. Immo & ipsi Theatrorum Patroni sponte fatentur, si in Theatris obscœna tractentur, si ea habeantur vitia, quæ ab eorum oppugnatoribus arguuntur, Theatra mala esse perversa, nullo pacto vel habenda, vel frequentanda; & merito adversus ista insurrexisse Patres, Concilia, Summos Pontifices ac Theologos. At vel emendari posse Theatra subdunt, vel ita revera esse emendata, ut modo sine peccato & haberi possint, & frequentari. Ut igitur rem conficiam, & Animarum Curatoribus, Parochis, Confessariis luculentissime evincam, non licere Theatris adesse, duo præstanda a me sunt, nimirum 1. Theatra nunquam emendata fuisse, & suis turpitudinibus exuta, ad nostra usque tempora; ideoque nullum esse Theatrum, adeo purum, emendatumque, ut illud adire, & illi adesse christiano viro liceat; 2. nec quacumque arte humana posse emendari. His igitur probatis firmissimum erit, quidquid Patres, Concilia, Pontifices Summi, Theologi, & Casuistæ contra Theatra scripsere, quin illorum testimoniis pagellas onerem, cum legi possint apud laudatos Auctores, & præsertim apud Concinam in duplici aureo Opere, altero latino de spectaculis Theatralibus, altero Italico de hodiernis Theatris. At, ne Lectores illis omnino fraudem, plura adducam, non in probationibus, sed in Reflexione in calce de more adjicienda.

XI.

XI. Et primo quidem nulla hactenus fuisse honesta, & licita Theatra, quæ adire, in quibus versari liceat, ostendunt omnium SS. Patrum, Conciliorum, Episcoporum testimonia, quippe quæ nulla prorsus facta distinctione inter Theatra, & spectacula honesta, licita, & turpia, sive obscœna, universim, generatim omnia damnant, rejiciunt, execrantur Theatra. Ergo nullum unquam fuit, nec modo est honestum, & liberale Theatrum Christifidelibus concedendum; si enim maximum hoc discrimen agnovissent, profecto designassent, fideles a pravis, illicitisque Theatris avocantes, licita concedentes. Quod quam verum sit, provoco Theatrorum Patronos, ut vel unum afferant ex Sanctis Patribus, ex Summis Pontificibus, ex Conciliis, & Episcopis testimonium, in quo hoc discrimen assignetur. Invexere quidem hoc discrimen recentiores Casuistæ, ut aliquo modo Theatromaniam in Christianos vigentem excusarent: at absque ullo prorsus fundamento, ex doctrina Patrum, & antiquorum Theologorum desumpto. 2. Vix prodiit anno 1694. Epistola P. Francisco Caffaro Clerico Regulari tributa, in qua Comœdiæ, & Theatra tamquam ex se indifferentia, & licita omni argumentorum genere propugnabantur; & statim clamor fidei auditus est: insurrexerunt enim Galliarum Episcopi ad sacrum depositum custodiendum. Archiepiscopus Parisiensis ad palinodiam Scriptorem adegit, illum Illustris. Bossuetus opusculo typis edito, & Italice reddito confutavit; ceterique Episcopi suis edictis, & pastoralibus documentis oves suas de propinato veneno monuere, & ab illo degustando prohibuere. Porro quis credat Christianum, Religiosum virum Comœdias, & Theatra defendisse obscœna, turpia, inhonesta? Omnem deposuisse ne dum pietatem, & Religionem, sed & pudorem oportuisset. Defendit igitur Theatra honesta, bene morata, uno verbo licita. Et tamen reprobarunt opus, tanquam offensionem fidelibus præbens, tanquam bonis moribus perniciosum, piissimi Episcopi. Non igitur putavere hæc Theatra honesta, pudorata, licita reperiri. 3. Ipsemet P. Franciscus Caffaro in sua Retractatione, ad Archiepiscopum Parisiensem data, non se purgavit eo nomine, quia de honestis Comœdiis, Theatrisque locutus esset; sed quia *ne quidem noverat, quonam more Comœdia haberetur*. Comœdiæ igitur, & Theatra eo tempore tales erant, ut si ea agnovisset, nunquam eorum defensionem suscepisset. Erant ergo tunc illicita, inhonesta, turpia; nec ullum erat assignabile Theatrum, cui tuta conscientia liceret interesse.

XII. Quod vero Patres, Episcopi, & Concilia omnia universim reprobaverint Theatra, si de antiquioribus sermo sit, fatentur, & sponte concedunt etiam ipsi Theatrorum Patroni, quippe qui censent antiquiora Theatra fuisse Idololatriæ superstitione inquinata, vel scortorum denudatione infamia, & execrabilia: quod profecto a modernis Theatris procul exulat. At hoc quam inepte dictum sit, vel ex se patet; quia antiquorum Patrum doctrinam successores Episcopi, & Ecclesiæ Doctores, etiam penitus extincta Idolatria, ac turpitudinum infamiis expulsis, adhuc adoptarunt, & novissimorum temporum universim Theatra reprobarunt. Horum igitur hic testimonia potius indigitabo, quam proferam. S. Carolus Borromæus omnibus universim spectaculis Theatralibus bellum indixit, implorata etiam Chri-

Christianorum Principum opera: 2. p. Act. Med. tit. 66. dicitur: „ De his „ etiam Principes, & Magistratus com„ monendos esse duximus, ut histrio„ nes, & mimos, ceterosque circula„ tores, & ejus generis perditos homi„ nes e finibus suis rejiciant". Dominicus Bolanus Episcopus Brixiensis, secundus Ambrosius nominatus, S. Carolo coævus in sua Synodo hæc statuit: „ Christifideles loca, ubi choreæ du„ cuntur, Comœdiæ aguntur, mimi, „ histriones, & id genus aliud adhibe„ tur, evitent omnino". Cardinalis Aguirre Tom. 1. Concil. hæc habet: „ Modo passim contingit, ut qui casti, „ ac pudici ad ea Theatra accedunt, „ alii omnino redeant. Quot virgines, „ quod castæ Matronæ ibi concipiunt „ amores, quos ante non senserant, „ & paulatim deposito pudore suc„ cumbunt? Pauci sunt, si forte ali„ qui spectantium, quibus amatoriæ „ illæ phrases, gestus, inventiones „ non excitent affectum aliquem mi„ nus purum. Videant ergo Magistra„ tus, & Gubernatores Reipublicæ, qua „ ratione possint ea permittere, & an „ non sint coram Deo rei innumerabi„ lium scelerum inde secutorum. Vi„ derint pariter nonnulli recentes Scrip„ tores, quanto salutis alienæ, & pro„ priæ periculo in ea parte fræna la„ xent, innixi uno, vel altero testi„ monio S. Tho. male intellecto". Clarissimus Bossuetus integro opusculo modernorum Theatrorum infamiam, & turpitudinem ostendit, adeout totum esset hic describendum: a quocumque tamen legi potest, tum Gallico, tum Italico idiomate editum, & utinam quis reperiatur qui & latio donet! Nonnulla leviter delibabo. Reprehendens asserentem moderna Theatrorum spectacula innoxia esse, ostendit modernas Comœdias inhonestis scatere, & impudicis motibus, dictis, conceptibus. Colloquia, gestus, motus, concentus Theatrorum nonnisi ad passiones excitandas, movendamque concupiscentiam ordinari evincit. Quod si non præstent, displicent auditoribus, qui cum Horatio dicunt, *aut ridebo, aut dormitabo*. Omni argumentorum genere Comœdiarum pravitatem ostendit, demonstrat, & eloquentissime urget. Patronorum Theatri sophismata circumvellit, & ea præcipue, quæ ex experientia desumuntur, & ex frequentia piorum etiam, & probatissimorum Christianorum, qui Theatris se innoxie adesse glorianter, & spiritualium Magistrorum, interesse Theatris permittentium, aut imperitiam, aut oscitantiam redarguit. Bernardus Lamy in arte poetica cap. 11. nostri temporis Comœdias, & Theatra antiquioribus perniciosiora ostendit, scribens: „ Hoc compertum, exploratumque iis omni„ bus est, qui nostras animadversiones „ in Comœdias adornatas legerint. Quo„ niam cum hodierna opera Theatra„ lia majori concinnata artificio sint, „ necessario consequitur, periculosiora „ esse juxta ea, quæ dicta sunt cap. 3." Jo. Antonius Vulpius in Patavino Lyceo publicus Professor in suo lib. de utilitate Poetices scribit: „ Comœdia po„ tius vulgaris, & fabulæ, quas pa„ storales, & memorenses hodie ap„ pellare solemus, genus Poematis par„ tim de Idylliis, & eclogis, partim „ a Satyrico Græcorum Dramate deri„ vatum, apud probos, & frugi infa„ mia laborant. Hæc enim Dramata „ ob nequitiam argumentorum, sen„ tentiarum lasciviam, locutionis cor„ ruptelam, jocorum frigus, histrio-

„ num

„ num improbitatem, incredibile est, „ quantum ingeniis, & moribus noceant, quam magnam animis adolescentium, & puellarum pestem, & „ perniciem afferant.... Hinc illud „ considerandum est, utrum horum „ temporum Comœdia, quo pacto a „ Gallis, & Italis excolitur, bonis, „ ac christiano dignis moribus officiat, „ nec ne. De Italorum Comœdiis facillimum est judicare. Tot enim futilibus, ineptis, inurbanis, obscœnis, frigidis jocis abundant, ut nihil aliud propositum habere videantur, nisi cachinnum pueris, & mulierculis, aut hominum fæci vilissimæ „ quacumque ratione excitare... Seculo quidem sexto decimo bonis literis valde florentibus Italorum Comœdiæ hac in parte minus aliquanto „ delirabant, & in eorum jocis minus „ frigoris, & quisquiliarum animadverti poterat... tamen *improbitatis* „ *officinas* recte vocaveris in argumentis, moribus, sententiis. Neque tamen existimandum est, solam in Comœdiis opertam obscœnitatem probæ, ac pudicæ juventuti detrimento „ esse. Sunt alia plura, specie venustatis, elegantiæ, leporis, humanitatis fallentia, *insidiarum plena, veneni, ac pestilentiæ*, quibus Poetæ nequam *hoc tempore* gratiam populi aucupantur, & *moribus perniciem* inferunt". Prosequitur ille disertissime Theatrorum nostri temporis fœditatem, turpitudinem, & perniciem ostendere.

XIII. Quid quod & ipsi Comœdiarum, & Dramatum Auctores, & Theatrorum Patroni, & Comœdi sponte fatentur, prava adhuc esse, mala, impudica, perniciosa Theatra? Primus sit Ludovicus Riccoboni, qui quadraginta annis Comicum egit, & etiam in artis suæ, & Theatricæ defensionem librum scripserat: sed facti pœnitens anno 1743. Gallicum Libellum edidit de Theatri Reformatione inscriptum, ibi ingenue confitetur, 1. se a primis usque annis, quibus Comicum agere cœpit, prava deprehendisse Theatra, & semper optasse ab illis discedere. 2. Vere hodierna Theatra (pag. 12.) in suo initio appellari posse impudicitiæ Triumphum, & post eorum emendationem pessimæ corruptelæ, & pravitatis gymnasium. Pag. 18. Amores, & Amantes, qui exhibentur in scenis, ad libidinem excitandam deservire, & libidinosos in suis impudicitiis confirmare. Pag. 86. confitetur, quidquid a Patribus adversus antiquiora Theatra dictum fuit, optime & modernis Theatris quadrare. Se agnoscere propria experientia utilissimum fore Christianæ Reipublicæ, si Theatra penitus tollerentur. Alter sit Scipio Maffejus, vir clarissimus, qui Theatrorum perniciem auferre quidem conatus est; at se id minime obtinuisse fatetur. Nam in libro, quem adversus P. Concinam scripsit, 1. sponte confitetur cap. 1. n. 3. se initio hujus seculi ferre non potuisse italica Theatra, adeo obscœna, & turpia, ut nec *illa agere*, *nec illis adesse christiano viro absolute liceret*: adeoque *longe melius foret*, *si non existerent*, & *eorum quoque nomen penitus tolleretur*. Talia igitur erant Theatra, quæ habere, vel adire christiano viro non liceret, & hoc primis hujus seculi annis. At sunt ne postea ejus opera, studio, & sedulitate, in quibus plurimum valebat, emendata, & ita castigata, ut non amplius sint abolenda, sed retinenda? Minimè, subdit idem Maffejus n. 12. nam *adhuc superest aliquid antiquæ turpitudinis: non enim omnes statutam ab ini-*

tio hujus seculi reformationem sunt amplexi; & novæ turpitudines superadditæ, nimirum immodestæ choreæ, & saltationes, quæ elapso seculo non obtinebant. En igitur juxta Theatrorum Reformatorem nihil actum: sunt omnia Theatra adhuc turpia & ob veteres non deletas, & ob novas invectas turpitudines. Nulla igitur nec modo habentur Theatra, *quæ agere, vel queis adesse christiano viro absolute liceat*. Tertium produco Goldonum, famigeratissimum Comœdiarum Auctorem, viventem, & scribentem: hic sponte fatetur, adhuc populi Christiani animo insidere, non licere honestis puellis Theatra adire. Sic ille in sua Comœdia, cui titulus *Adolescentula honesta* (la Putta onorata) in qua Act. 3. Scena 3. sic honestam adolescentulam Marchionissæ dicenti, *mecum ad Comœdiam venies*, respondentem inducit (*): *Absit, Comœdiis nunquam interfui: honestæ adolescentes Comœdiis non intersunt*. At, quæso, unde hoc didicit puella, non bene educata, non in aliquo Monasterio instructa, sed vilis, sed rudis, sed plebeja? profecto nonnisi ex communi sensu, & universali persuasione Theatra honestis puellis esse infensissima. Sunt ergo & hodierna Theatra honestatis inimica. Fateor quidem, laudatum Auctorem statim inducere Marchionissam reponentem: *Adolescentes Comœdiis turpibus interesse non debent; at honestis, & bene moratis interesse & possunt, & debent*. At primum in Comico admittendum; naturæ enim, quam imitatur, & exprimit, vox est: alterum rejiciendum, tanquam emendicatum suæ artis patrocinium. Et certe lex, quam novus Legislator puellis honestis indicit, ut debeant Comœdiis interesse, nondum in nullo est jure, sive civili, sive Ecclesiastico relata, nec referetur unquam. En igitur invicte ostensum, hodierna Theatra talia esse, *ut viro Christiano fas non sit tuta conscientia illis interesse*.

XIV. At saltem cura, & studio peritorum tandem aliquando ita Theatra reformabuntur, ut fiant casta, honesta gymnasia virtutis, & Christianæ Philosophiæ cathedra? Dulce somnium! Blanda chimæra! Interim tamen mihi pronunciare liceat Theatris abstinendum, donec sperata inducta sit Reformatio: qua inducta quid agendum, quid sit Christianis consulendum, Ecclesiæ Pastores decernent. Verum fatendum est: hoc optarunt etiam viri omni laude dignissimi, at simul eorum desiderium chimæram esse sponte agnovere, & confessi sunt. Testes appello duos celebres Jesuitas Petrum de Guzman, & Joannem Marianam. Primus ser. 6. §. 8. hæc scribit Hispanico idiomate, quæ latine reddidit Daniel Conc. de spect. Theatr. Diss. 1. cap. 19. „ Tot seculorum experientia constat, fieri nequaquam posse, ut ad honestatis regulas Comœdiæ reformentur, & moderentur, jocis, facetiis, & dicteriis inhonestis sublatis. Fuerunt enim suntque in præsens velut hydra, cujus si unum præcideris caput, aliud renascitur; aut brachium grangræna infectum, quod salubrius est totum, quam ulcerosam partem amputare. „ Facilius itaque Comœdiæ e Republica Chri-

(*) Act. 3. Scen. 3. *Beat* Verrete meco alla Commedia. *Bet.* O la me perdona, no ghe sono mai stada: le Putte non le va alla Commedia. *Beat.* Le Putte non devono andare alle Commedie scandalose, ma alle buone Commedie, oneste, e castigate vi possono, anzi vi devono andare.

„ Christiana exterminari, quam reformari queunt; sicut præstitit Catholicus Rex Philippus II. immortalis memoriæ ". Alter vero lib. 7. de Regis Institu. cap. 16. scribit: „ Censeo „ cum multis fore utile Reipublicæ, si „ histriones pretio venales penitus removeantur. Omnes enim pecuniæ causa omnes turpitudines suscipiunt, „ instillantque aliis: quæstuaria arte „ exhauriunt pecunias, & veluti sopitis voluptate sensibus, latenter extorquent, quas non minori turpitudine „ insumunt: otio, & desidia ut torpeant Christiani, efficiunt, quæ omnium vitiorum radix est, vitiis omnibus, & fraudibus viam muniunt, libidini maxime, quæ auribus, & oculis suscipitur ... Quod si non obtinemus, ut ludi scenici penitus amoveantur, & placet nihilominus eam „ oblectationem populis dare, quod jus, „ & æquitas postulare videtur; impetrare certe cœpimus, ut delectus „ aliquis sit, nec promiscua licentia „ quidvis agendi histrionibus concedatur; sed legibus certis circumscribantur, & finibus, quos nemo impune „ transgrediatur. *Tametsi nullis legibus* „ (N. B.) *putabam furorem hunc satis frenari* ". Prudenter quidam: *O here* (inquit) *quæ res nec modum habet, neque consilium, ratione, modoque tractari non vult*.

XV. Revera Theatra mutari quidem possunt, emendari omnino non possunt. Mutabitur, si quidem placet Comœdiarum, Dramatum, Tragœdiarum scribendarum modus; at, quod pravum in ipsis, non auferretur. Semper enim in eum scopum collineare verum erit, ut indomitos humani cordis affectus, seu passiones, aut libidinis, aut ambitionis, aut vanæ gloriæ, aut vindictæ, aut desperationis excitent, exstimulent, inflamment. Sint, si lubet, honesta verba: quod tamen illis exprimitur, amatorium, molle, effeminatum semper erit. Nonne superius vidimus ex Clarissimo Vulpio, mutata quidem hoc tempore Italica Theatra, quia florentibus bonis literis minus aliquanto delirant, mutatas apertas illas, & obscœnissimas phrases, & turpissima verba; at non per hoc emendatum sensum, & significata. Nam, ut subdit laudatus Auctor: „ *Læditur & in his verecundia*, „ *aut periclitatur saltem, omnibus libidinis, atque intemperantiæ conatibus*, „ *& dolis oppugnata, & labefactata*, „ *verbis, inquam & sententiis*, venenum „ sub melle celantibus, ex quibus, „ tanquam ex tenuissimo amictu aliquo, „ vitium satis pellucet, at non obscura „ turpium voluptatum significatione mirabiles sui amores exsuscitat ". Tollendi forent etiam mimi, & mimæ, quæ gestibus, motibus, jocis, nutibus, aliisque præstigiis audientes dementant, & effeminant. At his sublatis, quæ honesta mulier Theatrum conscendere, & in scenam apparere volet? Nullam puto repertum iri Christianam Matrem, quæ non malit filiam suam in tumulo fœtentem, quam in Theatro saltantem videre. Tollendæ essent choreæ, & saltationes, de quibus scribit Maffejus, *Mimorum saltus, denudationes, corporis motus, quæ de mimico aliquid participant, stomachum movent honestati civili, & illis qui decoris omnino vel ignari non sunt, vel non inimici. Et tamen & ista auferre pene est impossibile; quia plebeji his magis oblectantur, quam cantu*, ut subdit idem Maffejus. Auferendus & cantus, & musica, de qua scribit cap. 1. n. 6. „ Plato volebat a Magistratibus curam suscipiendam de musica,

„ & concentu, ejusque modulis; nam, „ si lascivus sit, & mollis, multum „ in amores influit. Quid igitur dicendum de Dramatum musica? procul dubio hæc plurimum valet, „ ejusque causa magnum afferre possunt Theatra nocumentum ". Verum hoc molli, effeminatoque, proinde perniciosо sublato concentu, & ejus loco gravi, honestaque invecta musica, popellus non amplius ad Theatra, sed ad templa festinabit, seu potius ab utrisque abstinebit. Auferendus inhonestus, & inverecundus vestimentorum apparatus, quam ipse Maffejus damnat, illum appellans *deformem Theatralem pompam*: At quis Theatrales muliercuIas suis ornamentis spoliari posse putabit? Concludamus igitur verbis Georgii Grabocui, heterodoxi quidem Theologi, sed optime sic scribentis in suo judicio de hodiernis Comœdiis: „ Porro dixerit „ aliquis, ea omnia Comœdiis abesse „ debent. Debent omnino ex præceptis Theologorum, sed nondum, quod „ sciam, abfuerunt; neque imposterum, „ quantum prævideri potest, salvo eorum statu aberunt. Sunt enim certo „ modo essentialia, immo anima Comœdiarum, Sunt adjuncta, quæ „ mentis quidem separatione abstrahuntur, re tamen inseparabiliter conjuncta manent. Sunt ex eorum genere, quorum alia perfacile, alia „ difficulter, alia raro, alia nunquam „ sine eorum interitu abesse poterunt. „ Nam sublatis illis illecebris deficient „ spectatores, deficientibus spectatoribus deficient Comœdiæ, deficientibus „ autem comœdiis deficient Auctores „ cum Actoribus. Hoc autem facto „ accidentia cum substantia, abusus „ cum usu, adjuncta cum subjectis „ peribunt ". Animadvertant igitur animarum moderatores, & ab illa caveant distinctione inter Casuistas familiari, si Theatra honesta sint, si pudica, illis adesse nullum est peccatum; si obscœna, si impudica, si bonis moribus noxia, ab illis omnino abstinendum: & sciant, & pro comperto habeant, hodierna Theatra nec pudica, nec honesta haberi, sed omnia plus, minusve impudica esse, turpia, obscœna, bonis moribus infensa, concupiscentiam allicientia, & passiones moventia; quamobrem ab omnibus omnino abstinendum, nec unquam Sacramentorum frequentiam cum Theatrorum frequentatione conjungendam; nec unquam concedendum, eos qui mane ad Eucharistiam accedunt, vespere in Theatro sedere.

XVI. Quod si Laicis illicitum est vel in Theatris agere, vel in illis assidere; multo magis hoc illicitum est Clericis, tum secularibus, tum Regularibus. Hoc luculenter probat, & ostendit Sapientissimus Pontifex Bened. XIV. in suo Opere de Synodo lib. 7. c. 10. n. 11. & in suis Instir. 37. & 76. ubi Sacrorum Canonum statuta refert; Laodiceni an. 372. celebrati, & in jure Canonico relati cap. 54. de Consecrat dist. 5. can. 37. statuentis: „ Non oportet Ministros „ Altaris, vel quoslibet Clericos spectaculis aliquibus, quæ in nuptiis, „ aut scenis exhibentur, interesse; sed „ antequam thymelici ingrediantur, surgere eos de convivio, & abire ". Synodi Veneticæ, & Agathensis relatæ a Gratiano dist. 34. can. 19. quæ statuunt: „ Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps quibus ducendi uxorem licentia non est, etiam „ alienarum nuptiarum evitent convi-

„ via;

„ via; nec his cœtibus misceantur, ubi „ amatoria cantantur, & turpia, aut „ obcœni motus corporum choreis, & „ saltibus efferuntur, ne auditus, aut „ obtutus Sacris Mysteriis deputa- „ tus, turpium spectaculorum, atque „ verborum contagione polluatur. Nam „ Ecclesiæ mens fuit, ut habetur in „ Can. *his igitur* dist. 23. hac lege Pa- „ trum cavere, ut a vulgari vita seclusi, „ a Mundi voluptatibus sese abstineant, „ non spectaculis, non pompis inter- „ sint". Et Sacra Congregatio præscri- bit Episcopis, ut vetent Clericis, ne choreas permittant fieri (& idem de spectaculis, & Comœdiis intelligendum) in suis Ædibus Canonicalibus, Parochia- libus, deputatis pro domicilio Benefi- ciati; & hoc, etiamsi talia fierent nomine consanguineorum ibidem secum habitantium. Quamobrem juremerito, ut nimis laxam, erroneam, & scanda- losam, rejicit doctrinam Lucii Ferrarii docentis: „ Si Comœdiæ audiantur ob „ solam vanam curiositatem absque pe- „ riculo probabili lapsus, etiamsi res „ turpes repræsententur, & modus re- „ præsentandi sit turpis, probabilius est „ non esse peccatum mortale, cessante „ scandalo; quod modo videtur cessas- „ se, & non esse, quia frequentissimum „ est Clericis Comœdiis interesse". Et revera, si juxta Apostolum 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, qui se probavit*; quanto magis non se im- plicare debent spectaculis profanis The- atralibus? Quod adeo justum agnovit & ipse Julianus Apostata, ut Arsacio su premo Deorum Pontifici scripserit, que- madmodum habetur apud Sozomenum Hist. Eccl. lib. 5. c. 16. „ Sacerdotes „ hortare, ut neque ad Theatrum ac- „ cedant, neque in Tabernis bibant, „ nec artificio, & operi alicui turpi, & „ probroso præsint, & qui in his rebus „ morem gerunt, eis honorem tribuito; „ qui autem resistunt, expellito". His addendum scandalum, quod secularibus exhibent, dum eos in pulpitis theatri- cis assidere vident, qui contra theatra declamare deberent, & christianam ple- bem arcere. Quare optime docet Car- dinalis Cajetanus 2. 2. q. 167. a. 2. ad 2. „ Quoniam communiter, qui inter- „ sunt hujusmodi spectaculis, delecta- „ tionis causa adsunt; ideo si indecen- „ tia sint (multo magis si turpia, si „ obscœna) quæ repræsentantur, non „ excusantur a peccato videntes, dato „ quod in veritate sola eos repræsenta- „ tio delectaret. Et ratio est, quia „ saltem dant exteriori actu operam rei „ illicitæ, scilicet delectabili præsen- „ tia de indecentibus. Præsentia siqui- „ dem illa exterior suapte natura com- „ muniter fit ad delectandum animum, „ non de sola repræsentatione, sed & „ de repræsentatis, ut patet. Præter „ hoc autem gravius peccant viri gra- „ ves ratione scandali, & mali exem- „ pli. Gravissime autem Clerici, Reli- „ giosi Sacerdotes, aut Pontifices si in „ hoc delinquerent".

XVI. Non licet Regularibus, nec in proprio Cœnobio, religiosis depositis, vel occultatis vestibus eas Comœdias, Tragœdias, Dramata repræsentare, quæ in publicis exhibentur Theatris, vel il- lis similia; idemque dicendum de Mo- nialibus. Hanc quæstionem agitat Pon- tasius Tom. 1. V. Comœdia, Cas. 4. cum hac etiam limitatione, nimirum, quod opus theatrale sit sacrum, & pium; & statuit hujusmodi Religiosos a gra- vi peccato minime censendos immu- nes.

nes. Et 1. quidem ob temerariam habitus depositionem: nam quamvis habitus religiosi spoliatio non semper illicita sit, temeraria tamen dimissio, vel occultatio semper est vitiosa. Spoliatio autem habetur, quando Religiosus vestem deponit justa aliqua de causa, videlicet, ut dormiat, laboret, grave vitæ periculum evitet, vel caritatis officium erga proximum exerceat. Temeraria vero dicitur dimissio, quando fit absque ulla justa, rationabilique causa, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 53. art. 3. ad 2. *Illa dicuntur temere fieri, quæ ratione non reguntur*. Porro temerarium pronunciat Pontasius hanc dimissionem, cum non liceat Religiosis nec brevi tempore habitum religiosum deponere ob aliquam delectationem, etiam licitam, qualis esset lusus pilæ; & multo minus liceat, ut theatralem induant vestem, quæ propria non est nisi Mimorum, quos Ecclesia anathemate ferit. Longe autem turpius esset, si vestem muliebrem assumeret, cum juxta S. Thom. *vitiosum sit, quod mulier utatur veste virili, & e converso; nec excusari possit*, ut subdit Angelicus, *nisi ob aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliud hujusmodi*. 2. Quia hujusmodi oblectatio, cum suapte natura, & ex suis circumstantiis omninò mundana sit, & ex iis, quibus fruuntur seculares, nulla ratione convenire potest Religiosis, qui propter sui status sanctitatem debent esse quammaxime alieni a moribus, & usibus mundi. Cui rationi addendum, quod si argumentum theatrale esset profanum, amatorium, vel tragicum, cujusmodi sunt, quæ in Theatris exhibentur, omnia illa urgerent argumenta, quæ superius contra Theatra exhibuimus: tunc enim Religiosi recitantes eos animo affectus vel amoris, vel odii, vel vindictæ concipere deberent, ut eos vividius repræsentare possent: unde si amatorii sint, castitas multum periclitaretur; & si alterius generis, passiones, quas moderari debent Religiosi, in se ipsis excitarent. 3. Pontasii argumentum est scandalum secularium, qui vel hujusmodi spectaculis intersunt, vel sciunt exhiberi: quod sane scandalum grave putat, etiam dum argumentum sacrum est; & multo magis augetur, si profanum, & theatrale, & comicum. Quamobrem seculares inde arguunt, licere sibi theatris adesse, cum & Religiosi theatra habeant; vel pravam concipiunt de Religiosis opinionem, eosque contemptui habent. Hisce argumentis plura alia, & quidem non minoris roboris, addit Concina de Spectaculis Theatr. Diss. 2. cap. 2. nimirum violatio voti paupertatis, cum plura expendantur in Theatrorum constructione, in vestibus comparandis, in theatri apparatu, in luminibus. Contra votum obedientiæ, nam vel ista fiunt invitis Prælatis, & Superioribus, qui solum ad majora vitanda mala id permittunt; & tunc inobedientiæ crimine polluuntur subditi talia agentes; vel consentiunt, & tunc & Superiores, & subditi Regulis, & Canonibus inobedientes fiunt hæc vetantibus. His addenda temporis pessundatio in comœdiis addiscendis, & ad experimentum primum, deinde ad spectaculum pluries recitandis; impedimenta, quæ afferunt ad disciplinæ Monasticæ exercitia, ad recitationem Officii in choro, ad sacram meditationem, & lectionem, ad sua studia excolenda. Quid denique in-

indignum magis Religioso viro per plures noctis horas Comœdum agere, profana e scena recitare; & in crastinum postea vel ad sacram Communionem, vel ad Sacrificium Missæ celebrandum accedere? Hæc sunt, quæ Pontasius, & Concina proferunt ad positæ doctrinæ confirmationem. Quibus consentit Jacobus de Graffiis Decis. aur. par. 1. lib. 3. cap. 5. n. 77. scribens: „ Religiosos dimittendo habitum, vel occultando propter ludum larvarum, „ etiam intra Monasterium, peccat „ mortaliter; ut si veste feminea utatur, vel alia, quæ causa est lasciviæ „ .... Tum etiam ob multa inconvenientia, atque mortalia, quæ evenire solent auxiliantibus ad induendum tali feminea veste, ac dum a „ mulieribus mutuo accipiuntur, & ex „ inspectione ludorum, atque ex verbis scurrilibus provocantibus ad levitatem, nec non ex memoria prætetitorum .... Tum etiam propter „ scandalum evitandum, quod, etsi „ talis ludus exerceatur in Monasterio, „ tamen semper adsunt & laici, qui „ scandalizantur .... & quamvis desint laici, semper tamen sunt viri „ religiosi timentes Deum, qui scandalizantur. Quare ad tollendum hoc „ scandalum debet omne quod potest, „ dimitti, exceptis tribus veritatibus „ vitæ, justitiæ, & doctrinæ “. Cum autem hæc argumenta & de Virginibus urgeant in Monasterio Deo dicatis, & illis quoque censendum interdictam esse Comœdiarum repræsentationem; licet fiat fortassis per seculares puellas in Cœnobio ad educationem degentes, quod profecto non sine magno scandalo fieret. Unde Coloniense Concilium ann. 1549. optime statuit: „ Spectacula, „ etiamsi de rebus sacris, & piis exhibeantur, parum tamen boni, mali „ vero plurimum relinquere in sanctimonialium mentibus possunt, gestus „ externos spectantibus, & mirantibus „ ... Ideo vetamus, & prohibemus, „ posthac vel Comœdos admitti in Virginum Monasteria, vel Virgines comœdias spectare “. Hoc idem proportione servata dicendum de Clericis in Seminariis, vel Collegiis ad educationem collectis; cum eorum statum dedeceat Comœdos agere, vel Theatris interesse. De laicis vero adolescentibus in Collegiis degentibus dicemus in Corollariis.

CAPUT SEPTIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Non licet Clericis, & Religiosis spectaculis adesse.*

II. *Nec choreas habere, vel ipsis interesse.*

III. *Peccant lethaliter Regulares, qui larvas, seu personam assumunt, ut spectaculis liberius adsint.*

IV. *Quando illicitum non sit adolescentibus in Collegiis repræsentationes exhibere.*

V. *Histriones absolvi non possunt, nisi artem scenicam dimittant.*

VI. *Qui Theatris intersunt, a lethali peccato non excusantur.*

VII. *Num quis necessitate cogente possit theatricis adesse spectaculis absque culpa.*

VIII. *Vitiosum est, si mulier, vel vir vestimentum suo sexui congruum mutet; & aliquando hæc mutatio lethale peccatum esse potest.*

IX. *Spectaculis & theatris adesse diebus festis culpam auget.*

X. *Justissime Pastores, & Parochi vetant, & prohibent Rusticis choreas habere. Reflexio.*

CON-

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. NON licet Clericis, & Religiosis spectaculis profanis publicis, etiam non theatricis, interesse. Patet hujus consectarii veritas ex iis, quæ superius attulimus, Decretis, & sacris Canonibus; quippe quia in illis non Theatrorum sola spectacula proibentur, sed cujuscumque generis, ut ea expendenti patebit, quibus, hic nonnulla addere placet. Can. non Ministros de Consecr. dist. 4. dicitur: „ Non decet „ Ministros Altaris, vel quoslibet Clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in „ nuptiis, vel scenis exhibentur, interesse ". Concil. Trull. can. 24. „ Ne cui liceat eorum, qui in Sacerdotali Ordine numerantur, vel Monachorum, in equorum curriculis subsistere, vel scenicos ludos sustinere. „ Sed etsi quis Clericus ad nuptias vocetur, quando ad deceptionem comparata ludrica ingressa fuerint, surgat, & discedat ". Concil. Cabilonen. ann. 813. statuit: „ Ab omnibus oculorum, auriumque illecebris Sacerdotes abstinere debent, & histrionum, „ seu scurrarum, & turpium, seu obscœnorum jocorum insolentiam fugere". Concil. Turonens. VIII. in Capitularibus Regum Francor. insertum, statuit: „ Ab omnibus, quæcumque ad aurium „ & oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, quod de aliquibus generibus „ musicorum, aliisque nonnullis rebus „ sentiri potest, Dei Sacerdotes abstinere debent; quia per aurium, oculorumque illecebras turba vitiorum ad „ animum ingredi solet ". Et revera offensioni sunt populo Christiano Religiosi, & Clerici, cum spectaculis adesse cernuntur; & eos vel contemptui habent, vel magis in suis vanitatibus horum exemplis confirmantur.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Choreas promiscuas agere, in illis musicum instrumentum pulsare, vel illis adesse est specialiter Clericis, tum secularibus, tum regularibus interdictum; adeo ut raro a culpa lethali excusari possint. Innumera pene sunt Concilia, quibus Clericis interdicitur choreis adesse, sive cumulatim cum aliis spectaculis, sive speciatim. Concilium Mediolanense P. 2. tit. 25. statuit: „ Clerici choreas privatas, aut publicas „ non agent, nec spectabunt ". Concil. Bituricens. tit. 25. can. 6. „ Clerici . . . a choreis, ac saltationibus „ agendis, aut spectandis abstineant ". Concilium Narbonense cap. 61. indicit: „ quod in populo veniale est, in Sacerdotibus judicatur sacrilegium. Ideo „ ut monemus periculum, ita Clericis „ districte choreas quacumque ex causa „ ducere, aut illis interesse prohibemus ". S. Franciscus Salesius (ut „ refertur lib. de Synodo lib. 11. cap. 10. n. 11.) in suis Synodalibus Constitutionibus P. 3. tit. 4. ipso facto a Divinis suspensos voluit Sacerdotes, eo sceleris devenientes, ut choreas nedum spectare, sed & ducere auderent. Ben. XIV. dum Bononiensem Episcopatum tenebat, Decreto, & dupl. Instruct. 37. & 76. choreas Clericis prohibuit, & qui eas antea habuerant, severissime punivit. Nullaque pene est Diœcesana Synodus in ita tota Italia, in quibus choreæ Clericis districte non prohibeantur sub pœna suspensionis vel latæ, vel ferendæ sententiæ, sive primo, sive tertio choreas egerint, aut illis interfuerint. Et jure meritoque: si enim seculares vix a lethali peccato excusantur,

tur, si choreas habeant, quanto magis id in Clerico, & Religioso damnandum est, cum & scandalum accedat, quo in pravo, & vitioso actu confirmantur seculares?

Consectarium Tertium.

III. Peccant lethaliter Monachi, & Regulares, qui Religionis habitu dimisso, vel occultato larvam, seu personam induunt, ut extra Monasterium liberius vagentur, & spectaculis intersint; & insuper excommunicatione innodantur. De Monachis, & Regularibus sermonem instituo: nam de Clericis secularibus agam in Tract. de Sacramento Ordinis. Hanc quæstionem fuse, & more suo docte & nervose tractat Daniel Concina, primum peculiari dissert. sub adscititio nomine Caroli Plantamura, postea in Appendice operis de Spectaculis Theatralibus, ex quo nonnulla delibabo. Et 1. quidem hic sermo est, non de quacumque habitus dimissione ad jocum intra claustra, vel ex justa causa etiam extra Cœnobium; sed de illa, quæ ideo fit, ut assumpta larva liberius Religiosus per urbem vagari possit, theatra, & spectacula adire. Quo posito Consectarii veritas sic invicte probatur. Nam ut docet S. Thom. 2. 2. qu. 186. art. 7. „ Determinatio „ habitus pertinet ad omnia tria vota, „ tanquam signum obligationis. Unde „ habitus Regularis simul datur, vel „ benedicitur cum professione ". Quibus verbis indicat D. A. gestationem habitus religiosi, tanquam signum, ad substantiam status religiosi, pertinere. Nam ut optime notat Jacobus de Graffiis Decis. aur. P. 2. lib. 3. cap. 18. „ Delatio habitus est de substantia Mo„ nachatus; igitur, quando dicitur, „ quod habitus est de accidentalibus, „ & quod non facit Monachum, intel„ ligitur dumtaxat; sed professio, idest „ habitus professionis, qui habet votum „ continentiæ annexum, facit Mona„ chum; & per consequens est de sub„ stantia Monachatus ". Quamobrem S. Antoninus 3. P. tit. 24. cap. 53. non est veritus asserere: „ adeo habitus „ est annexus ossibus Monachorum, „ quod in quibuscumque locis existentes „ constanter eo uti debeant ". Hinc factum est, quod Theologi omnes unanimi consensu doceant, Regulares gravissimo obstringi præcepto suæ Religionis ad habitum, dum in publicum prodeunt, patenter deferendum. Jure igitur naturali ex solemni religiosi status professione tenentur Regulares ita sui status insignia deferre, ut, si dimittant, censeantur statum suum ementiri. Accedit, lege quoque, & Decretis Ecclesiæ hoc præceptum urgeri. Nam in Clement. *Quoniam* de vit. & honest. Cleric. sancitum legitur: „ Quoniam „ qui abjectis vestibus, proprio con„ gruentibus Ordini, alias assumere, „ & in publico portare, rationabili „ cessante causa, præsumit, professo„ rum illius Ordinis prerogativa se red„ dit indignum, præsenti Constitutione „ sancimus &c. " pœnas videlicet non deferentibus habitum, non perceptionis fructuum beneficiorum, inhabilitatis ad baneficia obtinenda, & alias imponendas. Quod iterum confirmatur Clement. ne in agro de Statu Monachorum. Istis universalibus Decretis adduntur cujuscumque Religionis statuta, quibus hoc idem sub gravi culpa præcipitur: In Const. O. PP. hæc habentur Distinct. 1. cap. 14. text. 2. lit. E. „ Religiosus habitum suæ Reli„ gionis, cum procedit in publicum, „ non deferens, vel absque legitima

cau-

,, causa occultans, agit contra votum ,, obedientiæ, & moraliter peccat ". Et iterum cap. 20. ,, Quilibet Religio- ,, sus tenetur deferre patenter habitum ,, suæ Religionis, cum procedit in pu- ,, blicum: quicumque autem suæ Reli- ,, gionis habitum temere dimiserit, ,, peccat mortaliter, & est excommu- ,, nicatus de jure Cap. ut periculose". Quod & de aliis Regularium Ordinibus dicendum est. Porro qui habitum dimittit, ut larvam assumat, profecto, & temere dimittit, & occultat. Ergo lethaliter peccat. Porro quis dicet, temerariam non esse habitus dimissionem, & occultationem causa incedendi cum larva, & theatra, ac spectacula adeundi? Ita certe docent & benigniores Theologi. Summa Armilla V. *Larva*. ,, Uti larvis secundum se modo debito, ,, pro loco, & tempore, non est pec- ,, catum .... esset tamen peccatum, ,, si fieret a personis Religiosis, maxime ,, cum depositione, vel occultatione ,, habitus, procedendo in publicum". ,, Sayrus lib. 11. cap. 12. n. 4. ,, Cle- ,, ricis omnibus interdictus est lusus ,, larvalis, quem exercent personati, ,, sub peccato mortali; quia non pos- ,, sunt habitum mutare sine causa ra- ,, tionabili". Candidus Betignolus Spec. Clericor. tr. 3. cap. 6. Resol. 8. ,, Veruntamen hujusmodi habitus di- ,, missio temeraria quandoque est pec- ,, catum mortale, cum scilicet fit cum ,, scandalo aliorum, vel cum vagatione, ,, vel ex turpi causa furandi, choreas ,, ducendi cum secularibus, larvis eundi ,, extra Claustrum". Cajet. Summa V. *Ludus*. ,, Clericis etiam, & Religiosis ,, omnis ludus cum armis, ludus hi- ,, strionalis, saltationes choreæ in pu- ,, blico, ludus larvarum .... in jure ,, prohibetur; ita ut contrafacientes le- ,, thaliter peccent". Denique Clericatus P. 4. Discord. Forens. Disc. 43. omni argumentorum genere hanc veritatem confirmat, nimirum & ex occultatione, sive demissione habitus Religiosi, & ex periculo labendi in peccatum, & ex scandalo laicis dato, & denique ex plurium Theologorum doctrina, quos fuse allegat, nimirum Salmaticensium Tr. 15. de Statu Relig. cap. 5. Suarez tr. de Censur. disp. 23. sent. 4. a. 3. Bonacinæ Tom. 1. q. 2. p. 2. n. 1. Pellizarii, Bordoni, Baldelli, quibus & plurium Canonistarum adjungit auctoritatem.

Immo non solum lethaliter ipsos peccare, sed & excommunicatione ligari affirmat idem Clericatus cum pluribus, immo fere omnibus Theologis, & Canonistis, a jure lata Sexto Decretal. tit. 23. cap. ,, Ut periculosa Religiosis ,, vagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cetero ali- ,, quis, quamcumque Religionem taci- ,, te, vel expresse professus, in scho- ,, lis, vel alibi habitum suæ Religionis ,, dimittat ... Si quis tamen temera- ,, rius violator extiterit, excommuni- ,, cationis incurrat sententiam". Ita docet Bordonus var. Resol. resol. 35. n. 1. ,, Religiosus incedens larvatus ,, habitu deposito incidere in excom- ,, municationem non reservatam Papæ". Cassianus a S. Elia Tom. 4. V. *Larva*. ,, Religiosi, si extra Monasterium ince- ,, dant larvati, magis, quam Clerici, ,, peccant, etiam cessante scandalo, & ,, quavis mala circumstantia; cum lar- ,, va repugnet habitui, & statui Reli- ,, gioso, maxime quia incurrunt excom- ,, municationem Cap. *ut periculosa*". Megalius P. 3. lib. 4. cap. 6. n. 53. ,, ,, Ex quibus infertur, quid sit dicen- ,, dum de Regularibus, incedentibus

lar-

„ larvatis tempore Bacchanalium, tam „ sive habitum dimittant, sive occultum tunc deferant, semper sunt excommunicati; cum sic incedant, ut „ liberius vagari possint". S. Antoninus P. 3. tit. 16. cap. 6. „ Si Monachi utantur habitu Clericorum secularium, ut non appareant Monachi, „ de hoc erubescentes, vel ut non cognoscantur propter vanitatem, non „ evadunt peccatum mortale, & censuram excommunicationis". Hac tamen excommunicatione non ligari puto Religiosos, licet lethaliter peccent, quando in proprio Cœnobio habitum Religionis vel occultant, vel dimittunt, ut Comœdias, Tragœdiasque repræsentent, auctoritate, & ratione permotus Passerini Tom. 3. de Stat. q. 189. n. 323. scribentis: „ Dicitur vero secundo, dimissionem habitus intra Claustra non comprehendi sub hoc canone. Et ratio est, quia hæc non est „ occasio vagandi: intentio vero Pontificis fuit, subtrahere a Religiosis „ occasionem vagandi, ut patet ex verbis textus".

Consectarium Quartum.

IV. Adolescentibus in Collegiis enutritis Comœdias, & Tragœdias repræsentare illicitum non est, si tamen eæ adhibeantur Regulæ, quæ pro Collegiis Societatis Jesu præstitutæ leguntur in lib. de R. Stud. tit. de Reg. Rect. art. 13. Nimirum 1. ut nonnisi latino idiomate recitentur. 2. Ut non nisi rarissime habeantur. 3. Ut earum argumentum sacrum sit, & pium. 4. Ut, quæ interseruntur, & intermedia dicuntur, pariter latina sint, nihilque contineant, quod modestiam lædat. 5. Ut nullius feminæ persona repræsentetur. 6. Denique ut feminea veste non induantur. „ Tragœdiarum & Comœdiarum, quas „ latinas, & rarissimas esse oportet, „ argumentum sacrum sit, ac pium, „ nec quidquam actibus interponatur, „ quod non latinum sit, & decorum, „ nec persona ulla muliebris, vel habitus introducatur". Ita sapientissime constitutum, a quo si non recedatur, nullus erit, qui eas audeat repræsentationes improbare. E contra vero si Comœdiæ, & Tragœdiæ recitentur, quæ in publicis Theatris exhibentur, si feminæ repræsententur, & feminea induatur vestis, ad adolescentum innocentiam labefactandam quammaxime conducere valent; ac proinde non leviter peccare possunt & qui præsunt, & qui recitant.

Consectarium Quintum.

V. Mimi, & Mimæ, Histriones, & similes, qui Theatra conscendunt, ut Comœdias repræsentent, ac Tragœdias, sunt in statu peccati lethalis, nec absolvi possunt, nisi eam deserant artem, & professionem turpissimam. Hujus Consectarii veritas ex his, quæ superius diximus de turpitudine, & malitia a Theatris inseparabili, sponte consequitur. Histriones enim, Mimi, & Mimæ ii præsertim sunt, qui voce, gestu, habitu, cantu; saltationibus animos adstantium movent, passione ciedt, concupiscentiam excitant. Hi sunt, qui vel apertis obscœnisque verbis, vel opertis quidem, sed quæ (ut inquit Clar. Vulpius) sub specie venustatis, elegantiæ, leporis, incautos fallunt, & sunt insidiarum plena, veneni, ac pestilentiæ, moribus perniciem inferunt. „ Hodie comparent in scena (scribit P. „ Hieronymus Florentinus Lucensis in „ suo Opere *Theatri contra Theatrum*) „ veræ mulieres comptæ, calamistra-

„ tæ , lascivientes , ut plurimum forni-
„ cariæ (honestæ enim vix scenam
„ ascendunt) hæ verbis lenocinanti-
„ bus plures captivos efficiunt ". Hi
„ denique sunt, qui efficiunt, saltem ma-
„ xima ex parte , ut Theatra nil aliud
„ sint , quemadmodum scribit P. Ma-
„ riana Tract. de Spectaculis c. 1. quam
„ officina impudicitiæ , & improbita-
„ tis , ubi omnis ætatis , sexus , &
„ conditionis homines depravantur ,
„ simulatisque & ludicris actionibus ad
„ vitia vera informantur ". Porro quis inficiabitur , hoc genus hominum non esse in continuo habitu peccati lethalis; nec esse ad Sacramenta suscipienda admittendos , nisi ita resipiscant , ut theatricæ arti omnino abrenuntient ? Quamobrem Concilia, & Patres Histriones, Mimos , Pantomimos ab Ecclesiastica Communione repulere. Concilium Illiberitanum can. 62. statuit: „ Si Pan-
„ tomini credere voluerint, placuit, ut
„ prius artibus suis renuntient , &
„ tunc demum suscipiantur , ita ut ad
„ eas ulterius non revertantur . Quod si
„ facere contra interdictum tentaverint,
„ projiciantur ab Ecclesia ". Et can.
„ 67. „ Prohibitum est, ne quæ fidelis,
„ vel Catechumena aut comicos , aut
„ viros scenicos habeat . Quæcunque
„ hoc fecerit, a communione arceatur.
„ Concilium Arelatense: De Theatricis
„ ipsis placuit, quamdiu agunt , a com-
„ munione separari ". In Rituali Parisiensi universim statuitur: „ Arcendi sunt
„ a communione manifeste infames , ut
„ Meretrices , Concubinarii, Comœdi ". Joannes Salisburgensis in suo lib. 1. de Aulæ vanitatibus cap. 8. scribit : „ Jure
„ quidem communionis gratiam histrio-
„ nibus , & mimis , dum in malitia
„ perseverant , ex auctoritate Patrum
„ non ambigis esse præclusam ". Immo novissime Synodus Telonensis 1704. docet , & statuit : „ Cœtus christiano-
„ rum corpus mysticum dicitur , cujus
„ Christus caput est , & Spiritus S. ani-
„ ma , & forma . Igitur qui defendit
„ Comœdiarum occupationem dignam
„ esse christiana professione , conse-
„ quenter docet Christum in iisdem sibi
„ complacere , Sanctumque Spiritum ad
„ exercitia isthæc christianos dirigere ,
„ quod blasphemiam redolet , quam
„ nemo vel eorum , qui imprudenter
„ ludos theatrales extollunt , proferre
„ ausit ". Propterea Comœdorum & Histrionum professio infamis , & criminosa habetur vi omnium legum , ut testatur Tertull. de Spect. cap. 22. qui false ob hoc Ethnicos deridet, scribens:
„ Ipsi Auctores , & administratores spe-
„ ctaculorum scenicos . . . . damnant
„ ignominia, & capitis minutione , ar-
„ centes Curia , Rostris , Senatu , Equi-
„ te , ceterisque honoribus simul , &
„ ornamentis . Quibus quanta perver-
„ sitas ? Amant , quos mulctant , de-
„ pretiant , quos probant . Artem ma-
„ gnificant , artifices notant . Quale
„ judicium est , ut ob ea quis offusce-
„ tur , per quæ promeretur " ? S.Thomas ipse histriones inter infames illos enumerat , qui turpi causa lucrum sibi acquirunt , & cum meretricibus comparat , scribens 2. 2. q. 87. a. 2. ad 2. *Quædam vero dicuntur male acquisita , quia acquiruntur ex turpi causa , sicut de meretricio & histrionatu*, & aliis hujusmodi. Quid, quod & modo communiter Theologi , & Canonistæ Histriones , Comœdos, scenicos inter infames enumerant? Unum profero Lucium Ferrari , qui profecto Comœdiis infensus non est , quippe qui , ut vidimus superius , Clericos obscenis , & turpibus Comœdiis adstantes a lethali peccato excusat : hic

ita-

itaque V. *Infamiis* n. 11. absolute pronuntiat: „ Infames sunt artem aliquam „ vilem, abjectam, ignominiosam profitentes, & publice exercentes . . . „ quales sunt *Mimi*, *Scenici*, *Comœdi*, „ *Histriones*, *Joculatores* &c. " Quod confirmat auctoritate sua longe præstantiori Jacobus Pignatellus Conf. 153. scribens n. 139. „ Histrio infamis est, ad „ Ecclesiæ communionem non admittitur ".

Nec huic adversatur veritati D. Ang. dum 2. 2. q. 168. a. 3. ad 3. scribit: *Officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum, nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur*. Nam ut egregie animadvertit Clar. Bossuetus, ibi histrionum nomine non scenicos, non comœdos designat, sed joculatores, qui cantu, vel sono in privatis domibus, vel si lubet, etiam publice, populum detinebant, & non in theatris, sed in plateis canebant, & tibiis inflatis aures mulcebant; ut patet ex ipso tertio argumento, cui respondet, ubi exemplum adducit cujusdam non histrionis, non comœdi, non scenici, sed tibicinæ, sive symphoniaci, quem sibi in sanctitate parem esse revelatum fuerat Paphnutio Anachoretæ. Concludamus ergo cum Aloysio Turriano in Summa Theol. Moral. cap. 285. n. 5. „ Histriones hujus temporis sunt „ in statu peccati mortalis, neque possunt absolvi, quando habent animum „ perseverandi.

Consectarium Sextum.

VI. Qui Theatralibus spectaculis intersunt, eaque frequentant, licet hoc faciant solius oblectationis, & solatii causa, &, ut ipsi arbitrantur, & dicunt, omnino innoxie, adhuc a lethali peccato non excusantur. Ita docet Pignatellus, immo & late probat in laud. consult. 153. scribens: „ Inspectores „ Comœdiarum, quæ a venalibus hisce „ histrionibus fiunt, in quibus tum viri, tum mulieres in scenam prodeunt, „ & de amoribus, & lascivis rebus „ colloquuntur . . . non peccare mortaliter, est propositio Christiano homine indigna, nedum Theologo, „ Reipublicæ maxime perniciosa, Patrum doctrinæ directe opposita, Theologorum omnium, & Scholasticorum „ placitis minime consentanea. Contra „ vero hæc: Comœdiarum nostri temporis conspectores mortali peccato „ illigari, tum ratione scandali, tum „ ratione periculi, tum vi cooperationis est propositio tutissima, Summorum Pontificum responsis, Conciliorum, & Canonum oraculis egregie „ consona, Patrum sententiis, Scholasticorum doctrinis omnino consentiens, & vera ". Quam veritatem luculentissime evincendam sibi sumpsit P. Cæsar Franciotti Congreg. M. D. in opere Italico de Institut. Juvenis Christiani cap. 15. ubi 1. rationem reddit, cur talem susceperit laborem, scribens: „ Et primo quod videam homines reperiri adeo Christiano lumine destitutos, „ ut hujusmodi obscœnitates licitum, „ honestumque Juvenum solatium reputent . . . 2. Quorumdam piorum hominum vota, qui in communi sermone rationes obtrudi audiunt, quæ honestas, licitasque Comœdias ostendere „ videntur, & habere in promptu vellent, quid respondendum contrariæ „ opinionis patronis, quidque pro veritatis defensione opponendum sit. „ 3. Utilitas, quam ex profectu Juvenum, quorum plurimi ex Comœdiarum præstigiis extremam subeunt jactu-

„ ctuam, reportare confido ". Et prosequitur ipse omni argumentorum genere ostendens, Comœdiarum inspectores peccare lethaliter ratione occasionis, cooperationis; & scandali. Horum Auctorum, & præcipue Pignatelli argumenta latius ab ipso proposita compendiose proferam.

Et quidem 1. peccare ratione scandali ostendit Pignatellus. „ Scandalum „ (scribit) est dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ, estque mortale peccatum, etiamsi „ gravis ruinæ alterius sit causa per accidens, tunc videlicet cum contemnit quis salutem proximi, & pro „ ea conservanda non prætermittit, „ quod sibi libuerit: ita omnino, & „ expressis verbis D. Th. 2. 2. q. 43. „ a. 1. & 4. Non ergo licet alicui aliquid agere, quod alii illo proclivio- „ res, si suo exemplo facerent, peccarent. Peccant ergo mortaliter, qui „ Comœdias adeunt, & ii, quibus nulla est periculi ratio, quando ipsorum „ auctoritate, vel exemplo alii illas „ frequentant ". Suam doctrinam auctoritate Chrysostomi confirmat, ejus verba juxta antiquiorem versionem citans, quæ ego recentiori dabo hom. 38. alias 39. in Matth. circa finem. „ Quid „ ergo, si ostendam, inquis, nihil damni ex hac frequentia emergere? „ Certe vel hoc ipsum damnum est, „ sine causa, ac temere tempus insumere, & aliis offendiculo esse. Nam „ si tu damnum non patiaris, alium „ hujus spectaculi studiosiorem reddis. „ Quomodo autem damnum non patiaris, qui præbes in spectaculis occasionem? Nam præstigiator, corruptus puer, fornicaria mulier, omnesque illi diabolici chori in caput „ tuum causam spectaculorum regerunt. „ Quemadmodum enim, si spectatores „ non essent, nec essent, qui hujusmodi ludos exhiberent. Sic, quia spectatores sunt, & ipsi gestorum ignem „ patiuntur. Itaque *licet sine castitatis dispendio* id ageres, id, quod certo „ fieri nequit, aliorum tamen perniciei „ graves dabis pœnas, sive spectantium, sive spectacula adeuntium ". Deinde expendit doctissimus vir, quinam potissimum ratione scandali peccent, & primo statuit: „ Singulos peccare, qui concursu suo etiam alios advocant. 2. Gravius præcipuos viros, „ Senes, & Patres-familias, eosque, „ qui auctoritate in Republica pollent, „ qui si non adirent, plerique illos „ erubescerent, minusque decorum putarent; quod contra accidit ob solam „ nobilium, ac senum præsentiam. 3. „ Gravissime peccare Clericos, ac Religiosos. Nec audiendum (subdit) „ Neotericum asserentem, non erubescendum Clericis, nec scandalum „ parere secularibus. Nam quam falso „ id asserat, petendum non a Summis „ Pontificibus, non a Conciliorum Decretis, non a PP. sententiis, non a „ Scholasticorum doctrinis, sed ab ipsa „ insaniente in spectaculis multitudine. „ Clamabunt protinus, quod ipsis Clericis displicebit, surgens, qui de „ seculo sunt, in judicio, a quibus „ Christianam dejicere modestiam, verecundiam, honestatem.

Pergit ostendere eos peccare ratione periculi, & proximæ occasionis peccandi, cui ultro se ingerunt. „ Proxima enim (scribit) occasio est spectaculum, scenæ, orchestræ, ubi „ amores, & choreæ celebrantur. Ubi „ exhibentur Poetarum fabulæ, tricæ „ amatoriæ, & actus intermedii scurriles habentur. Ubi Mimi, & Mimæ

„ fornicario cantu, meretricia musica, „ choreis, motibus, saltationibus ad „ numerum, & gestibus procacibus, & „ ardentem amorem exhibentibus, „ passionem, concupiscentiam titillant, „ eamque suscitant, irritant, & mi- „ rum in modum inflammant, ut & „ in hodiernis Comœdiis videre con- „ tingit. Porro hisce interesse, assidere, „ re, plaudere, omnibus est occasio „ proxima peccandi, & proinde ab „ omnibus vitanda; quod ostendit hac „ ineluctabili ratione. Ubi plurimi, „ & ut plurimum corruunt, ea asseren- „ da cuique proxima occasio, in qua „ potior pars multitudinis pluries of- „ fendit. Nec refert, quod is non „ offendat. Peccat ergo mortaliter „ quilibet, qui ei multitudini se mi- „ scet, quæ ut plurimum peccat, licet „ ipse in illud idem crimen interdum „ non incidat . . . nunquam enim tam „ securus adstabit quis, ut minime ti- „ mere debeat, quando plures, & po- „ tior pars omnino labitur, cum præ- „ terea quis sit miser, & infelix, hoc „ est lethali crimine adstrictus ob solum „ impiorum voluntarium consortium; „ peccandi enim societas proxima pec- „ candi occasio est". Quod confirmat Tertulliani testimonio de spect. cap. 3. scribentis: „ Plane nusquam inveni- „ mus, quemadmodum aperte positum „ est, non occides, non idolum coles, „ non adulterium non furtum admit- „ tes, ita diserte definitum, non in „ circum ibis, non in Theatrum . . . „ sed invenimus ad hanc quoque spe- „ ciem pertinere illam primam vocem „ David: *Felix, qui non abiit inconci- „ lio impiorum, & in via peccatorum „ non stetit, & in cathedra pestium non „ sedit*.

Tertiò denique ostendit peccare lethaliter Theatrorum inspectores ratione cooperationis: quia nimirum (scribit) „ adstant voluntarie, & absque necessi- „ tate histrionibus mortaliter peccanti- „ bus, iis arrident, plaudunt, favent, „ & ut plurimum fovent auctoritate, „ pecunia, vel saltem præsentia, quod „ ipsis est cooperari. Mortaliter vero „ peccantibus cooperari, & in crimen „ quoquo pacto influere, lethale est. „ Quod dum adstant histrionibus, iisque „ favent, arrident, iisdem cooperen- „ tur, in eorumdem crimen influant, „ manifestum est. Nihil enim magis lo- „ quenti cooperatur, *quam audiens*. „ Quippe coram populo agit, a nemi- „ ne magis adjuvatur, & quodammodo „ vires in dicendo accipit, *quam ab „ auditoribus*, si ii præsertim plaudant, „ arrideant, nutibus faveant, aut sal- „ tem oculis intendant. Accipit, qui „ dicit, *ab Auditoribus* quodammodo „ verba, sales, sententias, quodque „ mirabilius est vires, & latera, & ut „ ita dicam, ingenium ex solo *adstan- „ tium obtutu*. Ad histriones in Thea- „ tro habent nedum verborum exce- „ ptores, sed etiam pecuniarum da- „ tores; atque adeo non tantum „ ab Auditorum aure, sed etiam „ *auro* vires accipiunt, dum loquun- „ tur, qui sine auro nec prodirent". Quod confirmat paritate spectantium ex industria Monomaches, qui ob solam inspectionem excommunicatione feriuntur. „ Pari ergo ratione (prose- „ quitur) convinceris, sive Duelli spe- „ ctator sis, sive histrionum, licet „ enim inspectio utrobique non intrin- „ sece mala, tamen quia utrique tunc „ Monomachi, tum histriones rem „ agunt intrinsece malam, hi præser-

tim

„ tim ob excessum in ludo, ob Dei „ contemptum, ob turpes gestus, & „ verba ad libidinem incitantia, quæ „ in ipsis nullo fine honestari possunt, „ cum dent aliis evidentem ruinæ cau„ sam, ideo utrique inspectione *quo„ dammodo cooperaris*, & utrobique le„ thaliter peccas “. Respondet deinde objicienti „ adhuc agerent in scœ„ na, licet singularis ego non adeam: „ non ergo me adeunte in scenam pro„ deunt, qui etiam me absente prodi„ rent (fundens): „ Verum id om„ nino respondere possent singuli Duel„ lorum inspectores, singuli tamen pec„ cant. Præterea cur histriones etiam „ a singulis pecuniam extorquent, si „ non a singulis foventur? Cur nemi„ nem ingredi sinunt, ni solvat, si a „ quolibet non sustentantur? ... *Pec„ cas, licet singularis adeas*, hoc est „ namque cum *currente fure concurrere*; „ ut ait Psaltes *& cum adulteris portio„ nem ponere*, & quod dixeram coope„ rari, dum adulteriorum magistros su„ stentas, dum meretriculas pascis, dum „ eorum peccatis, ac sceleribus indi„ viduus ades, & adis: cum fure con„ curris, dum Comœdos, immo ani„ marum comedones, ac voratores tuo „ enutris argento, cibas sanguine, rui„ na fulcis, sustentas periculo “. Quibus addendum testimonium SS. Augustini, & Thomæ. Hic 2. 2. q. 168. a. 2. ad 3. dicit: *Si quis superflue sua in tales consumant, vel etiam sustentant illos histriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccato foventes: unde Augustinus dicit* super Jo. tract. 100. Quod *donare res suas histrionibus vitium est immane, non virtus*.

Nonnulla denique sibi objicit argumenta, quæ in defensionem Theatrorum fere in omnium ore resonant. Nimirum 1. Legi possunt comœdiæ, licet turpes, & de amoribus colloquentes; cur ergo & non illis interesse? 2. Plures comœdiis intersunt bona fide, putantes nullum esse peccatum: quare imprudenter agunt, qui eos admonent, cum etiam post admonitionem adhuc a Theatris non abstinebunt. At ad 1. optime reponit, magnum esse discrimen inter comœdiæ lectionem, ejusque inspectionem, scribens: „ Scire aves, „ quid amplius scena habeat, ut quæ „ extra scenam vix mala, in ea sint „ pessima? Dicam statim. Gestus, vul„ tus, voces. Vidisti hominis cada„ ver? ... At qualis, si vivat. Pla„ ne idem, si lectionem, scripturam„ que cum scena conferas. In scena „ etiam voces ad voluptatem effusæ, „ jucundæ ad lætitiam, ad modestiam „ demissæ, ad metum flebiles, molli„ terque circumflexæ ad miserationem, „ ad iracundiam auctæ, crebroque in„ cidentes. In scena os, vultusque in „ ira ardens, in gaudio hilaris, in „ probris petulans, remissus in ludi„ cris ... In scena denique manus „ verborum comites, sive, ut melius „ dicam, verbi æque sæpe interpretes, „ quam argutæ, quam sapientes, im„ plentes verba, eorumque impetum, „ & vim, ut recte quispiam illas dixe„ rit orationis telum ... Quid, si ad „ hæc addas omnium membrorum fra„ ctionem ad lasciviam usque, pedum, „ cæterarum partium incessum, deni„ que ejusdem scenæ pompas, appara„ tus, vestes, personas, saltationes, „ chordarum modulationes, choreas? „ Et inquies, idem esse utrobique pe„ riculum, voluptatisque discrimen, „ sive legantur comœdiæ, sive audian„ tur “? Ad 2. vero reponit. „ Ea „ ignorantia a culpa excusat, quæ, ut

Thec-

„ Theologi ajunt, omnino invincibilis „ est, probabilis omnino, involuntaria, „ & qua tota actus malitia ignoratur „ . . . At quis comœdias ingreditur, „ qui saltem aliqualem malitiam illius „ actus non novit? Qui saltem non pu- „ tet id veniale? Peccant ergo omnes „ mortaliter, si peccatum mortale est „ illas adire, cum ignorent se peccare „ mortaliter. Præterea jam ubique ea, „ de re agitur, nemo de ea non dispu- „ tat, nemo non judicat. Confessarii „ opinionibus pugnant. Si concedunt, „ laudantur; improbantur, si negant. „ Sapientiæ titulus ab iis hoc uno emi- „ tur, si quis minime scrupulosior vi- „ deatur. Non justa igitur erit, neque „ innocens, neque probabilis ignoran- „ tia hæc, qua comœdiarum inspectores „ laborant, sed vere, ut Scholastici „ loquuntur, affectata. Quo etiam pla- „ num remanet, maxime ad Dei glo- „ riam, & animarum salutem condu- „ cere, singulos quoque admonere, ne- „ que ullum id admonenti crimen, li- „ cet admoniti faciant adhuc, & gra- „ vius peccent. Et egregie Ambros. ait „ ser. 83. Ego interdum parcens vobis „ tacere vellem, sed malo contumeliæ „ causas reddere, quam negligentiæ „ sustinere judicium ". Hæc omnia egregius ille vir, non rigorista, non de longinqua regione veniens, sed qui Romæ versatus est, qui in Curia vixit, qui rem serio expendit, cui proinde in omnibus libens subscribo, & a cujus doctrina nullum animarum curatorem recedere tuta conscientia posse arbitror.

Consectarium Septimum.

VII. Contingere ne unquam potest, ut quis Theatro adsit necessitate compulsus, quia ex. c. sic jubet maritus, sic postulat munus, quod penes Principem gerit, illum associandi, & similia? Difficilis sane quæstio, in qua si meum promam judicium, vereor, ne vel nimiæ arguar severitatis, si negem; vel, si concedam, contradictionis his, quæ hactenus dixi. Quid igitur duo sentiant docti Theologi, proferam, qui licet diversa sentire videantur, in idem tandem conveniunt. Primus itaque est Tournelii Continuator, qui Natalis Alexandri hanc doctrinæ partem, *vix absque peccato interesse spectaculis, & comœdiis christianus potest*, pene laxiorem videri pronuntiare non veritus est Tract. de Decal. cap. 3. de 6. Præcepto, & allatis fuse argumentis, pravitatem, & turpitudinem Theatrorum ostendentibus, sic concludit: „ Re sapientiorum judicio „ permissa, haud credo a noxa immu- „ nes esse, qui *vel semel* Comœdiæ vo- „ lentes interfuerint. 1. Quia nemo, „ quidquid dicunt aut cogitant, *im- „ mobilis est animi*, ut ajebat Tertul- „ lianus. 2. Quia Comœdorum actioni, „ *quæ grave est peccatum*, indubie coo- „ perantur: tolle enim spectatores, su- „ stuleris & actores. 3. Quia qui comœ- „ diam frequentant, proborum, quos „ eidem interesse vident, exemplo „ sese confirmant, & illud objicere so- „ lent iis, a quibus monentur, ut ab „ exercitio desistant, sive iis, quos ad „ illud trahere volunt pene invitos ". Deinde concludit: „ Quapropter cen- „ seo negandam absolutionem 1. Acto- „ ribus, qui scenicos ludos exhibent. „ 2. Auctoribus, qui fabulas compo- „ nunt. 3. Artificibus, qui ad Thea- „ trum proxime spectantia concinnant, „ nisi hi omnes sufficienter moniti resi- „ piscere velint, & prædictis nuncium „ remittere perpetuum. Idem & a for- „ tiori de scenis musicis gallice, & ita- „ lice *Opera* dicendum. Ita anno 1694.

„ resolverunt Doctores Sorbonici num. „ sex, quorum decisionem habes in „ Dictionario Lameti V. *Comœdia*“. Cui doctrinæ subscribit & Concina de spect. Theat. cap. 26. Juveninus vero, sive Auctor Theologiæ Moralis gallico sermone editæ tom. 2. cap. 3. §. 3. Inter 3. inquirit: „ Quid agere debeat „ Minister alicujus Principis, qui illum „ ratione muneris sui comitari debet „ cum Theatrum adit“? Quod extendendum puto & ad illos, qui quandoque Theatra adire coguntur, ut diffidia, jurgia, scandala, schismata evitent. Et resp. „ In hoc raro eventu teneri Ministrum, & alium quemlibet „ id solum præstare, quod concedit „ Tertullianus Aulicis Christianis, qui „ Idololatras Reges ad Deorum delubra comitari tenebantur, videlicet „ corpore adesse, animo abesse, & „ omnia detestari. Præterea cum majus „ instet periculum Christianis viris in „ Theatro, quam in Delubro, qui illa „ adire urgenti premuntur auctoritate, „ 1. se contra illecebras sensuum præmunire debent oratione, mortificatione, eleemosyna, aliisque piis operibus. 2. Oculos, auresque omnino „ claudere, ne quid videant, vel audiant eorum, quæ inibi fiunt. 3. „ Mente pias obvolvere cogitationes, „ & præcipue meditari, quot sint, qui „ in Inferno cruciantur ob præsentiam „ in Theatris, & inspectionem Comœdiarum. 4. Ad scandalum avertendum sæpe sæpius tum in ipso Theatro, tum extra protestari debent, „ & alte prædicare, se Theatro nonnisi „ necessitate vel muneris sui, vel „ majora mala impediendi cogente „ adesse, & opportune docere se talia „ spectacula detestari, utpote animabus „ perniciosa, bonis moribus infesta, & „ ab omnibus fugienda. 5. Denique si „ his omnibus adhibitis cautionibus, „ adhuc experiantur spectaculorum inspectionem sibi noxiam, omnino ab „ illis abstineant, muneri suo, licet „ sibi utilissimo, & honorifico renunciando, dicente Christo: *Quid prodest* „ *homini, si mundum universum lucretur,* „ *animæ vero suæ detrimentum patiatur*“? Qui cum tanto onere Theatro assidere debebit, procul dubio abstinebit.

Consectarium Octavum.

VIII. Mulierem virili veste indui, & virum muliebre assumere indumentum de se vitiosum est, & turpe; multoque magis illicitum, si vestes data opera mutentur ad scenicam repræsentationem. Primam hujus Consectarii partem docet S. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 3. scribens: *De se vitiosum est, quod mulier utatur veste virili, vel e converso, & præcipue quia hoc potest esse causa lasciviæ, & specialiter prohibetur in lege, quia gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idololatriæ superstitionem. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid hujusmodi.* In quibus verbis duo distinguit D. Ang. nimirum & morale præceptum, & cæremoniale. Primum deducit ex natura ipsius rei, idest mutationis habitus, quam ita de se vitiosam dicit, ut sola necessitas illam excusare possit: alterum vero ex speciali fine a Deo intento in dando Hebræis præcepto Deuter. 22. *Non induatur mulier veste virili, nec vir utatur veste feminea, abominabilis est, qui facit hæc,* scilicet arcendi populum ab Idololatria, ad quam pronus erat. Quod confirmat, & repetit 1. 2. q. 102. a. 6. ad 6. ubi considerato 1. præcepto,

qua

qua cæremoniale est, de ipso ut morali subdit, *indictum ad declinandam luxuriam. Nam per commixtiones varias in vestimentis, omnis inordinata commixtio coitus excluditur. Quod autem mulier induatur veste virili, aut e converso, incentivum est concupiscentiæ, & occasionem libidini præstat.* Ex qua S. Thom. doctrina veritas quoque patescit secundæ partis. Nam in scenicis uti veste muliebri nulla excusatur necessitate, immo ad excitandam libidinem, movendamque concupiscentiam de se ordinatur, quippe quia assumuntur, ut muliebris amor, & affectus vividius repræsentetur. Hinc juvenes instruuntur, & edocentur, ut gestu, voce, incessu corporis, gesticulatione, amatricis feminæ fraudes, illicia, versutias, insidias, vafritiem graphice exhibere toto studio astantibus conentur. Quod, quam & ipsi adolescenti, qui feminæ personam gerit, & adstantibus perniciosum sit, quisque facile deprehendet. Audiatur D. Cyprianus lib. 1. ep. 10. „ Cum in lege pro„hibeantur viri induere muliebrem ve„stem, & maledicti hujusmodi judi„centur, quanto majoris est criminis „non tantum muliebris vestimenta ar„ripere, sed etiam gestus turpes, & „molles, & muliebres, magis serio „impudicæ artis exprimere “? Mirum proinde non fit, si Concilia, & Patres hanc vestium mutationem gravis culpæ accusarunt, & etiam excommunicationis pœna mulctarunt. Synodus Trullana VI. cap. 6. „ Statuimus, ut nullus „vir deinceps muliebri veste induatur, „vel mulier veste viro conveniente. „Eos ergo, qui deinceps aliquid eo„rum, quæ scripta sunt, aggredien„tur, ubi ad eorum cognitionem per„venerit, si sint quidem Clerici, de„poni jubemus, si vero laici, excom„municentur “. Et in Pœnitentiali Romano lib. 7. cap. 1. statuitur: „ Qui „faciem suam transformaverit in habi„tu muliebri, & mulier in habitu vi„rili, emendatione pollicita tres an„nos pœniteat “. Clemens vero Alexand. adhuc vehementius declamat lib. 3. Pædag. cap. 3. dicens: „ Hoc est in„ventum fractorum hominum, & ad „libidinem propensorum . . . Pueri do„cti abnegare naturam, mulieres simu„lant. O miserandum spectaculum, o „nefandum studium! . . . O quanta „hæc iniquitas! . . . Hi non viri, sed „Batali, & Femellæ dicendi sunt “. Hæc si prudens Confessarius attenderit, pueros in scenis muliebres vestes assumentes a Sacramentis arcebit. Si plura videre cupis, lege Concinam de Spect. Theat. diss. 1. cap. 8. a n. 5. usque ad 15. unde hæc pauca delibavi.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Spectaculis, Choreis, Theatris interesse diebus Festis culpam auget, & peccatum aggravat. Et 1. quidem, quia Ecclesia hisce diebus spectacula haberi, vel illis interesse vetuit. Concil. Carthag. IV. can. 6. indicit: „ Qui „die solemni, prætermisso Ecclesiæ „conventu, ad spectacula vadit, ex„communicetur “. Patres quoque Concilii Africani an. 424. statuerunt, a piissimis Imperatoribus Theodosio, & Valentiniano petendum: „ ut specta„cula Theatrorum, ceterorumque lu„dorum die Dominica, vel ceteris „Religionis christianæ diebus celeber„rimis amoveantur; maxime quia san„cto Paschæ octavarum die populi ad „Circum magis, quam ad Ecclesiam, „conveniunt, debent transferri devo„tionis eorum dies, si quando occur„rerit, nec oportere quemquam chri-

 stia-

„ ſtianum cogi ad hæc ſpectacula, quia „ in eis exercendis, quæ contra præ- „ cepta Dei ſunt, neceſſitas a quoquam eſt adhibenda “. Confirmat & ipſa ratio naturalis: nam ſi dies feſti ſanctificandi ſunt, ideſt, ut explicat S. Th. divino cultui dedicandi, nihil magis ſanctitati diei repugnat, quam hiſce ſpectaculis, choreis, theatris intereſſe; cum hæc omnia quam maxime animum a Deo avocent, & ad terrena, turpia, inutilia, deprimant; & præſertim cum, ut animadvertunt laudati Africani Patres, *in eis exerceantur, quæ contra præcepta Dei ſunt*: quamobrem non Deus colitur, & honoratur, ut ipſe jubet, ſed potius offenditur. Specialis igitur Deo irrogatur injuria, quæ culpam aggravat.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Juſtiſſime Paſtores, & Parochi vetant, & prohibent ruſticis choreas habere. Hocce poſtremum Conſectarium ideo poſui, quia plures Caſuiſtas reperio, qui licet choreas damnent, in ruſticis tamen vel excuſant, vel, pene dixerim, laudant. Audiantur Salmanticenſes tract. 26. cap. 3. punct. 1. nu. 18. ſcribentes; „ Imprudenter prohi- „ bentur ruſtici in diebus Feſtis chori- „ zare, tum ob dicta, tum quia, cum „ his choreis ſint aſſueti, ſi ab eis ar- „ ceantur, forte vacabunt otio, rixis, „ vel aliis ludis, ex quibus Reſpubli- „ ca turbabitur. Tum denique quia „ cum publice fiant, non datur occa- „ ſio in eis turpiter ſaltandi “. Et deinde addunt: „ Notat bene Azorius, „ quod in iſtis publicis choreis poſſunt „ mulieres prodire eleganter ornatæ, „ &, ſi mos ſit patriæ, nudis aliquan „ tulum pectoribus “. At cur, amabo, tanta ruſticis conceditur libertas? Nonne & ipſi Adæ filii ſunt, concupiſcen- „ tiæ, libidinique obnoxii? Nonne & ipſi in Baptiſmo pompis ſeculi, & diaboli operibus abrenuntiarunt, inter quæ nullus eſt, qui choreas, & ſaltationes non enumeret? Num Patres, cum choreas deteſtantur, & *opus diaboli, caſtitati exitioſas, laſciviæ ſeminaria appellant*, ruſticorum choreas excipiunt? Nonne de ruſticis præſertim dictum ab Auguſtino conc. 1. in Pſalm. 32. *Melius* etiam *in die feſto tota die foderent, quam ſaltarent?* At inquiunt, ruſtici *choreis ſunt aſſueti*. Prava igitur conſuetudo imprudentem efficit ejus correctionem, & emendationem? Pravæ conſuetudines, quæ corruptelæ potius ſunt, a Paſtoribus, & Parochis ſunt extirpandæ, avellendæ, non ſilentio, & imprudenti ſimulatione fovendæ. Aliter & melius ſentit Angelus in Summa V. *Chorea*, ubi aperte docet: „ Non video, quomodo quis choreas „ noſtri temporis ſine mortali peccato „ faciat *ex conſuetudine*, ſicut commu- „ niter fiunt. Benigniores Caſuiſtæ ali- „ quando indulgent choreis, illaſque a „ lethali culpa excuſant pluribus addi- „ tis conditionibus: at conſuetudinem „ chorizandi nullus eſt, qui excuſat “. *Forte*, ſubdunt, *vacarent otio*. At incertum otium pravam ne excuſare poteſt, & libidinoſam actionem? Profecto, qui male agit, non otiatur; at quid pejus omni otio operatur. *Vacarent rixis*. Immo averroncatis choreis, rixarum occaſiones plures amputarentur; cum SS. Doctores inter alios chorearum pernicioſos effectus & hos enumerent, nimirum rixas, contentiones, & jurgia. Audiatur D. Carolus Borromæus in Manu. part. 2. cap. 6. „ Va- „ leant

„ leant execrandæ illæ, publicæque „ saltationes Christianorum (inter christianos sunt & rustici connumerandi) „ castitati adeo exitiosæ, *rixarum*, *jurgiorum*, *inimicitiarum*, *impudentiarum*, *pugnarum*, *cædiumque* radices & „ occasiones". *Vocabunt* (instant) *aliis ludis, ex quibus Respublica turbabitur*. Inania terriculamenta. Quinam enim ludi sunt, qui, in rusticis præsertim, Rempublicam turbare possint, profecto non video, nisi cædes, jurgia, inimicitiæ. At hæc ex S. Carolo vidimus a choreis præsertim publicis prodire. Verum sicut Parochi, & Pastores prudenter debent a chorizandi consuetudine rusticos avertere; ita debent & ab aliis perniciosis ludis evocare, quin imprudentiæ arguantur. At instant; *Choreæ rusticorum cum publice fiant, non datur occasio in eis turpiter saltandi*. Et tamen S. Carolus præsertim in *publicas saltationes*, quas & *execrabiles* vocat, detonat. Præterea nonne & in publicis saltationibus tactus, nutus, amplexus, aspectus, verba vel amatoria, vel obscœna habentur? Nonne hæc sufficiunt, ut turpis, inhonesta, periculosa, libidinis incentiva saltatio efficiatur? Quid pejus postulant Theologi isti ad eas improbandas? Quod denique ex Azorio referunt, dignum est patella operculum, nimirum posse (procul dubio licite) mulieres prodire *eleganter ornatas, & nudis, si mos sit patriæ, aliquantulum pectoribus*. Deus jubet Eccl. cap. 11. *Averte faciem tuam a muliere compta; & ne circumspicias speciem alienam; propter speciem mulieris multi perierunt*. Sunt igitur ornamenta mulierum ad speciem augendam laquei, & foveæ, quæ perditionem animabus inferre validissime possunt; & licebit mulieribus eas struere, & tendere proximo in publicis choreis? Nemo sapiens licitum arbitrabitur. Quid dicam de pectoris aliquantula denudatione? Quid de more patriæ, has denudationes licitas reddente? Profecto hæc adeo mihi laxa videntur, & falsa, ut optarem nunquam a Christianorum Theologorum calamis excidisse.

REFLEXIO.

Infinitus propemodum forem, si omnia SS. PP. dicta adversus Theatra hic vel indigitare vellem, nedum percensere. Hanc spartam adornavit egregie P. Daniel Concina in duplici suo opere latino, & italico de Spectaculis theatralibus. Nonnullam proferam, ut ab initio hujus capitis pollicitus sum, & illa præsertim seligam, in quibus Patres ideo Theatra sunt execrati, quod passiones excitantur, impudicitia inibi docetur, quia concupiscentia accenditur, quod & nostris Theatris commune esse nullus est, qui ambigat. Tertullianus itaque tr. de Spectaculis sic scribit: „ Similiter impudicitiam omnem emolliri jubemur. „ Hoc igitur modo etiam a Theatro separamur, quod est privatum consistorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur. Quod si nobis omnis impudicitia execranda est, cur licet audire, „ quæ loqui non licet? Cum etiam „ scurilitatem, & omne vanum verbum judicandum a Deo sciamus; „ cur æque licet videre, quæ facere „ flagitium est? . . . Habes igitur & „ Theatri interdictionem de interdictione impudicitiæ". Et cap. 15. generatim docuerat: „ Omne spectaculum sine concussione spiritus non est. „ Ubi enim voluptas, ibi & studium,

„ quod

„ quod scilicet voluptas sapiat. Ubi „ studium, ibi & æmulatio, per quam „ studium capit. Porro & ubi æmulatio, ibi & furor, & bilis, & ira, „ & dolor, & cetera ex his, quæ cum „ his non competunt disciplinæ". Ne quis putet Septimium de illis esse locutum spectaculis theatricis, in quibus sordidissimæ exhibebantur a Mimis, & Pantomimis actiones, meretricum postulabantur denudationes, adulteria, & infandi repræsentabantur concubitus, sed etiam quæ honesta putabantur, & decentia, subdit cap. 2. „ Sint dulcia „ licet, & grata, & simplicia, etiam „ *honesta* quædam. Nemo venenum temperat felle, & helleboro, sed conditis pulmentis, & bene saporatis, „ & plurimum dulcibus id mali injicit. „ Ita & Diabolus lethale, quod conficit, rebus Deo gratissimis, & acceptissimis imbuit. Omnia illic, seu fortia, seu *honesta*, seu sonora, seu canora, seu subtilia, proinde habet, „ ac si stillicidia de ranunculo venenato, nec tanti gulam facit voluptatis, „ quanti periculum". Et statim rationem reddit, cur in Theatris & ipsa honesta fiant periculosa, & perniciosa, subdens cap. 14. „ Nam & si qui modeste, & probe spectaculi fruitur pro „ dignitatis, vel ætatis, vel etiam naturæ suæ conditione, non tamen *immobilis est animi*, sine tacita spiritus „ passione. Nemo ad voluptatem venit „ sine adfectu, nemo adfectum sine „ casibus suis patitur. Ipsi casus incitamenta sunt adfectus. Ceterum, si „ cesset adfectus, nulla est voluptas, & est „ reus jam ille vanitatis, eo conveniens, „ ubi nihil consequitur". Et cap. 25. „ In „ omni spectaculo nullum magis scandalum occurrit, quam ipse ille mulierum, „ & virorum accuratior cultus, ipsa consensio, ipsa in favoribus aut conspiratio, „ aut dissensio, inter se: de commercio scintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in spectaculo „ ineundo prius cogitat, nisi videre, „ & videri".

Tertulliano consentit S. Cyprianus, qui libro de spectaculis (illi a peritioribus Criticis merito tributo) sic spectaculorum infamiam describit. „ Sed ut „ de hoc scenæ inquinamento inverecundo jam transitum faciam, pudet „ referre quæ dicuntur, pudet etiam „ accusare quæ fiunt, argumentorum „ strophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, scurriles jocos, „ parasitos sordidos, ipsosque Patresfamilias togatos, modo stupidos, modo obscœnos ... quid loquar comicas, & inutiles curas? quid illas magnas tragicæ vocis insanias? quid „ nervos cum clamore commissos? ... „ Quæ pudica fortasse ad spectaculum „ Matrona processerat, de spectaculo „ revertitur impudica. Adhuc deinde „ quanta morum labes, quæ probrorum „ fomenta, quæ alimenta vitiorum histrionicis gestibus inquinari?... Quid „ non possit suadere, qui talis est? Movet sensus, mulcet affectus, expugnat „ boni pectoris conscientiam fortiorem". Nec efficaciter minus scenarum turpitudinem depingit Lactantius lib. 6. Divin. Instit. cap. 2. scribens: „ Scenis „ quoque nescio an sit corruptela vitiosior. Nam & comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum, & quo magis sunt „ eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, „ eo magis sententiarum elegantia persuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ versus numerosi, & „ ornati. Item tragicæ historiæ subjiciunt

„ ciunt oculis parricidia, & incesta „ Regum malorum, & cothurnata scelera. Histrionum quoque impudicissimi motus quid aliud, nisi libidines „ docent, & instigant? Quorum enervata corpora, & in mulierum incessum, habitumque mollita, impudicas feminas inhonestis gestibus mentiuntur. Quid de Mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam „ qui docent adulteria, dum fingunt, „ & simulatis erudiunt ad vera? Quid „ juvenes, aut virgines faciant, cum „ hæc & fieri sine pudore, & spectari „ libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utique, quid facere possint, „ & inflammantur libidine, quæ maxime aspectu concitatur, ac se quisque „ pro sexu illis imaginibus præfigurat, „ probatque illa, dum videat, & adhærentibus vitiis corruptores ad cubicula revertuntur. Nec pueri modo, „ quos præmaturis vitiis imbui non „ oportet, sed etiam senes, quos peccare jam non decet . . . Vitanda ergo „ spectacula omnia, non solum ne quid „ vitiorum pectoribus insideat, quæ sedata, & pacifica esse debent, sed ne „ cujus nos voluptatis consuetudo deliniat, & a Deo atque a bonis operibus avertat". S. Jo. Chrysost. hom. 3. de David & Saule scribit. „ Si mulier forte in foro obvia, & neglectius „ culta, sæpe curiosius intuentem cepit „ ipso vultus aspectu; isti, qui non simpliciter, neque fortuito, sed studio, „ & tanto studio, ut Ecclesiam quoque „ contemnant, & hac causa pergunt „ illuc, ac totum ibi desidentes diem „ in facies abjectarum feminarum illarum defixos habent oculos, qua fronte dicere possunt se eas non vidisse „ ad concupiscendum? Ubi verba quoque accedunt fracta, lascivaque, „ ubi cantiones meretriciæ, ubi vox „ vehementer ad voluptatem composita, ubi stibio picti oculi, ubi coloribus tinctæ genæ, ubi vestis curiosius concinnata, ubi totius corporis „ habitus fuco plenus est, aliaque multa lenocinia ad fallendos, inescandosque intuentes instructa: ubi socordia spectantium, multaque confusio, hinc ipse locus ad lasciviam „ invitans, tum ab iis acromatibus, „ quæ præcesserunt, tum ab iis, quæ „ consecuta sunt". Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 1. „ Magna confusione, & iniquitate ibi (in Theatris) cœtus pleni sunt, & occasio „ conventus, causa est turpitudinis, „ cum viri, & feminæ mixti conveniunt, alter ad alterius spectaculum; dum enim lasciviunt oculi, „ calescunt appetitiones, & oculi proximos impudentius aspicere assuefacti, quod concessum sibi vident otium, „ intendunt cupiditates". S. Basilius Hom. 4. „ Nescientes orchestram, quæ „ spectaculis impuris abundat, his, „ qui illic consident, communem, ac „ publicam esse lasciviæ officinam: „ quin illic tibiarum modulationes perquam concinnæ, ac meretriciæ cantiones audientium animis insidentes, „ cunctis, utpote citharœdorum, aut „ tibicinum pulsum æmulantibus, nihil aliud quam obscœnitatem suadent". S. Augustinus in lib. 3. Conf. cap. 2. flens confitetur, quid sit in theatris summo suo malo expertus. „ „ Tunc in theatris congaudebam amantibus, cum sese fruebantur per flagitia, quamvis hæc imaginarie gererentur in ludo spectaculi. Cum autem sese amittebant, quasi misericors contristabar, & utrumque me „ delectabat tamen. Nunc vero magis

„ mi-

„ misereor gaudentem in flagitio, quam „ velut dura perpessum detrimento „ perniciosæ voluptatis, & amissione „ miseræ felicitatis". Rursum fatetur: „ capiebant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum „ mearum, & fomitibus ignis mei". Et lib. 1. de consensu Evangelist. cap. 3. Theatra appellat *caveas turpitudinum, & publicas professiones flagitiorum.* Exemplum adducit Alipii, qui ad Theatrum a condiscipulis invitatus, seu potius recusans, & reluctans, familiari violentia tractus, obfirmato animo constituit nec intueri locum velle: sed clausis oculis ibi corpore quidem consistens, at mente longius absens, interdixit animo, ne in tanta mala procederet. Sed (subdit August. lib. 6. cap. 8.) „ utinam & aures obturavisset. „ Nam quodam pugnæ casu, cum clamor ingens totius populi vehementer „ eum pulsasset, curiositate victus, & „ quasi paratus, quidquid illud esset, „ etiam visu contemnere, & vincere, „ aperuit oculos, & percussus est graviori vulnere in anima, quam ille in „ corpore, quem cernere concupivit, „ ceciditque miserabilius, quam ille, „ quo cadente factus est clamor, qui „ per ejus aures intravit, & reseravit „ ejus lumina, ut esset, qua feriretur, „ & dejiceretur audax adhuc potius, „ quam fortis animus, & eo infirmior, „ quod de se præsumpserat .... Ut „ enim vidit illum sanguinem, immanitatem simul ebibit ... spectavit, „ clamavit, exarsit, abstulit inde secum insaniam, qua stimularetur redire, non tantum cum illis, a quibus prius abstractus est, sed etiam „ præ illis, & alios trahens".

Habent igitur Sacramenti Pœnitentiæ Ministri, unde pœnitentes suos a theatricis spectaculis avocent, a SS. Patribus valida argumenta. 1. Theatra sunt impudicitiæ gymnasia. 2. Passiones in illis excitantur, & præcipue concupiscentia inardescit. 3. Amatoria ferme semper tractantur; impudicitia sub matrimonii velamine laudatur, probatur, docetur. 4. Verba adhibita, vel obscœna, vel mollia, vel canora, & licet honesta, stillicidia tamen sunt mellis de ranunculo venenato. 5. Mulieres comparent vel vera, vel adscitia pulcritudine oculos inspicientium rapientes omnes vel impudicæ, vel impudicitiarum magistræ. 6. Mimi muliebrem vestitum mentientes muliebres affectus, & amatorias illecebras vividius repræsentant. 7. Cantus mollis, effeminatus, cum vocis tenuitate, & delicata corporis inflexione, & mirabili gestuum repræsentatione oculorum jaculis corda adstantium movent, rapiunt, fascinant. 8. Vestitus, & ornatus vanus, exquisitus, phaleratus, immodestus, impudicus, quem vocat Chrysost. hom. 38. in cap. 11. Matth. *scenicum*. 9. Choreæ, saltationes, gesticulationes, intermedia omnia ad mores corrumpendos ordinata. 10. Scenæ, totiusque Theatri apparatus, ludicra verba, immoderatus vestitus, inconditus clamor, omnia denique mollitiem, voluptatem, concupiscentiam instillant, promovent, accendunt. 11. Concursus, & cooperatio ad innumera pene scelera, quæ in theatricis spectaculis perpetrantur; & quidem cooperatio efficacissima, nimirum præsentia, plausu, pecunia. Habent etiam, unde refellant argumenta ad theatrica excusanda spectacula. 1. Necessitatem alicujus solatii, & levaminis a feriis occupationibus produnt, quæ tamen superfluitatem, excessum, turpitudinem in ipso solatio, & ludo

non

non excusat. 2. Animi firmitatem in bono, qua, quod delectabile est, admittunt, quod scelestum, rejiciunt: cum, ut inquit Tertullianus, *nemo immobilis est animi*; & juxta Augustinum, *hac est temeraria præsumptio*, ut in Alipio ostendit. 3. Experientia, qua sentiunt, in theatris nulla se illicita passione rapi, nec concupiscentia exardescere, quæ tamen nonnisi ex cæcitate mentis oritur, interiora flagitia non agnoscentis, & consortium impiorum non excusat, & pravis ludis præstitam præsentiam, & pecunia cooperationem. 4. Principum obtrudunt Theatrorum concessionem; cum tamen Patres Theatra insectari, eorum impudicitias detestari non omiserint, licet a Christianis Principibus permitterentur, quippe qui non omnem populi insaniam frænare possunt. 5. Exemplum plurium probatorum hominum, & piorum, qui sine ullo scrupolo a Theatrorum frequentatione non cessant. At quænam, amabo, sincera probitas, solida pietas in iis, qui Baptismi vota, quibus pompis seculi, & diaboli operibus abrenuntiarunt, perfracte violant; qui sua pecunia comœdos, mimos, scurras alunt, & ditant; qui periculo proximo in peccata labendi tam alacriter, & prompte se objiciunt; qui denique Deum, & Belial consociari posse arbitrantur, & Satanam cum Christo copulare contendunt? 6. Denique Confessarios objiciunt, qui suis Pœnitentibus Sacramentorum frequentiam cum Theatrorum frequentatione concedunt, adeo ut Matrona, quæ mane modesta ad reverendum Altare accessit, vespere eleganti ornata cultu Comœdiis, Dramatis musicis, Tragœdiis ridens, & hilaris assistat. At hoc est argumentum deflendum magis, quam refellendum verbis doctissimi Marianæ S. J. in suo Tract. de spectaculis sic scribentis cap. 1. ,, Excæcat prava hominum consuetudo ,, animos, ut, quod passim fieri videmus, defendere conentur quidam ,, licentiæ Patroni, magni scilicet Theologi, quasi juri, & æquitati consonum, voce, & litteris abutentes, ,, quos redarguere facile erit testimonio, & auctoritate veterum Theologorum in hac re non discrepantium ,, . . . Multa in omnibus nationibus ,, negliguntur crimina, præsertim si ,, Patroni adsint fucata ratione fallaces ,, viri Theologi, quorum quanta sæpe ,, sit libertas pronuntiandi, quanta quibusdam cupiditas populo placendi, ,, scimus omnes, & est miserum negare non posse, quod pudet confiteri, ,, quæ magna est ordinis nostri calamitas, nihil esse tam absonum, quod ,, a Theologo aliquo non defendatur ".

DISSERTATIO III.

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS.

ABSOLUTA consideratione eorum, quæ ad contractus onerosos spectant, nunc postulat ordo doctrinæ, ut de contractibus gratuitis, & lucrativis, scilicet qui ex una tantum parte obligatione quidpiam præstandi, vel omittendi inducunt, speciatim agamus, quod modo præstandum aggredimur, ut hoc pacto Tractatui de Contractibus extremam manum imponamus.

CAPUT PRIMUM.

De Promissione, & Donatione.

DOCTRINA.

I. *Quid sit promissio.*
II. *Conditiones ad valorem promissionis requisitæ.*
III. *Conditione requisitæ, ut contractus vim obtineat.*
IV. *Ex promissione oritur obligatio ex fidelitate.*
V. *Num hæc sit semper sub gravi.*
VI. *Probabilior sententia exponitur, & probatur.*
VII. *Etiam obligatio ex justitia oritur ex promissione.*
VIII. *Conditiones ad hanc obligationem inducendam necessariæ.*
IX. *Quando promissio valida desinat obligare.*
X. *Donationis definitio.*
XI. *Ejusdem species.*
XII. *Distinctio donationis inter vivos, & causa mortis explicatur.*
XIII. *Quinam a facultate donandi repellantur.*
XIV. *Donationes inter conjuges prohibentur.*
XV. *Donationes inter patrem, & filium semper sunt revocabiles.*
XVI. *Quando donatio possit revocari.*

I. PROMISSIONIS nomen aliquando generaliter sumitur, atque per omnes contractus vagatur, sicut & illud stipulationis; quoniam aliquid promitti alteri potest cum aliquo onere ex parte promissarii, quo videlicet obstringitur promittenti. Aliquando speciale est, & significat, prout in præsenti, promissionem simplicem, gratuitam, & liberalem, quæ est præambula ad donationem, seu habet pro objecto donationem faciendam. In hoc sensu definitur promissio, *Deliberata, & spontanea obligatio suæ fidei alteri facta de re possibili, utili, & honesta.*

II. Itaque in hac definitione tres indicantur conditiones ad valorem promissionis requisitæ: 1. ut sit deliberata idest cum plena advertentia, atque expedito usu rationis emissa. Cum autem plures gradus deliberationis a Theologis distinguantur, communis sententia est, talem, ac tantam ad valorem promissionis necessariam esse, ac sufficere, quanta requiritur, ut quis peccare possit mortaliter, vel validum de re aliqua votum emittere. Quapropter, ex-

extremis rejectis nec ea ab omni perturbatione, & passione mentis tranquillitas necessaria est, quanta, ut aliquid prudentissime fiat; quemadmodum nonnulli Auctores videntur exposcere, pro nihilo habentes eas promissiones, quæ in passionis, aut cupiditatis impetu fiunt: qui impetus, nisi tollat libertatem ad peccatum mortale requisitam, minime impedire censendus est promissionis valorem. Ex alia vero parte non sufficit ea semiplena advertentia, quæ ad peccandum venialiter satis est; sicut nec eadem ad valorem voti existimatur sufficiens: cum enim in promissione quis sponte, & gratis aliquid sibi onerosum imponat, videtur ex eo ipso jure naturæ desiderari, ut in illud plene consentiat, ac proinde ea perfecta animadversione, quæ non servatur in semiplena advertentia. 2. Conditio postulat spontaneitatem, hoc est, ut nulla fraude, dolo, errore, vel metu extorta fuerit promissio: quod adeo verum est, ut plures Theologi existiment, & levem metum satis esse, ut promissio inde consecuta irrita evadat, atque inanis, nisi alioquin juramento firmata fuerit; etenim injuria, quam infert levem metum incutiens, sufficiens motivum præbet, ut promissor ab onere præstandi, quod pollicitus fuit, absolutum se credat. 3. Conditio se tenet ex parte objecti, & determinat pro materia validæ promissionis res utiles, possibiles, & honestas. Implicat enim contradictionem, ut quis obligationem contrahat faciendi, & exequendi, quod sub gravi obligatione omittere, & fugere lege divina, naturali, vel positiva jubetur.

III. Præter conditiones hactenus indicatas ex parte actus, vel objecti desumptas, tres aliæ necessariæ requiruntur ex parte modi, ut promissio rationem contractus habere possit. 1. Est, ut externa sit, seu aliquo sensibili signo manifestata: nam licet Deo, qui inspector est cordium, possint homines actibus mere internis sese obligare, ut contingit in voto; attamen hominibus, qui solum vident ea, quæ patent, fieri non potest, ut quis nudo voluntatis proposito sese obstringat. Nihilominus disputant Theologi, utrum hæc conditio jure naturæ sit necessaria, vel solum jure positivo, quod internis promissionibus viam omnem ademerit. Sunt enim, qui sola voluntate interna obligationem contrahi posse, spectato solo jure naturæ, tuentur, ut Sotus, Ledesma, Molina, aliique. Sed communior, & probabilior est sententia negans, ac proinde secluso quocumque jure positivo, promissiones solo animo conceptas, sufficienti signo alteri non indicatas, minime esse obligatorias propugnat; quippe quia actus mere interni non sunt instrumenta idonea ad homini se obligandum, qui nec acceptare potest, quod sibi ignotum est. Porro vera ad alterum obligatio non nisi ex consensu duorum ad minus induci potest. Et licet verum sit ex voluntate interna tanquam ex causa obligationem oriri; hæc tamen causa suum effectum sortiri non potest, nisi debite applicata, quæ applicatio aliquam externam requirit manifestationem. 3. Conditio, ut hæc promissio, exterius facta, sit cum animo, & intentione se obligandi. Porro animus se obligandi non exprimitur verbis solam enuntiationem continentibus ejus, quod futurum est, vel existimatur, puta, hoc, vel illud faciam; sed nec illis verbis, quæ solum propositum, & præsentem voluntatem indicant, dicendo c. ex. volo hoc, vel il-

 lud

lud facere; immo neque illis, quæ promissionem quidem formalem exhibere videntur, sed solum generali quadam formula ex consuetudine adhibita ad declarandam animi promptitudinem, vel benevolentiam, & inclinationem, vel etiam ad signa honorificentiæ civilis præstanda, cum amicus alteri amico se ad quidpiam pro ipso faciendum paratum significat: sed talia requiruntur verba, quæ obligationem saltem ex honestate, gratitudine, & fidelitate inductam significent; immo & ex justitia, nam & hanc obligationem non refugit gratuita promissio, ut quando fit coram Notario, & Testibus, cum tunc & obligationem civilem inducat, ut omnes fatentur Theologi, & paulo post declarabimus. Si autem dubium sit; quo animo quis promissionem conceperit, aut expresserit, monent Doctores perpendendam esse verborum significationem. Si enim hæc idonea deprehensa fuerint ad obligationem inducendam, præsumendum est non defuisse animum hujusmodi verbis consentaneum. Quod si nec verborum tenore, nec alio adminiculo id sufficienter innotescat, in favorem dubitantis judicandum est, ne scilicet oneri certo in casu dubio subjiciatur. 4. Est, ut promissio externa, & obbligatoria sit etiam ab altero, cui facta fuit, acceptata. Et de hac conditione consimilis disputatio inter Theologos agitatur, utrum videlicet solo positivo jure, an etiam lege naturali desideretur. Covarruvias enim, & Molina arbitrantur non esse jure naturæ necessariam, eo quod nonnullæ pollicitationes, & specialiter illæ, quæ factæ sunt Universitati, aut Civitati ad ruinas murorum instaurandas, vel ad aliquod ædificium publicum inchoatum absolvendum, etiam ante acceptationem validæ declarantur in jure, & revocari prohibentur. Quod privilegium plures Doctores extendunt ad pollicitationes Ecclesiis factas, vel ad pias causas. Id autem locum habere non posset, si acceptatio esset jure naturæ necessaria ad hoc, ut gratuita, & liberalis promissio obligationem inducat. Nihilominus sentiendum est cum communissima, & mihi probabiliori aliorum Doctorum, ante acceptationem gratuitas promissiones vim obligandi adipisci non posse ex ratione superius indicata; quoniam obligatio ad alterum nonnisi inter duas partes, & quidem consentientes, locum habere potest, non secuta autem promissarii acceptatione nondum duorum consensus apparet. Et etiam quia promissio alteri facta hanc semper ex promittentis intentione conditionem implicare videtur, ut is scilicet acceptando suum adjiciat consensum.

IV. Expositis conditionibus ad promissionis naturam, & valorem requisitis, nunc explicandum est, quanta sit obligatio, quæ ex promissione externa legitime acceptata consurgit. Et primo quidem certum est, promissionem acceptatam obligare ex honestate, fidelitate, & veracitate, ut egregie docet S. Th. tum 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1. scribens: *Dicendum, quod secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur, & hæc est obligatio juris naturalis*: tum q. 110. a. 3. ad 5. *Ille, qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur; quia non loquitur contra id, quod gerit in mente: si vero non faciat quod promisit, tunc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat*. Et patet ex ipso naturali jure: nam quilibet tenetur efficere, ut facta verbis respondeant; & infidelis, ac mendax habetur, qui quod sponte promisit, non præstat. Hinc S. Augustinus super Psal.

34.

34. explicans ea verba, *Holocaustum & pro peccato non postulasti*, subdit: *Nunquid hoc permittit promissori, ut sit semper promissor, & nunquam liberet fidem suam? Nihil minus.*

V. Verum adhuc inquirunt Theologi, num ex hoc fidelitatis debito talis oriatur obligatio, quæ in transgressore, & fidem fallente gravem culpam inducat. Et primo quidem consentiunt omnes, si promissionis violatio noxia sit promissario, esse grave peccatum; ut si quis alteri inchoato bello (sunt ex Cajetano desumpta exempla) suppetias ferre, vel secretum servare in re magni momenti polliceatur, vel Medicus spondeat graviter ægrotanti mederi, & a promissis deficiat, lethaliter peccat uterque. Similiter graviter adstringeretur promissionem factam implere, & fidem datam liberare, quoties grave damnum ex violatione in promissarium redundaret; puta si idcirco ad diem condictum suo creditori solvere nequeat. At secundo loco, quando promissionis violatio non aliud afferat detrimentum, nisi carentiam rei promissæ, plures sunt, & quidem magni nominis Theologi, qui censent nunquam fidem fallentem graviter peccare, variis ducti argumentis. Nonnulli, ut Cajetanus, putant levem esse culpam: quia promissio de se non obligat, nisi ex quadam honestate morali veritatis, sive veracitatis, vi cujus tenemur nedum conformare menti nostræ, quæ dicimus, sed etiam curare, ut verbis facta respondeant. Verum hæc ratio non admodum satisfacit: etenim promittere non est affirmare dumtaxat aliquid faciendum, vel omittendum; sed ulterius se obstringere aliquo vinculo ad faciendum, vel omittendum; ita ut inde consurgat in promittente debitum; & in promissario jus ad exigendam executionem promissi: alias ejusdem peccati reus esset, qui promissum violaret, ac ille, qui non efficeret, quod simpliciter affirmavit se facturum; quod a communi sensu prorsus abhorret: immo majus peccatum esset mendacium officiosum, quam violatio promissi: licet enim virtus veritatis seu veracitatis ad utrumque obliget, scilicet & ad conformanda verba menti, & ad conformanda facta verbis; magis tamen obligat ad non mentiendum, quam ad non dicendum materialiter falsum. Hine alii Theologi sequuntur quidem Cajetani sententiam, sed alio ducti motivo, nempe quia existimant ex sola fidelitatis virtute oriri obligationem servandi promissa, quæ virtus, præcisis aliis incommodis superius indicatis, non videtur sub mortali obligare. Quod inde confirmant, quia plerumque homines non solent magni facere harum promissionum gratuitarum defectus, nec etiam eos, qui in illis deficiunt, reputant injustos; sicut illos, qui aut furantur, aut ex justitia debitum minime solvunt; sed ad summum homines leves, inconstantes, & minime fidos existimant. Aliud præterea indicium adjungunt: quoniam liberaliter promittentes, si ad confirmandum, quod promiserunt, chirographo provocentur, plerumque refugiunt, afferentes se nolle tam stricte obligari; proculdubio quia se per simplicem promissionem, quantumvis acceptatam, vinculo justitiæ obstrictos non reputant. Quibus argumentis adit Molina, promissionem esse legem, quam sibi promittens sponte imponit, qui proinde potest solum velle se leviter obligare, & præsumendum est ita velle. Immo subdunt Salmaticenses „ aliter velle non potest, cum non „ sit in sua voluntate efficere, ut debitum

„ tum morale cujusmodi est illud con-„ surgens ex simplici promissione, eva-„ dat debitum legale ex justitia; cum „ nequeat rerum naturas pervertere, „ & virtutum objecta mutare".

VI. Attamen puto longe probabilius, etiam sola fidelitate inspecta, si res promissa sit magni momenti, & cujus carentia promissario sit incommoda, & illi valde displiceat (ut si quis pauperi puellæ dotem polliceatur, vel debitori, qui a creditoribus premitur, & urgetur, vel fidejussionem, vel solutionem spondeat) graviter promittentem obligari. Et 1. quidem id patet ex Can. Juramenti Can. 22. quæst. 5. apud Gratianum: „ Dominus inter juramentum, „ & loquelam nostram nullam vult esse „ distantiam: quia sicut in juramento „ nullam convenit esse perfidiam, ita „ quoque in verbis nostris nullum de-„ bet esse mendacium; quia utrumque & „ perjurium, & mendacium divini judicii „ pœna damnatur, dicente Scriptura, „ os, quod mentitur, occidit animam". In quo Canone sermo est & de juramento promissorio, & de mendacio in promissionis factæ defectu: unde Glossa subdit, *item hoc argumentum est, quod ex nudo pacto* (cujusmodi est promissio) *oritur actio*. Et confirmat S. Antoninus in Sum. P. 2. tit. 11. cap. 2. §. 4. ubi postquam dixit, leges quidem civiles hujusmodi nudis pactis, & simplicibus promissionibus non assistere, vel favere, subdit tamen: „ E contra secundum „ Deum, & canones est obligatio, „ quia mortaliter peccat recedens a pa-„ cto". Et revera virtus fidelitatis est justitiæ proxima; ac est veluti basis, & fundamentum omnium obligationum, cujus proinde custodia maxime est Reipublicæ, humanæ societati, ac bono publico necessaria. Præterea cujuscumque virtutis obligatio ex ejus objecto, & materia pensatur: quamobrem si hæc gravis sit, & magni momenti, gravis inde consurgat obligatio, oportet. Et certe maximum quisque perspicit discrimen inter promittentem puero fructum vel obulum, & pauperi puellæ dotem. Nec obstat hanc promissionem legem esse privatam, quam sibi promissor sponte imponit. Nam quidem liberum ipsi est hanc sibi legem ponere, vel non ponere: at minime in manu sua positum, ut virtutis indolem, & naturam mutet, quæ in gravi materia graviter obligat, in levi vero leviter, ut late ostendimus in Tract. de Voto. Sicut nec verum est, quod inquiunt Salmaticenses, non posse promissorem se obligare etiam ex justitia, & debitum morale in legale transferre, nisi chirographum adhibeat, & Notarium, ac testes appellet; cum hæc quidem in exteriori foro adminicula postulentur, non vero in interiori foro, & coram Deo. Immo cur promissio civilis juxta ipsos Salmaticenses gravem obligationem parit? Non profecto, quia civilis est: nam chirographi, aut publicæ scripturæ solemnitas coram Notariis, & testibus non vim tribuit promissioni, sed supponit potius, & declarat; sed quia promissio est; ergo hæc solum vim habet obligandi.

VII. Et revera ex simplici promissione non solum fidelitatis obligationem oriri, sed & justitiæ docent plurimi, & quidem magni nominis Theologi; S. Antoninus l. l. Sylvester, Covarruvias, Sotus, Continuator Tournely, Juveninus, & inter Probabilistas etiam Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 8. Layman lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 12. n. 1. Castro-

Stropalaus tract. 22. disp. 2. punct. 8. quibus me lubens adjungo, his permotus meo videri efficacissimis argumentis. 1. Promissio, si per stipulationem fiat, tribuit actionem in foro civili, ut possit compelli via juridica promissor ad servandum promissum. Hoc autem indicat, etiamsi stipulatio non intervenerit, tantumdem virium habere in foro interno: etenim forma stipulationis solum eam corroborat in humano judicio; eo quia præsumitur facta cum majori deliberatione, quoties accedit stipulatio. Præterquamquod etsi lege ff. necessaria sit stipulatio, non tamen lege Codicis, ut patet ex lege *si quis argentum* in Cod. de donat. Nec etiam requiritur ex præscripto, & consuetudine multarum Regionum, & Rerumpublicarum. Immo nec est necessaria ex Juris Canonici dispositione, quamvis hoc exigat expressionem causæ, quæ tamen ob solam præsumptionem exposcitur, eo quod, tacita causa, potest error in promittente præsumi. Ergo quoad conscientiæ obligationem quæcumque promissio acceptata tribuit actionem, & debitum justitiæ parit. 2. Cum ex promissione onerosa acceptata in communi sententia oriatur obligatio justitiæ commutativæ; cur non & ex promissione gratuita, & liberali, si pari acceptationi firmetur? Etsi enim illa prior majorem pariat obligationem, quia obligationi par obligatio rependitur; secunda tamen alterius generis obligationem nequaquam videtur inducere. 3. Ex contractibus quibuscumque obligatio justitiæ producitur, non aliunde certe, nisi ob promissionem, quæ in iisdem contractibus continetur. 4. Virtus fidelitatis inclinat ad servanda promissa ea ratione, quoniam promissio facta est, & per eam quis se obstrinxit. Supponit igitur obligationem ex promissione jam ortam. Quare quantum obliget promissio, non ex virtute fidei dimetiendum est; sed potius e converso quantum obliget fides ex natura promissionis, quæ ultra simplicem assertionem adstringit, pensandum est. 5. Per violationem promissorum injuriam sibi factam existimant promissarii, & quidem merito: nam jus ad rem inde consecuti sunt, quod jus ad ipsos quoque hæredes pertransit; sicut & obligatio promittentis ad ejusdem hæredes: at nec jus, nec injuria concipi potest sine justitiæ commutativæ obligatione, vel læsione. 6. Id etiam indicat ex promissione gratuita sequi veram justitiæ obligationem; quia homines, qui cupiunt aliquid ab alio impetrare, non contenti simplici assertione, student illum ad promittendum inducere, non alia de causa, nisi quoniam promissione reddunt eumdem sibi devinctum, & obnoxium, utpote justitiæ debito obligatum. Hæc sunt argumenta, quæ vehementius positam doctrinam confirmare videntur. Cui non opponitur Ang. Præc. dum de sola obligatione honestatis locis citatis locutus est. Nam, ut optime animadvertit Soto lib. 7. de just. & ju. q. 2. art. 1. justitiæ debitum minime exclusit, sed solum illud, quod locum habet in foro externo, ubi nuda pacta non admittuntur; ut patet ex illis verbis, *ad hoc quod aliquis obligetur ex aliqua obligatione civili, quædam alia requiruntur*. Et Sylvius in 2. 2. q. 66. art. 2. tanquam certum, & menti D. Tho. conforme statuit: „Promissio simplex homini serio exterius facta, & ab illo acceptata, obligat in conscientia, ita ut sit peccatum ex genere suo mortale non servare talem promissionem".

VIII.

VIII. Ad hanc tamen justitiæ inducendam obligationem plura requiruntur. Nimirum 1. ut in promittente sit animus serio, & veraciter promittendi: nam si quis verbis promissoriis utatur solum ad indicandam sui propositi firmitatem, & efficacitatem, & quod magis de præsenti intentione, quam præsefert, sibi ab alio credatur; iste solum ex virtute veracitatis tenebitur ad servandum promissum. Et hoc animo factæ censeri debent aliquorum promissiones, qui leviter verbis promissoriis utuntur, cum tamen nihil aliud intendant, quam suæ præsentis voluntatis alios certiores facere, quin ullam obligationem imposterum velint assumere. Si tamen ille, cui promittitur, credat veram esse promissionem factam, & ex hoc errore grave aliquod damnum subeat, ex justitia obligabitur ille, qui ficta promissione hujus damni sit causa, ad illum immunem præstandum. Quod multo magis locum habet in promissione onerosa, si promissarius ex parte sua illud jam præstiterit, ad quod tenebatur: quoniam in eo casu tenetur ex justitia etiam promissor vere promittere; alias fides contractuum omnino periret, si a promissis servandis excusare se possent homines obtentu fictæ promissionis. 2. Est, ut promissio fuerit de re notabili, & magni momenti; alioquin materiæ levitas excusat a mortali violationem promissi: & quidem juxta Navarrum censetur materia notabilis in promissione etiam gratuita, quæ notabilis esset in furto, aut in contractu oneroso. Nec firmam puto illorum Auctorum sententiam, qui nimii rigoris Navarrum arguentes, censent plus duplo desiderari ad hoc, ut violatio promissionis liberalis grave peccatum inducat, quam in aliis justitiæ commutativæ obligationibus; eo quod minus debitum putant ex liberali promissione causari. Sed prorsus temere, & absque ratione: quia si concedunt ex promissione debitum oriri justitiæ, jam hujus gravitas non ex liberali donatione, sed ex ipsa justitia dimetienda est: liberalitas enim apparuit in promissione; at justitia vel impletur in executione, vel violatur deficientia promissi, cui proinde commensurari debent rei promissæ valor, & quantitas. 3. Est, ut materia promissa non sit interdicta a legibus, atque irritata. Et quidem jure naturæ irritæ sunt omnes promissiones de rebus peccaminosis, & illicitis, quarum videlicet impletio fieri non potest absque peccato. Et ulterius jure positivo irritantur etiam omnes promissiones, quæ, licet sine peccato possint executioni mandari, fiunt tamen ob turpem causam, quæ legibus civilibus punitur. Sed hæ, quæ ob causam fiunt, jam transeunt in onerosas, nec inter eas, de quibus modo loquimur, recenseri debent. Ea recolantur, quæ diximus in Tr. de Contract. in communi, ubi de contractuum materia disputavimus. Irritantur etiam promissiones, quæ præbent occasionem peccandi; ut si quis alicui promittat se nihil repetiturum de his, quæ per injuriam, fraudem, & dolum a promissario fuerint ablata: quamvis enim post acceptam injuriam, legibus non impediatur ad eam, si voluerit, condonandam; nolunt tamen leges, ipsum ad hanc condonationem faciendam sua promissione obligari. Irritæ sunt denique jure civili promissiones, per quas adimitur promissori facultas disponendi de rebus suis, ut si quis alicui promittat se illum instituturum hæredem, vel non revocaturum testamentum

tum in ejus favorem confectum, vel centum ei præbiturum, si hæredem eum instituerit: quæ omnia continentur in L. *Pacta* 6. in Codice de Pactis, & alibi.

IX. Explicandum tandem superest, quando, & in quibus eventibus promissio, quantumvis valida, desinat obligare. Navarrus hanc statuit regulam, ut non amplius obliget; quando talis supervenit mutatio vel in rebus, vel in personis, quam si prævidisset promissor, noluisset promittere. Quæ regula tamen in tanta amplitudine non videtur usquequaque vera, & certe fallit in promissionibus Deo factis. Multi enim vovent statum vitæ religiosæ, qui, si credendum est eorum verbis, nunquam vovissent, si difficultates, quas postea experiuntur, prævidissent; nec tamen propterea liberantur ab observantia votorum: sibi enim imputare debent, quod non satis prudenter, ad quid se obligarent, perpenderint, nec juxta monitum Salvatoris prius sedendo computaverint sumptus necessarios ad turris evangelicæ constructionem: interim enim reverentia divinæ majestatis eos adstringit ad observandum, quod revera promiserunt; non quod promisissent, si hæc & alia prævidissent. Sed loquendo de promissionibus, quæ fiunt hominibus, dicendum est cessare obligationem promissionum. 1. si illarum materia evadat impossibilis, & illicita, quod per se clarum est. 2. Si talis superveniat mutatio in rebus, vel personis, quam juxta prudentum judicium censeatur noluisse promissor in sua promissione comprehendere. Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. scribens: „ Ille, qui aliquid promittit ... „ si non faciat, quod promisit, tunc „ videtur infideliter agere, per hoc „ quod animum mutat. Potest tamen „ excusari ex *duobus*. *Uno modo*, si „ promisit id, quod manifeste est illi- „ citum; quia promittendo peccavit, „ mutando tamen propositum bene fa- „ cit: *Alio modo*, si sunt mutatæ con- „ ditiones personarum, & negotiorum. „ Ut enim Seneca dicit in lib. 4. de „ benefic. ad hoc quod homo teneatur „ facere quod promisit, requiritur quod „ omnia immutata remaneant: alio- „ quin nec fuit mendax in promitten- „ do; quia promisit quod habebat in „ mente, subintellectis debitis condi- „ tionibus: nec etiam est infidelis non „ implendo quod promisit; quia eæ- „ dem conditiones non extant ". Et revera, cum promissio vim obligandi sumat ex animo, & intentione promittentis, ultra hanc, & ad casus verosimiliter in ea non comprehensos ejus obligatio extendi non debet. Ita si quis promisisset amico suam operam certo tempore, quo postea contingit uxorem, vel filium ægrotantem decumbere, ita ut sine pietatis offensa, vel magno incommodo nequeat deserere; procul dubio a præstando promisso liberatur: & ille, qui puellæ, quam virginem existimavit, nuptias promisit, si postmodum certus fiat de vitiata virginitate, ab ea ducenda excusatur. Notandum tamen aliud judicium fieri debere de eo, qui tempore debito promissum non implet, quia non vult, cum possit, & postea incidit in paupertatem, vel aliud impedimentum: hic enim non liberatur ab obligatione, quamvis durante impedimento ab ea implenda excusetur; quoniam ejus obligatio non ex sola nata fuit promissione, sed etiam ex mora culpabili, quæ damnum intulit promissario in carentia rei promissæ, quam proinde compensare tenetur, sta-

tim ac impedimentum cessaverit. 3. Definit obligare promissio, seu potius consopitur, quando duo sibi invicem promiserunt, & alter non implet, nec vult implere, quod promisit. Quod verum puto, nedum quando secunda promissio facta est intuitu prioris, & velut in ejus remunerationem, ut putat Navarrus; sed etiam quando facta fuit alio fine, & respectu: quoniam enim utraque promissio gratuita, & liberalis continet jura, & debita ejusdem rationis: hinc efficitur, ut compensatione quadam possint hæc jura, & debita invicem extingui: præterquamquod secundus promissor non videtur sese obligare ad implendum promissum in casu, quo alter, qui prior promiserat, fidem fallat. 4. Definit obligare, quando promissio facta fuit ob causam, quæ non subest; ut si quis falso existimet se ab alio affectum magno beneficio, hinc inducitur ad se obstringendum aliqua gratuita promissione; tunc enim error contingit circa principalem promissionis causam.

X. Donatio communiter definitur: *Datio liberalis, seu contractus lucrativus, quo quis gratis se obligat ad statim transferendum dominium alicujus suæ rei, vel juris in donatarium*. Dicitur *Datio*, idest talis actio, quæ sit apta natura sua ad transferendum dominium; quæ translatio fieri potest vel reali traditione, vel officio verborum. Hinc duplex donationis species a Juristis distinguitur; alia quæ incipit a traditione rei præsentis, & hæc est completa donatio; alia vero quæ incipit a promissione rei nondum præsentis, adeoque præcedit tempore traditionem. Licet autem, sola lege naturali spectata, dominium transferri possit etiam ante traditionem sola verborum efficacia; jure tamen positivo ita impeditur translatio dominii, ut, si nondum sit facta traditio, non plene & perfectum sit jus acquisitum; quo fit, ut imperfecta maneat donatio ante traditionem, & vix a simplici promissione diversa. Quapropter si quis verbaliter donans alicui equum absentem, postea mutato consilio eumdem alteri tradat, iste ratione traditionis acquirit dominium in re; & donatarius ille prior solum habet actionem personalem, & jus ad rem, ut videlicet in æquivalenti sibi satisfiat. Ulterius dicitur *datio liberalis*, ad indicandum materiam donationis esse aliquid nec jure debitum, nec datum eo fine, ut aliquid sibi jure retribuatur: in utroque enim casu desineret esse contractus mere gratuitus, & lucrativus. Dixi autem *aliquid non jure debitum*, quia si tantùm ratione gratitudinis debitum sit, quod donatur, non obstat naturæ donationis gratuitæ, & liberalis: tum quia adhuc donatio potest fieri intendendo bonum, & honestatem virtutis liberalitatis; tum etiam quia gratitudo hanc non impedit, immo liberalitas disponit ad gratitudinem; neque enim gratum præbere se potest, qui virtute liberalitatis careret. Nihilominus distinguitur a Juristis donatio in mere liberalem, & in remunerativam, quam etiam *antidoralem* appellant; ut scilicet distinguant eam, quæ nullam vel gratitudinis obligationem præsupponit, ab ea, quæ ad hujus debitum, & officium implendum ordinatur. Et adeo hanc distinctionem curant, ut non pauci eam juris prohibitionem, qua nonnullis personis donatio interdicitur, de solis donationibus liberalibus, non autem de remunerativis interpretentur, in quibus sola munificentia non intervenit, eo ipso, quod ex parte donantis aliquod gratitudinis debitum præsupponitur.

IX.

XI. Nunc celebriores donationis species ejusdem definitioni sunt subjiciendæ. Et jam quasdam indicavimus, videlicet eas, quæ proveniunt ex divisione donationis in verbalem, & realem, in mere liberalem, & remuneratívam. Alias statim addimus. Donatio alia indiget insinuatione, alia vero sine insinuatione subsistit. Item donatio alia dicitur *causa mortis*, alia appellatur *inter vivos*. Hæc posterior dividitur in permissam, & prohibitam. Prohibita continet eam, quæ est interdicta ratione excedentis quantitatis, & vocatur *immensa*, & eam, quæ prohibetur ob ineptitudinem donantium, ad quam revocantur etiam donationes inter Patrem & Filium, inter virum & uxorem, & aliæ hujusmodi, de quibus dicemus post pauca. Interim de primo loco positis donationum speciebus nonnullæ occurrunt faciendæ considerationes. 1. Itaque de donationibus insinuatione indigentibus observandum, insinuationem esse legalem quandam publicationem, seu manifestationem, qua quis in scriptis coram judice declarat se velle huic, vel alteri tantam, vel tantam pecuniæ summam, vel alterius rei quantitatem donare, adjectis conditionibus, quibus suam implicat donationem: quæ insinuatio ad eum finem fieri debet, ut accedat approbatio, & consensus judicis eam donationem permittentis. Porro invectum est hoc juris civilis remedium ad compescendas insanas, & profusas donationes, quæ patrimonia exhauriunt, & familias redigunt ad inopiam, proculdubio cum detrimento Reipublicæ, cujus interest, subditos non nimium depauperari; & etiam ad vitandas fraudes, & dolosas artes, quibus avari, & perditi homines a simplicioribus extorquere student perniciosas, & profusas donationes. Ceterum, jure naturali inspecto, necessaria non est insinuatio pro validitate cujuscumque donationis; & pecuniariæ donationes, quæ brevi manu fiunt, non indigent insinuatione. Ad hoc tamen prosunt istæ leges custodiendæ, ubi vigent, juxta Provinciarum, & Regnorum consuetudinem, ut, si hujusmodi donationes fiant sine insinuatione, infirmæ sint, & nutantes, atque ab ipso vel donante, vel hæredibus ejus per sententiam judicis revocari, & in irritum reddi possint.

XII. Consideranda est secundo loco divisio donationis in eam, quæ fit *mortis causa*, & in illam, quæ dicitur *inter vivos*. Donatio mortis causa ea dicitur, quæ fit ob mortis suspicionem, vel cum illius cogitatione, & mentione. Essentiale discrimen hujus donationis a reliquis in eo situm est, quod, sive donatio fiat cum reali traditione, sive incipiat a verbali promissione, ea est mens donantis, immo alia juxta leges esse non potest, quam ut, nonnisi post mortem ipsius, completum possit effectum habere; ita ut semper censeatur revocabilis, quoadusque per mortem donantis confirmetur: ac proinde pendere dicitur a voluntate deambulatoria, sicut & aliæ ultimæ voluntates, puta testamenta, legata, & hujusmodi. Inter donationes vero, quæ fiunt inter vivos, quæ dicuntur prohibitæ ratione materiæ, sunt donationes, quæ dicuntur immensæ, quales sunt, in quibus omnia bona præsentia, & futura, immo etiam jura donantur. Et quidem jure Romano eas esse invalidas nemo diffitetur: cui etiam jus canonicum consonat; & pleræque leges municipales aliarum Regionum consimilem sequuntur dispositionem. Sed quando inter Juristas controvertitur, utrum etiam jure na-

naturali pro illicitis habendæ sint, videtur illorum, qui affirmant, opinio solido fundamento carere. Falluntur enim ex æquivocatione, quoniam in jure adversæ bonis moribus denuntiantur hujusmodi donationes. Sed is modus loquendi non indicat eas honestati naturali repugnare; sed utilitati dumtaxat Reipublicæ, & civilis regiminis intentioni incommodas esse: quia per illas homines redduntur intestabiles, quod bonis moribus civilibus adversatur. Cæterum, attento solo jure naturæ, istud pro magno absurdo habendum non est, quod homo, suorum omnium donatione, testandi incapacem se reddat. Quapropter plerique Theologi nullius peccati mortalis reum faciunt, qui tali donatione sese exhauriret, nisi id faceret cum pernicie suorum creditorum, vel filiorum, vel aliorum, quibus prospicere debet. Nec ad restitutionem obligant donatarium, qui ex tali donatione dominium omnium alterius bonorum adeptus esset; nisi favore legum secuta donationis revocatione ab hæredibus donantis juridice repetantur, quæ per leges civiles perperam donata censerentur. Et certe inter donationes universales legibus prohibitas, illa minime est numeranda, quæ fit Ecclesiæ, aut ad pias causas: si enim potest quis suammet personam in Ecclesiæ, aut causæ piæ obsequium tradere; quanto magis omnia sua bona? quandoquidem operibus pietatis injuste se leges seculares opponerent; sicut nec illa quæ fieret causa mortis: per hanc enim cum sit revocabilis, & deambulatoria, non adimitur donanti facultas testandi; quod leges cavere intendunt, dum immensas interdicunt donationes.

XIII. Ex parte vero donantium plures sunt, qui utroque jure a facultate donandi repelluntur. Itaque donare non possunt, qui dominio bonorum carent; vel etiam, qui si dominium habeant, administratione per leges privantur; aut qui, si aliqualem habeant administrationem, facultatem tamen alienandi non habent. Quamobrem 1. recensentur illi, qui rationis defectu, aut imperfectione donare non possunt, impuberes videlicet nondum ad quartum decimum annum completum ætatis, si masculi sunt, vel ad duodecimum, si feminæ, pervenientes, sine tutorum facultate, & licentia; quæ tamen censetur non deesse in ordine ad parvas donationes, & liberalitates conditioni suæ convenientes. 2. Filii familiarum sine patris consensu, exceptis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, de quibus etiam si profuse donaverint, ita ut damnum notabile inde perceperint, petere possunt restitutionem in integrum. 3. Minores, qui vigesimum quintum annum non expleverint, sine licentia Curatorum, quibus subjiciuntur, donare legibus interdicuntur. 4. Uxores, seu de bonis mariti, seu etiam de bonis propriis, quæ a mariti pendent administratione, disponere donando minime possunt, nisi quoad parvam aliquam quantitatem, quam consuetudo, & usus probarum familiarum, facultas domus, & conjugalis conditio permittunt distribuendam in remunerationem, & eleemosynas: iis enim præsumitur suffragari consensus saltem tacitus mariti; qui tamen si repugnet, illi uxor parere debet, & etiam ab hujusmodi donationibus abstinere. 5. Ecclesiastici de iis, quæ ultra congruam, & honestam sustentationem ex reditibus beneficiorum supersunt, ad usus profanos donare non possunt juxta piam, probabiliorem, tutioremque sententiam,

quam

quam suo loco fuse propugnavimus, quæ talium bonorum simplicem administrationem illis attribuit. Multo minus Superiores Regulares, administrantes bona communitatis, hæc possunt donando alienare; cum id non possit vel ipsa communitas, quæ directe talium bonorum est domina, nisi juxta leges Ecclesiasticas, & Pontificias Constitutiones, quibus coarctatur ipsorum dominium, & administratio. Subditi autem Regulares ex consensu suorum Superiorum eas tantum modicas donationes, & ad usus pios ordinatas facere possunt, quæ statui paupertatis, vitæ Religiosæ, & sanctionibus Ecclesiasticis non sunt repugnantes, ut in Consectariis dicemus.

XIV. Vulgatissimum est jure civili, omnes donationes, quæ inter conjuges fiunt, haberi pro invalidis in hoc sensu; quatenus ad arbitrium conjugis donantis semper revocari possint, vel expresse, vel tacite; puta si donans rem donatam alteri vendat, vel in hypothecam subjiciat. Solum duobus modis hujusmodi donationes irrevocabiles constituuntur, 1. morte donantis, quæ tamen mortem donatarii præcesserit; & hac etiam adjecta conditione, ut ante mortem ipsius donantis, res tradita fuerit donatario, ita ut hic aliquam ejus possessionem adeptus sit; secuta autem donantis morte retrotrahitur confirmatio, & irrevocabilitas usque ad tempus traditionis, ita ut fructus ex tunc percepti cedant donatario. Nedum autem mors naturalis donantis hanc vim præfatis donationibus præbet, sed etiam mors civilis, qualis reputatur, si conjux perpetuo exilio extra patriam fuerit deportatus, vel professus sit in aliqua Religione, quæ dominii sit incapax. 2. Confirmatur donatio inter conjuges ad irrevocabilitatis effectum juramento adjecto, si videlicet donans juraverit se non amplius revocaturum donationem jam factam. Aliquando tamen donatio, etiamsi juramento firmata non fuerit, & supponatur acceptata, & licet mors donantis secuta non fuerit, nihilominus totum suum valorem, atque firmitatem sortitur: cujus exceptionis plures assignantur casus in jure. 1. Si Imperator donaverit Augustæ, & idem dicendum de donatione facta a supremo Principe propriæ uxori: quoniam Princeps vel legibus positivis donationes infirmantibus non subjicitur; vel donando uxori in illis dispensare præsumitur. 2. Si conjux conjugi donet ad restaurationem ædium incensarum. 3. Si donet ad aliquam dignitatem consequendam, puta uxor marito, ut Doctoris lauream obtineat. 4. Si donans ex donatione pauperior non fiat, ut si nihil perdat donando ex bonis, & juribus jam quæsitis; nimirum si repudiet hæreditatem, legatum, fidei commissum nondum a se acceptatum, ut obtingere possit uxori, quæ jus ad illud habet defectu mariti, utpote substituta, vel hæres ab intestato. 5. Si donatarius ex donatione ditior non fiat; ut si mulier accipiat a marito ad emendos sibi ornatus, ad mundum muliebrem, unguenta, & similia, vel ad eleemosynas suæ conditioni convenientes faciendas; si tamen quidpiam ex hujusmodi expensis reliquum fuerit, semper repeti poterit a donante. 6. Si donatio censeatur facta in remunerationem, cujusmodi existimatur naturæ, quæ facta fuerit a marito sene, vel ignobili, uxori juveni, & nobili, veluti in remunerationem repensam ejus juventuti & nobilitati. Remuneratoria etiam creditur confessio dotis acceptæ, etiam si revera nulla dos data fuerit; quia merito uxoris compensando existimatur facta talis confessio.

XV.

XV. Donationes vero, quæ a parentibus in filios exercentur, non minus certum est, spectato jure civili Romano, easdem semper esse revocabiles ante mortem, & extra casum confirmationis per juramentum; dummodo filii non sint emancipati, sed paternæ subjaceant potestati. Nomine autem Parentum hic intelligo solum Patrem, vel Avum, aut alios ascendentes virilis sexus, & ex latere paterno. Ideo autem leges civiles, ut constat ex Leg. 2. Codicis de inoff. donati. infirmas volunt, & revocabiles præfatas donationes, quia filius non emancipatus reputatur una, & eadem persona civilis cum patre; unde existimatur donare sibi, quod donat filio. Hæ leges proinde non comprehendunt filios jam emancipatos, adeoque a paterna potestate exemptos; neque filios naturales illegitimos, qui jure Romano sub patria potestate non sunt; neque donationes factas a matre, vel ceteris se tenentibus ex latere materno, quia istis non competit paterna potestas. Viceversa donationes factas a filiis suismet parentibus de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, extra dubium est, omnem valorem, & firmitatem habere. Addendæ tamen sunt etiam quoad hoc nonnullæ exceptiones. Valent, & firmitatem habent donationes factæ a patre etiam filio non emancipato, si collatæ fuerint ad dotem, vel matrimonio ineundum, Item illæ, quibus mobilia data sunt proficiscentibus ad militiam, vel libri traditi professuris aliquam disciplinam: hæc enim bona statim evadunt castrensia, vel quasi castrensia. Ulterius si pater filio donet usumfructum quem habet in bonis adventitiis filiorum, valet donatio. Denique si patris donationes ordinentur ad remunerandum aliquod notabile filii meritum, & obsequium, censentur irrevocabiles; nisi fiant ex illis bonis, de quibus pater nequit disponere absque detrimento aliorum filiorum, quibus per tales donationes subtraheretur alias legitima portio.

XVI. Denique ad doctrinæ complementum exponendum superest, quibus in casibus donatio jam acceptata possit revocari. Distinguendum vero est inter donationem, quæ est inter vivos, & donationem mortis causa, ac de utraque ordinate dicendum. Si donatio fit inter vivos, idest qua donans velit absolutè rem suam fieri alterius ante suam mortem, ex triplici causa revocabilis est, quamvis nedum fuerit acceptata, sed etiam executioni mandata, nimirum ex donatarii ingratitudine, ex susceptione prolis, & ex donationis inofficiositate. 1. Igitur revocari potest ob ingratitudinem donatarii; ut si hic injurias atroces in donantem effuderit, si violentas manus illi injecerit, si in vitæ discrimen induxerit, si grave damnum bonis ejus intulerit, si conditionem sibi impositam non impleverit. Notanda tamen sunt circa hoc caput aliqua. Primum est non habere locum hanc revocationis causam in donationibus, quæ dicuntur ob causam, videlicet quæ ad præcedentia merita donatarii remunerandа ordinantur; sicut neque in donationibus, quæ fiunt Ecclesiis, & ad causas pias; hæ enim censentur factæ Deo, in quem cadere non potest ingratitudo. 2. Donatarium ingratum non teneri ad restitutionem, nisi post sententiam judicis: quapropter præmitti debet querela, & probari ingratitudo; est enim revocatio donationis quædam species pœnæ, quam reus subire non tenetur, nisi juridice sibi inflictam. Quod si donatio nondum fuerit executioni

tioni mandata, quia nondum secuta est traditio, poterit donator rem sibi retinere, & repellere petitionem donatarii per exceptionem ingratitudinis: cui enim post traditionem jus competit revocandi rem traditam, ante traditionem convenit jus excipiendi. 3. Si a donatore non revocetur donatio ingrato facta, nec potest ab ejus hæredibus revocari, nisi in casu, quo isti probarent ingratitudinem ignoratam fuisse a donante: nam tunc, etiamsi a donante revocata non fuerit expresse, tacite tamen, & virtualiter revocata censetur ob ingratitudinem donatarii. Ex secundo capite revocari possunt donationes factæ ab improlibus, si postea nascatur proles; ut constat ex L. *si unquam* 8. Codicis de revocandis donationibus: in qualibet enim donatione implicita censetur ista conditio, si proles non supervenerit. Si igitur donatio antecedens facta fuerit extraneo, post prolem in totum revocata censetur. Quod si non extraneo, sed alicui ex ascendentibus, ut patri, avo, & vel alicui priori filio facta fuerit, revocatur solum pro parte, quæ sufficit ad legitimam portionem prolis susceptæ. Nonnulli Theologi hoc idem extendendum putant ad donationes factas Ecclesiis, & locis piis, cum tunc ob salutem animæ donatum intelligatur, quæ minoris haberi non debet, quam filiorum legitima portio. Monent tamen, & jure merito expedire, ut totam Ecclesiæ, vel loca pia donationem remittant ad populi ædificationem, & ad cupiditatis notam vitandam; ut fecisse legitur Aurelius Carthaginensis Episcopus ex auctoritate D. Augustini, a Gratiano citata, dicentis: „ Quicumque vult exhæredato filio hæredem „ facere Ecclesiam, quærat alterum, „ qui suscipiat, non Augustinum, immo Deo propitio nullum inveniat. „ Quam laudabile factum sancti, & venerandi Episcopi Aurelii Carthaginensis! Quidam enim, cum filios non „ haberet, nec speraret, res suas omnes retento sibi usufructu donavit Ecclesiæ. Nati sunt ei filii postea, & „ reddidit Episcopus nec etiam opinanti illi, qui donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere". Quæ postrema verba sunt intelligenda excepta legitima, qua nati filii fraudandi non erant; & ad quam reddendam nec donantis interpellatio, nec sententia judicis erat expectanda. Immo etsi donator caverit juramento se non revocaturum donationem, hæc semper revocabilis est in casu susceptæ prolis; quia per adjectum juramentum nunquam censetur exclusa ista conditio, quæ ex intentione legum semper venit intelligenda, nisi expressissimis verbis repudietur. Quod si hæc expressa renuntiatio conditionis, vel privilegii citatæ legis adfuerit, tunc quidem donator revocare non poterit donationem; poterunt tamen filii post ejus mortem; quia ob patris donationem damnum sentire non debent quoad legitimas portiones, quæ sibi a Legibus destinantur. Ex tertio capite revocatur donatio inofficiosa, idest quæ est contra officium pietatis, quæ a parentibus in filios est exercenda, quando ratione donationis isti privantur legitima portione, quam ex bonis paternis accipere debent; ut patet ex toto titulo de inofficiosis donationibus in Codice. Et quidem si donatio facta fuerit extraneo, animo fraudandi liberos (qui animus præsumitur, quando alias nihil suis filiis parentes relinquunt) revocatur in totum. Si autem non tali animo facta fuerit, vel alicui ex prioribus filiis, vel etiam Ecclesiæ-

clesiæ, quæ ad instar filiorum reputatur; tunc solum quoad eam quantitatem revocatur, quæ necessaria est ad constituendas filiorum legitimas. Nihilominus si ab ipso donante revocatio facta non fuerit, vel non acceptata, restitutio valet usque ad mortem ipsius, solum enim post mortem patris debetur filiis legitima; ac proinde solum post mortem ejusdem, donationis inofficiosæ damna sentire incipiunt, ad quæ tollenda ipsomet jure donatio rescinditur. Nec ab hac irritatione, vel rescissione præservatur juramento adjecto ab ipso donante de non revocando. Nihil enim valet hujusmodi juramentum, utpote præstitum contra bonos mores naturales, & officium pietatis; ac de re, quæ sine peccato non potest executioni mandari. Et his quidem modis revocatur donatio, quæ est inter vivos. Illa autem, quæ mortis causa appellatur, alia triplici de causa revocari potest. 1. Si donatorem pœniteat donationis factæ: hujus enim firmitas, sicut & firmitas testamenti, & legati, & aliarum hujusmodi ultimarum voluntatum, pendet semper a voluntate donantis, quæ usque ad mortem deambulatoria, & mutabilis est. 2. Si donatio facta fuerit metu impendentis periculi, ut in casu infirmitatis, vel instante prælio, vel alio discrimine; cessante infirmitate, vel periculo evanescit etiam donatio. 3. Si Donatarius ante donantis mortem præmoriatur: nam eo ipso donatio cessat, nec ad hæredes defuncti jus ullum pertransit.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Praecedentis Doctrinae.

I. *Promissio, si juramento de ea non revocanda fulciatur, revocari non potest ante acceptationem.*

II. *Promissio prodiga non obligat, licet juramento firmata,*

III. *Promissio acceptata, quando acceptata censeatur silentio, vel consensu alterius personæ a promissario distinctæ.*

IV. *Utrum promissio liberalis onere gravari possit.*

V. *Quando donatio facta ob aliquem finem, vel causam, his etiam deficientibus, valeat.*

VI. *Quando cadat donatio adveniente prole legitimata.*

VII. *De donationibus interdictis.*

Consectarium Primum.

I. PROMISSIO alteri facta; etiam ante hujus acceptationem, si juramento fulciatur de ea non revocanda, obligat. Non desunt Theologi, qui hujusce consectarii veritatem inficientur: quippe qui putant, adjectum juramentum naturam, indolemque promissionis non mutare; proinde cum promissio nondum a promissario acceptata semper revocabilis sit, talis permanet etiam adjecto juramento. Ita sentiunt Molina, Sanchez, aliique a Salmaticensibus citati. At eorum opinio minus probabilis videtur. Quandoquidem licet talis promissio in se spectata revocabilis sit, tamen superaddito juramento, non ex virtute fidelitatis, sed ex vinculo religionis redditur irrevocabilis. Proinde promissionis indolem non mutat, sed sibi juramento vinculum imponit de revocatione, quæ ex indole promissionis non acceptatæ locum haberet, non facienda. Et revera, qui concipi potest illum perjurum non esse, qui, cum juraverit se non revocaturum, postea revocet? Nonne juramentum violat, cum, quod pollicitus est sub juramento, non prestet?

præ-

Præterea obligatio promissionis a duorum consensu pendet, promittentis scilicet, & promissarii acceptantis: unde utriusque requiritur consensus. At juramentum de non revocanda promissione a sola jurantis voluntate pendet: obligat igitur independenter ab alterius vel consensu, vel acceptatione.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Promissio prodiga non obligat, licet juramento firmata. Sunt plures Theologi, qui hanc propositionem in tota sua amplitudine veram non arbitrantur: sed distinguendum censent, nimirum non obligare, quando donatio promissa ita prodiga est, ut sine peccato executioni mandari non possit; vel si fraus, & dolus ad illam extorquendam adhibita fuerint: at extra has circumstantias non est, inquiunt, unde efficiatur irrita promissio, de donatione alioquin prodiga, præcipue si juramento firmata fuerit; multa enim, quæ fieri prohibentur, facta tamen tenent, & quod non sine peccato promissum fuit, sine peccato præstari potest, immo nequit sine peccato omitti. Nam donatio, quæ nulla præmissa promissione, atque secundum se spectata invenitur vitio prodigalitatis affecta, supposita tamen obligatione, vel ex promissione, vel ex juramento resultante, non amplius prodigalitatem sapit, sed est debita, vel ex justitia, vel religione. At puto non esse hanc limitationem admittendam. Quandoquidem si, ut ipsi fatentur Theologi, non tenet promissio prodiga, quando sine peccato non potest executioni mandari; sequitur nunquam revera tenere, cum nunquam sit sine peccato donatio prodiga. Nam prodigalitas promissionis non in ipsa promissione invenitur, quæ, cum sit verbalis, nec promittentem re sua realiter privat, nec alteri imprudens beneficium confert, sed in ipsa datione, seu donatione, quæ profecto si prodiga est, culpa non vacat, nec sine peccato præstari potest. Ergo non obligabit juramento etiam adjecto, quod verteretur in deteriorem exitum, & esset iniquitatis vinculum. At inquiunt, multa quæ fieri prohibentur, facta tamen tenent; & quod non sine peccato promissum fuit, sine peccato præstari potest. Fateor; at quando prohibitio, & peccatum non in ipsam refunditur executionem, ut patet in illo, qui meretrici mercedem pollicetur pro sui corporis copia: hic enim profecto peccat promittendo ob iniquitatem, quam postulat; at non peccat solvendo consummato peccato, quia illa datio non est amplius illicita, utpote a legibus permissa in pœnam libidinis. At in donatione prodiga tota reperitur prodigalitatis malitia, ex qua prodigalitate promissio malitiam accipit; ergo sine peccato executioni mandari non debet, sicut nec polliceri poterat. At urgent, non est amplius prodiga datio, quando vel ex justitia est debita, vel ex religione. Verum hæc est petitio manifesta principii, & supponit id, quod est in controversia, nimirum promissionem prodigam, & juramento firmatam, ex justitia, & religione obligare, quod aperte inficiamur; cum jam a culpa sit inseparabilis donatio prodiga, nec prodiga possit non esse promissio, si prodiga sit donatio. Nec urget paritas promittentium vel pecuniam latroni, vel solutionem usurarum fœneratori, quorum promissio, si juramento firmetur, valida est, & religionis nomine implenda. Nam in utroque casu & necessitas urget promittentem, & tota malitia

litia non ex parte promittentis se tenet, sed ex parte extorquentis: proinde cum utraque solutio malitiam non involvat, ob reverentiam divini nominis licita est, & omnino facienda. Hoc denique animadvertendum puto, nimirum, si promissio prodiga sit de re dividua, impleri posse & debere pro ea tantum parte, quæ prodigalitatis excessum declinat, præsertim si sit juramento firmata, ob reverentiam divini nominis, hoc enim pacto res in tuto ponitur, nam fides data, & religio voti servantur, & prodigalitatis vitium omnino vitatur. At si individua sit, implere non tenetur, quod sine peccato præstare non potest.

Consectarium Tertium.

III. Promissio gratuita vim habet obligandi, licet promissarius solo silentio eam acceptet, vel ab aliqua tertia persona ejus nomine acceptetur. Prima hujus consectarii pars ostenditur: quia licet silentium, & taciturnitas sit ex se indifferens ad consensum, vel dissensum; tamen, quando res cedit in commodum, & utilitatem tacentis, ejus silentium pro consensu accipitur, juxta legale axioma, *qui tacet, consentire videtur*; secus tamen in onerosis. Nonnulli tamen in aliquo casu arbitrantur, silentium consensum non indicare, licet promissio sit gratuita, & favorabilis; nimirum quando promissarius sincero animo a tali promissione abhorret, nec recusat aperte ob reverentiam erga promissorem; ut si Episcopus, vel alius Superior subdito Beneficium, vel Præbendam satis lucrosam offerat, & polliceatur, subditus vero a talibus Ecclesiasticis proventibus abhorrens, solum tacet, ne Prælatum recusatione offendat, vel Beneficium flocci facere videatur; tunc silentium acceptationem, & assensum non indicaret. Altera vero pars tunc solum vera est, quando acceptatio non a quocumque fiat, sed ab illis tantum, qui a jure habiles declarantur ad promissionem stipulandam, vel acceptandam pro alio. Hujusmodi autem sunt, 1. qui a promissario commissionem generalem, vel specialem habent ad stipulandum pro ipso. 2. Personæ, quæ sunt constitutæ sub jure illius, in cujus favorem cedit promissio: sic potest acceptare filius non emancipatus pro patre, servus pro domino, Religiosus pro Religione; non autem famulus mercenarius pro eo, cui famulatur, nec subditus pro Principe. 3. Qui curam alterius gerunt, ut Tutor pro pupillo, Curator pro minore, & ut aliqui censent Princeps pro subdito: hic enim cum alteri pro tertia persona stipulandi facultatem præbere possit, videtur multo magis per se ipsum ea uti posse. 4. Et ille pro alio stipulari potest, qui ex promissione absenti facta aliquod commodum reportat, vel aliquo onere liberatur; ut creditor pro debitore, socius pro socio in negotiatione, uxor pro marito. 5. Docent etiam plures Juris Canonici Doctores, quemlibet privatum posse acceptare promissionem factam in favorem Ecclesiæ, & ad pias causas, juxta Glossam communiter acceptam in Cap. *Quamvis cordis* &c. Præter has personas, si quis pro alio stipulari velit, atque promissiones gratuitas acceptare, prorsus inutiliter ageret; quoniam hujusmodi stipulationibus jura civilia resistunt, irritasque declarant: præter quam quod lege naturali etiam earumdem inutilitas, & inefficacitas constat, cum nihil intersit ejus, qui acceptat, promissio alteri facta ad effectum, ut ali-

aliqua obligatio in promittente consurgat. Duo tamen adhuc sunt observanda circa acceptationem promissionis a tertia persona præstitam. Primum est, requiri, ut acceptatio pro altero valeat, promissionem, saltem implicite dirigi ad præsentem, qui pro alio acceptet: nam si quis dixerit, promitto Petro absenti me illi centum daturum, non proinde ullam contrahit obligationem, etiamsi iste, qui præsens est, pro Petro absente promissionem acceptet, utpote ad quem nullo modo pertinet promissio facta. Quod si dixerit, promitto tibi me daturum. Petro absenti centum; vel absolute nominata solum persona, in cujus Beneficium promissio cedit, dixerit, promitto me daturum Petro absenti centum; in utroque casu valide acceptatur promissio a præsente, ad quem censetur directa, etiamsi prout in secunda formula ejus expressa mentio non fiat: sic enim ex communi sensu, & modo contrahendi solet accipi, tanquam ad præsentem directa. Valet, inquam, promissio ad effectum, ut amplius revocari non possit; non tamen ad effectum, ut etiam executioni debeat demandari, nisi subsecuta acceptatione personæ absentis, in cujus favorem est emissa; ante istam enim adhuc pendula manet. Alterum est, promissionem acceptatam a tertia persona nomine absentis non posse condonari, juxta probabiliorem sententiam, ab ipso acceptante (si tamen gratuita sit, & liberalis; nam de onerosa, & respectiva aliter sentiendum) cum per acceptationem semel præstitam jus absenti jam sit acquisitum: quapropter nisi huic juri suo nuntium remittat, absolvi non potest promissor ab onere, & obligatione contracta. Excipiunt tamen casum, in quo qui acceptavit, vicissim ad aliquid præstandum promittenti semet obstrinxerit: nam tunc potest beneficium alterius remittere, quod cum proprio gravamine comparatum est. Quod si promissio absenti fiat per internuntium, hæc ad promissionis valorem sunt observanda. 1. Non satis est, ut qui promissionem audit, alteri absenti ex libito, & voluntate sua renuntiet; sed requiritur, ut id fiat permissione, & mandato promittentis. 2. Ut renuntiatam hoc modo promissionem coram ipso nuntio, vel per literas ipsi datas, se acceptare promissarius manifestet. 3. Si promissor revocet promissionem, & hoc noverit internuntius, antequam scribat, vel referat promissionem, valida est revocatio: si vero hæc non innotescat præfato internuntio, valet promissio post acceptationem promissarii. 4. Cessat obligatio promissionis, si promissarius ante acceptationem decedat; nec jus ejus ad hæredes transit, cum omnino personale sit, & promissor libenter huic promittat, vel donet, quod ejus hæredibus nec vendere vellet. 5. Si vero promittens ante acceptationem decedat, potest adhuc promissarius eam acceptare, cum promissio ex parte promittentis jam completa omnino fuerit, nec revocata, atque adhuc fortassis perseveret vel in internuntii attestatione, vel in litteris; & præterea promissio gratia, & favor est, qui cessare non censetur morte promittentis.

Consectarium Quartum.

IV. Promissioni gratuitæ ante acceptationem onus imponi potest; secus vero secuta acceptatione. Utraque pars jam de se comperta est; sicut enim totam revocare poterat promissor, sic etiam aliquo afficere gravamine; sed secuta acceptatione novum onus imponi

non posse pro certo habendum est; quia jam promissarius jus ad rem sine opere consequendam per acceptationem obtinuit: ergo sine onere impleri debet. Quod si quis acceptavit donationem, cui in favorem tertiæ personæ onus aliquod adjectum erat, e. ex. domum per quinquennium inhabitandam cum onere Petrum hospitem recipiendi quater in anno advenientem; tunc etiamsi illa tertia persona jus aliquod acquisierit, si tamen per se ipsam non acceptaverit, censetur illud jus semper revocabile usque ad tempus impletionis, immo, ut aliqui putant, etiam transacto tempore, nisi forte ea tertia persona fuerit Civitas, Ecclesia, aut locus pius; tunc enim ad constituendam irrevocabilem promissionem sufficit donatarii acceptatio.

Consectarium Quintum.

V. Donatio facta ad certum usum, vel ob aliquem finem, vel imposito aliquo onere, aliquando valida est, & subsistit, licet vel finis non obtineatur, vel talis usus non præstetur, vel injunctum onus non impleatur. Declaratur hujus consectarii doctrina. Nam in hujusmodi donationibus inspiciendum, num donatio solum fiat ad alliciendum donatarium, ut talem usum præstet, vel finem quærat, vel opus impleat; tunc enim his deficientibus vim habet, & revocari non potest: ut si quis centum donet puellæ alicui, ut nubat, vel ut ejus consensum ad matrimonium inflectat, etiamsi puella aut moriatur, aut cælibem vitam eligat, non proinde donatio vim amittit; censetur enim facta solum alliciendi causa ad talem effectum, non vero ad obligandam puellam, ut talem usum, vel finem, vel onus reipsa præstet. Et hujus generis sunt donationes, quæ fiunt a clientibus patronis suis, vel dominis, vel nobilibus eo animo, ut eos protegant, eisque pro opportunitate auxilientur: qui si postea vel protectionem denegent, vel auxiliari nolint, non sunt tamen irritæ habendæ donationes. At contra, si donatio fiat animo obstringendi donatarium ad præscriptum usum, vel opus, tunc eo cessante, proculdubio revocabilis est; quoniam donator suam intentionem limitavit per eam præscriptionem, ut ea non servata locum non habeat. Non displicet etiam, quod alii Theologi docent, nimirum inspiciendum, num ille finis sit principalis, vel tantum accessorius. Si enim finis principalis donationis defecerit; tunc, cum deficiat donationis objectum, & veluti substantia, donationem minime valere perspicuum est: ut si quis Monasterio donet centum, ut anniversarium pro suis defunctis celebret, profecto donatio esset revocabilis, si onus susceptum non implerent Religiosi. At si finis donationis sit accessorius, & minus principalis, censent, etiam eo deficiente, donationem valere: ut si quis puellæ pauperi centum donet, ut subveniat ejus necessitati, & simul ut consensum eliciat ad matrimonium; licet hæc nubere nolit, non erit invalida donatio, ut superius diximus. Quod pariter est dicendum, cum donatio fit ex aliqua causa, quæ non subsistit: nimirum inspiciendum, num illa fuerit causa, vel totalis, vel principalis donationis: & tunc ea deficiente nulla erit donatio, vel est solum causa minus principalis, & accidentaria; & tunc illius defectus donationem non tollet, nec irritabit.

CON-

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Non cessat donatio facta, si proles illegitima subsequatur; at cessat, si hæc legitima fiat subsequens matrimonium. Prima pars hujus Consectarii ex ipsa lege eruitur, quæ solum de legitimis loquitur filiis; quamobrem non est ad illegitimos extendenda, quibus non nisi jus tribuit alimenta a parente exigendi. At, si filius per subsequens Matrimonium legitimus evadat, corruit donatio; cum tunc patriæ subjiciatur potestati, & filius legitimus evadat. Immo licet illegitimus filius ante donationem natus fuerit, & postea per subsequens Matrimonium cum ejus matre celebratum legitimus fiat, corruit facta donatio. Nec obstat Matrimonium videri posse celebratum in fraudem donationis ad eam infirmandam. Nam 1. jus habet Matrimonium celebrandi cum quacumque muliere; cum per donationem hoc jus non amiserit: ergo & cum matre filii illegitimi. 2. Nato ex quocumque Matrimonio filio corruit donatio: ergo & ex illo, quo filius illegitimus evadit legitimus; cessabit præfata donatio, cum tunc filius inter veros, & legitimos filios annumeretur. Quod si filius post donationem natus moriatur, priusquam sit revocata donatio, subsistit ne donatio? Minime, nam ipso facto corruit donatio, & lex statuit cap. de revo. donat. infantis nativitate secuta, *totum quidquid largitus fuerat, revertatur in ejusdem donatoris arbitrio ac ditione mansurum*: immo ipsius donatoris hæredes possunt rem donatam repetere, si id donator non præstiterit; cum penitus in nihilum sit redacta donatio, sola filii nativitate.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Triplici Constitutione Clementis VIII. 28. quæ incipit *Religiosæ*, & Urbani VIII. Constit. 48. quæ incipit *Nuper.*, & novissima Bened. XIV, quæ incipit *Pastor bonus*, quoad donationes, vel largitiones munerum hæc statuuntur. 1. In Bulla Clem. VIII. interdicitur Regularibus utriusque sexus munera notabilia largiri, sive per se, sive per alium, sive directe, sive indirecte, sive palam, sive occulte, sive communi, sive particulari, aut proprio nomine, nisi in generali capitulo, aut generali Congregatione, re mature discussa, unanimi superiorum permissu causa adprobata fuerit. 2. Interdicitur munera largiri, ut per ea sibi viam parent ad dignitates, & officia, & gradus, sive superioribus, sive æqualibus, sive inferioribus Clericis, vel Laicis donent. 3. excipiuntur munera de rebus minimis, aut de levioribus esculentis, & poculentis, sive de pertinentibus ad devotionem, vel Religionem. 4. Jubet, ut recipientes præfata vetita munera restituere debeant non Religiosis, qui largiti sunt, sed Monasteriis, sive Conventibus, ad quos data, seu missa de jure pertinent. 5. Declarat consuetudinem quamlibet hac in re neminem a peccato excusare. 6. Graviter peccare Superiores, qui Constitutionem Pontificiam in Monasteriis a suis subditis observari non curant. 7. Nec licere Regularibus aliquid notabile commodare, vel mutuo dare alteri, animo amplius non repetendi. 8. Nec rem notabilem ab alio sibi datam, & expresse, vel tacite acceptam jubere, vel rogare, ut alteri tradatur. 9. Nec consanguineis, vel aliis condonare solutionem legati, pensionis, alteriusve debiti. 10. Nec denique residuum vitalitiæ

tiæ pensionis, vel aliorum redituum, seu bonorum suis usibus permissorum, quando extra Cœnobium commorantur, donare. Hæc omnia sua Constitutione confirmavit Urbanus VIII. hisce solum adjectis declarationibus 1. Non peccare, qui leviora esculenta, & poculenta, & munuscula ad Religionem, & devotionem pertinentia de suorum Superiorum licentia largiuntur, modo id *modeste*, *&* *discrete* fiat. 2. Ex causis gratitudinis, conciliationis, & benevolentiæ in Ordinem, & Conventum, sive Congregationem Religiosam: item causa pietatis, caritatis, hospitalitatis, aliisque causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus, discretam, & modestam munerum largitionem cum Superiorum majorum, aut localium licentia fieri posse a viris Religiosis. 3. Remunerationes etiam, & grati animi vice largitionem modestam, & discretam de Superiorum licentia indulget idem Pontifex Summus vero Pontifex Bened. XIV. confirmatis primum prædictis Prædecessorum suorum constitutionibus, ulterius sibi reservat crimen illorum, qui a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, dono accipiunt ultra valorem decem scutorum, nulla tamen inflicta censura. 2. Declarat nec Summum Pœnitentiarium posse ab hujusmodi delicto reum absolvere, nisi facta restitutione; vel, si de præsenti nequeat adimplere, cum obligatione eamdem, quamprimum poterit, faciendi. 3. Qui vero infra prædictum valorem ejusmodi munera receperint, eos injuncta ab ipso Majore Pœnitentiario, seu Confessario per eum eligendo eleemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda est restitutio, si caute fieri possit, erogetur, absolvere, seu absolvi mandare possit. Hisce Pontificiis Constitutionibus præ oculis habitis evanescunt omnes illæ quæstiones, quas instituunt plures Theologi etiam probabilioristæ, inquirentes, quantum possint Religiosi privati donare de pecuniis sibi ad usum concessis, sive a parentibus donatis, sive proprio labore, & industria partis; & statuentes posse vel duodecim ducatos in singulis annis, vel duos aut tres aureos, vel plus, minusve arbitrio prudentis, & discreti viri; cum de pecuniis in munus donandis nullus sit jota, aut apex in præfatis Bullis Clementis VIII. & Urbani VIII. Benedictus vero omnem pecuniariam elargitionem prohibeat. Quod si in itinere occurrat aliquid donare ob aliquod præstitum servitium tunc a bajulis, sive a comitantibus, sive a deferentibus sarniculas; hoc est dimetiendum ex labore præstito, & ex necessitate operis, & potius mercedis locum habet, quam donationis.

CAPUT TERTIUM.

De Commodato, Precario, & Deposito.

DOCTRINA.

I. *Commodati definitio traditur, & explicatur.*
II. *Commodatarii munia, & onera.*
III. *Quænam sit culpa lata, levis, & levissima exponitur.*
IV. *Commodantis munia, & onera.*
V. *Quid sit precarium commodato simile.*
VI *Quid sit precaria Ecclesiastica.*
VII. *Depositi definitio, & natura exponitur.*
VIII. *Depositarii munera, & onera.*

I. HAS tres contractuum lucrativorum species ad unum caput revo-

vocamus : quia tametsi de singulis latam habeant tractationem Juristæ ; pauca tamen, & facilia sunt, quæ Theologis circa easdem scitu necessaria occurrunt. Incipiamus a commodato, cujus naturam, & obligationes ex eo provenientes explicabimus. Nomen commodati sæpius in jure tribuitur rei, & materiæ, quæ commodatur : hic tamen a nobis accipitur, non pro materia contractus, sed pro ipsomet contractu. Definitur ergo ex Glossa in Cap. unic. de commodato : *Rei alicujus ad certum, & determinatum usum gratuita concessio*. Nomine *rei alicujus* tum res mobilis ut vestis, equus, gemma &c. tum etiam res immobilis, ut domus, fundus &c. designatur ; utriusque enim generis bona ad certum aliquem usum concedi possunt, retenta a commodante ipsorum proprietate, & jure ad quoslibet alios usus. Solum excipiuntur a materia commodati ea bona, quæ solo usu consumuntur ; ut esculenta, poculenta, pecuniæ, & hujusmodi : hæc enim, si concedantur ad usum, mutuari dicuntur, non commodari ; quia in ipsomet usu destruuntur, eademque in specie, seu melius in individuo, ut loquuntur Theologi, restitui non possunt. Dicitur *gratuita concessio*, in quo commodatum differt a locatione, emphyteusi, aliisque onerosis contractibus, in quibus conceditur usus ob certum stipendium. Additur *ad usum determinatum*, per quam particulam differt commodatum tum ab iis contractibus, in quibus dominium transfertur, ut sunt mutuum, donatio &c. tum etiam ab illis, in quibus jus quidem rei servandæ præbetur, non autem ea utendi, ut fit in pignore, hypotheca, deposito &c. Indicant etiam hæc verba ex pluribus usibus, quibus res deservire possunt, unum tantum, vel alterum a commodante posse determinari, ultra quem non possit commodatarius absque injuria, & injustitia rem concessam adhibere. Demum ut omnia, quæ ad naturam commodati faciunt, in allata ex Glossa definitione comprehensa intelligantur, eadem postrema verba *ad certum, & determinatum usum* debent extendi etiam ad certam temporis determinationem complectendam: per hoc enim commodatum maxime differt a precario, quod in hoc posteriori nulla fiat præscriptio temporis, sed, quandocumque libuerit, dominus rem concessam precario poterit ad se revocare ; non item in commodato, in quo per certum tempus est commodatario necessario relinquenda.

II. Ex commodato uterque contrahens suas sortitur obligationes. Commodatarii hæ sunt. 1. Non potest uti re sibi concessa ad alium usum præter definitum a commodante, nec ultra tempus taxatum, si secus faciat, peccat contra justitiam ; & tenetur Domino compensationem injuriæ, atque damni, fortassis inde enati, præbere. Ut si quis equo sibi ad iter faciendum concesso utatur ad trahendum onustum plaustrum, in quo casu equus nimis defatigatur ; vel si eodem dato ad eundum Mediolanum usque ad prolixius iter utatur. 2. Tenetur commodatarius expensas ordinarias, quæ necessariæ sunt ad rei commodatæ conservationem subire, c. ex. equo sibi commodato, vel servo cibaria præbere, & medicinas ordinarias ; expensæ tamen extraordinariæ ad commodantem pertinent, ut ædes collapsas resarcire: nam sicut priores cedunt in utilitatem commodatarii, sic posteriores commodantis beneficio cedunt ; ac proinde si forte com-

commodatarius ad eas faciendas necessitate adactus fuisset, actionem haberet adversus commodantem pro sua indemnitate. 3. Tenetur commodatarius eam in conservando commodato diligentiam adhibere, quam Patres familias diligentissimi in consimilibus rebus custodiendis adhibere consueverunt: adeo ut quamvis, si res pereat ex casu fortuito, domino perire censeatur, nisi in casu, quo fortuitum istud contingeret, dum est in mora culpabili restituendi, vel alias se se obligasset expresse etiam pro casu fortuito; tamen si ex quacumque, nedum fraude, sed etiam vel levissima culpa accidat, rem datam aut perire, aut effici deteriorem, pertinet ad ipsum commodatarium, indemnem servare dominum rei; & id quidem verum est attenta commodati natura, quod in solius accipientis utilitatem fieri solet, ut statuitur in jure can. cap. *Cum gratia*, Ext. de commodato, ubi Greg. IX. sanxit, *cum gratia sui tantum quis commodatum accipiat*, *de levissima etiam culpa tenetur*. Potest tamen quandoque contingere, ut non ad accipientis, sed ad dantis commodum, vel saltem utriusque gratia, res commodetur; ut si quis pretiosum aliquid sponsæ suæ commodet, ut ornatius, & decentius ad se adducatur, id enim facit proprii honoris intuitu; vel si quis vasa argentea commodet ad excipiendum convivio communem amicum, vel æquum præbeat agenti suo, ut ad negotia familiæ suæ curanda citius iter agat; atque tunc regula data exceptionem admittit: & si quidem agatur de solo commodantis honore, vel beneficio, commodatarius solum de dolo, aut lata culpa tenebitur casu quo res amittatur, vel pereat; si autem uterque ex commodato utilitatem reportet, de levi quidem culpa commodatarius tenebitur, non vero de levissima.

III. At quoniam frequentius & in superioribus meminimus culpæ latæ, levis, & levissimæ, & in sequentibus sæpius mentio recurret, operæ pretium est hic hujus culpæ gradus, & species exponere. Culpa lata quandoque in jure dolus malus appellatur; sed tunc culpa lata non stricte, sed generaliter sumitur: dividitur enim ample sumpta culpa, in latam, latiorem, & latissimam. Latissima culpa est dolus expressus, latior dolus tacitus, lata vero proprie sumpta a dolo distinguitur: quoniam dolus semper conjunctum habet consilium, & intentionem data opera, ut res pereat, aut deterioretur, unde ex malitia procedit; at culpa lata neque ex consilio, neque ex malitia progreditur, sed excrassa, & culpabili negligentia, præterea notandum est, aliter a Theologis culpam explicari, aliter a Juristis; at exactius loquendo, aliam esse culpam juridicam, aliam Theologicam. Theologica est deviatio a regula rectæ rationis contra legem Dei, unde continet peccatum mortale, aut veniale. Juridica vero est deviatio a regulis juris positivi aliquid imponentis, & præscribentis pro custodia rei alienæ, vel damno alterius evitando. Quandoque coincidunt culpa Theologica, & culpa juridica, quandoque separantur: e. ex. Si quis monile aureum suæ custodiæ commendatum in vestibulo domus apertæ relinquat, culpam juridicam incurrit; adeoque si contigerit furto illud occupari, legibus civilibus ad restituendum pretium adstringitur, sed simul etiam hic culpa Theologica non caret; adeo ut etiamsi jus positivum nihil de ejus obligatione statuisset, nihilominus ex lege naturali justitiæ commutativæ esset re-

restitutioni obnoxius. Culpa juridica itaque dividitur in latam, levem, & levissimam. Lata est omissio diligentiæ in re aliena custodienda, vel damno proximi vitando, quam homines diligentes, & prudentes communiter solent adhibere, & qua bonus pater-familias utitur in rebus propriis conservandis: ut si quis librum sibi comodatum, (utor exemplis in jure allegatis) relinqueret in ostio aperto suæ domus, vel equum alienum relinqueret per triduum sine custodia in prato pascuali, vel poculum aureum relinqueret super mensam in domo ludi, in quam plures ingrediuntur: quæ culpa, ut mox dicebamus, aliquando in jure cum dolo malo confunditur, quoniam videtur illi admodum proxima, ut quando dicitur in Institut. commodatarium non teneri nisi de dolo malo; cum certo certius sit, teneri etiam de culpa lata, immo & levi, & levissima, ut superius diximus. Culpa levior est omissio illius diligentiæ, quam solent homines diligentiores in custodiendis rebus specialiter adhibere: ut si quis depositum aliquod magni momenti claudat quidem in arca, non tamen sera, & clavibus firmet. Tandem culpa levissima est omissio illius diligentiæ, quam solum homines cautissimi, & circumspectione abundantes præstare consueverunt: ut si quis rem, quam habet in custodia, in arca quidem clavi obserata deponat, non tamen postea manu tentet, aut exploret, utrum arca firmiter clausa sit. Sed de hoc iterum in Tract. de Restitutione.

IV. Quoad obligationes vero commodantis principalissima est, qua tenetur non repetere commodatum ante tempus determinatum, & usum completum: jam enim commodatarius jus acquisivit ex contractu commodati ad talem usum toto eo tempore percipiendum. Et ita statuitur a Gregorio IX. Cap. *Cum gratia* Ext. *de commodato* dicente: *Contra eum recte commodati non agitur nisi post usum expletum, cujus gratia res fuerat commodata, cum non decipi beneficio reos oporteat, sed adjuvari*. 2. Commodator, si forte rem vitiosam scienter alteri commodaverit, e. ex. vasa vinaria, vel aliis liquoribus continendis effecta, cum latente vitio a se minime ignorato, cujus causa contingit vinum, oleum, aliosque liquores a commodatario immissos aut corrumpi, aut effluere, tenetur hujus damni jacturas commodatario resarcire, utpote ex fraude, & dolo provenientes; ut statuitur l. 18. §. 3. ff Commodatum: *Qui sciens vasa vitiosa commodavit, si ibi infusum est vinum, vel oleum effusum, corruptum est, condemnandus est eo nomine*. 3. Tenetur commodans ad expensas extraordinarias occurrentes pro rei commodatæ conservatione, cum in ejus beneficium redundent, ut superius diximus.

V. Precarium vero definitur a Ulpiano l. 1. ff. de Precario, *quod petenti precibus utendum conceditur, quoadusque is qui concedit, passus fuerit*. Materia itaque precarii possunt esse tum res mobiles, tum immobiles, tum corporalia tum incorporalia, e. ex. jus servitutis, & alia jura. Differt a commodato in eo, quod in precario nec usus determinatur, nec tempus; sibi enim reservat ille, qui concedit, jus repetendi, quandocumque placuerit; quod tamen ita intelligendum venit, ut non statim repetat, alioquin illusoria, & nullius momenti foret illa concessio. Immo si non justitia, saltem caritas concedentem adstringit, ut non repetat, quoties id fieri nequit sine gravi detrimento utentis; si alioquin damnum non immineat in

in dilatione ipsi domino. Obligationes accipientis precario sunt eædem, ac quæ commodatarium afficiunt, hoc solo servato discrimine, quod in casu, quo res accepta precario perire contingat, non tenetur accipiens ex culpa levissima, nec ex levi, sed solum ex dolo, & culpa lata, quamvis etiam precarium sit in utilitatem solius accipientis. Ita statuitur L. *Quæsitum est §. eum quoque* ff. & L. contractus ff. de regulis juris. Hujus discriminis ratio assignatur in ipso jure, quoniam nimirum cum dominus rei possit ad libitum repetere rem precario datam, potest hoc modo sibi abunde consulere, si forte cognoverit rem suam periclitari ex negligentia utentis: quamobrem si hoc medio non utatur, jam consentire videtur in damnum sibi proveniens ex culpa levi, & levissima rem habentis. Triplici vero modo finitur precarium. 1. Revocatione ipsius domini. 2. Morte illius, cui concessum fuit; cum enim sit personale beneficium, ad hæredes non transit: morte vero concedentis non semper terminatur, sed potest expectari revocatio facienda ab hæredibus de precario concesso conscii, si vero ignari, admonendi sunt. 3. Venditione facta alteri personæ a domino rei precario datæ.

VI. Est & aliud genus precarii, quod in jure canonico contractus *precariæ*, seu *precaria* in singulari nuncupatur, & definitur *Contractus, quo alicui ad preces, ac plerumque causa remunerationis, usufructus alicujus prædii, vel alterius rei Ecclesiasticæ immobilis conceditur ea lege, ut singulis quinquenniis renovatio hujus contractus petatur*. In pluribus distinguitur a communi precario precaria, 1. Quia illud potest fieri etiam de rebus mobilibus, hæc vero solum circa res immobiles. 2. Precarium ad nutum concedentis revocabile conceditur: Precaria vero ad certum tempus, ante cujus lapsum revocari non potest. 3. Precarium fit brevi manu, & privata concessione; ad precariam vero requiruntur solemnitates juris, cum alienationem importet rei Ecclesiasticæ. Aliqui tamen juris canonici Doctores putant eas solemnitates non requiri, si non concedatur ultra triennium. Expirat autem precaria hæc, quando post quinquennium non est quæsita, & obtenta ejus renovatio.

VII. Superest dicendum de deposito, ejusque obligationibus. Depositi nomen multoties tribuitur rei, quæ alteri traditur custodienda: sed in præsenti sumitur pro contractu gratuito, & liberali, *quo aliquid gratis custodiendum alteri traditur, ut integrum restituatur*. Itaque in hocce contractu nec rei dominium transfertur, ut in mutuo, neque ususfructus, aut usus, ut in commodato. Dicitur autem, quo res *gratis* custodienda committitur, ad indicandum discrimen inter depositum, & alios contractus, per quos onus custodiendæ rei suscipitur non gratuito, sed mercedis, aut pretii gratia; si enim aliquid accipiatur pro re custodienda, potius locationis, & conductionis negotium erit, quam depositi; ille enim, qui pretium recipit, locat operam suam deponenti pro custodia rei commissæ. Differt etiam depositum a pignore, quod in hoc rei custodia fit solum ad cautionem creditoris, non autem in utilitatem deponentis. Materia depositi propria sunt res mobiles, vel se moventes: nihilominus etiam in immobilibus locum habet aliquando depositum, quando videlicet controversia est de rei proprietate, & neuter litigantium possessionem potest allegare, vel qui possidet, contra

tra ordinem juris possidet; tunc itaque mandato judicis deponuntur, quæ sunt in controversia, apud tertium aliquem, qui dicitur *sequester*, vocaturque hoc depositum judiciale; sicut & illud, quo creditore recusante accipere debitum, a debitore fit ex præcepto judicis illius depositio, ut a debito liberetur. Sed nos hic loquimur potius de deposito privato, quod fit consensu, & voluntate deponentis, & depositarii, sive sit necessarium, quando scilicet cogitur deponens ob necessitatem aliquam, & periculum rei, dum servatur a domino; sive nulla premente necessitate fiat, in quo casu dicitur voluntarium. Perficitur autem iste contractus re, & traditione, quando scilicet & deponens rem ipsam consignat, & depositarius suscipit onus eam custodiendi: neque enim sufficit, ut res deponatur in domo alterius expresse, vel tacite non consentientis, nisi forte sit talis, cui ex officio competat custodire; cujusmodi sunt Caupones, Aurigæ, Naucleri, & alii, qui solent res sibi commissas aut servare aut alio transferre: tunc enim si ipsis videntibus, & non repugnantibus res deponatur apud ipsos, puta in Caupona, in Curru, in Navi, tiæ depositum factum esse censetur. Ita sancitur L. unica *furti* ad Nau. ff. *In eos, qui naves, cauponas, stabula exercent, si quid a quoquam eorum, quosve ibi habent, furtum factum esse dicetur, judicium datur.*

VIII. Obligationes depositario ex depositi traditione consurgentes recensendæ sunt. 1. Tenetur ille res sibi traditas ea diligentia custodire, qua solent Patres-familias prudentes proprias res conservare, cujusque omissio constituit culpam latam: nam, si alioquin res pereat, nedum fortuito, sed etiam ex levi, vel levissima negligentia, minime ad resarciendum damnum obligatur depositarius, eo quod depositum sit ex illis contractibus, qui fiunt in solam dantis utilitatem; nam si quid præbeatur pro cura depositi, eo ipso naturam depositi amittit. Ita docet & S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6. scribens: „ *Tertio modo aliquis* accipit rem alterius absque injuria, non pro sua utilitate, sicut „ patet in depositis: & ideo *ille, qui* „ *sic accepit, in nullo tenetur ratione* „ *acceptionis; quinimmo accipiendo impendit obsequium: Tenetur autem ratione rei.* Et propter hoc, si ei subtrahatur res absque sua culpa, non „ tenetur ad restitutionem: secus autem esset, si cum magna sua culpa rem „ depositam amitteret “. 2. Non potest depositarius absque peccato usu rei apud se depositæ fungi: res enim sibi tradita fuit ad meram custodiam, non ad usum: Quapropter in jure civili reus furti habetur, qui re deposita citra deponentis voluntatem utitur: & si quid damni inde oritur deponenti, ut fere indispensabile est in his rebus, quæ usu consumi solent, potest deponens compensationem exigere; & tenetur depositarius præstare; nec non & pretium pro usu rei depositæ, si talis fuerit, ut æstimationem aliquam habeat, & alias exigatur a deponente. 3. Tenetur depositarius fideliter restituere rem depositam, quoties dominus eam repetit: nec suffragatur ad eam licite, & juste retinendam, fuisse depositam ad vitam deponentis, aut ad certum tempus, quod nondum expiravit: siquidem non obstante hac temporis præfixione, depositum ex natura sua est semper ad nutum domini revocabile, & illa temporis determinatio non fit ad obligandum deponentem, ne possit

possit antea repetere, sed solum ad obligandum depositarium, ne ante illud tempus ab onere custodiæ se absolvat. Non etiam valet ad negandum depositum titulus compensationis; quoniam videlicet depositarius aliquid a deponente sibi debitum esse prætendit. Siquidem jura civilia prohibent fieri compensationem in re deposita, ut illibata semper maneat fides depositorum. Probabilistæ asserunt, hanc prohibitionem solum tenere pro foro externo; at spectato jure naturali nihil obstare, quin depositarius sibi retineat depositum in compensationem, dummodo debitum liquidum sit, nec alia via solutionem obtinere possit, quod indicat, humanos legislatores sanctiores esse in custodienda depositorum lege, quam sit ipse Deus auctor naturæ, qui permittit, immo adprobat aliquando violari depositum obtentu compensationis, quæ & ab ipsa civili lege reprobatur; quamobrem Deus juste coronat compensationem occultam, quam juste homines vetant, & puniunt. Sed de hoc satis & abunde diximus in Tract. de Contractibus in communi.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Commodatarius quando res commodatas propriis præferre debeat.*

II. *Quando commodans ante tempus commodatum possit repetere.*

III. *Quando commodatarius re commodata uti possit ultra concessionem.*

IV. *Quando teneatur ad restitutionem ex casu fortuito.*

V. *Num depositarius teneatur aliquando ex culpa levi, vel levissima.*

VI. *Num possit aliquando uti re deposita.*

VII. *Quando non peccet, licet depositum non restituat.*

VIII. *Ecclesia, & Monasterium non tenetur de deposito præstito apud Clericum, vel Rectorem Ecclesiæ.*

Consectarium Primum.

I. LICET Commodatarius maximam diligentiam in re commodata custodienda, & servanda adhibere teneatur; non tamen semper tenetur proprias res abjicere, vel negligere, ad servandas ab interitu, & indemnes res commodatas. Non desunt Theologi, qui opinantur, commodatarium teneri præferre res alienas propriis etiam pretiosibus, quando illas commodatas habuerit; secus vero, si tantum illas teneat ratione depositi. Hæc tamen opinio absurda videtur: sequeretur enim, quod, si quis apud me deposuerit in meo stabulo retinendum insignem equum ducentis aureis æstimabilem, casu quo stabulum incendio corripiatur, ad servandam unam, vel alteram ovem propriam, possem equum tanti pretii incendio permittere. Justa igitur, & vera mihi videtur aliorum pene communis doctrina. Quando talis occurrit necessitas, ut vel res commodantis perire debeant, vel commodatarii, inspiciendum est, utrum res alienæ vel pretiosiores sint, vel æque prætiosæ, vel minus, quam aliæ mei juris. In casu igitur, quo utrasque servare non possim, pretiosiores alienæ præferendæ sunt propriis, sive commodatæ illæ fuerint, sive depositæ, cum hoc tamen discrimine, quod in commodato, ut pote ordinato ad meam utilitatem, nihil possum exigere a commodante pro damno, atque interitu rei propriæ; in casu vero depositi, vel etiam commodati, si quando præter naturam factum fuerit ad uti-

utilitatem solius dantis, compensari debeo de detrimento in rebus propriis accepto. Si vero æque pretiosæ fuerint res alienæ cum propriis, facultas erit utraslibet præferre, vel servare; dummodo indemnis servetur ille, qui in alterius commodum vel commodavit, vel deposuit. Hinc commodatarius, si rem suam æque pretiosam, ac commodato acceptam servare velit, debet commodatam indemnem servare, solvendo pretium rei commodatæ, quæ periit; ut statuitur L. 5. §. 4. ff. *Commodatum*, ubi posita lege, ex casu fortuito non teneri de re commodata, additur statim hæc exceptio, *nisi forte, cum possit res commodatas liberas facere, suas prætulit*. Et jure merito, quia commodatarius magis tenetur res gratuito acceptas custodire, quam proprias. Demum quando vilioris æstimationis sunt alienæ, quam propriæ, nec ambigendum videtur, quin æquitas, & ratio postulet, ut proprias alienis præferam, salvis semper respectibus indemnitatis in eo, qui mea causa, vel ob meam utilitatem damno expositus fuit. Hoc naturalis ordo æquitatis postulare videtur.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Aliquando, cum nimirum grave urgeat commodantis detrimentum ex rei suæ carentia, licet illi rem commodatam ad certum tempus, etiam eo non completo, repetere. Huic propositioni adversantur Navarrus in Manuali cap. 17. n. 182. aliique, his permoti rationibus. In utroque jure civili, & canonico absolute, nulla facta exceptione, statuitur, rem semel commodatam ad certum tempus, ante illius lapsum repeti non posse. 2. Commodatum species est donationis; porro donatio semel facta, quacumque urgente donantis necessitate, revocari non potest. 3. Qui commodavit, volens, & lubens commodando, se exponit cuicumque detrimento sibi ex rei privatione obventuro: hoc igitur detrimentum sibi imputare debet, quod sponte subivit. Verum hæc non tanti mihi videntur ponderis, ut a proposita assertione valeant removere. Quandoquidem semper præsumi debet, voluntatem commodantis non se extendisse usque ad talem eventum inopinatum, quem si prævidisset, noluisset alteri rei suæ usum tanto tempore tradere. Præterea in hisce gratiosis concessionibus semper implicita videtur conditio, dummodo ipse in pari, aut majori necessitate non fuerit; sicut & ille, qui se obligavit ad præbenda alimenta alicui, in casu, quo ipse alimentis indigeat, non tenetur servare suam promissionem, utpote cujus fides servanda est supposito immutato rerum statu. Ulterius ingrati animi esse videtur velle rem gratiose ab alio concessam retinere cum detrimento benefactoris concedentis, & ditescere hoc pacto alieno damno. At inquies, hoc est ostendere, commodatarium teneri ex gratitudine reddere, at commodantem non posse ex justitia repetere. At si alter ex grati animi virtute reddere tenetur, cur igitur alter quod sibi aliquo modo debitum est petere non poterit? nec in posita Consectarii propositione ulla est justitiæ mentio. At cur & non ex justitia repetere poterit, & quod jam suum est, & quod imbibita hujusmodi contractibus conditione, scilicet nisi ipse eguerit, concessum esse prudentissime præsumi potest? Hinc objectis argumentis sic respondere posse puto; in utroque jure generales regulas constitui, exceptiones

vero

vero aliquando apponi, aliquando omitti, supplendas ab interpretibus: & hanc exceptionem plurimi admittunt & Jurisperiti, & Theologi. Ad 2. omnes lucrativi contractus ad donationem, sicut & omnes onerosi ad venditionem revocari possunt: ac sicut hi discrepant a rigorosa venditione, & illi a rigida donatione; ita non pari pacto procedunt, nec eosdem habent effectus. Commodatum pluribus nominibus a donatione discrepat: non enim conceditur rei substantia, non omnis usus, sed determinatus, non perpetuo, sed limitato tempore. Sicut igitur tantum distat a donatione propria, & rigorosa; ita mirum non est, si irrevocabilitatem omnimodam non participet. Quod manifeste patet in locatione, quæ ad venditionem revocari potest; est enim venditio usus rei, v. ex. domus pro pretio: & tamen omnes Theologi docent, posse locatorem, si domo pro se, & sua familia indigeat, locationem ante tempus revocare, ut nos quoque docuimus Par. 2. de Contr. oneros. cap. 4. Non igitur locatio eam firmitatem, & perpetuitatem participat, quæ tamen veræ, & rigidæ venditioni convenit; & licet sit contractus utrique utilis, tamen revocari potest ex indigentia locantis. Multo magis ergo commodatum, quod gratiosum est, & liberale, revocari poterit urgente commodantis necessitate. Ad 3. supponimus, necessitatem insperato, & præter humanam providentiam obvenire: proinde non debet detrimentum ipsi liberali, & gratioso commodanti imputari, qui profecto, si prævidisset, rem commodato non concessisset; sed infortunio, & humanis vicissitudinibus sæpissime inopinatis, quibus prospicere potest liberalis commodans, commodatum etiam ante lapsum temporis repetendo. Fateor tamen, & lubenter concedo cum plerisque Theologis, quod, si prævideritt commodans, vel prudenter prævidere potuerat, se redigi posse ad necessitatem indigendi re commodata, & nihilominus, nulla facta reservatione, rem ita ad certum tempus commodaverit, jam videtur juri suo renuntiasse, ac proinde non posse repetendo sibi consulere cum detrimento commodatarii. Quod si par urgeret & in commodatario, & in commodante necessitas usus rei, tunc putarem commodatarium præferendum commodanti, utpote legitimum rei commodatæ possessorem; cum semper melior sit conditio possidentis: nisi forte alia via, & alio commodato facile posset suæ prospicere indigentiæ commodatarius, commodans vero non posset. Hæc a me sunt dicta, ut, quod probabilius sentio, promam, & pyrrhonismum in re morali, quantum fieri potest, evitem; non vero, ut omnes in meam pertraham sententiam, quasi ex tripode oracula pronuntians.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Licet Commodatarius non possit re commodata uti, nisi pro usu, & tempore concesso; contingere tamen potest, ut ex præsumpta prudenter domini voluntate & ad alium usum adhibere possit, & ultra tempus concessum, quin contra justitiam peccet. Fundatur hæc exceptio in ipso jure, nam Institut. lib. 4. Just. tract. 1. sic habet: *At si permissurum credant, extra crimen videri, optima sane distinctione, quia furtum sine affectu furandi non committitur*. Et sane prudenter præsumpta domini licentia omnem aufert injustitiam, & aliquo modo concessæ æquivalet.

Ca-

Cavendum tamen, ne alio usu, vel longiori temporis mora res magis deterioretur, quam si tantum & pro præstituto usu, & designato tempore adhibita fuisset. Nam præsumi quidem potest licentia, quoties ex usu rei nullum vel levissimum provenit commodanti detrimentum, & aliqua accedit utilitas commodatario: siquidem ut habetur in Regulis Juris *quod tibi non nocet, & alteri prodest, est concedendum*; at non quando usus concipitur noxius commodanti. Hinc injustitiæ non arguerem, si quis commodato acceptum equum ad equitandum levi rhedæ subjiciat, vel concesso ad diei medietatem, per totum diem utatur; si vel ob amicitiam cum commodante, vel alio probabili motivo præsumere possit tali usui, vel tali tempore, si petiisset, concedendum fore ab amico.

Consectarium Quartum

IV. Aliquando Commodatarius tenetur ad restitutionem, licet res commodata casu fortuito pereat. Hæc exceptio a regula generali locum habet, quando Commodatarius vel expressa, vel tacita voluntate hoc onus sibi assumit. Et quidem de explicita voluntate nullum dubium est; cum quis se possit alteri obligare, quantum sibi libuerit. Difficultas est de voluntate tacita, & implicita, quæ de facili non est præsumenda: præsumitur tamen in jure civili, quando res commodatur æstimata: ideo enim commodans sub hac æstimatione rem concedit, quia, si pereat, certus esse vult de illius valore recuperando, quocumque modo pereat; & commodatarius, qui rem sic æstimatam recipit, censetur consentire huic oneri. Ita L. 5. §. 3. ff. *Si forte res æstimata data sit, omne periculum præstandum ab eo, qui æstimationem se præstiturum recepit*. 2. Tenetur etiam ex casu fortuito, si in commodati restitutione nuncium a commodante mittendum ad rem recipiendam non expectaverit, licet ipse fidelissimo tradiderit. At si nullus erat expectandus nuncius, & ipse commodatum restituendum tradiderit servo pro fideli communiter habito, qui rem vel fugiendo rapuerit, vel in via amiserit, res perit domino; nec commodatarius restituere cogitur, quippe quia nulla ejus culpa periit. Ita statuitur L. *argentum* ff. tit. de Com. ubi habetur: *Argentum commodatum, si tam idoneo servo meo tradidissem ad te perferendum, ut non debuerit quis æstimare futurum, ut a quibusdam malis hominibus deciperetur, tuum, non meum detrimentum erit, si id mali homines intercepissent*. Ex qua lege universalem hanc regulam statuit Bartolus in Summario ib. *Si res culpa nuncii perdatur, perit periculo domini, si remittens non fuit in culpa malæ electionis*. Exciperem tamen casum, quo res commodata foret valde pretiosa, cujusmodi sunt gemmæ, uniones, aliique pretiosi lapilli, vel magna auri summa: tunc enim vel ipse commodatarius per se perferre deberet, vel deferentem in via comitari; cum hæc sit illa diligentia, & custodia, quam in pretiosis istis rebus adhibere solent prudentes, & cauti Patres-familias; cujus proinde omisio sit culpa non solum levissima, sed saltem levis, ex qua tenetur Commodatarius.

Consectarium Quintum.

V. Licet Depositarius ex lege depositi non teneatur, nisi ex culpa lata; nihilominus aliquando & ex levi, & ex levissima obstringitur. Nimirum 1. Si ad hoc se sponte obligaverit; ut pa-

patet, quia contractus legem ex conventione accipiunt. 2. Si Depositarius seipsum depositanti obtulerit; ut statuitur in Jure can. ubi Pontifex rescribens inquit: *De culpa quoque teneris, si teipsum deposito obtulisti*. Quæ verba Panormitanus, Pirhingius, aliique etiam de culpa levissima interpretantur; cum ex culpa lata etiam Depositarius, qui se non obtulit, teneatur. Et ratio confirmat, quia Depositarius seipsum offerens ad recipiendum depositum, hoc ipso ad diligentiorem custodiam sese obligare censetur: immo tunc videtur ipsius gratia depositum esse factum; ac proinde ex levi, & levissima culpa tenebitur: de qua tenetur etiam, si sit in mora culpabili reddendi petitum depositum, immo & de casu fortuito, ut diximus in Tract. de Cont. in genere.

Consectarium Sextum.

VI. Non semper peccat Depositarius, si re deposita utatur. 1. Non certe, quando id fiat concessione deponentis. 2. Quando res ex non usu vel deterior fieret, vel etiam periret. 3. Quando adest voluntas præsumpta deponentis, quæ adesse præsumitur, quando ex usu rei nullum ipsi provenit nocumentum: ut si quis apud amicum argenteas deponat pateras, queis Depositarius aliquando utitur ad offerendum amicis sive bellaria, sive vina; cum per talem usum res minime mutetur, & consensus domini prudenter præsumatur: nam juxta citatam Consectario 3. juris regulam, id concessum putandum est, quod concedenti non nocet, & prodest amico. Quia regula nixi Molina, de Lugo, aliique casum resolvunt de Nauclero, qui vehens plures capsas saccaro plenas, partim suas, partim amicorum, in insula quadam suas quidem vendidit; sed quia has in fundo navis existentes non ita facile extrahere poterat, loco istarum tradidit illas amicorum, quæ supereminebant, & eas amicis animo applicuit, quas in fundo navis habebat ejusdem valoris, & bonitatis: sed postea navi a Piratis capta quæsitum fuit, utrum sibi, vel amicis periissent capsæ in navi captæ; resolvunt, inquam, in hunc modum, videlicet postremas capsas amicis periisse, quorum jam factæ fuerant per Naucleri commutationem, præsumptæ domini voluntati consentaneam. Si vero pecunia sit deposita, & concessa ea utendi licentia depositario, mutatur natura contractus, qui in mutuum transit. Quando vero res traduntur obsignatæ, vel in arca clausæ, licet clavis tradatur, nunquam præsumi potest licentia domini, qui usum concedat; quoniam ex modo tradendi declarat, rem ad solam custodiam quocumque excluso usu concedi. Quod si quæratur, num grave peccatum sit existimandum, præter voluntatem domini uti deposito, quando nullum ex usu sequitur damnum? Dicendum, non esse lethale peccatum contra justitiam commutativam; cum gravitas hujus peccati desumatur ex gravitate damni consecuti: utrum vero ratione injuriæ, & displicentiæ illatæ deponenti grave peccatum judicari debeat? Mensurandum ex levi, vel gravi modestia, & displicentia deponentis, quæ in casu nullius damni gravis, rationabiliter loquendo non est præsumenda, vel non videtur justa, & rationabilis. Leges quoque depositi, dum nullum est damnum, non videtur sub lethali obligare, cum ad majorem tutelam depositorum factæ sint.

CON-

Consectarium Septimum.

VII. Aliquando contingere potest, ut non reddens, depositum a deponente petitum, non peccet. Hæc quoque exceptio a regula generali pluries locum habere potest. Et 1. quidem si talis restitutio vergeret in damnum spirituale, vel temporale deponentis, sive aliorum; ut in exemplo trito, si furiosus repetat ensem depositum, quo abuti possit ad occisionem sui, vel aliorum. „ Depositum non est reddendum (scri„ bit S. Thom. 2. 2. q. 57. art. 1. ad „ 1.) ne homo perversam voluntatem „ habens male eo utatur, ut puta si „ furiosus, vel hostis Reipublicæ arma „ deposita deposcat “. 2. Si bona deposita ob aliquod gravissimum crimen deponentis sint publicata, & fisco addicta; tunc enim fisco restituenda esse, non deponenti communiter docent Juristæ. Excipiunt tamen Theologi casum extremæ, vel gravis necessitatis, quam incurreret deponens, si tali deposito privaretur. 3. Si fur, & legitimus dominus concurrant ad repetendum depositum; non furi, qui deposuit, sed domino, ad quem res pertinet, restituendam esse satis compertum est. Immo sine tali concursu, si depositario omnino constet rem apud se depositam furto sublatam fuisse, ejusque dominum non ignoret, huic potius reservare debet, quam furi repetenti restituere; nisi prudenter præsumeret a fure depositum repeti, ut illud statim domino legitimo reddat. Quod si vero sciat quidem rem furto ablatam, at ignoret dominum, furi deponenti, & repetenti restituere debet; si tamen bona fide primo depositum acceperit, nescius rem esse furto sublatam. Ita Glossa: *Depositum restitui debet prædoni; tamen si dominus cum fure simul petat, domino restitui debet de æquitate.* Si vero mala fide recipiat, jam non depositarius, sed furti particeps evadit; & ad restitutionem cum fure adstringitur. 4. Multo magis poterit depositarius negare, & sibi retinere depositum, si deprehenderit rem apud se depositam suam esse, & aliquando sibi furto sublatam. 5. Si duo concurrant ad idem depositum reposcendum, quod uterque a se factum dicit, & depositarius verum deponentem ignoret, quia depositum habitum fuit penes patrem suum, cujus est hæres, neutri restituere debet, sed apud se retinere, ut sequester, donec a Judice verus deponens declaretur. Si vero concurrant alter titulo depositi vere per se constituti, alter titulo dominii rei ut sibi ablatæ, debet deponenti restituere, nisi certo sibi constet de furto; nec ut sequester rem poterit retinere, cum depositi fides ipsum urgeat, cætera vero judicare minime sibi competat. 6. Si ignorans bona fide rem depositam consumpserit, ut si filius hæres rem apud patrem depositam, ignorans talem esse, absumat, non tenetur quidem de ipsa re bona fide absumpta, at de ejus pretio: nam sicut bonis patris sibi per hæreditatem obvenientibus fruitur; ita & onera, ut debita patris solvere tenetur. Ita L. *Depositum* ff. statuitur: *Si hæres rem apud testatorem depositam distraxerit ignorans, an teneatur, & quia dolo non fecit, non tenebitur de re. An tamen de pretio teneatur quod ad eum pervenit? Verius est teneri, cum hoc enim ipso, dolo facit, quod id quod ad se pervenit, non reddit.* Qui vero depositum reddere tenentur, debent & fructus restituere naturales ex ipsa re deposita prodeuntes. Ita L. 28. §. 10. ff. de usur. sancitur: *In deposito,* &

& commodato fructus quoque præstandi sunt.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Ecclesia, vel Monasterium non tenetur de deposito facto penes Clericum, & Religiosum, etiam Rectorem Ecclesiæ, vel Monasterii, si forte pereat. Ita statuitur cap. *Gravi* 1. de Deposito. Et ratio ipsa ostendit a Pontifice designata: quia nimirum delictum personæ (Clerici scilicet, vel Prælati, rem depositam contrectantis) in detrimentum Ecclesiæ redundare non debet juxta Reg. 76. jur. in 6. tum quia depositum *personæ* Clerici, vel Prælati, *non Ecclesiæ* supponitur commendatum. Duæ tamen dantur ab hac generali regula exceptiones. Nimirum 1. nisi Prælatus una cum Capitulo, vel Conventu depositum in suam fidem, & custodiam recepisset; nam Prælatus, & Capitulum Ecclesiam repræsentant. 2. Si res deposita conversa fuerit in utilitatem Ecclesiæ, vel Monasterii; nemo enim locupletari debet alieno damno.

CAPUT QUINTUM.

De Fidejussione, Pignore, & Hypotheca.

DOCTRINA.

I. *Fidejussione definitio explicatur.*
II. *Conditiones ad fidejussionem constituendam.*
III. *Aliæ conditiones.*
IV. *Quotuplex est Fidejussio.*
V. *Quinam fidejubere possint.*
VI. *Fidejussoris obligationes recensentur.*
VII. *Quando desinat fidejussio, & incipiat actio in debitorem.*
VIII. *Quid sit pignus, & hypotheca, & eorum discrimen.*
IX. *Prima hypotheca, & pignoris divisio.*
X. *Aliæ divisiones.*
XI. *Quænam pignori, & hypothecæ subjici possint.*
XII. *Obligationes pignoris, & hypothecæ pro tempore præcedente tempus solutionis.*
XIII. *Obligationes pro termino solutionis.*
XIV. *Post elapsum terminum solutionis.*
XV. *Quando, si pignus, & hypotheca ad tertium possessorem deveniat, possit hic a creditore conveniri.*

I. HOSCE trinos Contractus in hoc capite percurremus: nam neque isti multa complectuntur Theologorum cognitioni necessaria, licet apud Juristas disfusissimæ sint tractationis. Incipiamus a Fidejussione, quæ definitur: *Contractus, quo aliena obligatio a fidejussore suscipitur*, qua videlicet se obligat ad implendam alterius obligationem, si principalis debitor deficiat. Olim jure civili Romano ad hunc perficiendum contractum necessaria erat stipulatio, scilicet solemnis forma contrahendi per interrogationem, & responsionem; qua destituta fidejussio inter nuda pacta recensebatur, adeoque actionem non progignebat in externo foro. Sed Juris Canonici moderatione, & omnium ferme Regnorum consuetudine ad fidejussionis firmitatem nulla est necessaria stipulatio; sed sufficit, ut contrahentium consensus idoneis verbis exprimatur, aut aliis æquivalentibus signis; adeo ut etiam per epistolam præstita fidejussio subsistat. Immo secundum Molinam, aliosque sola præsentia fidejussoris cum reticentia ejusdem satis esse potest ad indicandum ejus consensum; quod tamen non puto usquequaque verum: nam agitur de onere gravi suscipiendo, quod æstimari non debet susceptum, nisi habeatur suscipientis expressa, & manifesta voluntas.

II. Quatuor conditiones communiter

a

a Doctoribus necessariæ existimantur ad fidejussionem, ejusque naturam exprimendam. 1. Est ut sit obligatio accessoria tantum, non principalis, hoc est relata ad alterius personæ obligationem. Nihil autem refert, utrum fidejussio præcedat, vel subsequatur principalem hanc obligationem, cui accedit: potest enim quis fidejussionem præstare pro contractibus nondum factis, sed faciendis imposterum ab amico; sicut & nihil refert, utrum principalis obligatio sit ex contractu, vel ex delicto, vel ex sententia judicis: item utrum eadem obligatio sit naturalis tantum, vel naturalis simul, & civilis; nam hæc omnium obligationum genera se extendere potest fidejussio. 2. Conditio est, ut fidejussor ad plus non obligetur, nec plus solvere debeat, quam principalis debitor; nam cum ejus obligatio sit accessoria, non potest evadere amplior obligatione principali: quapropter neque quoad quantitatem, neque quoad tempus, neque quoad locum potest fidejussor ad aliquid compelli, cui principalis debitor minime esset obnoxius. Ita statuitur Lege 16. §. 5. Institut. *Fidejussores ita obligati non sunt, ut plus debeant, quam debet is, pro quo obligantur: nam eorum obligatio accessio est principalis obligationis; nec plus in accessione potest esse, quam in principali re*. At quidem contingere potest, ut arctius obligetur fidejussor, quam principalis, idest cum majori vinculo, puta si ille etiam juramento, vel hypotheca, vel publico instrumento paratam habente executionem constringatur; licet principalis debitor nullo ex prædictis vinculis constringeretur. Id etiam potest evenire, ut obligatio principalis debitoris sit tantum naturalis, non autem civilis, utpote cui leges civiles minime assistunt; obligatio autem fidejussoris nedum naturalis, sit sed etiam civilis: quoniam enim fidejussor est sui juris, potest ita se obligare, ut ejus obligatio non dependeat ab alterius ratificatione, & consensu ad civilem pariendam obligationem; ut si quis fidejubeat pro minore contrahente sine auctoritate curatoris, vel pro muliere contrahente sine auctoritate mariti; istæ enim personæ solum naturaliter obligantur, ut quantum est ex parte sua contractus adimpleant, qui tamen firmitatem non habent ex jure civili; & tamen eorum fidejussores poterunt etiam civiliter conveniri. Quod multo magis verum erit, quando fidejussio tam sit in debiti securitatem, quam in securitatem contractus: nam tunc se obligat fidejussor ad illum implendum, casu quo principalis renuat illi stare, vel Superior, a quo contrahens dependet, renuat eumdem contractum ratum habere.

III. Tertia conditio est, ut si obligatio principalis fuerit omnino irrita, & invalida, etiam fidejussio nullam habeat vim, nullamque pariat obligationem; ut si quis fidejubeat pro solutione pretii pro re sacra vendita. Id tamen solum verum est, quando contractus a principali celebratus irritus est tum civiliter, tum naturaliter, hoc est a civilibus legibus improbatus, & a naturali jure cassatus; non vero quando solum legis civilis caret confirmatione, sed vim suam naturalem non amittit. 4. Conditio fidejussoris determinatur ex Auth. *Præsente* in Cod. de fidejuss. & in eo sita est, ut non possit fidejussor ad solvendum cogi, nisi prius excusso principali debitore: quod olim minime necessarium erat, nisi in fidejussore indemnitatis; talis autem erat, qui solum fidejussionem accessoriam præstabat, hoc

hoc est non se obstringebat, nisi in casu, quo alii immediati fidejussores sufficientes reperti non essent. Sed citatæ authenticæ dispositione hæc conditio extensa fuit ad omnem fidejussionem. In aliquibus tamen casibus negligi potest principalis debitoris excussio. 1. Quando aperte constat, eum non esse solvendo, vel esse absentem, vel propria bona in territorio minime habere. 2. Quando fidejussor renuntiavit privilegio citatæ authenticæ: renuntiare autem videtur, quicumque se constituit principalem debitorem, & non in alterius defectum; ita ut immediate a creditore conveniri possit. 3. Quando fidejussor negat se esse fidejussorem: hac enim improbitate amittit privilegium authenticæ. Addunt alii quartum casum, quando scilicet fidejussio juramento confirmata fuerit. Sed hoc minime verum est: siquidem juramentum non immutat naturam contractus, cui accedit; & juxta ejus naturam, & conditiones est interpretandum. Notandum etiam est, quod in casu, in quo pro eadem obligatione adsint pignora, & fidejussiones, in libito creditoris legum civilium dispositione reponitur, utro modo voluerit suæ securitati prospicere, vel scilicet fidejussorem pulsando, & ab eo debitum exigendo; vel ipsius pignoris usu, & vindicatione: si tamen eligat satisfieri sibi a fidejussore, tenetur huic ipsi pignora remittere, si ab eo sibi postulentur.

IV. Celebris est divisio fidejussionis in *judicialem*, & *extrajudicialem*, sive privatam. Judicialis est, qua quis in judicio obligationem assumit sistendi reum vel coram Judice, vel in carcere, si forsitan fidejussionis respectu libertas ad tempus illi concessa fuerit, cum onere redeundi, vel solvendi totum id, quod reum debere constiterit. At circa hoc fidejussionis genus, quod ad externum pertinet forum, id solum est animadvertendum, quoties reus, pro quo fidejussio facta fuit, sine fraude fidejubentis vel fugam arripuerit, vel alio modo se a Judicis persecutione subtraxerit, & vel carceris, vel flagellationis, vel etiam mortis sententia dignus repertus fuerit, non proinde fidejussorem ad hæc subeunda supplicia damnandum esse: sunt enim pœnæ delictis personalibus debitæ, quibus sua sponte nequit se subjicere fidejussor, cum non sit dominus suæ vitæ, vel membrorum: solum igitur pœnis pecuniariis plectendus est per sententiam Judicis. Extrajudicialis vero, & privata fidejussio dividitur in principalem & accessoriam, ut paulo ante indicavi: principalis est illa, in qua fidejussor se constituit immediate loco debitoris, ut etiam eo non excusso, statim conveniri possit a creditore: accessoria vero, quæ non nisi facta debitoris excussione fidejussorem adstringit. 3. Fidejussio dividitur in eam, quæ est plurium in solidum, & illam, quæ est plurium solum pro rata, & ad partem virilem: priori fidejussionis genere ita plures obligationem suscipiunt, ut tamen singuli seorsim conveniri possint ex creditoris libito pro toto debito; & in posteriori solum pars debiti a singulis exigi potest, occurrente debitoris defectu. Nihilominus etiam quando plures obligantur in solidum, ille qui convenitur, potest exceptionem opponere, ut a confidejussoribus proportionales partes debiti repetantur ex rescripto Adriani, qui hoc privilegium indulget etiam fidejussionibus factis in solidum. Hæc tamen exceptio, ut prosit, debet fieri ante sententiam Judicis definitivam, qua jubeatur solutio; im-

mo,

mo, ut pluribus Juristis placet, ante solutionem, vel spontaneam, vel vi sententiæ secutam: non vero valet, si ab eo fiat, qui præfati Rescripti privilegio renuntiaverit. Fidejussor vero ex iis pluribus, qui tenentur in solidum, si solverit ipse debitum totum, potest a creditoribus exigere cessionem omnium actionum, quas habebant in reliquos confidejussores, & ad hanc cessionem etiam renuentes compellere in judicio, nedum ante, vel immediate post solutionem, sed etiam ex longo intervallo: sine vero hac cessione nullam actionem habet in confidejussores, utpote qui sibi non obligantur; sed ea habita, potest a singulis virilem partem debiti soluti exigere, immo & ab ipso principali debitore eam partem, quæ sibi specialiter contingebat

V. Fidejubere autem possunt omnes illi, qui habentes bona, & liberam eorum administrationem specialiter a jure non repelluntur. Porro repelluntur 1. pauperes, filii-familias, qui non habent peculium castrense vel quasi castrense, & minores ante 25. an. In hoc tamen sensu isti postremi, quod licet fidejubendo naturalem, & civilem obligationem quoad aliquid contrahant; eam tamen obligationem possunt elidere beneficio restitutionis in integrum, nam minor ex intentione legum semper præsumitur læsus. Firma tamen, & irrevocabilis est horum fidejussio facta pro patre in carcere detento, utpote quam tenentur præstare, ita ut in casu omissionis possint etiam exhæredari. 2. Regulariter mulieres ad fidejubendum habentur ineptæ: & quidem uxoris pro marito fidejussio irrita prorsus est Legum Romanarum vigore; nisi fortasse juramento firmata fuerit, in quo casu valere Jus Canonicum statuit: pro aliis vero a marito personis eatenus valere potest mulieris fidejussio, quatenus fiat instrumento publico, & tribus testibus, qui instrumento subscribant; quamvis ex consuetudine etiam sola eorumdem coram Notario præsentia sufficiat. Sed esto fidejussio sic præstita aliquid valeat, adhuc tamen elidi potest exceptione Senatus Consulti Vellejani in favorem mulierum fidejubentium immediate editi, quo ab omni fidejussione liberantur: quod privilegium juxta plures Theologos suffragatur etiam in conscientia, ut possint fidejussionem retractare, dummodo hæc exceptio apponatur ante sententiam definitivam, post quam non datur regressui, aut repetitioni ejus, quod est solutum pro fidejussione, locus. 3. A fidejubendo repelluntur Clerici, & personæ Ecclesiasticæ; ut enim dicitur cap. 1. de fidejuss. *Clericus inserviens fidejussionibus abjiciatur*. Verumtamen hæc exclusio non est universaliter accipienda, sed limitanda hoc pacto: 1. In præjudicium Ecclesiæ, & bonorum ecclesiasticorum fidejubere prohibentur. 2. In damnum suum, seu suorum bonorum patrimonialium, seu fructuum, quos ex beneficiis suos faciunt, pro Ecclesiis, vel aliis Clericis minime fidejubere vetantur; dummodo tamen congrua sustentationis ipsius intacta remaneat, & ad egestatem non reducantur. 3. Pro aliis vero personis, scilicet pro laicis, interdicta eisdem videtur Jure Canonico fidejussio. Quod tamen ita intelligendum est, ut aliqua exigente necessitate, vel pietate & pro illis fidejubere possint; non enim contra caritatem, vel pietatem militare debet, quod pro pietate, & caritate institutum est. Immo addo, factam pro laicis fidejussionem, tametsi forsitan illicite, valere tamen, & obligatione non ca-

re-

rere, itaut debitore non solvente teneantur ipsi de bonis propriis, sive ex beneficio, sive ex patrimonio solvere, cum moderatione tamen superius insinuata. 4. Regulares, & Monachi ad fidejubendum inepti sunt, nisi consensum Prælati, & majoris partis Capituli obtinuerint. Immo nec Prælati ipsi sine consensu suorum Conventuum facere id possunt, nisi forte pro minimis rebus, de quibus ratione officii valent per se ipsos disponere. Quod si præstare audeant, ipso jure privantur administratione tam spiritualium, quam temporalium; ut habetur cap. 2. de solutionibus: *Si quis autem contra præmissa* (fidejubendo) *venire præsumpserit, ab administratione spiritualium, & temporalium noverit se suspensum*. Addendum est, nec Monasterium posse per fidejussionem subjicere obligationi bona immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, absque solemnitatibus præscriptis tum in Extra. Pauli 2. quæ incipit *Ambitiosæ*, tum Decretis Sacræ Congregationis editis jussu Urbani VIII.

VI. Nunc de Fidejussionis obligatione dicendum superest. Obligatio fidejussoris ad solvendum in defectu creditoris ex natura sua gravis est, utpote obligatio justitiæ ex fide data & accepta: quapropter nisi per accidens materiæ parvitas excusaverit, non vacat culpa mortali ejusdem violatio. Hinc inquirunt Theologi, utrum in conscientia teneatur fidejussor solvere pro debitore, antequam ad id per sententiam judicis compellatur. Sunt, qui putant hanc expectandam sententiam, quia considerant obligationem fidejussoris non esse ultra illius intentionem extendendam: porro talem ejus intentionem præsumi (nisi de opposito aperte constet) ut minus, quam fieri potest, se obligare voluerit, ac solum juxta communem consuetudinem, atque sensum. Videtur autem, inquiunt, consuetudine receptum esse, ut fidejussor nunquam solvat, nisi per sententiam Judicis compellatur. Verum communiter oppositum tenent Theologi, & unice verum est, in conscientia teneri fidejussorem; siquidem jure naturali ad fidem servandam adstringitur: quapropter expectare non debet Judicis compulsivam sententiam. Falsum est autem vel esse consuetudine invectum, vel in communi sensu, fidejussores non solvere, nisi a Judice compulsos: hoc enim solum prædant, vel qui causam non solvendi justam se habere arbitrantur; vel qui justitiam, & animæ salutem negligunt, parumque curant: nam honesti homines comperta principalis debitoris non solvendi vel impotentia, vel malitia, prompte fidem datam liberant. Immo quando ipsis certo constet principalem debitorem vel ex impotentia non valere, vel obfirmata malitia nolle æs alienum solvere, nec ipsius creditoris pulsationem expectare debent; sed elapso termino solutioni præfixo, ceterisque impletis conditionibus solvere tenentur, cum sint loco principalis debitoris: & sicut ipse expleto termino ex ratione sui debiti solvere urgetur, etiam non postulante creditore; ita & fidejussor pari onere gravatur, nisi uterque prudenter censeat a creditore dilationem concedi.

VII. Dicendum superest ultimo loco, quando desinat fidejussio, & quando fidejussor actionem in principalem debitorem habere incipiat. Et quidem perspicuum est, obligationem fidejussoris extingui, quotiescumque principalis debitoris solvitur obligatio, sive fiat per veram debiti solutionem, sive per mutuam compen-

pensationem, sive per gratuitam creditoris remissionem, ruente enim principali cadit quoque accessorium. Nihilominus quæritur, si a creditore terminus solutionis debitori ex mera indulgentia prorogetur, utrum permaneat fidejussoris obligatio? Et responsio est permanere, si fidejussor sese indefinite, & nullo præfixo termino obligaverit; tempus enim indefinitum in humanis conventionibus æqui valet perpetuo. Quod si ille ad certum tempus, puta ad unum annum vel duos fidejussionem suam determinaverit, & creditor ad tertium annum differat debiti exigentiam, palam est fidejussorem ultra terminos suæ intentionis, & conventionis non posse obligari. Sunt tamen aliqui casus, in quibus, etiam debitoris obligatione non extincta, potest fidejussor petere jure, ut ab onere fidejussionis liberetur. Afferuntur autem a Glossa in Cap. *finale* de Fidejuss. & passim ab aliis tum Juris civilis, tum canonici Doctoribus, nimirum 1. Quando a principio ita conventum est, ut fidejussio post certum tempus, vel etiam ad instantiam fidejubentis tollatur. 2. Si debitor prodigus evadat, & incipiat dilapidare sua bona, unde fidejussori periculum peculiare immineat. Ratio est, quia cum tunc periculum sit in mora, nimirum ne fidejussor, sine spe aliquid a debitore recuperandi, statu tempore solvere, atque ita damnum subire debeat, merito liberationem a fidejussione postulat. Hoc tamen est intelligendum, si agatur de magna, & quidem tali dilapidatione, qua probabiliter, & cum fundamento timeatur paupertas debitoris, & ejus solvendi impotentia; non vero de parva, & modica, per quam debitor non admodum depauperescit. 3. Si fidejussor longo tempore, judicis arbitrio æstimando, fidejussione ligatus manserit, quo tempore commode a debitore poterat satisfieri, unde est in mora culpabili solutionis; ne perpetuum, & quasi continuum sit fidejussoris periculum, & onus. Hi duo postremi tituli recitantur etiam in Jure cap. fin. tit. de Fidejuss. ubi dicitur: *Cum pro quo fidejussorem te obligasti, si diu in debi* *solutione cessavit, aut dissipare bona sua cœpit . . . . jure poteris convenire, ut te a fidejussione debeat liberare*. 4. Si fidejussor aut negotiationis, aut studii, causa aut ad evitandas inimicorum insidias alio migrare debeat. 5. Addunt nonnulli Juristæ, si inter debitorem, & fidejussorem graves, & capitales inimicitiæ ortæ fuerint, quæ a sola debitoris culpa inductæ fuerint. In hisce tamen omnibus titulis non contra creditorem agere debet, sed contra ipsum debitorem, petendo, ut eum a fidejussione liberet, vel solutione crediti, vel alium idoneum fidejussorem designando, vel sufficientia pignora substituendo. Actio autem in debitorem competit fidejussori, statim ac vel pulsante creditore, vel sententia Judicis ad solvendum adactus fuerit; etiamsi nondum fuerit sententia executioni mandata, nec solutio ipsa perfecta; quia cum sententia paratam habeat executionem, perinde est, ac si solvisset. Ita communiter Jurisperiti tum Civiles, tum Canonici Barbosa, Menochius, Pirhingius, aliique.

VIII. De Pignore, & Hypotheca, quæ secundo loco ab initio hujus capitis considerandа nobis proposuimus, conjunctim agemus: quia licet rigorose loquendo diversa sint; in jure tamen passim promiscue pro eodem accipiuntur.

Ali-

Aliquando igitur hæc nomina significant rem, quæ alteri traditur, vel obligatur pro crediti securitate; sic anulus dicitur pignus pro mutuata pecunia: aliquando conventionem, qua prædicta res alteri obligatur; unde dicitur Sejum bona sua oppignoraſſe: tertio & non raro obligationem inde enatam; ut cum quis dicit, habeo bona tua oppignorata. Hic pignus, & hypotheca ſumuntur *pro contractu, quo res creditori, aut traditur, aut ſaltem obligatur, ut inde accipiat ſatisfactionem rei creditæ, ſi alio modo ſibi non fuerit ſatisfactum*. Nonnulli pignus ab hypotheca diſcernunt, quod illud non niſi in re mobili conſiſtat, hæc vero ſolum in immobili; quod tamen undequaque verum non eſt. Hinc melius alii utriuſque diſcrimen in hoc conſtituunt. Quando res oppignorata, vel hypothecæ ſubjecta reipſa traditur, & in creditoris manus, poſſeſſionem, vel detentionem transfertur, ſive fuerit mobilis, ſive immobilis, tunc proprie *pignus* conſtituitur. Quando vero nulla adhibita traditione ſola partium conventione res aliqua, ſive mobilis, ſive immobilis, pro ſecuritate crediti ſubjicitur, & obligatur, tunc vere hypotheca conſtituitur. Verum quidem eſt, plerumque hypothecam ſolum in immobilibus exerceri conſueviſſe.

IX. Porro hypotheca, prout etiam pignus comprehendit, varias ſuſcipit diviſiones. Nam 1. alia eſt univerſalis, alia particularis. In univerſali omnia debitoris bona creditori obligantur, nedum præſentia, ſed & futura; quamvis id diſerte non exprimatur, ſed adhibeatur formula generalis, puta *cum fide, & periculo rerum mearum*: ut colligitur ex cap. finali Codicis *de his, quæ pignori obligari poſſunt*. Non cenſentur tamen hac in univerſalitate comprehenſa, quæ quis veroſimiliter in ſpecie non obligaret; cujuſmodi ſunt veſtis quotidiana, neceſſaria ſupellex, Doctoris libri, artificum inſtrumenta &c. Nec impedit hujuſmodi univerſalis obligatio, quin bona obligata poſſint alteri vendi: manet enim loco rei hypothecatum creditori pretium venditione acceptum.

X. Rurſum hypotheca alia eſt *expreſſa*, alia *tacita*. Expreſſa duplici modo conſtituitur, nempe vel conventione contrahentium, ad quam proinde non eſt neceſſaria præſentia, ſeu traditio rei, ſed ſola partium declarata voluntas; vel conſtituitur decreto Judicis, & Magiſtratus: & ſicut illa prior vocatur *conventionalis*, ita hæc poſterior dicitur *judicialis*, ſeu *prætoria*, ad quam requiritur, ut auctoritate Judicis creditor habeat poſſeſſionem, vel detentionem rei obligatæ. Tacita vero hypotheca eſt illa, quæ ſola legum diſpoſitione conſtituitur. In multis autem caſibus Jure Romano hypotheca tacita locum habet: ſed aliquas ſolum celebriores enumerabo. 1. Si quis ratione contractus, vel nomine tributi aliquid fiſco, ſive Principi debeat, omnia ejus bona hypothecata ſunt fiſco; ſi tamen minor aliquid emat a Principe, ſolum res empta ſubjicitur hypothecæ. 2. Omnia bona mariti pro dote uxoris hypothecæ ſubjiciuntur, nec non & omnia bona fidejuſſorum, ſi qui fidejuſſores pro dotis ſecuritate dati ſunt; quæ hypotheca habet etiam privilegium prælationis ad alias omnes priores tacitas hypothecas in eiſdem bonis conſtitutas, non tamen at anteriores expreſſas hypothecas. 3. Omnia bona Tutoris, & Curatoris hypothecata intelliguntur pro indemnitate minoris, & pupilli; & ſimilis hypotheca afficit adminiſtratores bonorum Eccleſiaſticorum, & illorum,

quæ

quæ pertinent ad Rempublicam, Civitatem, Communitatem: siquidem tum Ecclesia, tum Respublica pupilli sibi vendicat privilegia; & idem dicendum de patre administrante bona adventitia filiorum. 4. Bona defuncti pro legatis ab eo relictis manent hypothecata. 5. Si uxori aliquid a marito, vel intuitu mariti donatum fuerit, post ejus mortem ad communes liberos pertinet: quod si mulier ad secundas nuptias transierit, omne id, quod eidem post illam donationem accesserit, manet hypothecatum prioribus liberis; & eodem modo judicandum est de illis, quæ donata fuerint marito ab uxore, vel intuitu uxoris. 6. Quod pupilli pecunia emptum fuit; ipsi manet hypothecatum pro pretio soluto. 7. Fructus rei conductæ censentur hypothecati domino fundi pro securitate pensionis; immo & quidquid illatum fuerit in prædium conductum, sive urbanum sit, sive rusticum, hypothecæ subjicitur pro pensione a conducente solvenda; dummodo, quando prædium rusticum sit, non ignorante domino fuit res in suum prædium translata, atque ad proprietatem conducentis pertinens fuerit. 8. Ædificium, ad quod extruendum, vel reparandum pecunia mutuo collata fuit, manet hypothecatum mutuanti, etiam cum jure prælationis ad omnes alios habentes prius hypothecam in eodem ædificio. Idem legibus dispositum invenitur de navis constructione, vel reparatione, si quis pecuniam impenderit, nec non de similibus constructionibus. Non omnia tamen hæc Juris Romam decreta ubique recepta sunt: sed in aliquibus regionibus aliæ consuetudines, vel leges vigentes debent spectari, & illis subditi se conformare.

XI. Decernendum modo est, quænam res oppignorari, vel hypothecari possint: pro quo hæc est generalis regula observanda. Omnia ea possunt vel pignori, vel hypothecæ subdi, quæ absolute, & libere vendi possunt, scilicet ab habente dominium, & administrationem non obligatam, sive illa sint mobilia, sive immobilia, sive corporalia, sive incorporalia, hoc est consistant in puro jure, inter quæ & ipsa jurisdictio, quæ non raro magni pretii æstimatur, comprehendi potest. Contra, quæ vendi prohibentur, nec oppignorare, neque hypothecare, saltem hypotheca speciali, permissum est. Est enim etiam simplex oppignoratio, vel hypotheca species quædam alienationis saltem late acceptæ: quandoquidem præbet jus rei possessori, aut detentori in pignus, & hypothecam, & est via quædam ad venditionem; ideo enim in pignus, aut hypothecam a debitore quædam traduntur, ut, si is in solutione defecerit, possit creditor ex illis distractis, & venditis æstimationem propriæ rei recuperare. Hinc nec bona publica, aut publicis usibus destinata, nec sacra, puta Ecclesiam, Cœmeterium, sepulcrum licet hypothecæ subjicere. Unde nec juspatronatus, cum sit aliquid spirituale, & sacrum, potest oppignorari; etiamsi prædium, vel castrum, cui tale jus reperitur annexum, hypothecæ subdatur; in quo casu præsentatio ad beneficium pertinebit ad dominum prædii hypothecati; si tamen istud vendi contingat, tunc ad emptorem transit juspatronatus, ac proinde & præsentatio; est enim accessorium aliquid, cujus possessio cum dominio rei principalis, cui annexum est, semper transfertur. Pretiosa mobilia divino cultui dicata, ut Calices, Patenæ, Casulæ &c. sicut &

& immobilia oppignorari non possunt, nisi urgente causa necessaria; ut si aliter debita Ecclesiæ solvi non possint, aut captivi redimi, aut famæ perituris subveniri: in quibus casibus juxta Canones vendere etiam ea licet. Et in hoc utrumque jus consentit. In Jur. Can. cap. *Nullus* Extr. de Pignoribus sancitur: *Nullus Presbyter præsumat Calicem, vel Patenam, vel vestimentum Sacerdotale, aut Librum Ecclesiasticum Tabernario, vel Negotiatori, aut cuilibet Laico, vel feminæ in vadum dare, nisi justissima causa urgente*. In jure vero Civili L. 21. Cod. de Sacr. Eccl. indicitur: *Statuimus nemini licere sacratissima, atque arcana vasa, vestes, ceteraque donaria, quæ ad divinam religionem necessaria sunt . . . vel ad venditionem, vel ad pignus dare*. Res alienæ pignori, aut hypothecæ tradi non possunt, nisi ex consensu domini saltem præsumpto, & per ratihabitationem postea habito; quæ ratihabitio fictione juris retrotrahitur ad tempus, seu initium oppignorationis. Potest creditor rem pignori sibi traditam ex consimili causa alteri oppignorare, transferendo scilicet jus, quod habet in illam, dummodo pro eadem quantitate debiti: neque enim majus, quod habeat, jus in alterum potest transfundere. Hæc tamen secunda oppignoratio extinguitur, statim ac primo creditori solutione debiti fuerit satisfactum. Item nihil prohibet, rem uni oppignoratam, aut hypothecatam aliis quoque personis obligari, salvo, & integro jure priorum creditorum, dummodo ad singulis satisfaciendum inveniatur sufficiens; secus enim non licet sine damno priorum creditorum. Ex Jure Romano civili olim non poterant exigi in pignus instrumenta aratoria, ut & animalia, & servi ad excolendam terram necessaria; quod utrum hodie vim habeat, ex Regionibus moribus, legibus, & consuetudinibus explorandum est.

XII. Ut vero dignoscere valeamus, quodnam jus, & obligatio ex pignore, & hypotheca creditori consurgat, triplex tempus spectandum est, videlicet & illud, quod præcedit terminum solutioni præfixum; deinde illud, quod subsequitur terminum solutionis, solutione non deficiente; & demum tempus in eventu, quo solutio minime facta est. Circa 1. constat, creditori competere jus detentionis in rem sibi pignori traditam, ita ut tunc possit, utpote sibi obligatam, a quocumque possessore forte sibi ablatam repetere, & vendicare. Sed pariter perspicuum est, præter hoc jus detentionis, nullum aliud eidem convenire, videlicet non posse uti pignore, vel hypotheca, multominus eisdem frui durante detentione, præter consensum aut expressum, vel saltem prudenter præsumtum domini, qui dedit pignus: qui consensus non deesse prudenter præsumitur, quoties ex usu talis rei nullum sibi imminet damnum, vel etiam in commodum cedit oppignorantis usus pignoris a creditore factus, ut si vestis, quæ alioquin a tineis corrumperetur, aliquo moderato usu a tali incommodo præservetur: si tamen usus sit aliquo notabili pretio æstimabilis, tenetur creditor in sortem, sive in partialem debiti solutionem computare; existimatur enim tanquam fructus rei in pignus traditæ, qui proinde debet in utilitatem domini cedere. Hinc usuræ crimine pollueretur, qui in mutuo præstando pacisceretur usum rei in pignus datæ, quod pactum anticriseos a Juristis, & Theologis dicitur, & ut usurarium damnatur. At si prudenter arbitretur credi-

ditor, oppignoratori displicere usum rei suæ, licet sine ullo detrimento, quia veretur ne pignus secreto datum publicum fiat, eo uti nullo modo poterit: quia licet fortassis justitiam non violet damnum non inferendo; violat tamen utendo re aliena invito domino, & peccat etiam contra fidem contractus.

XIII. Quoad secundum tempus, sive in termino solutioni præstituto, si solutio debiti integre ab oppignorante, vel hypothecante præstita fuerit, palam est obstringi creditorem ad reddendum pignus, tale, & quantum accepit, idest nec dolo, nec data culpa (non enim ex levi, vel levissima tenetur, cum pignus sit in utriusque utilitatem, immo magis dantis, quam accipientis) deterius effectum. Item si pignus, vel hypotheca res fructifera fuerit, omnes fructus interim perceptos restituere tenetur; ut docet S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 6. scribens: *Si quis pro pecunia sibi mutuata obliget rem aliquam, cujus usus pretio æstimari potest, debet usum illius rei ille, qui mutuavit, computare in restitutionem ejus, quod mutuavit: alioquin, si usum illius rei quasi gratis sibi superaddi velit, idem est, ac si pecuniam acciperet pro mutuo, quod est usurarium: nisi forte esset talis rei, cujus usus sine pretio soleat concedi inter amicos; sicut patet de libro accomodato.* Immo & fructus illos, quos desidia, vel negligentia sua non percepit, alioquin a rei domino, si in ejus possessione fuisset, percipiendos, debet reddere; & demum illos etiam, qui (tametsi eos dominus ob incuriam suam non percepisset) creditori tamen reipsa obvenere. Excipiendi tamen sunt fructus percepti ex fundo feudali, tradito pignori domino directo ipsius; nec non percepti ex fundo, quem maritus a socero accepit pro dote promissa, & non soluta. Verum ad hoc oportet, ut gener revera onera matrimonii sustineat: nam si socer ipsum, & uxorem aleret, tunc profecto fructus dotis percipere non posset; hi etenim ex legum dispositione reddendi non sunt post debiti solutionem, sed in utilitatem convertuntur illius, qui pignus, vel hypothecam accepit. In primo quidem casu, quia, ut quidem arbitrantur, vassallus ab onere liberatur præstandi domino directo pactum servitium; & ita suspenditur quodammodo feudum, & res transit in dominium Principis, donec restituatur, & iterum consolidetur feudi cessio. Vel melius, ut plures alii censent, quia hoc ad feudi naturam pertinet, videlicet ut quamdiu penes dominium directum existit, vassallus liberetur ab obsequiis præstandis, sed simul fructibus feudi non fruatur; & vicissim dominus jus habeat fructus percipiendi, licet utile dominium adhuc penes vassallum maneat: incongruum siquidem videtur dignitati Principis, & domini, ad ipsum redeunte re feudali, ut extraneum, teneri ad rem administrandam, & rationem reddendam vassallo suo. Quamobrem præfata perceptio fructuum non tam est compensatio obsequiorum remissorum, quam legum dispositio, cui tam dominus, quam vassallus se conformare censentur. In secundo vero, quia fructus sunt marito necessarii ad onera matrimonii sustinenda, pro quibus dos datur. Addendum etiam est, expensas utiles factas pro conservatione, vel melioratione pignoris, vel hypothecæ a debitore creditori compensandas: quapropter poterit hic etiam soluto debito pignus, vel hypothecam eatenus retinere,

nere, donec ab hujusmodi expensis in utilitatem domini concedentibus præstetur indemnis. Quod si solutio non ex integro facta fuerit, sed solum per partem, pignus reddere non tenetur, nec in parte, si forte divisibile sit; cum totum pignus sit datum pro tota, & qualibet parte debiti, ut colligitur ex L. *Quamdiu*, Cod. de Distract. pignoris. Caritas tamen christiana postulare videtur, pignoris partem reddendam, quando, quod superest, tutum reddit creditorem; ne dominus usu rei suæ diutius sine ulla creditoris utilitate privetur.

XIV. Termino vero solutioni præfixo, & jam elapso, si solutio facta non fuerit, certissimum quidem est, tunc creditorem juste, & licite ex pignore, vel hypotheca satisfactionem sibi petere posse. Sed de modo non ita compertum est. Et 1. quidem, si præcessit pactum, ut solutione ad statutam diem minime præstita, fiat venditio pignoris, vel hypothecæ, tunc ad hanc procedere poterit creditor: nam pactum & justum, & licitum fuit, nec non naturæ pignoris, & hypothecæ accommodatissimum; neque in eo eventu necesse videtur, inspecta justitia, creditorem præmonere, ut aliqui Theologi volunt, de venditione facienda; ipsa enim dies, ipse terminus, ipsa conventio satis admonent, & interpellant; sufficit autem, quod debitori fideliter, & integre reddatur, quod ultra exigentiam debiti ex pignoris distractione perceptum fuerit. Si vero pactum prædictum expresse non antecesserit, tunc juxta civiles leges in pignore judiciali, seu prætorio duo menses expectandi sunt, postquam pignus in manus creditoris pervenit (pervenit autem nonnisi quatuor elapsis mensibus post sententiam latam a judice) antequam ad venditionem procedatur. In pignore autem conventionali per biennium venditio differenda jubetur, quæ etiam fieri non debet, nisi præmissa interpellatione, seu monitione debitoris, & etiam ipso præsente, si voluerit adesse; immo trina judicatur necessaria monitio, quoties præcesserit pactum de non distrahendo pignore, etiam in mora culpabili debitoris. Prædictæ tamen leges, utpote institutæ ad evitandas fraudes, & injusta gravamina venditoris, ideoque in præsumptione fundatæ, potius ad externum forum, & judiciale, ut monent Auctores, pertinere videntur, quam ad forum conscientiæ, in quo cessat præsumptio, & cui satis consultum est, quoties creditor monito debitore, si pactum sit, vel etiam nulla sit facta mentio monitionis, bona fide vendit pignus, vel hypothecam, ut suæ consulat indemnitati, & si quid superabundat, suo debitori fideliter, & integre reddat. Aliud quoque legibus civilibus cautum est, ne creditor pignus, vel hypothecam distrahens emat sibi ipsi, etiamsi id per interpositam personam faciat, nisi de licentia judicis, quando nullus alius invenitur, qui pretium vel infimum offerat: in quo casu potest creditor convenire judicem, monito prius debitore, & certo eidem ad comparendum spatio temporis dato, hoc autem annuente, vel non comparente, ex judicis permissione rem sibi applicare, excessu, si quis est, integre reddito, cum hac tamen conditione, ut si intra duos alios annos debitor solutionem exhibeat sui debiti, & pignus, vel hypotheca in integro sit, restituere eam debeat debitori satisfacienti. Sed etiam hæc civilis dispositio nec in omnibus regnis, & re-

bus-

buspublicis obtinet, & ad solum externum forum spectat, nec in interno conscientiæ foro ex rigore servanda. Præterea in utroque jure, & civili, & canonico reprobatum habetur pactum *legis*, ut vocant *commissoriæ* quo scilicet convenitur, ut non præstita ad diem solutione pignus, vel hypotheca transeat in solutum, vel censeatur ipsi creditori jam venditum pretio antea constituto; reprobatum, inquam, ad evitandas fraudes usurarias, quæ sub hoc pacto facile delitescunt; cum communiter pignus pretium sortis mutuo acceptæ, & datæ excedat. Nihilotamen secius, si revera pretium persolutum æquale foret rei in pignus datæ, nulla erit in contracto injustitia; dummodo tamen liberum semper sit debitori, vel creditori suo, vel aliis rem suam vendere: si enim onus impositum esset non vendendi nisi ipsi creditori, licet pretium justum esset; adhuc illicitus foret contractus, & usuræ labe consperfus ob onus adjunctum contractui mutui. Quamobrem si & nullum in initio præcesserit pactum, & debitor suum creditorem aliis præferre malit, nulla tunc foret injustitia in venditione.

XV. Ultimo loco adnotandum. Si pignus, vel hypotheca sive venditione, sive alio justo titulo ad tertium possessorem devenerit, non potest hic a creditore conveniri, nisi prius excusso debitore, & fidejussoribus ejus, si dati sint: debet enim probare, & rem illam debiti contracti tempore fuisse in possessione debitoris, & per pignus, vel hypothecam sibi obligatam, & tandem debitorem, & fidejussores non esse solvendo; & tunc a tertio possessore pignus, vel hypothecam poterit recuperare, ei cedendo suum jus adversus debitorem, & fidejussores, ut illo se servare possit indemnem.

CAPUT SEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando mulieres valide fidejubere possint.*

II. *Fidejussor num possit petere indemnitatem a detrimento, quod subiit ob solutionem fedejussionis.*

III. *Probabilius fidejussio est gratuitum officium.*

IV. *Quando cadit obligatio principalis debitoris, cadit simul & fidejussoris.*

V. *Peccat, qui fidejubet, sciens se non esse solvendo.*

VI. *Licitum est pretio redimere liberationem a fidejussione.*

VII. *Aliquando soluta obligatione debitoris remanet obligatio fidejussoris.*

VIII. *Quænam in pignus saltem ex caritate recipi non possint.*

Consectarium Primum.

I. MULIER, ut pro aliquo fidejubeat, renuntiare potest privilegio Vellejano, cui renuntiasse censetur, si juramento fidejussionem confirmaverit. Et primo quidem renuntiare posse ex eo apparet, quia hocce privilegium non immediate ordinatur in bonum publicum, sed in favorem immediatum mulierum. Debet tamen fieri quoad forum externum, ut docent Juristæ, hæc renuntiatio solemniter, & coram judice, vel Magistratu; nec sufficit, ut inferatur in instrumento: nam qua facilitate mulier adducitur ad fidejubendum, præsumi potest etiam ad renuntiationem inducta. At si juramento confirmet fidejussionem, jam præfato privilegio amplius uti nequit. Nam vel sibi notum erat, & tunc clare apparet, eidem renunciasse: alioquin si mem-

mente, & animo retinuisset, se velle per idem privilegium fidejussionem rescindere, falsum omnino jurasset, & secum contrahentem decepisset. Vel ignorabat, & adhuc juramento obligatur; quia adhuc præsumitur ita affecta, ut etiamsi illud scivisset, nihilominus jurasset: voluit enim suo juramento omnem sibi præcludere viam ad eludendam obligationem fidejussionis; adeoque implicite privilegio suo renuntiavit. Præterquamquod utendo suo privilegio justitiam quidem non læderet; at religionem, & sanctitatem juramenti violaret.

Consectarium Secundum.

II. Fidejussor, qui defectu debitoris solvit, aliquando potest ab illo exigere damna, & expensas, quibus solvendo pro debitore obnoxius fuit. Nimirum quando debitor fuit in mora culpabili solutionis debiti, tunc in causa fuit illati damni fidejussoris, proinde illum & de soluto debito, & de expensis ad hoc factis, & detrimentis, quæ subivit, sarcire debet. Si vero non fuit in mora culpabili solvendi, sufficit, si debitum restituat: fidejussor enim se solvere obstringit, non solum quando debitor non vult solvere ex malitia, sed & si solvere non valeat ex impotentia: sponte igitur fidejubendo huic oneri se subjecit. Ita quidem plures Auctores, & quidem magni nominis Theologi. Verum, ut candide fatear, non undequaque justum perspicio, cur fidejussor, qui alterius debitum solvendo, damna, & expensas subiit, non sit a debitore, licet sine culpa non solvente, compensandus; & pro beneficio gratis præstito detrimentum sentire, & pati ipsum oporteat. Hoc onus in debitore confugere censeo, non ex culpa ipsius, quam abesse suppono, sed ex natura debiti, quod a fidejussore solvi non potest sine detrimento, & expensis: & sicut ipse debitor, si solvere suum debitum nequiret, nisi aliqua damna, & detrimenta subiret, licet fortassis sine sua culpa, ea subire teneretur; ita & fidejussorem compensare, qui in illius gratiam, & commodum illa subivit. Addo, sicut fidejussor damnum solutionis alterius debiti certo subire debet, licet principalis debitor ex sola impotentia absque ulla prorsus culpa non solvat; ita pari pacto æquum videtur, ut & debitor damna, & expensas sarciat, quæ fidejussor subivit, licet hæc absque sua culpa illi obveniant. Ita quidem sentio, sed sapientum judicio me libenter submitto.

Consectarium Tertium.

III. Probabilius fidejussio est in gratiam debitoris gratuitum officium, pro qua nullum exigi juste potest pretium. Adversantur huic doctrinæ plurimi Theologi, & fere omnes Probabilistæ, & quidem hac unica ducti ratione, quia, ut sentit recentior Probabiliorista, „ obligatio solvendi debitum alterius „ est onus pretio æstimabile, nec fide„ jussor illud tenetur gratis assumere. „ Nec id exigitur pro solutione pecuniæ „ alterius loco datæ, vel dandæ, nam „ hoc esset usurarium; sed pro subeun„ da obligatione solvendi debitum al„ terius. Nec in mutuum virtuale pa„ ctio hæc degenerat, siquidem in mu„ tuo etiam virtuali reperitur vera tra„ ditio, quæ non occurrit in fidejussio„ ne; cum hæc præcise sit in suscep„ tione obligationis alienæ reposita “. Verum hæc non tanti momenti sunt, ut a posita doctrina recedendum evincant. Et primo quidem certum est, fide-

fidejussorem pro debitore nihil posse recipere, si nullum sit periculum, ut sponte fatetur laudatus Auctor. Et sic patet falsum esse, fidejussionem esse rem de se pretio æstimabilem; quia, omni sublato periculo, & molestia, inutilis est, & inanis, & nullius pretii. 2. Quando in fidejussione non intervenit nisi periculum facti, nimirum quod principalis debitor vel ex malitia nolit, vel ex impotentia non valeat debitum solvere, si hoc periculum non est idoneus titulus, ut mutuator aliquid ultra sortem exigere possit, qui tamen suam pecuniam, idest secundum sanguinem, solvit; quomodo potest esse justus titulus in fidejussore, qui non nisi verba dat, & qui, si pro debitore solvat, potest ab ipso & pretium solutum, & omnium damnorum reparationem repetere? Ita S. Antonin. 2. P. tit. 1. cap. 7. §. 45. *Nec obstat* (scribit) *cum in casu nostro* (de fidejussione loquitur) *etiam in me suscipio periculum, quia si tu illi non solvis, ego teneor solvere, quoniam tu mihi remanes obligatus ad reddendum*. 3. Si quis pro altero rogatus solvat debitum ejus, potest ne a debitore ob hanc solutionem aliquid exigere ultra solutam pecuniam? Minime inquiunt, quia esset usura. Cur ergo poterit pretium exigere non pro solutione vera, reali, & præsente, sed pro futura, incerta, & nunquam forte obventura? Quia, inquiunt, subit onus obligationis solvendi. Video. At nonne & qui solvit debitum, subit onus solutionis præstitæ, cum periculo ne alter solvat? & tamen hic pretium exigere non potest: ergo multo minus fidejussor. 4. In fidejussione intervenit mutuum virtuale, licet nulla fiat pecuniæ solutio; quod sic clare, & meo videri luculenter ostendo. Finge Petrum a Paulo postulare mutuo centum aureos; & hic respondeat, non habeo paratam pecuniam; sed perge ad Cajum communem amicum, virum pecuniosum, qui tibi mutuabitur: & ego pro te fidejubebo. Vel Petrus a Paulo præfatam pecuniam petit, ut triticum pro familia emat: & hic respondeat, pati pacto subdens, perge ad Cajum frumentarium negotiatorem, & credito eme triticum; nam pro te fidejubebo? Quis non perspicit in hoc utroque contractu fidejussorem mutuantis munus exercere? quippe licet ipse suam pecuniam non det, est tamen vera causa, ut alter ejus nomine præstet: & hic locum habet, qui per alium facit, per seipsum facere videtur. Et revera ita sentit, & docet S. Anton. l. l. scribens: *Paria quidem videntur mutuare ultra sortem, & certum quid recipere, & pnees creditorem satis dare, & aliquid a debitore recipere*. Et hoc est, quod præstant omnes fidejussores, sin explicite, certe implicite, & virtualiter. Involvit ergo virtuale mutuum. Quamobrem nihil pro fidejussione licet recipere, sed officium esse debet omnino gratiosum. Ita sentiunt laud. S. Anton. l. c. Genet. Tom. 1. tract. 6. cap. 1. q. 5. Juveninus, cujus Morale Opus sane doctissimum, & sana doctrina refertum, his diebus ex Gallico sermone Latio donatum audio, & typis Simeonis Occhi editum, de usura tract. 6. cap. 4. §. 6. n. 2. Conc. diss. 3. de mutuo, & usura cap. 19. n. 19. Covarruv., Franzoja, & omnes fere juris Canonici Doctores, quibus profecto fidendum est magis, si solum pondus auctoritatis spectes, quam Petro Coleto, cujus Theologicum opus, tanquam laxitati favens, plures Ecclesiastici Episcopo Tricassino denuntiarunt, eorumque censura typis im-

impressa habetur. Argumenta vero Theologorum aliter sentientium facile solvuntur. Nam inquiunt, obligatio solvendi debitum alterius est onus pretio æstimabile; nec fidejussor tenetur illud gratis assumere. At hoc non est argumentum probans, sed ipsa quæstio: nam revera inquirimus, num fidejubere pro altero sit quid pretio æstimabile; & num fidejussor hoc teneatur gratis præstare, vel possit pretium exigere. Hoc igitur est probandum, non nude, & simpliciter affirmandum. Nec urget, quod adsit obligatio solvendi pro alio: nam non omnis obligatio est pretio æstimabilis; ut patet in mutuo, & in venditione: qui enim se obligat vel ad mutuandum, vel ad non exigendam sortem nisi post plures annos, nequit propterea aliquid accipere; & pariter, qui se obligat ad vendendam domum, vel agrum post annum, non ideo potest vel aliquid extorquere pro hac obligatione, vel rem ultra justum pretium vendere ratione susceptæ obligationis. Ita pari pacto, qui pro alio fidejubet, nec potest vel ob susceptam obligationem, vel etiam secuta solutione, aliquid exigere, nisi sortem, & damna, si quæ subivit. At inquiunt, non tenetur hanc suscipere obligationem, & onus. Fateor: & ideo potest, si vult, non fidejubere. At posito, quod velit, gratis præstare debet: sicut nemo tenetur vel mutuum dare, vel rem suam vendere; at posito, quod mutuum dare velit, non nisi gratis debet largiri, & posito quod velit vendere, nonnisi justo pretio vendere debet. Urgent: pretium non exigitur a fidejussore pro pecunia data, vel danda, sed pro obligatione suscepta. Ad hoc magis ostendit, fidejussionem esse debere gratiosam: nam si non licet pro ipsa pecunia, quæ a fidejussore defectu debitoris soluta fuit, aliquid exigere, quod profecto quam onerosum, durum, & grave sit nemo non percipit, cur poterit pretium exigere pro obligatione, quæ seorsum ab ipsa solutione nihil omnino valet; vel si sit cum solutione conjuncta, jam est obligativa pro pecunia data, vel danda, proinde, ut fatentur, usuraria, ut paulo superius ostendimus? Tertium vero argumentum, quo conantur ostendere, pactionem in fidejussione non degenerare in mutuum virtuale, & superius profligavimus, & S. Antoninus sibi objicit l. l. & egregie solvit scribens: „ Quod „ non sit usura, videtur, quia solum „ in contractu mutui cadit usura: sed „ hic non est dare contractum mutui, „ sed contractum, scilicet *do*, *ut facias* mihi scripturam cautionis, vel „ *do*, *ut des* illi pro me, si non dedero, seu *facio*, *ut des*. Non enim „ ad mutuum respectus habetur, cum „ nullum sit pro patre recipientis illos „ unum, vel duos florenos, sed ad „ servitium scripturæ securitatis, quam „ tibi facio; & sic videtur potius venditio crediti mei. Sed fundamentum „ hujus rationis faciliter destrui potest. „ Nam etiamsi usura ex forma non cudit nisi in contractu mutui expliciti, „ tamen usura ex fraude bene reperitur in aliis contractibus, ubi est implicitum mutuum, ut patet ex dictis „ supra. Et sic videtur in proposito „ casu esse, quod præcipue videtur dicendum, scilicet esse usuram; cum „ talis satisdator faciat sibi idonee cavere ab eo, pro quo satisdat, de „ indemnitate; vel etiam sine hoc reddit se certum, non posse habere „ damnum, cum alias non satisdaret ". Hinc

Hinc patet, falsas omnino esse, & laxas Tamburini, aliorumque Theologorum opiniones, qui docent, posse mutuatorem vel pretium exigere pro eo, quod abstineat a petendo fidejussorem, quem petere posset, vel seipsum constituendo fidejussorem pro suo credito, cum hæc sint nimium trita usuræ palliola. Multoque magis iniquus est contractus fidejussionis fictæ, & circulatoriæ, quem defendit De Lugo, nimirum cum Petrus a Paulo centum mutuo postulat, qui respondet, non tibi illa mutua dabo, sed Cajo, qui postea tibi mutua dabit: dat igitur pecuniam mutuam Cajo, qui illam dat mutuo Petro, sed postulat, ut Paulus fidejussorem se reddat pro Petro, qui propterea ob præfatam fidejussionem pretium extorquet a Petro. Ubi, ut patet, idem est mutuator, & fidejussor, cum Paulus, & Cajus scenam non ingrediantur, nisi ad illudendum.

Quod si qui pecuniam mutuam dedit, timens suæ pecuniæ amissionem, postulat ab alio, ut fidejussor pro sua securitate accedat, promittens pretium fidejussionis; tunc licitus est contractus, & pro rata periculi potest pretium accipere. Nam hic non est vere contractus fidejussionis, sed assecurationis, in quo fidejussor in se omne periculum & juris, & facti pro pacto pretio suscipit; nec ipse ullam habet cum mutuatario rem, vel negotium, cum mutuum datum sit illi plane extrinsecum; ita ut, si mutuatarius non solvat, nullam habeat cum ipso actionem, cum quo nullum celebravit contractum, vel pactum iniit. Si tamen revera nullum sit periculum in re, sed solum in mente trepida creditoris, nihil nec iste fidejussor, seu potius assecurator recipere poterit; cum pretium assecurationis sit commensurandum periculo vero, & reali, non ficto & umbratili, ut superius diximus.

Consectarium Quartum.

IV. Quando obligatio principalis debitoris irrita est, & nulla, cadit & fidejussoris obligatio. Nam cum hæc sit accessoria alterius contractui, si contractus nullus & invalidus est, & fidejussio non obligat: qui proinde pro mutuatario fidejussit, tenetur quidem sortem reddere deficiente debitore; at minime usuras solvere, quippe quæ injuste a mutuante exiguntur, & de usuris solvendis nulla est obligatio. Quid, si & pro ipsis usuris fidejusserit, tenebitur ne solvere? Respondent utriusque juris periti teneri. Et id verum puto pro externo foro, in quo usuræ permittuntur: at in foro conscientiæ certe ex justitia non tenetur, cum fœneratitius contractus sit omnino nullus; & sicut principalis debitor usuras solvere non tenetur, ita nec fidejussor. At ex fidelitate, & veracitate puto arctius teneri fidejussorem, quam principalem debitorem, cum hic nonnisi necessitate cogente mutuum sub fœnore acceperit, at fidejussor tali necessitate ad fidejubendum non premitur; sed vel ex animo, vel alienis precibus adductus fidejussit; proinde magis ex veracitate, & fidelitate urgetur ad datam fidem liberandam, quod sine ullo crimine præstare potest.

Consectarium Quintum.

V. Qui fidejubet, sciens se non esse solvendo, si principalis debitor non solvat, graviter peccat; quia, ut op-

 time

time docet S. Th. 2. 2. q. 77. a. 3: *Dare alicui occasionem periculi, vel damni semper est illicitum*; Porro qui fidejubet impos ad solvendum, præbet alteri veram occasionem periculi, vel damni; quippe qui sine hac fidejussione non mutuum dedisset illi, quem solvendo non esse, vel posse fieri suspicabatur. Huic doctrinæ hanc limitationem nonnulli Theologi addunt, nimirum a culpa excusari posse hanc fidejussorem, si ipse non sit causa præcipua dati mutui, quia etiam sine illo creditor mutuum dedisset. Verum hoc non puto admittendum: nam semper in re gravi fallit creditorem, qui ideo fidejussorem vel petit, vel acceptat, ut sit de solutione securus saltem ab hoc præstanda; qui proinde, cum optime noverit se non esse solvendo, illum in re gravi decipit.

Consectarium Sextum.

VI. Fidejussori licitum est a creditore petere, & obtinere liberationem a fidejussione, aliquo persoluto pretio. Nam sicut licet creditori, ut superius diximus, fidejussorem persoluta pecunia sibi comparare, qui de solutione debiti ipsum assecuret; ita licet ipsi fidejussori liberationem a fidejussione petere, soluta pecunia; nam in hisce contractibus mutuum solum tanquam materia, de qua contrahitur, spectatur, ac proinde locum non habet usura. Idem tamen dicendum, ut de creditore diximus; nimirum si fidejussor petat liberationem ob periculum, non verum, nec satis probabile, sed quod sibi fingit creditor, vel fidejussionem remittere non debet, vel omnino gratis remittere.

Consectarium Septimum.

VII. Non semper, cum ab onere solutionis liberatur principalis debitor, liberatur pariter fidejussor. Continet hoc consectarium appendicem, & exceptionem a generali regula superius constituta, nimirum fidejussores ita obligari non posse, ut plus debeant, quam debet is, pro quo obligantur. Nam contingere potest, ut creditor fidejussorem postulet, timens, ne debitor principalis aliquo juris privilegio, vel adminiculo se ab onere solvendi liberet; ut contingit in creditore minoris, vel prodigi, quibus interdicta est bonorum suorum administratio: ideo enim creditor fidejussorem postulat, ut de suo credito semper sit tutus; licet minor, vel prodigus a solutione liberentur: quamobrem liberato prodigo, & minore a solutione non tamen liberatur fidejussor, qui solvere tenetur pro minore, & prodigo; cum eorum contractus fuerint quidem validi, sed irritandi, ut statuitur L. 25. ff. de Fidejuss. Quod si contractus cum minore, vel cum prodigo celebratus intrinseco laboret vitio, puta, quia dolo malo inducti sunt ad contrahendum, tunc cum contractus sit nullus in sua radice, si liberatur principalis debitor, censetur & liberatus fidejussor. Ita declaratur L. 2. cap. de fidejus. min. ubi dicitur: *Verum si dolo malo apparuerit, contractum interpositum esse, manifesti juris est, utrique personæ tam venditoris, quam fidejussoris consulendum esse*. Hinc apparet fidejussores pro pupillis, & filiis-familias mutuo accipientibus, liberato a solutione filio-familias, vel pupillo, & ipsos ab obligatione penitus liberari: quia leges vetant, & prohibent filiis-familias mutuare, proinde

inde illicitum est tale mutuum, & nullius est valoris in sua radice; adeoque liberatis pupillis, & filiis-familias, soluti censentur & fidejussores.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Ex jure Romano civili, ut sup. cap. diximus, olim non poterant exigi in pignus instrumenta aratoria, ut & animalia, & servi ad excolendam terram necessaria, sicut nec instrumenta artis debitoris: quod utrum vim hodie habeat, docuimus ex regionum moribus, & ordinationibus explorandum. Certum tamen est pugnare cum caritate ista accipere a debitoribus in pignus, quippe qui hoc pacto privantur modo æs alienum solvendi: sicut caritati adversatur, in pignus accipere a paupere quotidianas vestes, vel lectuli operimenta, vel alia quotidiano usui necessaria. Unde Exodi 22. v. 26. præcipitur: *Si pignus a proximo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet, in quo dormiat*. Et rursum Deut. 24. v. 12. *Si pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi*. Non licet creditori a debitore etiam moroso privata auctoritate pignus vel exigere, vel e domo auferre; esset enim reus furti & rapinæ, si violenter auferret. Hinc Deut. l. l. jubetur: *Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas, sed stabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit*. Pari pacto reus esset furti debitor, si a creditore suo pignus datum auferret, vel obtentum gratis ad aliquem usum restituere renueret: quia licet sua sit res oppignorata, est tamen creditori debita ad sui juris securitatem; proinde reus esset furti ratione injustæ detentionis. Creditor, qui cum debitore paciscitur de pignore non alienando nisi post certum tempus, etiam post terminum solutioni præstitutum, tenetur conventis stare; non vero si convenerit de pignore nunquam vendendo, adhuc enim saltem per sententiam judicis vendi posset, cum hæc conventio adversetur naturæ pignoris, quod ideo est datum, ut creditor se possit indemnem servare. Divendito pignore, vel consensu debitoris, vel jussu judicis, creditor non tenetur de illius evictione, si vendendo emptori manifestaverit, se non rem suam, sed debitoris vendidisse, qui solum tunc de evictione tenetur: si vero pignus, ut rem suam vendiderit, cum emptorem deceperit, & quidem in substantia contractus, rem alienam vendens tanquam suam, teneretur emptorem servare indemnem.

CAPUT SEPTIMUM.

De Mandato, Cura, Tutela, Compromisso, Transactione, & Dote.

DOCTRINA.

I. *Quid sit mandatum.*
II. *Quinam possit mandatarii munus subire.*
III. *Obligationes, & munia mandantis, & mandatarii.*
IV. *Quando mandati munus finiatur.*
V. *Quid sit tutela, & cura.*
VI. *Quotuplex sit.*
VII. *Qui possint tutelam gerere.*
VIII. *Obligationes tutorum & curatorum.*
IX. *Quid sit negotium gestum.*
X. *Quid compromissum. Distinctio arbitri, & arbitratoris.*

I. HAS etiam gratuitorum contractuum species breviter discutiemus, quos inter lucrativos, & gratuitos recensemus: non quia semper tales existant, multoties enim ita fiunt, ut ex utraque partem obligationem pariant, & onus; ut patet in mandato, quod aliquando gratis, aliquando ob pretium receptum præstatur; & ipsa dos, quamvis gratuita respectu filiæ sit, onerosa tamen est respectu mariti, qui alimenta uxori præbere tenetur, & eam illi servare: sed quia tamen etiam gratuiti esse possunt; ideo de illis in hac tertia parte existimavi differendum. A mandato itaque incipiemus. Mandatum, quod hic non active pro jussione, sive præcepto sumitur, sed passive, definiri potest: *Contractus, quo quis officium, seu negotium honestum, & lege permissum, gratuito, sive expresse, sive tacite suscipit, in alterius gratiam exequendum.* Dicitur *contractus de officio honesto, ac lege permisso*; quoniam de re illicita, aut turpi mandatum nec dari potest, nec suscipi, neque etiam acceptatum obligat suscipientem. Additur contractus *gratuitus*, quoniam si mercedis intuitu quis mandato se obstrinxerit, erit quidem locatio operum suorum, non vero genuinum mandatum. Hinc in instit. lib. 3. tit. 27. §. 24. dicitur: *Sciendum est, mandatum, nisi gratuitum sit, in aliam formam cedere; nam mercede constituta incipit esse locatio, vel conductio.* Non tollit tamen rationem mandati, quod aliquid promittatur mandatario sub titulo remunerationis, quoniam remuneratio fit ex gratitudine, non ex obligatione justitiæ; dummodo tamen non designetur in specie, quod remunerationis loco retribuendum est; sic enim verbo tenus tantum videretur remunerationis vocabulum usurpari, scilicet ad fugiendum titulum servitutis. Additum fuit *expresse, vel tacite*, utroque enim modo mandatum imponi potest, vel verbis, & signis expressis, vel æquivalenter, quando quis sciens, & tacens patitur negotium suum ab alio procurari. Cæterum hic contractus reducitur ad innominatum, soloque contrahentium consensu sufficienter manifestato perficitur, & potest vel sub forma absoluta, vel sub aliqua conditione celebrari: nunquam tamen obligationem inducere potest, nisi post mandatarii acceptationem, quam hic semel præstitutam retractare non potest, nisi justa, & rationabili causa superveniente; cujusmodi existimatur, si capitali inimicitia inter mandantem, & mandatarium subsecuta fuisset, aut hic mandanti se suspectum evasisse deprehenderit.

II. Ad hunc contractum ineundum omnes illæ personæ existimantur idoneæ, quæ alias propria contrahere valent auctoritate, nec legibus impediuntur; ut certum est impediri minores, & pupillos sine tutoris, vel curatoris licentia, filiosfamilias, Religiosos, servos &c. Sic specialiter prohibetur legibus civilibus, militibus mandatum dare de alienis rebus exportandis. Sunt etiam quædam negotia, quæ non nisi certis personis mandari possunt: cujusmodi sunt actus legitimi per solemnes

legis

legis actiones coram judice expediendi, qui privato cuilibet mandari nequeunt, sed debent fieri per publicam personam, ut aditio hæreditatis, adoptio, emancipatio, tutoris datio, acceptatio, & similia, de quibus Juristæ.

III. Obligationes, & munia mandantis, & mandatarii hæc sunt. Tenetur mandatarius observare formam mandati, & non excedere fines illius. Si enim contra mandatum, aut præter, vel citra quidpiam agat, infideliter agit, atque invalide; cum illud agat, quam sibi mandatum fuit: & hoc quidem, quando mandatum sub certa forma compositum fuerit. Quid autem, si res incerta saltem quoad circumstantias mandetur? ut si quis mandet alicui, ut sibi emat domum nulla facta determinatione qualitatis domus, aut pretii, quod in ea emptione erogandum est. Tunc industriæ, & prudentiæ mandatarii negotium intelligitur commissum, ac proinde qualiscumque emptio tenebit, dummodò & domus sit apta, & commoda, & pretium pro ea solutum sit justum, atque mandantis viribus proportionatum. Si autem mandatum fuerit, ut domus centum aureis ematur, sensus hujus mandati est, ne pluris ematur: quapropter si mandatarius emerit nonaginta, non potest decem aureos sibi retinere, eo quod minus expenderit, quam sibi permissum erat; sed tenetur restituere mandanti. Si vero mandatum fuerit, ut domum alterius vendat centum, & ipse vendiderit nonaginta, tenetur mandantem indemnem reddere, decem de suo persolutis; quia fines mandati præteriit: sicut si vendidisset centum & decem, excessus iste cederet in utilitatem mandantis: sensus enim mandati erat, ne domus minoris venderetur; & potest quidem, ut ajunt leges, mandatarius meliorem facere mandantis conditionem, non deteriorem. Si vero ex negligenti executione mandati mandatarius damnum inferat suo principali, tenetur ad compensationem, quatenus vel dolus, vel culpa lata locum habuerit; non jam si solum culpa levis, vel levissima intervenerit, quia de se mandatum est in solius mandantis utilitatem, & gratiam. In triplici tamen casu mandatarius obligatione etiam de culpa levi contraheret. 1. Si forte mandatum sit in utriusque utilitatem. 2. Si in susceptione mandati se sponte obligaverit, etiam in casu culpæ levis. 3. Si seipsum sponte obtulerit ad exequendum mandatum ei, qui alia persona uti decreverat. Siquidem hac spontanea oblatione videtur se obstringere ad summam & exquisitam diligentiam in negotio gerendo adhibendam. Ex altera parte etiam ille, qui mandat, contrahit obligationem mandatarium indemnem servandi, si quid forte incommodi in rebus suis ob executionem mandati passus fuerit: unde ad ejus damna compensanda tenetur, etiam de casu fortuito, qui tamen prævideri potuerit, etsi præmonuerit mandantem; non vero, si omnino præter expectationem acciderit. Hæc tamen obligatio locum non habet respectu eorum, qui dato pretio ad aliquid agendum conducuntur. Item locum non habet, quando quis titulo consanguinitatis, vel ex motivo pietatis aliquid pro alio gerendum assumit: nam tunc, si quod damnum incurrit, non ex mandato provenire censetur, sed ex consanguinitatis, & pietatis officio.

IV. Mandati autem contractus triplici modo finitur. 1. Per lapsum temporis constituti ad negotium gerendum.

2.

2. Per revocationem mandati. Est enim in libertate mandantis positum illud, quandocumque voluerit, retractare, etiamsi nunquam se revocaturum fortasse juraverit: etsi enim revocando perjurus fiat, revocatio tamen facta valida est, & irritat quodcumque adversus eam actum fuerit; dummodo tamen illa opportune, videlicet ante contestatam litem, vel inchoatum judicium, aut negotium, mandatario innotuerit; excepto casu Matrimonii, in quo quamvis revocatio non innotuerit, invalidum reddit contractum præter eam factum. 3. Finitur morte vel mandantis vel mandatarii. Hoc postremum tamen intelligendum est, si res adhuc integra sit: sic mortuo Episcopo cessat jurisdictio Vicarii ab eo instituti. Aliquando tamen morte mandantis non illico mandatum cessat. Id contingit 1. Quando mandatum est ad aliquid exequendum post mortem. 2. Quando mandatum est in gratiam ipsius mandatarii. 3. Si qui mandat, in favorem mandantis asserat se concedere, quoadusque revocaverit; & ante mortem re ipsa non revocavit. De quibus late tractant Juristæ.

V. Secundo loco de tutela, & cura nonnulla sunt subjicienda: quamvis, cum utraque sine assensu illorum, erga quos obligatio contrahitur, sed aliunde proveniat, non tam inter contractus, quam inter quasi contractus a nonnullis utriusque juris Doctoribus recenseatur. Est ergo tutela, ut dicitur in instit. *Jus, & potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se tueri non potest, a lege permissa & concessa*. Quapropter tutor ille vocatur, qui pupillum, vel pupillam morte patris, vel per emancipationem sui juris effectum, vel effectam tuetur. Datur autem tutela 1. Ad tuendas personas: 2. vero ad illorum bona custodienda, & servanda: in quo tutela differt a cura, ut alibi diximus, quæ principaliter ordinatur ad curationem bonorum; deinde extenditur ad ipsas quoque personas curandas. Propterea tutela datur impuberi, cura vero minori: illa perdurat in masculis usque ad quartum decimum annum, in feminis vero usque ad duodecimum. Cura vero protrahitur in utrisque usque ad vigesimum quintum completum.

VI. Triplex in jure celebratur genus tutelæ. 1. Dicitur *testamentaria*, quando scilicet pater decedens in testamento designat aliquem in tutorem filio, vel filiis, aut nepotibus, si sit avus. 2. Vocatur *legitima*, quæ nimirum datur a lege in casu, quo pater de tutore filiis non providerit; & competit ei, qui conjunctior est pupillo, seu qui primus deberet ei succedere ab intestato. Is enim adstringitur a legibus ad suscipiendam præfatam tutelam. Demum 3. appellatur *dativa*, quæ videlicet a judice datur, quando nec dispositione testamentaria parentis constitutus est tutor, nec adest aliquis consanguineus, qui per leges hoc onus subire teneatur, vel sit idoneus.

VII. Omnes illi tutelam gerere possunt, qui ob aliquam caussam non repelluntur a jure. Repelluntur autem impuberes, furiosi, dementes, insuper surdi, & muti, item prodigi, & debitores pupillorum. Mater, & avia ad tutelam suscipiendam idoneæ quidem reputantur, & recipiuntur, dummodo velint; in quo eventu etiam præferuntur tutoribus legitimis, & dativis, non vero testamentariis; si tamen nolint, minime compelluntur: quapropter tutela ab eis suscepta, esto sit legiti-

gitima, est simul voluntaria. Quam tamen ut exerceant, duobus subjiciuntur conditionibus: 1. est, ut renuntient secundis nuptiis; altera, ut etiam renuntient privilegio Senatus Consulti Vellejani, de quo superius mentio facta est. Itaque si mater, vel avia transeat ad secundas nuptias, secuto Matrimonio, statim ipso jure tutelam amittit; & bona secundi conjugis obligata manent pro administratione hactenus exercita. Decidit etiam tutela, si incontinenter vivere convincatur. Clerici ad recipiendam tutelam adstringi non possunt: gaudent enim Canonico privilegio, ut, licet possint alicui ab intestato succedere, ejus tamen tutelam obire non cogantur. Si tamen velint, possunt legitimam tutelam exercere, non tamen testamentariam, vel dativam. Respectu tamen miserabilium personarum etiam Ecclesiastici gerere tutelam tenentur, quam monent Canones ab Episcopo non esse per semetipsum immediate exercendam, sed per alios, puta Archipresbyterum, vel Archidiaconum. Sed Regulares nec legitimam valent administrare sine suorum Superiorum licentia.

VIII. Obligationes tutorum, & curatorum hæ sunt. 1. Tenentur pupillos, & minores a criminibus illæsos servare, atque bonis moribus instruere, conductis, si opus fuerit, ad hunc finem, congruo salario idoneis pædagogis, & magistris juxta educandi conditionem. 2. Illorum bona ab injuria defendere: & si pupillus habeat mobilia inutilia, quæ commode servari non possint, debent a tutoribus vendi, & pretium converti in prædia, ex quibus illi certos reditus percipere valeant. Si pro ære alieno dissolvendo aliqua vendere oporteat, hæc ab illis cautio servanda est, ut primo loco inutilia, postea quæ non magnæ sunt utilitatis, ultimo loco, & nonnisi ex urgentissima causa, bona stabilia distrahantur. Porro si in his obligationibus defecerint & tutores, & curatores, tenentur ad damna sarcienda, nedum ex dolo, & culpa gravi, seu lata, sed etiam ex culpa levi; præsertim si ob tutelam, quam gerunt, aliqua eis merces fuerit constituta: tunc enim in utriusque partis utilitatem administratio tutelæ cadere reputatur. Præterea legibus civilibus obligantur ad inventarium exarandum coram aliqua persona publica, puta Notario. Immo ad effectum ut inventarium fidem faciat contra quoscumque pupillo litem moventes, etiam judicis præsentia necessaria decernitur. Quod si omiserit Inventarium exarare, suspectum se reddit, & ex dolo tenetur, si forte tutelam inutiliter, vel perniciose administraverint. Non desunt tamen justæ causæ vel differendi inventarium, ut si tutor morbo teneatur, vel in iis occupetur, quæ dilationem non patiuntur, vel quæ sint ante inventarium perficienda, puta in perscrutandis bonis hæreditatis: vel etiam in totum omittendi, si vel alicubi hæc consuetudo, & lex civilis non vigeat, vel justa de causa judex a conficiendo inventario putaverat dispensandum. Vicissim tenentur pupilli, & minores suis tutoribus, & curatoribus expensas solvere, vel necessarias, vel etiam solum utiles, factas ab illis in suis gerendis negotiis; immo & solvere salarium, si quod ab initio constitutum fuerit; nam alioquin tutela, & cura sunt ex genere eorum, quæ gratis præsumuntur administrari.

IX. Cum tutela, & cura magnam habet similitudinem & affinitatem quidam quasi contractus, qui in jure appel-

pellatur *negotium gestum*, & in eo situm est, quod quis sine mandato vel explicito, vel virtuali, non tamen absque consensu tacito alterius, ejus negotia utiliter gerat. Hinc vero consimiles jam memoratis obligationes oriuntur, nempe ex parte illius, qui negotium gessit, obligatio ad reddendam rationem, & ad id, quod sibi ex tali negotio provenit, fideliter persolvendum; puta fructus rei administratæ, vel pecunias a debitoribus exactas. Ex parte vero illius, cui negotium gestum fuit, obligatio ad compensandas expensas pro se factas, nec non ad valorem solvendum, labori, & industriæ ab alio exercitæ respondentem.

X. Nunc tertio loco de compromisso aliqua sunt subjicienda. Compromissum *est contractus, quo mutuo litigantium consensu dirimenda remittitur controversia alicui arbitro, sive arbitratori, cui partes spondent se pariturus*. Notandum est in hac definitione discrimen, quod inter arbitrum versatur, & arbitratorem. Is enim dicitur arbiter, qui a partibus eligitur tanquam judex, ut nimirum servata, saltem quoad substantialia, forma judicii sententiam ferat de re controversa. Sed arbitrator ille audit, qui idcirco eligitur, ut sine ordine judiciali, solum ex æquo, & bono decernat, quod est faciendum. Materia compromissi est in omni re, vel causa, quæ prohibita non invenitur. Quapropter in criminalibus compromissum locum non habet, quia de illis arbitrium non permittitur: sed nec de rebus pertinentibus ad Rempublicam, civitatem, communitatem, oppidum, & hujusmodi. Item nec de causis Matrimonialibus, quorum definitio spectat ad judices Ecclesiasticos, ut disponit Trid. sess. cap. 24. cap. ult. Similiter nec in rebus, quæ jam per sententiam definitivam transierunt in rem judicatam. Et tandem non datur compromissum de rebus, quæ alienari non possunt. Si autem pro aliquorum alienatione præscribitur certa solemnitas, ea quoque necessaria est ad compromissum de iisdem faciendum: sic Clerici non possunt de rebus Ecclesiæ sine licentia Episcopi compromittere; nec Religiosi de rebus Monasterii sine licentia Superioris, & Capituli; nec procuratores, tutores, curatores pupillorum, & minorum de istorum rebus sine licentia judicis.

XI. Juxta leges in arbitros eligi nequeunt, qui viginti annis minores existunt, nec surdi, nec muti, nec servi, nec mulieres (excipitur si quæ mulier alicujus loci dominium, & jurisdictionem obtineat) nec Religiosi, quippe quia arbitri officium judicii formam requirit, quæ Monachis jure Canonico est interdicta: at arbitratores, qui ad formam judicialem servandam non sunt adstricti, Religiosos eligi nequaquam vetitum est. Denique Laici sine licentia Summi Pontificis in causis spiritualibus arbitri sedere non possunt: si tamen conjunctim cum Ecclesiasticis in arbitros assumantur, sufficit etiam Ordinarii facultas, immo & judicis delegati in ea causa, ut rite arbitrium exerceant. Cæterum cum tota arbitrorum facultas pendeat ex consensu, & conventione partium, non possunt arbitri excedere formam arbitrii sibi constitutam, nec conditiones appositas præterire: si secus agant, invalidum, & irritum est ipsorum judicium. Non debet tamen eisdem pro conditione apponi, ut in arbitrio ferendo consilium alicujus sequi teneantur; & invalidum esset compromissum sub hac conditione com-

compactum : oportet enim arbitros relinqui in sua libertate, quamvis peritiores consulere non prohibeantur; immo id opportunum est, ut æquiorem ferant sententiam. De jure communi ab arbitrorum sententia, sive apposita fuerit pœna, sive non apposita, appellatio non datur : siquidem obligat illorum sententia, non tam ut sententia, quam ut habens vim, & firmitatem ex voluntate partium; illi etenim ad standum & conformandum se arbitrorum sententiæ adstrinxere. Si tamen aliquando appellatio locum habere possit, ad judicem Rei, qui appellationem interponit, facienda est, post cujus sententiam pars gravata ad Judicem superiorem appellare non poterit.

XII. Sed quia frequenter ex arbitratorum suggestione litigantibus transactio tanquam optimum remedium ad sopiendas controversias proponitur: ideo & de hac, licet ad onerosos accedat contractus, in hoc capite aliqua verba faciemus. Est igitur transactio, sive compositio *Contractus, quo de re dubii juris, pendente adhuc lite, pactio non gratuita initur*. Inde autem nomen transactionis accepit, quia per illam transit actio, quatenus ille, qui transigit, recedit ab actione, quæ ipsi competebat in alterum. Fieri autem potest solum de re dubii juris, nedum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ : alioquin deerit titulus, quo ille, qui transigit, possit aliquid sibi vendicare de re controversa. Fit etiam solum pendente lite, sed nondum finita : quia si jam lata sententia causa transierit in rem judicatam, inutiliter, atque injuste transactio peteretur, nisi in casu, quo alteri parti superstit actio petendi restitutionem in integrum, ut in minoribus; vel nisi sententia ignoranter lata fuisset; vel si post sententiam appellatio fuisset interjecta; nam hæc suspendit vim sententiæ, & revocat causam in dubium, & reducit ad statum, quem habebat tempore contestationis. Nec est necesse, ut lis reipsa mota fuerit, sed sufficit, si probabiliter movenda timeatur; dummodo non injuste ab aliquo metus incutiatur. Dicitur autem transactio *pactio non gratuita*, quia per eam utrique contrahenti aliquod onus imponendum est, & ita retinendum de pristino jure, ut aliquod etiam alteri concedatur : in quo tamen, ut juste fiat, servanda est æqualitas pro ratione dubii, magis, vel minus ad alteram partem vergentis. Quapropter si ultra, vel citra dimidium valoris rei alteruter transigentium gravetur, vel accipiat; tunc alteri competit actio, ut vel transactio rescindatur, vel reducatur ad æqualitatem juxta gravati petitionem, & ad normam æquitatis, & justitiæ.

XIII. Omnes illi ad ineundam transactionem idonei sunt, qui plenum habent suorum bonorum dominium, liberamque administrationem, & alioquin in jure non prohibentur. Prohibentur autem illi, quibuscumque alienatio interdicta est: nam transactio sine aliqua alienatione fieri non potest. Item qui non nisi certis servatis solemnitatibus alienare permittuntur, easdem in transactione celebranda præterire non possunt. Nihilominus si fiat supremi Principis auctoritate, etiam sine illis solemnitatibus valet; & etiam valore non caret, si manente apud eam, qui alienare non potest, integra rei possessione, hic vel pecuniam, vel aliud aliquid libere alienabile exhibeat pro transactione.

XIV. Ultimo loco & de dote nonnulla subjicienda sunt. Et quidem dos si spectetur, quatenus ab uxore traditur marito, non est inter gratuitos contractus recensenda, sed inter onerosos; datur enim marito ad onera Matrimonii sustinenda, id est, ad alendam uxorem, eique necessaria, & suo statui convenientia præbenda; at inter gratuitos locum habet, quatenus a patre, avo, aliisque datur sponsæ intuitu Matrimonii. Definitur itaque dos a S. Antonino 3. P. tit. 1. *Quæ datur viro a muliere pro onere, quod de Matrimonio sustinet*. Optime dicitur, quæ datur, non quæ donatur viro; quia dotis dominium residet penes uxorem; licet administratio, ususfructus, & usus ad maritum pertineat. Additur, ad sustinenda onera matrimonii, ut distinguatur a ceteris bonis, vel rebus paraphernalibus, quæ uxor secum deferre potest, & quæ, etiamsi marito administranda concedat, tamen non ad matrimonii onera sustinenda ordinantur; & ad ostendendum etiam solum in matrimonio locum habere dotem, adeo ut, si nullum sit matrimonium, & nulla quoque habeatur dos; ut habetur L. *Dotis* ubi dicitur: *Neque enim dos sine matrimonio esse potest; ubi igitur matrimonii nomen non est, nec dos est*.

XV. Dos vero, sive bona dotalia in jure, aut profectitia dicuntur, aut adventitia. Prima ea sunt, & appellantur, quæ sponsæ dantur a patre, avo, aliisque consanguineis, aut etiam ab extraneo, sed nomine patris, aut avi mulieris: & hæc post uxoris mortem ad illos revertitur. Adventitia autem dos est, quæ neque a patre, neque ab aliis consanguineis in linea ascendenti masculina paterna constitutis efformatur; sed vel mulier sibi ipsa constituit ex bonis matris, fratris, avunculi, vel etiam extranei, & quæ proinde ad illos non revertitur, soluto per mortem uxoris matrimonio. Materia dotis esse potest, quidquid est pretio æstimabile, sive pecunia sit, sive res mobilis, sive immobilis. Si pecunia, vel mobilia data sint æstimata, hæc in plenum mariti dominium transeunt: quamobrem ipsi pereunt, si forte pereant, & illorum deficientiam ex bonis suis supplere tenetur. Si vero vel immobilia sint, vel mobilia, & non æstimata, dominium ad uxorem pertinet; proinde ipsi pereunt, vel deteriorantur, quando id ex fortuito casu contingat, non ex culpa mariti, qui tenetur ad dotem conservandam rite, recteque administrandam, adeout obligetur nedum ex dolo, sed ex culpa lata, & levi, cum ad utriusque utilitatem detur. Nam in L. 17. ff. *de jure dotium* dicitur: *In rebus dotalibus oportet tam dolum, quam culpam, quia causa sui dotem accepit, sed etiam diligentiam præstabit, quam in suis rebus exhibet*. Ususfructus vero, & usus omnino ad maritum pertinent, qui illis uti, frui, & libere disponere potest juxta L. 75. ff. l. *Dotis fructum ad maritum pertinere debere æquitas suggerit*. Inter fructus tamen non sunt computanda, quæ partem dotis constituunt; ut si sylva in dotem data sit, arbores quidem cæduæ, rami qui abscinduntur, & eorum fructus ad maritum pertinent tanquam fructus fundi; non vero arbores, quæ a vento disjiciuntur, sed earum pretium est in dotem computandum, deductis expensis; sicut & arbores emortuæ ad maritum pertinent cum onere tamen, ut novas conferat. Bonorum tamen paraphernalium, licet eorum administratio sit marito ab uxore concessa, fru-

fructus non ad illum pertinent, sed sunt uxoris.

XVI. Dotem dare potest quilibet, qui bona habet, & liberam illorum administrationem: hinc & ipse maritus potest dotem uxori suæ constituere, vel etiam non receptam, sed solum promissam pro data, & recepta habere. Tenentur vero 1. loco pater filiam dotare, si possit: nam sicut pater debet filiæ alimenta, ita & dotem; cum dos loco succedat alimentorum. *Neque enim* (sic statuitur L. 7. C. de Dote) *leges incognitæ sunt, quibus cautum est omnino paternum esse affectu dotem pro sua dare progenie*. Et L. *qui liberos* ff. de *rit. nupt.* iterum indicitur: *Qui liberos injuria probibent uxorem ducere, vel nubere, vel qui dotem dare nolunt, coguntur in matrimonium collocare, & dotare*. Si vero pater ..re nequeat filiæ dotem tradere, qui loco succedit mater, quæ non minus, quam pater, filios suos diligere tenetur, & eis, si egeant, alimenta præbere juxta Glossæ doctrinam super Cap. haberet, ubi *pater, & filius egeant, mater compellitur eos alere*. Et 1. quidem de bonis paraphernalibus, vel aliis sibi liberis, deinde vero de mariti consensu etiam ex bonis ipsis dotalibus. Frater etiam, sin ex justitia, saltem ex caritate tenetur sororem pauperem dotare. A quo caritatis officio non impediuntur Clerici bona Ecclesiastica possidentes, immo promoventur, cum ea bona sint, quæ pauperum usibus inservire debent. Quamobrem, si bona habeant patrimonialia, ex ipsis dotem sorori dare possunt, & ipsi de reditibus Beneficii vivere; si vero nonnisi bona Ecclesiæ possideant, de illis aliquid possunt sibi subtrahere, & quod superest pauperibus jam distribuendum, in subsidium sororis impendere: cavere tamen debent, ut eam tantum tribuant dotem, quæ sorori juxta sui conditionem convenire potest; non vero majorem, ut conditionem mutet: & præ oculis habeant monitum S. Ambrosii de Off. lib. 1. cap. 10. relatum etiam a D. Thom. 2. 2. q. 185. a. 7. ad 2. *Hæc est approbanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas; non tamen ut illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre inopibus*.

XVII. Soluto vero per obitum uxoris matrimonio, tenetur maritus vel dotem distribuere juxta uxoris testamentum, si a legibus sit uxoribus concessum de sua dote disponere; vel sibi aut integre, aut partim retinere, si ita conventum fuerit in celebratione matrimonii; vel filiis conservare, si ex matrimonio sunt liberi suscepti, & viventes; vel denique uxoris hæredibus, ad quos reverti debet, restituere. In qua restitutione jura statuunt, ut si dos in immobilibus fuerit constituta, statim ista restituantur: si vero in pecunia, & in mobilibus æstimatis, non nisi post annum. Restituere quoque tenetur cum dote etiam dotis accessorium. Demere tamen poterit expensas, quas subivit, ut dotales fundos vel conservaret, vel augeret; ut si domos ruinosas refecerit, vel agrum incultum, & sterilem feracem reddiderit, & fructuosum. Ita statuunt leges, nam Leg. *Impens.* ff. de Impensis in rebus dotalibus factis sic indicitur: *In necessariis impensis boc dicendum est, eas demum impensas decem minuere, quæ in dotem factæ sunt*. Et L. ult. de fundo dotali: *Non tam necessarias, sed etiam utiles impensas præstandas a muliere existimo, licet fortassis casu fortuito perierint: nam cum impensæ factæ sint in utilitatem dotis, & uxoris,*

ris, æquum est, ut sicut commodum sensit, ita & incommodum subeat. Non sunt tamen recensendæ inter necessarias, & utiles expensas per ipsam dotem compensandas, quæ habitæ sunt ordinarie ad arandos, colendosque agros ad fructus colligendos, ad tributa solvenda: quia, ut inquit lex, hæc onera ad usumfructuarium pertinent; *onus enim fructuum hæc impendia sunt*. Si vero expensæ factæ fuerint ad solum commodum, & voluptatem, nec maritus ex dote detrahere, nec hæredes compensare tenentur. Poterit tamen maritus sibi retinere (si hæredes nolint pretio sibi comparare) duabus tamen servatis conditionibus, nimirum ne res dotalis per ablationem ornatus adjecti vel destruatur, vol deteriorerur. 2. Si res ablata possit marito auferenti aliquo modo prodesse, non vero, si nihil ad ejus utilitatem conferat; cujusmodi sunt picturæ in pariete, & ornamenta lapidibus, vel lignis adhærentia, quæ deleri, vel abradi non debent. Ita decernunt Leges, & quidem juste L. 9. ff. de impensis sancitur: *Pro voluptuariis impensis, nisi parata sit mulier pati maritum tollentem exactionem patitur*, ceterum si *non recipiant* (si divisionem) *relinquendæ sunt, ita enim permittendum est marito auferre ornatum, quem posuit, si futurum est ejus, qui posuit*.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Mandatarius formam mandati præterire non debet*.

II. *Quod mandatario penditur, non est ad justitiæ leges commensurandum*.

III. *Quando furiosis, & amentibus dandi sint tutores, vel curatores*.

IV. *Non semper filiæ nubentes invitis, vel insciis parentibus dote privari debent*.

Consectarium Primum.

CUM prima lex mandatarii sit, juxta omnes Theologos, ut mandatum fideliter exequatur; & formam observet, nec fines excedat mandati manifeste patet, nos recte dixisse cap. 6. diss. 2. de Contr. in particulari Consect. 7. non licere amico, cui ab altero amico mandatum est, ut suum equum vendat vel infimo, vel medio pretio, nisi supremum possit habere, se in emptorem mutare, emendo equum pretio medio, vendendum postea supremo cum suo lucro: nam mandati fines excedit, nec formam mandati observat; cum enim vendere debeat, sibi emit, & ex mandatario fit emptor: violat igitur justitiam, ad quam mandatum, sicut & ceteri omnes contractus pertinent. Nec tamen inferendum, eum vel graviter peccare, vel ad restitutionem teneri. Nam attendendæ sunt circumstantiæ facti, quod de se, & objective non videtur lethalem culpam inducere, & cum nullum inferatur amico damnum, restitutioni non fit obnoxius: non enim omnis justitiæ violatio restitutionem inducit; sed quæ est cum alterius detrimento conjuncta. Id patet in eo, qui argenteos crateres in pignus, vel depositum accipiens cum pacto, ne illis utatur; & postea illis utitur aliquando ad pompam: hic violat quidem legem depositi, & pignoris; at ad restitutionem non tenetur, cum nullum afferat deponenti, vel oppignoranti detrimentum. Apparet etiam discrimen inter mandatarium, & procuratores, vel villicos nobilium virorum: nam istorum opera non ad contractus mandati referenda sunt, sed vel ad locatio-

tionem, vel ad illum contractum, qui negotii gestio dicitur, in quibus obstringuntur quidem & opera sua integre impendere, & alterius negotium fideliter agere: at non impediuntur, ne simul propriam quærant utilitatem: quamobrem ampliori gaudent libertate in agendo, quam mandatarius, qui arctioribus vinculis per legem mandati adstringitur.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Quod mandatario a mandante donatur, non est ad qualitatem justitiæ commensurandum cum pretio operæ, sed ex decentia, & gratitudine pendendum. Nam cum, ut diximus ex L. 1. ff. *mandatum nisi gratuitum nullum; nam originem ex officio, atque amicitia trahit*, non mercedem postulat, sed solum gratuitam compensationem, quæ vel promissa, vel sponte oblata recipi quidem potest, at omissa, vel denegata exigi non permittitur. Hinc nihil lucrari ex mandato potest mandatarius, nec operam suam computare in pretio, nec ullam compensationem pro labore expetere, sed solam, ut diximus, damnorum, quæ subivit, compensationem, dummodo de illis præmonuerit mandantem, si vel illi incomperta, sive in se incerta erant; si vero certa, & ad ipsius mandati executionem necessaria, vel comitantia, vel subsequentia, nec ipso mandante præmonito.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Non solum pupillis, & minoribus, sed etiam amentibus, & furiosis, præsertim si perpetua supponatur eorum infirmitas, sunt tutores, & curatores dandi, a quibus nunquam subtrahuntur, nisi constet illos ad sanam mentem rediisse; proinde horum cura, & tutela protrahitur etiam ultra 25. annum, ut habetur in Instit. lib. 1. tit. 23. *Mente captis, quia rebus suis superesse non possunt, curatores dandi sunt. Furiosi, licet majores viginti quinque annis sint, tamen in curatione sint*. Animadvertendum tamen est, hisce solum a Magistratibus esse tutores, & curatores destinandos, apud quos de illorum infirmitate, & insania aperte constet, ne quis vel dementiam fortassis fingat ad onera, & civilia munia declinanda, vel etiam aliorum malitia illis insania affingatur, aut exageretur, ut eorum bonis frui possint. Communitatibus quoque, sive Ecclesiasticis, sive secularibus Curatores assignantur, qui vel Procuratores, vel Syndici, vel Consules, vel alio nomine donantur; & hi eadem subeunt onera, & obligationes, quæ tutoribus tribuuntur. Finitur autem tutela, & cura 1. alterutrius morte. 2. Quando qui sub tutoribus, vel curatoribus sunt, illis amplius non egeant, vel quia ad legitimam ætatem pervenerunt, vel quia sublata sunt impedimenta, quæ tutelæ, vel curæ causam præbebant. 3. Ex lege civili, quando vel per Judicem a tutela removentur ob id, quod suspecti vili sint; vel quia ex justa causa se excusant; vel onus administrandæ tutelæ deponunt.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Non semper filiæ, quæ nubunt insciis, vel invitis parentibus, dote privari possunt. In Galliarum Regnis eæ vigent Leges, quæ facultatem concedunt parentibus dotem denegandi filiabus, quæ ipsis invitis, vel ignorantibus nubunt. Optimæ quidem leges,

ges, quæ ad debitam genitoribus reverentiam sartam tectamque servandam ordinatæ sunt, quibus proinde se conformare parentibus licet, zelo justitiæ, omni seposito odii, iræ, vel vindictæ inordinato affectu. Eo vel maxime laudandæ, quia dum reverentiæ parentibus debitæ consulunt, simul etiam filiorum libertati, & indemnitati prospiciunt, statuentes, ut solum vim habeant, si filius ante trigesimum annum uxorem ducat, vel filia ante vigesimum quintum nubat: nam eo tempore elapso decernunt liberum esse filiis matrimonium contrahere, etiam invitis, quamvis non inconsultis parentibus, quin per hoc vel dote filiæ, vel hæreditate filii privari possint. At in aliis Regionibus, in quibus hæ minime promulgatæ sunt leges, res ad jus naturale, & ad normam Evangelicæ caritatis est dirigenda. Quamobrem censerem 1. posse filiæ dotem denegari, si hæc nubat contra parentum voluntatem, ipsisque plane invitis, & dissentientibus, & quidem justis, honestisque de causis. 2. Hoc multo magis locum habere, si virum eligat sibi imparem, vilem, vel infamem, cum dedecore, & ignominia familiæ; si domo aufugiat; si ad matrimonium accedat jam prægnans cum scandalo, & offensione plurimorum. Hæc enim crimina sunt, & scelera, quæ juste a parentibus puniri possunt dotis denegatione. 3. Si vero insciis, & invitis parentibus nubat quidem, sed sibi æquali, vel parum impari, si matrimonium in dedecus non cedat familiæ, si sine scandalo celebretur; putarem non esse parentum indignationem usque ad privationem dotis, statui saltem mariti convenientis dilatandam: licet enim in parentes peccaverit, & quidem graviter; tamen locum habere debet misericordia, & feminæ fragilitati, infirmiorique vasculo tandem parcendum. Quod multo magis verum censeo, si duæ accedant conditiones, nimirum 1. si filia veniam admissi sceleris a parentibus petat; 2. si ad vitam sustentandam dote indigeat. Ita ex doctrina colligo S. Ambrosii; hic enim Sisinii filium, qui contra voluntatem patris uxorem sibi desponderat, & ad veniam a patre petendam induxit, & patrem cum filio reconciliavit. Sic enim scribit ep. 83. „ Quod filio „ nostro remisisti meo rogatu, quia te „ inconsulto uxorem acceperat, pietati „ magis tribuo, quam nostro amori ... „ pulchre itaque gestum, ut te patrem „ recognosceres simul quia justa indi„ gnatio fuit, malo enim culpam fa„ teri, ut plus laudetur paterna indul„ gentia; sed & ipsa paterna offensio „ fuit, quoniam venturam in loco filiæ, „ tuo debuisti eligere judicio ... fuit „ ergo quod succenseres filio; sed fuit „ etiam quod remitteres, quia sibi „ uxorem elegit. Acquisivisti filiam sine „ electionis periculo. Si bonam duxit, „ tibi acquisivit gratiam; si erravit, „ recipiendo meliores facies, refutan„ do deteriores. Fecisti igitur, quod „ boni parentes, ut cito ignosceres, „ sed obsecratus; nam antequam rogareris, non erat ignoscere, sed fa„ ctum probare. Deinde diutius dif„ ferre veniam, & tibi acerbum, & „ illis inutile; neque enim paterna visce„ ra diutius tolerari possunt “. Utrum vero hæc misericordia locum habere debeat; & in priori casu, prudentis erit ministri ex circumstantiis expendere; &, quod magis Deo acceptum, saluti animæ tum filiæ, tum parentis prospicere, & consulere.

CA-

CAPUT NONUM.

De Mutuo & Usura.

DOCTRINA.

I. *Mutuum inter gratuitos contractus recensendum.*
II. *Quid sit mutuum.*
III. *Debet esse gratuitum.*
IV. *Quid sit usura.*
V. *Usuram probibet Scriptura.*
VI. *Damnarunt patres omnes.*
VII. *Et concilia.*
VIII. *Et quidem non solum mordentes, sed & minimas.*
IX. *Et a quocumque petitas.*
X. *Usuræ multiplex divisio.*
XI. *Qui mutuum dare possunt.*
XII. *Mutuantis, & Mutuatarii officia.*

I. INTER lucrativos, gratuitosque contractus mutuum locum, & quidem primum, tenere, nullus est, qui ambigat. Non tamen quia, si onerosus fiat, & aliquid pro mutuo exigatur, naturam exuat mutui; sed quia per hoc ita inficitur, ut non amplius licitus contractus sit, sed fœneratitius, & usurarius: sicut per adulterium non tollitur matrimonium, licet commercium cum omni aliena muliere excludat; sed violatur, & polluitur. Quod statim in initio præmonitum volui, ne quis putet verum, quod (ut in sequentibus ostendemus) effutiunt nonnulli, sublata a mutuo ratione gratuiti, jam non amplius mutuum esse, sed in alium transmutari, & transferri contractum. De mutuo latissime disputarunt paucis ab hinc annis, hinc & inde, magni nominis viri, quos accurate recenset, & quorum libros enumerat Petrus Ballerinus in suo Opere de Jure divino, & naturali circa usuram in Præf. §. 7. & seq. Alii putarunt, mutuum lucrosum vel sine usura esse posse, vel, si cum usura societur, non tamen per hoc illicitum evadere; cum non omnem usuram illicitam dicant. Alii vero omne lucrum a mutuo vi mutui ita excludunt ut, quidquid lucri mutuo accedit, usura sit legibus omnibus vetita. Hisce vitiligationibus permotus sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. Constitutionem edit anno 1745. quæ incipit *Vix pervenit*, qua perpetuam Ecclesiæ de mutuo, & usura doctrinam dilucide exposuit, & sua auctoritate confirmavit. Hac igitur doctrina innixus, de mutuo, & usura dogmata, & quæstiones explicabo.

II. Mutuum itaque sive originem a mutatione ducat, quia nimirum non eadem res in individuo redditur; sive, ut lubet Justiniano, quia in eo transfertur dominium, adeo, ut quod meum erat, tuum fiat, definiri potest *Contractus, quo res usu consumptibiles alteri traduntur possidendæ, & consumendæ, cum onere, ut certo elapso tempore restituantur in eadem quantitate, & qualitate.* Contractus genus designat, cetera vero differentias. Et prima quidem, quod mutui materia non alia sit, nisi res usu consumptibilis, vel physice per ipsius substantiæ destructionem, ut in pane, vino, oleo, frumento, quæ omnia usu consumuntur; vel moraliter per alienationem, ut pecunia, cujus substantia, licet semper maneat, permutatione tamen veluti extinguitur. Ita materiam mutui explicat etiam Justinianus in Instit. lib. 3. tit. 15. dicens: *Mutui autem datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurave consistunt, velati vino, oleo frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro, quas res aut*

numerando, aut metiendo, aut appendendo in eo damus, ut accipientium fiant. 2. Differentiæ loco est, quod hæc usu consumptibilia ad usum tradantur, & proinde ad consumptionem: si enim alteri dentur ad custodiam, erit depositum; si ad vendendum, erit negotiatio; si ad pompam, & ostentationem, erit locatio. Id egregie explicat S. Th. q. 13. de malo art. 5. ad 15. scribens: „ Duplex usus potest esse alicujus rei, „ unus proprius, & principalis, alius „ secundarius, & communis; sicut „ calceamenti proprius, & principalis „ usus est calceatio, secundarius autem „ commutatio. Pecuniæ autem e con„ verso principalis usus est commutatio, „ propter hanc enim pecunia facta est. „ Secundarius autem usus pecuniæ po„ test esse quicumque alius, puta quod „ ponatur in pignore, vel quod osten„ tetur. Commutatio autem est usus „ quasi consumens substantiam rei com„ mutatæ, in quantum facit eam abesse „ ab eo, qui commutat. Et ideo si „ quis pecuniam suam alteri concedat „ ad usum commutationis, qui est pro„ prius pecuniæ, & pro hoc usu pre„ tium aliud quærat ultra sortem, erit „ contra justitiam. Si vero alter con„ cedat alteri pecuniam suam ad usum „ alium, quo pecunia non consumitur, „ erit eadem ratio, quæ est de rebus „ illis, quæ usu non consumuntur, quæ „ licite locantur, & conducuntur. Un„ de si quis pecuniam signatam in sac„ culo concedat alicui ad hoc, quod „ ponat eam in pignore, & exinde „ pretium accipiat, non est usura; „ quia ibi non est contractus mutui, „ sed magis locatio, & conductio. Et „ eadem est ratio, si quis concedat al„ teri pecuniam ad usum ostentationis; „ sicut e converso, si quis concedat „ alteri calceamenta ad usum commu„ tationis, & ex hoc aliud pretium „ quæreret ultra calceorum valorem, „ esset usura “. 3. Differentia etiam est, res usu consumptibiles esse reddendas in eadem quantitate, & qualitate: per quod mutuum differt a donatione, quæ rem alteri concedit, non amplius repetendam. 4. Ut concedantur per aliquod tempus; alioquin nugatorium, & inutile esset mutuum, si res statim repeteretur: & per hoc differt a precario (quamvis & mutuum possit precario concedi) & ab aliis contractibus, quibus res perpetuo alienatur.

III. Mutuum debet esse omnino gratuitum; non tamen, ut contractus sit, sed ut licitus contractus: gratuitas enim est perfectio, sicut onus plus reddendi, quam acceptum sit, est vitium fœdans contractum. Quod verum est in omnibus aliis contractibus, qui semper suam indolem, & naturam servant, sive justi sint, sive injusti: ut patet in venditione, quæ semper est vera venditio, sive fiat justo pretio, sive iniquo; cum hoc solum discrimine, quod venditio justo pretio est licitus, honestusque contractus, venditio vero iniquo pretio illicita est & injusta, onus afferens compensationis. Hinc apparet, fraudulenter docere Salmasium, ejusque asseclas ad essentiam mutui pertinere, quod omnino gratuitum sit, ita mutuum definientes, *mutuum est quodcumque proximo utendum datur, ita ut sine ullo incremento reddatur*; ut inde inferant, pecuniam datam ob lucrum non esse amplius contractum mutui, sed alterius generis, puta locationis, ut statim subdit Brodersenius in Tract. bre. de usuris licitis pag. 42. n. 41. *quia si cum aliquo incremento res aliqua est reddenda, esset alius contractus, v. ex. locatio, so-*

cie-

cietas &c. Et hoc pacto jam usuræ crimen chimæra evadit, & nunquam locum habere potest in mundo: nam si usura est lucrum ex mutuo, qui lucrum volunt, profecto nolunt mutuum, sed locationem. Immo ipsi fœneratores usuram committere nunquam possunt, licet velint; nam cum semper lucrum velint, semper etiam mutuum excludunt. Quo profecto nihil ineptius. Cur autem gratuitum sit, oporteat, mutuum, ut licitum honestumque sit, declarat S. Thom. & probat egregie 2. 2. q. 78. art. 1. scribens: ,, Accipere usuram pro pecunia mutuata est ,, secundum se injustum; quia venditur ,, id, quod non est: per quod manifeste ,, inæqualitas constituitur, quæ justitiæ ,, contrariatur. Ad cujus evidentiam ,, sciendum est, quod quædam res sunt, ,, quarum usus est ipsarum rerum consumptio; sicut vinum consumimus, ,, eo utendo ad potum, & triticum ,, consumimus, eo utendo ad cibum. ,, Unde in talibus non debet seorsum ,, computari usus rei a re ipsa; sed ,, cuicumque conceditur usus, ex hoc ,, ipso conceditur res. Et propter hoc ,, in talibus per mutuum transfertur ,, dominium. Si quis ergo seorsum vellet vendere vinum, & vellet seorsum ,, vendere usum vini, venderet eandem rem bis, vel venderet, id quod ,, non est. Unde manifeste per injustitiam peccaret. Et simili ratione injustitiam committit, qui mutuat vinum, ,, aut triticum, petens sibi dari duas ,, recompensationes; *unam* quidem restitutionem æqualis rei; *aliam* vero ,, pretium usus, quod *usura* dicitur . . . ,, Pecunia autem secundum Philosophum ,, in 5. Ethic. . . . principaliter est inventa ad commutationes faciendas: ,, & ita proprius, & principalis pecuniæ usus est ipsius consumptio, sive ,, distractio, secundum quod in commutatione expenditur. Et propter ,, hoc secundum se est illicitum pro usu ,, pecuniæ mutuatæ accipere pretium, ,, quod dicitur *usura* ". Cum igitur juxta S. Thom. pecuniæ, vel alterius rei mutuatæ dominium in mutuatarium transferatur, sicut omne rei periculum, detrimentum, damnum in ipsum redundat, qui semper, quod mutuo accepit, reddere tenetur; ita rei mutuatæ utilitatem, fructum, commodum in ejus beneficium cedat oportet, & iniquum est ex aliena re lucrum quærere.

IV. Usura igitur ex D. Thom est *omne lucrum, quod ex mutuo percipitur*. Quam veritatem luculenter declaravit, & in tuto posuit Bened. XIV. in laud. sua Constituit. aperte docens, & statuens: ,, Peccati genus illud, quod ,, usura vocatur, quodque in contractu ,, mutui propriam suam sedem, & locum habet, in eo est repositum, ,, quod quis ex ipsomet mutuo, quod ,, suapte natura tantumdem reddi postulat, quantum receptum est, plus ,, sibi reddi velit, quam est receptum; ,, ideoque ultra sortem lucrum aliquod ,, ipsius ratione mutui sibi debere contendit ". Ex quibus verbis duo manifeste tanquam certa declarantur, scilicet 1. mutuum talem esse contractum, qui nihil reddi postulat supra id, quod datum est; 2. Usuram esse, quando ex mutuo aliquid ultra sortem exigitur. Hoc est, quod docet Scriptura, & semper docuere Patres, & Concilia.

V. Revera in Scripturis tum Vet. tum Novi Testamenti usura vetatur, Deuter. cap. 23. habetur: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec aliquam aliam rem*. Nec moveat, quod subditur *sed alieno*, quasi in-

interdictum fuerit Hebræis solum a fratribus lucrum exigere tanquam illicitum; concessum vero ab alieno extorquere, tanquam honestum, & justum. Nam, ut optime observat D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. ad 2. „ Judæis prohibitum fuit accipere usuram a fratribus suis, scilicet Judæis, per quod datur intelligi, quod accipere usuram a quocumque homine est simpliciter malum: debemus enim omnem hominem habere quasi proximum, & fratrem, præcipue in statu Evangelii, ad quod omnes vocantur .... Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum; ne scilicet a Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant; ut habetur Isaiæ 56. “. Animadvertit etiam idem Angelicus, in pluribus aliis locis Sacræ Scripturæ usuram absolute, & universaliter prohiberi, nimirum Psalm. 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, Et Ezech. 18. *Qui ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit, ab iniquitate averterit manum suam .. hic justus est, vita vivet, dicit Dominus*. Quod præceptum in Evangelio confirmavit Christus, dum Lucæ 6. v. 23. indicit: *mutuum date, nihil inde sperantes*. Quæ verba ita Patres interpretantur, ut consilium complectantur, & præceptum, nimirum mutuantes nihil ex mutuo sperare debere, nec titulo gratitudinis, beneficentiæ, vel amoris, immo nec ipsam sortem, si forte non reddi contingat; & hoc est consilium: deinde, ne quidquam lucri, nedum percipiant, sed nec animo ex ipso mutuo sperent; quod est præcepti. Utrumque agnovit in illis verbis & D. Thom. licet alia ratione, laud. q. 78. a. 1. ad 4. & Quæst. de Malo a. 4. ad 3. scribens in priori loco; *Dare mutuum non semper tenetur homo, & ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia: sed quod homo lucrum de mutuo non quærat, hoc cadit sub ratione præcepti. Potest tamen dici consilium per comparationem ad dicta Pharisæorum, qui putabant usuram aliquam esse licitam; sicut & dilectio inimicorum est consilium*. Sapienter autem animadvertit D. Hieronymus hoc præceptum semper in melius profecisse, scribens in cap. 18. Ezechiel. „ Sed vide profectum. In principio legis a fratribus tantum fœnus tollitur. In Propheta ab omnibus usura prohibetur, dicente Ezechiele, *pecuniam suam non dedit ad usuram*. Porro in Evangelio virtutis augmentum est, præcipiente Domino: Fœneramini (scilicet mutuate) his, a quibus non speratis recipere “.

VI. Concilia quoque etiam antiquissima jure divino, & naturali usuram illicitam agnovere, & docuere. Nicænum I. can. 107. hæc habet: „ Quoniam multi Clerici, avaritiæ causa turpia lucra sectantes, obliti sunt divini præcepti, quod dictum est, *quoniam pecuniam suam non dedit ad usuram*, fœnerantes centesimam exigunt &c. “ Quibus verbis indicant, non solum Clericis lege aliqua Ecclesiastica vetitum fœnerari, sed & omnibus etiam Laicis; cum dicunt *divini præcepti obliti*. Porro præceptum hoc commune est omnibus hominibus. Quod confirmat Synodus Carthaginensis I. celebrata anno circiter 348. ubi hæc statuuntur: „ In nostro Concilio statutum est, ut non liceat Clericis fœnerari ... Etenim de quibus divina Scriptura sanxit, non ferenda sententia est, sed exequenda. Proinde quod in „ Lai-

„ Laicis reprehendimus, id multo magis in Clericis oportet prædamnari. „ Universi dixerunt. Nemo contra „ Prophetas, nemo contra Evangelium „ fiat sine periculo animæ". Idem repetunt Concilium Turonense anni 461. can. 13., & sequentibus sæculis. Concilium Lateranense II. sub Innoc. II. ann. 1139. usurariam pravitatem divinis, & humanis legibus per Scripturam in Vet. & Nov. Testamento abdicatam pronuntiat. Et Lateranense III. sub Alex. III. celebratum an. 1179. definit, *Usuras utriusque Testamenti paginis condemnari*. Hinc Summi Pontifices semper usuram sunt detestati. Nam. Alexand. III. lib. 5. Decretalium Cap. *Super* de Usuris dicit: *Cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur*. Urbanus III. can. *Consuluisti* de Usuris, scribit, *hujusmodi homines* (fœneratores) *pro intentione lucri, quam habent* (*cum omnis usura, & superabundantia prohibeatur in lege*) *judicandi sunt male agere*. Innocent. III. ep. 399. lib. 1. sic ad Galliæ Episcopos scribit: *Tam in Novo, quam in Veteri Testamento prohibitæ sunt usuræ, cum veritas ipsa præcipiat* mutuum date, nihil inde sperantes, *& per Prophetam dicatur* usuram, & omnem superabundantiam non accipies. Et denique in Concil. Vien. sub Clem. V. definitum fuit: *Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus velut hæreticum esse puniendum*.

VII. Patres vero omnium seculorum usuram inter crimina collocasse, adeo certum, & exploratum est, ut Barbeyracius suismet Protestantibus doctrinam de usuris quandoque licitis oppugnantibus exprobret, quod Patrum auctoritate ad eas damnandas rapi se sinant, & sic in Patres debacchatur scribens nota 6. in cap. 7. lib. 1. de Jur. Nat. & Gent. „ Omnes eorum declamationes, & contentiones nil aliud evincunt, nisi Patrum lectionem aptam „ esse ad animum, mentesque pervertendas, præcipue si ab ingenio exerceatur ad iram prono, & magis implendæ memoriæ quam excolendo judicio addicto. Si adeo cordi habent „ Patrum gloriam; ut pati non possint, „ judicium post secula de illis ferri, „ æque, ac de Scriptoribus nuperis, „ prius solidis argumentis evincant, „ vel Patres fuisse infallibilitate donatos, aut in errores, qui illis adscribuntur, non esse prolapsos". Nonnullos ergo speciminis gratia proferam; cum eorum testimonia fuse, lateque recitata legi possint apud Natalem Alex., Petrum Ballarinum, Concinam, aliosque plures, qui fuse, & docte hanc disputationem exposuere. S. Hilarius in Psalm. 14. explicans illa verba, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, de fœnore sic subdit: „ Fallax hoc beneficium, humanitas fraudulenta, damnosa hæc benevolentia docetur". „ S. Basilius in præfatum Psalmum dicit: Ezechiel in maximis malis ponit „ fœnus, & plus, quam sortem, accipere; & lex illud luculenter prohibet". S. Gregor. Nyss. in ep. ad Letojum cap. 6. scribit: „ Apud divinam Scripturam, & superabundantia, & usura sunt prohibita". Et Orat. contra Fœneratores sic clamat: „ Divina quoque Scriptura, quæ nos „ ad omnem pietatem informat, ubique „ usuras prohibet.... Omnes accusant „ fœneratores, nec malo huic mederi „ queunt Lex, Prophetæ, Evangelistæ". S. Ambros. lib. de Tob. cap. 7. „ Nihil nequius fœneratoribus, qui aliena „ da-

„ damna lucra sua arbitrantur, & dispendio suo deputant, quidquid ab „ aliis possidetur ". Et Cap. 14:„ Non „ novum, neque perfunctorium hoc „ malum est, quod veteris, atque di„ vinæ legis præscripto inhibetur. Po„ pulus, qui despoliaverat Ægyptum, „ qui pede transierat mare, monetur „ a fœnoris pecunia cavere naufragio, „ & cum de aliis peccatis semel... de „ fœnore sæpius intimavit ". S. Joan. „ Chrys. serm. de utilitate lectionis Sacræ Scripturæ scribit: „ O magnam, „ & ineffabilem Dei bonitatem! qui „ hominibus prohibet, usuras ne exi„ gant, ipse exigit usuras ". Et hom. 4. in cap. 17. Gen. rursum scribit: „ Ab initio olim Deus Judæis crassio„ ribus tale dedit præceptum dicens, „ *non fœnerabis fratri tuo, & proximo* „ *tuo*. Qua igitur excusatione digni „ erunt, qui Judæis sunt inhumaniores, „ & post gratiam, & tantam a Domino „ benignitatem inveniuntur iis, qui „ sub lege fuerunt, inhumaniores, „ immo pejores "? Paria habent SS. Hieronymus, Augustinus, Athanasius, Leo Magnus, Joan. Damascenus, ceterique omnes.

VIII. Porro usuræ nomine præfati Patres non solum mordentem, & excedentem vetitam docuere, sed & minimam, & qualemcumque accessionem supra sortem reprobarunt. Nam 1. nulla penes ipsos distinctio usuræ licitæ, & illicitæ, mordentis, & benignæ; sed universim omnem detestantur usuram. 2. Aperte qualemcumque accessionem damnant. Nam Clemens Alex. lib. 2. Stromatum universim statuit, *ex usuris pecuniam colligere iniquum est*. Tertullianus usuram dicit *quemcumque redundantiam* lib. 4. ad Marcion. Lactantius lib. 6. Divin. Instit. *Plus accipere, quam dederis, injustum est*. S. Ambros. in cap. 4. Tob. *Quodcumque sorti accedit, usura est, quid velis ei nomen imponas, usura est*. S. Hieronymus in cap. 18. Ezechiel. *Usura est, si ab eo, quod dederint, plus acceperint*. S. Augustinus in Psalmus 26. Serm. 3. *Si mutuam pecuniam dederis, a quo aliquid plus, quam dedisti, expectes accipere, non pecuniam solum, sed aliquid plus, quam dedisti, sive illud triticum sit, sive oleum, sive vinum, sive quodlibet aliud plus, quam dedisti, expectes accipere, fœnerator es*. Et pari pacto Scripturæ testimonia, quamcumque etiam minimam accessionem, sive lucrum excludunt, dum jubent, ne plus, quam datum sit, accipiamus, *ne usuras accipias ab eo, nec amplius quam dedisti*. Levit. 25. *Ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit*. Ezech. 18. & 22. In his ita limites figuntur, ut eos nullo pacto liceat, nec minimo transilire.

IX. Pari pacto Patres, & Scripturæ usuram vetant, non solum a pauperibus, & egenis, sed & ab omnibus universim; licet sint divites negotiatores, sive qui rem suam amplificare volunt. Quandoquidem Scriptura a fratre usuras recipere vetat. Porro post Evangelii præsertim prædicationem, omnes homines in Christo fratres sunt: eapropter absolute Christianis interdictam asserit usuram. Jam audivimus Chrysostomum Christianos Hebræis æquiparantem, immo pejores esse dicentem, quia a fratre usuram exigunt. Nunc audiamus S. Basilium hom. in Psalm. 14. recentium Doctorum limitationes labefactantem his verbis: „ Verum ille „ graves usuras mutuæ pecuniæ exigit; „ sed nos profecto aliquid remittemus, „ & minori daturi sumus fœnore. Ta„ lia confingens, verbisque hujusmodi „ blan-

„ blanditus misero, ac lenocinatus, „ ubi illum syngraphis obstrinxit, atque, præter urgentem inopiam, libertatem etiam viro abstulit, abit ... “ Deinde usuras damnat etiam a divitibus & negotiatoribus extortas, subdens: „ Argentum qui accepit, primum quidem splendidus, & hilaris „ est . . . mutatione vitæ inclarescit. „ Lauta enim mensa est, vestis pretiosior, famuli splendidiore habitu induti, adulatores, compotatores, fuci domorum innumeri. Sed cum sensim diffluunt pecuniæ, tempusque „ progrediens secum fœnus advehit, „ tum ei requiem non afferunt noctes, „ non dies hilaris est, non sol jucundus, sed eum vitæ tædet . . . Interim fœneratores, quæ in ædibus „ habes, perscrutantur. Tua indagant *commercia* . . . Quamquam videmus non necessariorum indigos ad „ fœnus confugere; neque enim sunt, „ qui eis credant. At fœnore sumunt „ pecuniam homines, qui se in laxiores expensas, & in luxum inutilem „ effundunt . . . Atqui, inquis, multi „ etiam fœnore facti sunt divites (negotiis scilicet, mercaturis, emptione prædiorum &c.) At plures, arbitror, ad laqueos pervenerunt. Tu „ vero ditatos quidem respicis, strangulatos vero non numeras “. S. Ambrosius pariter a negotiatoribus usuras exigere illicitum, & a lege divina vetitum prædicat laud. lib. de Tobia cap. 14. scribens: „ Ita Deuteronomio scriptum est: *Non exiges a fratre tuo usuram pecuniæ, & usuram escarum, & usuram omnium rerum, quascumque fœneraveris fratri tuo*. Vides, quantum pondus in verbis sit? Noli, inquir, exigere usuram a fratre tuo: „ & cum quo omnia habere debes communia, ab eo tu usuram exigis? ... „ Et quia plerique refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniam *negotiatoribus*, non in pecuniis usuras „ exigunt, sed de mercibus eorum emolumenta percipiunt, ideo audiant, „ quid lex dicat, *neque usuram escarum accipies, neque omnium rerum, quas fœneraveris fratri tuo*. Fraus enim „ ista, & circumscriptio legis est, non „ custodia. Et putas, te pie facere, „ quia a *negotiatore* velut mutuum suscipis? Inde ipse fraudem facit in „ mercium pretio, ut tibi solvat usuram “. Denique rem extra omnem controversiam posuit. Benedictus XIV. dum in sua Constit. laudata docuit, declaravit, sanxit: „ Neque ad istam „ labem purgandam ullum accersiri subsidium poterit ex eo, quod sit lucrum „ non excedens, & nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum, vel ex eo, quod is, a quo „ id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam „ relicturus otiosam, sed ad fortunas „ suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agendis negotiis utilime sit impensurus “.

X. Nunc multiplex usuræ divisio est exponenda. Et primo animadvertendum, usuræ nomen hic accipi, non solum in deteriorem partem, quatenus lucrum ex mutuo illicitum importat; sed in ampliori significatione, quatenus etiam aliquod lucrum occasione, sive causa mutui licite percipi potest. Hoc igitur pacto sumpta primo dividitur in lucratoriam, compensatoriam, & punitoriam. Lucratoria illa est, quæ lucrum affert ex solo mutuo; proinde semper illicita, & injusta. Compensatoria vero, quæ damnum resarcit, quod mu-

mutuator subiit ob præstitum mutuum; quæ quando licita sit, inferius dicemus. Punitoria vero, quæ mutuatoria infligitur ob culpam moræ in restituendo. II. Dividitur in formalem, & expressam, seu in virtualem, & palliatam. Prima lucrum importat ex ipso mutuo. Altera vero lucrum usurarium sub alicujus contractus, puta census, cambii, pignoris &c. fuco celat, & obtegit. III. Dividitur in realem, & mentalem. Illa pacto perficitur; hæc vero sola mente retinetur, dum quis ob præstitum mutuum se sperat aliquid a mutuatario recepturum. Et hanc quoque mortalem usuram a suis fidelibus exulare jubet Christus, dum dicit: *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Et præcedenti versiculo dixerat: *Si mutuum dederitis iis, a quibus speratis accipere, quæ gratia vobis est? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut accipiant æqualia*. IV. Denique in conventionalem, & necessariam dividitur: in priore lucrum ex mutuo percipitur ex pacto usurario: in altera vero non ex aliquo pacto, sed necessario lucrum consequitur ad servandum mutuantem omnino indemnem ob culpam, vel moram mutuatarii.

XI. Mutuum autem dare possunt omnes, qui suorum bonorum liberam habent administrationem, ut de ceteris contractibus diximus. Nihil enim peculiare hic notandum, nisi ex Senatus Consulto Macedoniano vetitum esse filiis-familias, & pupillis mutuum dare sub pœna emittendæ pecuniæ mutuo datæ, a qua solvenda omnino liberantur filii-familias, & pupilli, quando etiam liberi facti sunt, & sui juris. Quod tamen ad juris naturalis æquitatem ita temperandum est, ut si filius-familias sit mutuatus; ut de sibi necessariis ad vitam, sanitatem, educationem provideret, teneatur ejus pater, vel ipse post obitum patris mutuatam pecuniam restituere. At si mutuum datum sit ab eo, qui vel noverat, vel prudenter suspicari poterat insumendam a filio-familias, vel pupillo pecuniam in ludis, comessationibus, scortationibus, & similibus sceleribus; hic & peccat contra caritatem, & merito punitur amissione pecuniæ mutuo datæ. Si tamen filius-familias hanc mutuatam pecuniam restituerit, & creditor retinere poterit, & nullum jus competit filio-familias, vel pupillo repetendi pecuniam; ut decernitur in præfato Senatus Consulto Macedoniano, ubi dicitur: *Sed & ipse filius, si solverit, non repetit*. Mutuum autem accipere possunt omnes, qui indigent, dummodo sciant, se tempore restitutionis præfinito futuros esse solvendo: alioquin creditorem fallerent, & sub fuco mutui rem alienam occuparent; in causa essent ex tunc damni a creditore subeundi in suæ pecuniæ amissione.

XII. Officia vero, & munia mutuantis sunt. 1. Ut mutuatarium de vitiis rei mutuo datæ moneat, puta de vino, quod facile acescat, vel de tritico non diutius servando, quia corruptioni obnoxio, & si qua sunt alia, quæ causa damni esse possunt mutuatario. 2. Ut mutuum non repetat ante statutum tempus; &, si precario datum sit, non nisi elapso congruo termino. 3. Quod præcipuum, ut nonnisi gratis mutuum det, nihil vel exigendo, vel sperando, ut inferius fuse explicabimus. Mutuatarii vero officia sunt. 1. Ut statuto elapso mutui tempore acceptum mutuum reddat; si vero precario datum sit, quando opportune creditor restitutionem petit. 2. Ut si in causa sit damni mu-

mutuantis, illud resarciat. 3. Ut acceptum mutuum reddat in eadem quantitate, & qualitate vel physice, vel moraliter, ut ex dicendis patebit.

CAPUT DECIMUM.

Consectaria Praecedentis Doctrinae.

I. *Falsa usuræ notio exploditur*.
II. *Falsa quoque distinctio refutatur*.
III. *In mutuo habetur translatio dominii*.
IV. *Pecunia non est materia locationis, & conductionis*.
V. *Pecunia de se sterilis est*.
VI. *Lucrum ex usura perceptum est restituendum*.
VII. *Usura parvitatem materiæ admittit*.
VIII. *Reus est usuræ, qui ex mutuo aliquid exposcit, etiam titulo gratitudinis*.
IX. *Quinam sint mentalis usuræ rei*.
X. *Quid restituendum in mutuo*.
XI. *Quid, si monetæ pretium interim augeatur*.
XII. *Qui mutuum petit & accipit sub usuris, non semper est a peccato immunis*.

Consectarium Primum.

I. FALSA omnino est notio mutui, ab aliquibus Theologis tradita, nimirum quod ita sit opus misericordiæ, & caritatis, quo pecunia datur mutuatario indigenti in ejus commodum ad determinatum tempus, ut hac sublata notione tollatur omnino distinctio mutui a ceteris contractibus: nam translatio dominii, & debitum reddendi tantumdem reperiretur etiam in venditionibus conditionatis. At perperam, & falso hæc definitio adstruitur. Nam licet verum sit, mutuum pauperibus, & indigentibus datum, esse opus misericordiæ, & caritatis, cum nullus ex justitia mutuum dare teneatur; quod tamen gratis omnino detur, non ad caritatem pertinet, sed ad justitiam; cum ex mutuo lucrum ullum absque usura percipi non possit, sive pauperi detur, & indigenti, sive diviti, & facultates suas augere volenti. Nec per hoc mutuum a ceteris discriminatur contractibus, qui pariter, licet non gratuiti, ex caritate tamen imperante prodire possunt, & ducente misericordia: ut si quis in annonæ caritate frumenta sua vili pretio vendat, vel advenæ, & peregrino tectum in populosa civitate non invenienti quis suæ domus partem locet, aliis non locaturus. Sicut e contra dempta gratuitate minime cum aliis contractibus confunditur mutuum, ut cum venditione ad tempus. Nam 1. in hac non tantumdem restituendum est; sed omnino idem, idest eadem domus, idem ager, eadem prata. 2. Res vendita non consumitur, sed permanet, & perseverat. 3. Pereunte re vendita, puta incensa domo, rapto a flumine agro, nec alter rem, quæ amplius non extat, nec alter pecuniam restituere tenetur. At in mutuo dominium quidem transfertur: sed 1. rei usu consumptibilis, quæ non perseverat, sed vel physice, vel moraliter destruitur. 2. Non est restituendum idem, sed tantumdem. 3. Si res mutuo data pereat, quocumque demum fato id contingat, semper mutuatarius reddere tenetur. Gratuitum itaque sit, oportet, mutuum, ut honestum, licitumque sit, non ut mutui naturam non amittat, quæ & in fœnebri mutuo tota reperitur, sed labe usuræ inquinata.

Consectarium Secundum.

II. Falsa est in mutuo distinctio usus con

consumptionis, & destructionis ab usu incrementi, & lucri. Hanc invexere nonnulli usuræ patroni, sic eam explicantes. Duplici enim causa datur alteri res usu consumptibilis, Nimirum 1. vel ut eam in suum commodum destruat; & hoc est proprie mutuum, quod omnino gratuitum esse debet, nec quidquam pro tali mutuo accipi potest. 2. Vel ut rem non in suum commodum consumat, & perdat, sed ut per eam negotietur, lucrumque percipiat; ut cum Mercatori datur pecunia ad negotiandum, nobili ad possessiones recuperandas &c., & tunc luctum licet percipere. Nam, inquiunt, mutuum proprie est traditio rei ad usum consumptionis; ac propterea sterile est & mutuanti, & mutuatario. Contra, si res detur ad usum incrementi, est contractus quidam commercii, ex quo lucrum percipere nequaquam illicitum est. Verum hæc distinctio ad fucum faciendum, & ad usuras tegendas invecta est. Nam pecunia, sive detur ad usum consumptionis, sive ad lucrum & incrementum, semper data est, ut consumatur. Quamobrem qui pecunia mutuo accepta merces emit, ipsam pecuniam consumit; nec ad mutuum pertinet, quod pecunia virtualiter perseveret id emptis mercibus: sicut nihil refert ad mutuum, quod pecunia pauperi data perseveret virtualiter vel in pane, vel in veste per eam emptis; alioquin mutuum non diceretur datum, nisi consumpto vel pane, vel veste. E contra si pecunia data mercatori perseveret in mercibus, hisce forte consumptis, & pereuntibus, vel cessaret commercii contractus, & data pecunia vel degenerat in mutuo ad consumptionem, vel amplius repeti non potest a mutuante pecuniam; quæ duo profecto absurdissima sunt. Ad mutuum itaque satis est, ut res consumptibilis alteri detur cum onere tantumdem restituendi, sive postea mutuatarius rem acceptam in suam utilitatem consumat, sive ad lucrum captandum adhibeat; hoc enim omnino extraneum est contractui mutui. Nam si quis mutuam ab alio pecuniam accipiat animo eam in emendis mercibus insumendi ad lucrum & postea vel mutata voluntate, vel urgente necessitate in sui utilitatem consumat, non minus mutuum perseverare nemo ambigit, & mutuatarium semper ad tantumdem reddendum teneri.

Consectarium Tertium.

III. In mutuo habetur translatio dominii, & vera alienatio rei mutuo datæ. Hanc veritatem, quam semper omnes tenuere Patres, Pontifices, Concilia, Jurisperiti, & Theologi, qui semper pro comperto habuere, dominium in mutuo mutuante in mutuatarium transferri, recenter in dubium revocarunt usuræ Patroni Salmasius, Brodersenius, Scipio Maffejus, aliique: sed quam falso, & inique, 1. patet ex laudato communi sensu omnium seculorum, & Scriptorum. Immo & ipsis secularibus legibus; hoc tanquam axioma, & certum principium constituitur lib. 3. Instit. art. 15. *Quoniam nobis non eadem res sed alia ejusdem naturæ, & qualitatis redduntur, inde etiam mutuum appellatum est, quia ita a me tibi datur, ut ex meo fiat tuum, & ex eo contractu nascitur actio, quæ vocatur conditio*. Et Paulus Jurisc. lib. 2. ff. de rebus creditis absolute tanquam legale axioma statuit: *Appellata est mutui datio, quod de meo tuum fiat; & ideo, si non fiat tuum, non nascitur obligatio*. Consonat & jus Canon. nam in extravag. *ad conditorem*, tanquam certissima regu-

gula constituitur : *Jus utendi separatum a proprietate, seu dominio in rebus, quæ usu consumuntur, nequid constitui*. Hujus dominii translationem evincit & ipsum factum, scilicet mutuum: nam totum illud jus, quod in mutuatam pecuniam ante mutuum mutuatori competebat, totum in mutuatarium transfertur: sicut enim mutuans poterat ante mutuum pecuniam illam donare, projicere, ludere, commutare; ita post mutuum, totum hoc integrum, perfectum, nullo modo imminutum convenit mutuatario, qui mutuatam pecuniam, quod sibi lubet modo, potest insumere, lubet, donare, legare, commutare. Ergo integrum obtinet dominium. Idem confirmat S. Thom. ex ipsa natura rei mutuo datæ, quæ talis est, ut concesso jure utendi, & ipsum dominium translatum omnino intelligatur. Nam quamvis in rebus usu consumptibilibus, in quibus solum locum habet mutuum, usus meri facti ab ipso dominio queat separari, sejungi tamen nunquam potest dominium a jure utendi; cum totus usus sit in ipsius rei consumptione. Hinc scribit 2. 2. q. 78. a. 1. „ Quædam res sunt, quorum usus est ipsa „ rerum consumptio ... unde in talibus „ non debet seorsum computari usus „ rei a re ipsa; sed cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res „ & propter hoc in talibus transfertur „ dominium ". At in re apud Catholicos omnes comperta adstruenda non est diutius immorandum, sed solum adversariorum sophismata diluenda.

Opponunt itaque 1. Pecuniam mutuo datam adeo adhuc ad mutuantem pertinere, ut de illa libere queat disponere donando, legando, ludendo: non ergo abiecit dominium. 2. Et revera nemo mutuans intendit pecuniæ suæ dominium a se abjicere, sed sibi adhuc retinere; non enim donare pecuniam intendit, quod profecto alienationem, & translationem inferret dominii. 3. Immo & ipsi mutuatarii mutuo acceptam pecuniam non pro sua reputant, sed mutuantis, cui debitores se confitentur. 4. Quamobrem quando facultates librantur mutuantis, inter res ejus credita enumerantur; quando vero mutuatarii, hæc in alieno ære recensentur. 5. Quid, quod & ipsæ leges hoc idem agnoscunt & statuunt? Nam L. 213. ff. de verb. signif. dicitur : *Æs alienum est, quod nos aliis debemus; æs suum est, quod alii nobis debent*. Hinc cum pecunia mutuo accepta sit debitum, merito latine dicitur *æs alienum*. 6. In pecunia, vel alia quacumque re usu consumptibili mutuo data, duo sunt distinguenda, nimirum corpus rei, ipsæ scilicet monetæ, triticum, vinum &c. & quantitas pecuniæ modii tritici, cadi vini &c. prioris quidem transfertur dominium, quia usu res consumuntur, nec eædem reddendæ sunt, aut reddi possunt; at non quantitas, quæ semper perseverat, & ad æqualitatem reddenda est, & hujus dominium minime transfertur.

Verum hæc nimium levia sunt, & imbecilla, ut a communi sententia vel leviter nos dimovere possint. Ad 1. igitur dicimus, id quod subest dominio creditoris, & de quo libere disponere potest donando, vendendo, ludendo, non est pecunia mutuo data; sed jus, quod habet ad illam suo tempore recipiendam, quod commune est omnibus contractibus: sic qui domum vendidit, nec pretium recepit, qui agros locavit, & locationis mercedem non accepit, adhuc potest libere de pretio venditionis, & locationis disponere, quin ul-

ullum habeat amplius vel domus, vel usufructus agri dominium. Confundunt igitur inepte, & imperite dominium rei, & jus ad rem, vel in re: illud abdicatum est a mutuante; hoc adhuc in illo remanet. Quare optime Boethius explicans verba Tullii: *multum differt, in arca ne positum sit argentum, an in naulis debeatur*, scribit: „Nam „quæ posita in arca pecunia est, juris „est nostri. In nominibus autem de„bita non est nostra; nam quod mu„tuum datur, ex meo fit accipientis". Ad 2. Qui mutuo dat, donare profecto non vult: nam donatio non quamcumque importat translationem dominii, sed talem, quæ nullum relinquit jus in donante ad rem donatam. At in mutuo sibi reservat mutuator jus ad tantundem suo tempore repetendum, & recipiendum: & hoc solum respicit, non dominium rei mutuo datæ, de quo nihil est sollicitus, sive res pereat, sive servetur, sive noceat, sive lucrum mutuatario ferat. Ad 3. Quod & dicendum de mutuatario, qui mutuatam pecuniam ita in suum transisse plenum dominium agnoscit, ut de illa libere, & ut sibi lubet disponit, at cum sentiat onus restitutionis suo tempore præstandæ, tale quoque se obtinuisse dominium sentit, gravatum scilicet debito restitutionis; quod & aliis quoque contractibus commune est; qui enim credito domum, agrum, cibos emit, illorum quidem dominus efficitur, & de illis rebus libere disponit; ita tamen, ut pactum pretium reddere teneatur. Ad 4. Nihil mirum, si in facultatum libratione pecunia mutuo accepta inter aliena computetur, sicut mutuo data inter propria; quia mutuatarium semper urget onus restitutionis, & mutuanti jus competit repetendi datam pecuniam: jura autem pro ipsa re, vel debita, vel accipienda sumuntur, quasi locum ejus occupantia; ut statuunt Jurisconsulti, & habetur ff. de verb. signif. L. 143. ubi dicitur: *Non id apud se quis habere videtur; de quo habet actionem, habetur enim, quod peti potest*. Ad 5. Ratione hujus juris ex parte creditoris, & oneris ex parte debitoris pecunia mutuo data dicitur æs alienum; at non quia revera in mutuo non sit translatum dominium. Audiatur Paulus Jurisconsultus L. 39. ff. de verb. signif. *Bona intelliguntur cujusque, quæ deducto ære alieno supersunt. Quod enim a me jure aliquo, aut actione auferri potest, meum non esse censetur, sed alienum; quamvis ejus dominium, & proprietas ad me pertineat*. Sic in ære alieno locum habet non solum pecunia mutuata, sed & pretium domus emptæ non solutum: & tamen nemo inficiabitur in venditione transferri dominium. Ad 6. Illa distinctio in rebus usu consumptibilibus corporis a quantitate, mera chimæra est, & inane figmentum. Nam in mutuo non abstracta quædam, & generica quantitas alteri traditur; sed hæc determinata quantitas, quæ pecuniam, aut rem consumptibilem afficit, & determinat, & quæ revera inseparabilis est ab ipso corpore rei. Hinc alienatio non speciem, sed individuum respicit: quamobrem qui domum, equum, agrum emit, non solum corpus emit, sed & ejus quantitatem, & cetera inseparabilia adjuncta. At, inquiunt, in mutuo idem corpus non est restituendum, at eadem quantitas. Utique & quantitas, quæ redditur, non est eadem nisi moraliter, ac quoad æquivalentiam; non quoad entitatem, quæ corpori adhæret, & eo mutato, & ipsa mu-

mutatur. Sed de his tricis sat superque.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Pecunia non est materia locationis, & conductionis. Hujus veritatem propositionis, quæ de se manifesta est, & tanquam certa per plura secula apud omnes habita, novissime oppugnarunt Salmasius, Brodersenius, ejusque Exscriptor Italus in suo Opere de occupata pecunia (dell' impiego del denaro) qui censent, eodem modo posse pecuniam locari, quo locantur agri, vineæ, prata, domus; ac proinde, sicut ex istis, ita ex illis lucrum posse percipi. Verum falsitatis eos redarguunt omnes utriusque Juris periti, & Theologi, qui semper locationem a mutuo distinxere. Nam locationis nomine intellexerunt semper concessionem usus, *dominio retento*, seu *salva rei substantia*. Quamobrem duo ad justam locationem tanquam necessaria postularunt, nimirum 1. ut concederetur usus rei, & talis quidem usus, qui utilis esset, & verus; nemo enim conducere vult, quod nulli usui deservit: 2. ut rei ad usum concessæ dominium penes locatorem remaneat; si enim transferatur dominium, non amplius pro usu rei pensio est solvenda, cum nullus unquam teneatur pretium solvere pro re sua. At in mutuo cum non alius sit usus, quam rei consumptio, non distinguitur ab ipsa re; proinde non potest concedi usus, quin concedatur dominium. Non potest igitur mutuo ratio locati convenire; cum non sit usus rei salva substantia, immo totus usus sit in consumptione substantiæ. Qui igitur ex mutuo lucrum percipit, bis eamdem rem vendit, ut docet sapientissime D. Tho. sic scribens 2. 2. q. 78. a. 1. „ Si quis seorsum vellet vendere „ vinum, & vellet seorsum vendere „ usum vini, venderet eamdem rem „ bis, vel venderet id, quod non est. „ Unde manifeste per injustitiam pec„ caret. Et simili ratione injustitiam „ committit, qui mutuat vinum, aut „ triticum, petens sibi duas recompen„ sationes, unam quidem restitutionem „ æqualis rei, aliam vero pretium „ usus, quod usura dicitur". Luculentius rem declarat in III. sent. dist. 37. q. 5. a. 6. „ Quidam dicunt, quod „ ideo pecuniam pro certo lucro con„ cedere non licet, sicut domum, vel „ equum, vel alia hujusmodi; quia „ pecunia non deterioratur usu, sed „ aliis rebus aliquid deperit ex usu. „ Sed ista ratio non est generalis, quia „ in aliquibus rebus, pro quorum con„ cessione aliquid potest accipi licite, „ nihil usu deperit; sicut in concessio„ ne domus ad unum diem. Et præ„ terea pretium, quod accipitur, non „ commensuratur damno, quod accidit „ ex usu rei; non enim tantum depe„ rit in mutuo, quantum datur. Et „ ideo alii assignant aliam rationem, „ quia videlicet quando pecunia mu„ tuatur, transfertur dominium, quod „ non fit in domo, & aliis rebus. Ju„ stum autem videtur, quod pro usu „ rei, quæ mea remanet (scilicet do„ mus) aliquid accipere possim; sed „ pro usu pecuniæ, quæ fit alterius „ ex hoc ipso, quod mutuatur, ali„ quid accipere, nihil aliud est, quam „ accipere aliquid ab alio pro usu rei „ propriæ: & ideo videtur, quod est „ quædam exactio, & peccatum". Hinc Ulpianus L. 3. ff. *commodati* §. 6. tanquam legale axioma statuit, *non posse commodari id, quod usu consumitur*. „ Si ergo commodari; quod gratuitum

„ quid sonat, non licet; multo minus locari, quod onerosum est. Verum hæc distinctio mutui, & locati ita semper omnium animo insedit, ut Auctor Operis Imperf. in Matthæum inter Opera S. Jo. Chrysost. scripserit hom. 38. in cap. 21. Matth. „ Adhuc aliquis dixit: „ Qui agrum locat, ut agrariam recipiat, aut domum, ut pensiones recipiat, nonne est similis ei, qui pecuniam dat ad usuram? Absit. Primum quidem, quoniam pecunia non ad aliquem usum disposita est, sicut ager, vel domus, sed ad pretium emendi, vel vendendi. Secundo, quoniam qui agrum habet, arat eum, & fructum accipit ex eo; similiter & qui locat agrum, vel domum, usum dare videtur. At pecuniam accipere, & quodammodo quasi commutare videtur lucrum cum lucro. Pecuniam autem si repositam in sacculo teneas apud te, nullum usum capis ex ea. Tertio ager, vel domus veterascit utendo; pecunia autem, cum fuerit mutuata, nec minuitur, nec veterascit “. Quæ Auctoris argumenta luculenta, & prope divina Francisco Hottomanno tom. 1. cap. 3. visa sunt, & Nodt lib. 1. cap. 7. luculentissima, & gravissima appellare non dubitavit. Non est igitur pecunia idonea locationis materia, proinde mutuo data legitimum lucrum non reddit.

Consectarium Quintum.

V. Pecunia de se sterilis est. Hanc quoque veritatem apud omnes certam oppugnarunt memorati Auctores; qui pecuniam distingunt datam ad consumptionem, quæ profecto sterilis est, ab ea, quæ datur ad lucrum, ad negotiationem, ad prædia emenda, quæ profecto non sterilis, sed fœcunda est. Sed quamcumque pecuniam de se sterilem esse, adstruit S. Thom. l. l. ex Sententiariis subdens: „ Omnes aliæ „ res ex se ipsis habent aliquam utilitatem. Pecunia autem non, sed est mensura utilitatis aliarum rerum; ut patet per Philosophum 5. Ethic. & ideo pecuniæ usus non habet mensuram utilitatis ex ipsa pecunia, sed ex rebus, quæ per pecuniam mensurantur, secundum differentiam ejus qui pecuniam ad res transmutat. Unde accipere majorempecuniam pro minori, nihil aliud esse videtur, quam diversificare mensuram in dando, & accipiendo; quod manifeste iniquitatem continet “. Quod iterum repetit, & confirmat 2. 2. q. 78. art. 1. omnino legendo. Nihil docuit D. A. quod ex antiquis PP. non acceperit, qui hanc pecuniæ sterilitatem agnovere, & prædicarunt. S. Greg. Nazian. Orat. 15. in plagam grandinis scribit: *Alius usuris, & fœnoribus terram contaminavit, colligens, ubi non seminaverat, & metens ubi non sparserat*. S. Basilius in Psal. 14. sic usurarium increpat: *Sine terra plantas, sine satione metis*. Quod & repetit S. Greg. Nyss. Orat. cont. fœneratores dicens: *Fænerator vult omnia sibi sine satu, & inarata progigni*. Et iterum paulo post notat, *æs, & aurum parere non solita, in fænore partum edere*; quam fructus cum sterilitate conjunctionem, hom. 4. in Eccles. *improbam* appellat, *quam natura quidem non novit*. S. Jo. Chrysost. ho. 56. in Matth. scribit: *Fæneratorem sine terra, sine pluvia, sine aratro seminare*. Et paulo post asserit: Non minus repugnare pecuniæ fœtum, idest usuram edere, quam repugnet utero mulieris scorpiones parere, dicens: *Qui pecuniam justis partam laboribus sæpe reddis iniquam ob iniquum* fœ-

fœtus, ut si quis fœcundum uterum cogat scorpiones parere. Quid, quod & ipsi Gentiles Philosophi hanc veritatem solo naturali lumine agnovere? Hinc Aristoteles laud. a S. Th. a. 1. cit. q. lib. 1. de Repub. cap. 10. de fœnebri arte sic scribit: *Illa autem, quæ in permutatione nummi consistit, merito vituperatur (non enim naturæ consentanea est: sed in ea alter ab altero lucrum aucupatur) optima ratione omnibus in odio est ratio fœneratrix, quod ab ipso nummo quæstus fiat, & non ad quam rem paratus est, usurpent. Permutationis enim causa natus est; fœnus autem eum auget, & multiplicat; unde etiam nomen hoc invenit. Similia enim sunt ea, quæ pariuntur iis, quæ gignunt, & procreant. In fœnore autem pecunia pecuniæ partus, ac fœtus est. Quapropter maxime omnium querenda pecuniæ ratio, cum abhorreat hæc a natura*. Seneca lib. 7. de Benef. cap. 10. *Quid fœnus, & Kalendarium, & usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina?* Porro extra naturam dicit usuram; quia contra indolem pecuniæ est fructus parere. Immo & ipsi Jurisconsulti clare definiunt, *usuram in fructu non esse*, idest non legitime ex ipsa pecunia, quæ sterilis est, enasci. Pomponius L. 121. ff. de verb. signif. scribit: *Usura pecuniæ in fructu non est, quia non ex ipso corpore, sed ex alia causa, idest nova obligatione*. Papin. L. 6. de ver. vind. *Usura non natura provenit, sed jure* (idest concessione Principis) *persolvitur*. Et Just. lib. 2. Instit. tit. 4. aperte declaravit: *Usum fructum nulla naturali ratione cadere in res, quæ ipso usu consumuntur*. Et revera ipsa naturalis ratio id evincit. Nam usus pecuniæ non perseverat, sed unico brevi actu, & momento perficitur, & cessat; cum nonnisi in ejus destructione per permutationem consistat; non potest ergo, quod amplius non est, effectus, & fœtus producere. Quæ consumptio cum æque habeatur, sive pecunia mutuo detur ad emendos cibos, sive ad emendas merces, semper sterilis sit, oportet; cum semper cesset existere, proindeque inepta sit partus producere.

At inquiunt, immo fœcundissima est pecunia, quia per eam emuntur, & comparantur agri, vineæ, prata, quæ fœcundissima sunt, alioquin inæqualis esset, & iniqua commutatio, qua sterile pro fœcundo traderetur. At hæc ridenda potius sunt, quam refellenda. Nam hoc posito non liceret nisi agrum pro agro commutare, vel vineam pro prato dare; non vero pro auro, gemmis, vestibus, & similibus infructuosis rebus; immo nec in solutionem pro debito tradere, cum hoc sit sterile. Quod quam absonum sit, non est, qui non videat, rideatque. Porro in æqualitate contractuum non illud est inspiciendum, nimirum an qualitates, & naturæ rerum permutandarum sint æquales (alioquin non liceret cibos pecunia emere, cum illi comestioni apti sint, hæc inepta omnino) sed solum num communis æstimatio rerum sit æqualis. Quæ æstimatio ex plane diversis nominibus petitur, alia scilicet a fœcunditate, alia a pretiositate, alia ab usu, voluptate &c. Sic in agris sola spectatur fœcunditas; si enim nihil producerent; flocci æstimarentur. Gemmarum vero raritas respicitur, fulgor &c. At pecuniæ æstimatio non a fœcunditate, quæ nulla est, sed ab usu ejus proficiscitur; cum sit omnium aptissimum instrumentum ad cætera comparanda. Quamobrem si pro agro tanta solvatur pecunia, quæ ob ejus usum æqualis sit

va-

valori agri frugiferi, justus erit, licitusque contractus. Eo igitur solo nomine pecunia aliquo nomine fœcunda dici potest, quatenus per eam, quæ fœcunda sunt, & frugifera, queunt comparari.

Consectarium Sextum.

VI. Lucrum ex usura perceptum est restituendum. Sponte sequitur hæc propositio ex ipsa natura usuræ, quam cum illicitam ostendimus, tum jure naturali, tum positivo divino & humano, licitum lucrum parere non posse, optime concludimus cum S. Thom. 2. 2. l. l. scribente: „ Proprius, & „ principalis pecuniæ usus est ipsius „ consumptio, sive distractio, secun„ dum quod in commutationem expen„ditur: & propter hoc secundum se est „ illicitum pro usu pecuniæ mutuatæ „ accipere pretium, quod dicitur usu„ra; & sicut alia injuste acquisita, te„netur homo restituere pecuniam, „ quam per usuram accepit “.

Consectarium Septimum.

VII. In usuræ peccato admitti potest parvitas materiæ. Hanc positionem in dubium revocarunt Alphonsus de Leone, & P. Nicolaus Gennaro in sua Usura detecta, qui omnem excludunt parvitatem materiæ in usura; & probant Evangelii præcepto indicente, *mutuum date, nihil inde sperantes*; verbo autem *nihil* putant omne etiam tenuissimum lucrum excludi. 2. Putant gravitatem usuræ non ex ipsa quantitate pecuniæ acceptæ, seu lucri pendendam; sed ex injuria, quæ proximo infertur, quæ gravis semper est, vim enim, & violentiam importat. Quare S. Ambrosius usuram rapinæ coæquat; Et S. Thom. coactionem agnoscit in exactione usuræ, dum pecuniam ex mutuo acceptam *extortam* pronuntiat l. q. 78. a. 2. & mutuatarium solum *coactive* usuras pendere. Eapropter ad hanc duplicem injustitiam respiciens Ecclesia in jure Canonico usuræ crimen *execrabile* appellat, *impium*, *& inhumanum*. Verum puto a posita assertione non recedendum. Non enim magis urget præceptum Christi dicentis, *mutuum date, nihil inde sperantes*, quam præceptum Decalogi prohibentis, *non furaberis*: & tamen in furto dari materiæ parvitatem nemo inficiatur. Vis autem, & violentia adhibita non semper tanta est, ut lethale peccatum constituat; cum & ipsa levis esse possit. Et certe levissima est in petente sponte mutuum ab eo, quem novit nisi sub usuris consuevisse dare mutuum; & præsertim si levis sit extorta usura. Ecclesia vero merito usurarium crimen detestatur, quia raro admodum leve est fœnus quod exigitur: fœneratores enim pecuniam suam non tradunt ob leve lucrum, sed indiscriminatim aggravant ad eos confugientes, & ex aliena necessitate quæstum suum faciunt; quod profecto inhumanum est, & crudele.

Consectarium Octavum.

VIII. Reus est usuræ, qui ex pecunia mutuo data lucrum exposcit, licet non ex justitia debitum, sed solum ex benevolentia, & gratitudine. Veritatem hujus propositionis ostendit Innocentius XI. damnando propositionem aliquorum Casuistarum docentium: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur, tanquam debitum ex justitia*. Et jure quidem, meritoque, nam Christus Dominus non solum nec minimum exigendum

dum

dum ex mutuo nullo titulo, sed ne quidem sperandum jussit dum dixit: *mutuum date, nihil inde sperantes*. Præterea benevolentia, & gratitudo omnino libera, & voluntaria sit, oportet, tum circa quantitatem, tum circa qualitatem remunerationis; quamobrem non potest subesse pactui, & conventioni: nam his positis jam non amplius ex gratitudine, & benevolentia debetur, sed ex conventione & pacto. Quare optime observat S. Raymundus in Summa cap. de Usuris §. 4. „ Licet „ obligatio gratitudinis naturalis sit, „ eam tamen non potest creditor deducere in pactum expressum, vel saltem sperare effectum ipsius obligationis naturalis, quia creditor nullo „ modo debet pactum apponere, nec „ principaliter spem, vel intentionem „ in tali retributione habere, sed propter Deum ex caritate principaliter „ debet mutuare proximo indigenti ".

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Mentalis usuræ reus esse quis potest multipliciter. Explicatur. 1. Mentalem perpetrat usuram, qui mutuum dat spe, & animo aliquid recipiendi tanquam sibi debitum ex justitia; licet nullum intercesserit reale pactum. Nam hæc prava intentio coram Deo reali æquivalet usuræ: quapropter, si quid recipiat, restituere tenetur. 2. Si quid speret accipere tanquam debitum ex sola gratitudine, & benevolentia; adeo ut spes hujus lucri sit causa principalis, & impellens ad lucrum, sine qua mutuum non daret; quia sicut non licet ex damnata propositione hujusmodi lucrum exigere, ita nec sperare. Præterea cum tota ratio dandi mutuum sit lucrum, satis manifeste apparet hoc a mutuante respici, & desiderari: parum autem refert; utrum hoc speret ex mera liberalitate, vel gratitudine mutuatarii; cum semper spes in datum mutuum influat, & sit principalis causa mutui. Quare, ut laxa, rejicienda est doctrina Cajetani, Serræ, Pradi, aliorumque asserentium, licitum esse & habere hanc internam voluntatem, ac spem aliquid recipiendi, & eam mutuatario etiam manifestare, dicendo, se non ambigere de ejus liberalitate, & gratitudine, & probe nosse, se non ingrato beneficium conferre: sicut & alia Tamburini docentis, licere etiam saltem speculative rogare, & excitare, immo & cum mutuatario pacisci de aliquo dando auctario ex mera liberalitate; parum enim, ut mihi videtur, hæc doctrina a damnata distat propositione. Qui igitur aliquid tali intentione recipit, tenetur restituere. Hinc merito docet S. Antoninus in Sum. lib. 2. tit. de Usuris §. 3. dicens: „ Alii dicunt, „ quibus assentio, quod sola spes, sive „ intentio facit hominem usurarium: „ unde qui sub tali spe mutuavit (id „ est mutuo dedit) pecuniam, quidquid postea etiam gratis sine sua exactione oblatum ultra sortem acceperit, usura est ". 3. Si vero speret aliquid recipere a mutuatario ex ejus liberalitate, & amicitia, sed secundaria intentione, paratus alias animo dare mutuum, etiamsi nihil esset recepturus, non auderem damnare ceu reum mentalis usuræ. Nam docet S. Tho. q. 13. de malo a. 4. ad 13. „ Munus aliquod „ vel a manu, vel a lingua, vel ab „ obsequio potest usurarius sperare ex „ mutuo. Uno modo quasi debitum ex „ quadam obligatione tacita, vel expressa (*sive gratitudinis titulo, sive justitiæ*) „ & sic quodcumque munus speret, illicite sperat. Alio modo potest aliquod „ munus sperare non quasi debitum, „ sed quasi gratuitum absque obligatione

præ-

„ præſtandum : & ſic licite poteſt ille, „ qui mutuat (*ſcilicet dat mutuum*) „ ſperare aliquod munus ab eo, cui „ mutuat ; ſicut ſi facit ſervitium ali- „ cui, confidit de eo, ut amicabiliter „ ſuo tempore ſervitium faciat “. 4. Nec illum damnarem, qui alicui nobili potenti viro mutuum daret ad ejus ſibi captandam benevolentiam, ex qua poſtea ſperat opportuno tempore beneficium aliquod, ſive protectionis, ſive aſſiſtentiæ ad aliquod munus lucroſum, quod ſperat obtinendum. Nam cum primaria ejus intentio feratur in amicitiam, & benevolentiam, quæ non ſunt pretio æſtimabilia, non inficitur uſura mentali ; licet & prævideat, & ſperet non ex mutuo, ſed ex benevolentia, quam ſibi mutuo dato comparavit, aliquod recepturum beneficium : dummodo tamen hoc beneficium primario ita ab eo non inſpiciatur, ut, niſi illud ſperaret, mutuum non præberet. Nec urget paritas ſimoniæ mentalis, cujus ut docet recentior Probabilioriſta, eſt æqualis ratio cum uſura. Nam ut optime docet S. Th. l. q. de malo, maximum eſt diſcrimen inter ſimoniam, & uſuram : quia (inquit D. A.) „ Simo- „ niacus non dat, quod ſuum eſt, ſed „ quod eſt Chriſti ; & ideo non debet „ ſperare aliquam recompenſationem „ ſibi ſiendam, ſed ſolum honorem „ Chriſti, & Eccleſiæ : ſed uſurarius „ nihil alteri præſtat, niſi quod ſuum „ eſt ; unde poteſt aliquam amicabilem „ recompenſationem ſperare per mo- „ dum prædictum “. Idem docet & S. Raymundus lib. 2. cap. de Uſuris § 4. ſcribens : „ Hinc naturalem ob- „ ligationem non poteſt creditor dedu- „ cere in pactum expreſſum, vel fal- „ tem ſperare effectum ipſius obligatio- „ nis naturalis : quia creditor nullo „ modo debet pactum apponere, nec „ principaliter ſpem, vel intentionem „ in tali retributione habere ; ſed pro- „ pter Deum, & ex caritate debet „ mutuare indigenti. Et tunc forte, ſi „ ſecundario ſperet, quod ille debitor „ ſibi remuneret, vel aliquid ſimile, ſi „ opus fuerit, non reprobandum “. 5. Qui vero dubitat, num, quod ſibi a mutuatario donari videtur, ſit ex mera liberalitate, ſed prudenter ſuſpicatur, ne ex timore progrediatur non amplius mutuum recipiendi non poterit retinere, ſed reſtituere, vel repudiare debet ; ſicut & munera rejicere debitorum, qui non valentes præſtituto tempore debitum reddere, munus aliquod offerunt creditori, ut moram, & longius tempus concedat ; quod non raro in pauperibus contingit, qui a divitibus mutuum accipiunt : clare enim apparet, hæc munera non gratis dari. Uno verbo qui ex dato mutuo aliquid accipit, certus eſſe moraliter debet de ſpontanea liberalitate, & gratitudine donantis, quæ de facili non eſt præſumenda ; ea tamen poſita licebit recipere ; quia, ut ſcribit S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. „ etiam antequam „ mutuaſſet, licite poterat aliquod do- „ num gratis accipere, nec pejoris con- „ ditionis efficitur per hoc, quod mu- „ tuavit “.

Consectarium Decimum.

X. In reſtitutione accepti mutui reſtituendum eſt tantumdem in eadem ſpecie, numero, pondere, & menſura ; excepta tamen pecunia, de qua in ſequenti conſectario. Ratio eſt manifeſta, quia ita de ſe poſtulat ratio æqualitatis in reſtitutione ſervanda. Hinc ſi mutuo accepiſti decem tritici modios, vel olei cados, vel panis libras

bras, totidem restituere debes, licet interim aucta, vel diminuta sint a Principe earum rerum pondera, vel mensuræ. Quoad incrementum vero valoris hæc sunt in restitutione servanda. 1. Tantumdem restituendum est in pondere, & mensura, si dubium sit, vel æque probabile, num rei pretium sit vel augendum, vel minuendum: nam tunc æquale est ex utraque parte tum beneficium, tum detrimentum. 2. Si nullo habito respectu ad incrementa, vel decrementa, sed bona fide datum est mutuum, tantumdem pariter restituendum est; cum in hisce rebus quæ usu consumuntur, non tam spectetur valor extrinsecus, quam rei qualitas, & bonitas. At si quis alteri mutuo det triticum, quando multum valet, recepturus, quando procul dubio vilius æstimabitur; nonne absque usuræ labe poterit pacisci vel de incremento pretii persolvendo, vel de frumenti quantitate augenda? Poterit utique: & tunc non jam mutuum erit, quam venditio; in qua tamen ne fœnus lateat, liberum esse debebit emptori, sive mutuatario vel pretium in pecunia solvere, vel tritici quantitatem augere, donec æquet pretium accepti tritici.

Consectarium Undecimum.

XI. In restitutione pecuniæ mutuo acceptæ necesse non est ad æqualitatem servandam, ut ejus physica restituatur species, puta argenti, æris; vel auri; sed satis est, si ejus valor extrinsecus reddatur. Ratio est, quia moneta dupliciter spectari potest, nimirum ut merx negotiationi subjecta, & ut pretium, sive communis mensura ceterarum rerum. Ex primo capite inspicitur quidem ipsius intrinseca bonitas, metalli qualitas, & puritas. At ex posteriori capite nonnisi extrinsecus valor attenditur; alioquin non esset æqua mensura, sive pretium mercium in venditionibus, cum moneta in solutum tradatur non solum juxta intrinsecum metalli valorem, sed cum auctario pro expensis officinæ monetariæ, & pro jure regio; & hæc omnia simul collecta integrum efficiunt monetæ valorem, qui etiam quandoque Principe vel annuente, vel connivente pedetentim augetur in populo. Qui igitur mutuo accepit pecuniam, satis est, ut in qualibet monetæ specie tantumdem reddat; nisi forte summa mutuo data sit notabilis, & restitutio fiat in viliori ærea moneta: nam tunc servaretur quidem materialiter æqualitas; at improbus esset redditor, præsertim si nobilem accepisset monetam, cum viliores, & æreæ monetæ non nisi ut pro minutis expensis inserviant, institutæ videantur, proinde merito rejici possent a mutuante.

Quid si interim monetarum pretium augeatur? erit ne restituendum tantundem juxta illarum valorem quando mutuo datæ fuit, vel quando restituuntur? Communiter Theologi dicunt, restituendum juxta valorem monetarum tempore restitutionis. Ratio est manifesta: nam cum in mutuo transferatur pecuniæ mutuo datæ dominium, hoc crescit, & decrescit domino: sicut, si monetæ valor fuisset diminutus, teneretur ampliori moneta defectum supplere cum utilitate mutuantis, apud quem nisi, mutuo dedisset, fuisset diminuta pecunia; ita pari pacto in ipsius redundat utilitatem valoris monetæ incrementum, qui tantumdem restituat licet minorem monetæ quantitatem reddat. Hanc tamen communem Theologorum sententiam oppugnavit libello typis edito Venetiis an. 1753. D. Hieronymus Constantini publicus

a rationibus Minister, qui hunc ponit casum. Titius Sempronio mutuo dat tercentos nummos aureos Venetos (qui zecchini vocantur) quorum valor communis est libellarum Venetarum viginti duarum, interim ejus valor augetur, ascendens usque ad viginti tres libellas. Sempronius itaque restituturus acceptum mutuum non tercentos reddit nummos aureos, sed solum ducentos octuaginta sex, & libellas duodecim, quibus æquatur valor aureorum tempore mutuationis: facta est ne æqualitas, & redditum tantumdem? Negat laudatus Auctor hac duplici ratione. 1. Quia licet restituat tantumdem juxta extrinsecum valorem, minime tamen reddit juxta intrinsecum: nam minorem aureorum numerum reddit, quam acceperit, cum loco tercentorum nonnisi ducentos octuaginta sex recipiat; quod profecto non æquum videtur. 2. Aucto monetarum valore augetur & ceterarum rerum pretium; cum pecunia sit communis omnium rerum mensura: si igitur mutuans tercentos recipiat nummos aureos, sicut mutuo dedit, nihil lucratur, quippe quia nonnisi tantum emere posset, & sibi comparare tempore restitutionis, quantum tempore traditionis; at duplex patitur damnum, si non accipiat, quia & auctus est valor rerum, & diminuta pecuniæ summa mutuo tradita. At puto a communi Theologorum doctrina non recedendum: nam adhuc integra, & firma consistit ratio a Theologis adducta, scilicet in pecunia inspiciendum non intrinsecum valorem, sed extrinsecum, qui, ut fatetur laudatus Auctor, in memorata restitutione servatur, licet in minori aureorum summa: augmentum autem in mutuatarii utilitatem redundat ex fortuita humanarum rerum inconstantia, quæ & in illius poterat cadere detrimentum, si valor, sicut auctus, ita fuisset diminutus. Quippe qui factus pecuniæ mutuatæ dominus, suo periculo stat, vel cadit valor monetarum. Quæ ratio etiam ad alterum argumentum solvendum deservit; cum damnum mutuantis non ex mutuo dato oriatur, sed ex rerum humanarum varietate, & inconstantia.

Quid, si conventum sit, restituendum & valorem, & speciem monetarum? Tunc ad regulam generalem superius datam confugiendum: & si periculum incrementi, vel decrementi valoris æquale sit, sorti uterque se committit; & tantumdem tum in valore, tum in specie monetæ restituendum est; si vero inæquale sit periculum, tunc usura committitur, cum onus imponatur plus reddendi, quam acceptum fuerit.

Consectarium Duodecimum.

XII. Non semper, qui pecuniam sub usura mutuo petit, est a culpa immunis. Doctrina est S. Tho. 2. 2. q. 78. a. 4. „ quod nullo modo licet inducere „ aliquem ad mutuandum sub usuris: „ licet tamen ab eo, qui hoc paratus „ est facere, & usuras exercet, mu„ tuum accipere sub usuris propter ali„ quod bonum, quod est subventio suæ „ necessitatis, vel alterius; sicut etiam „ licet ei, qui incidit in latrones, ma„ nifestare bona, quæ habet, quæ la„ trones peccant diripiendo, ad hoc „ quod non occidatur ". Ex qua A. P. doctrina manifeste patet, accipientem mutuum sub usuris non peccare, quando ad id cogitur a premente vel sua, vel alterius necessitate. At immunem non esse a peccato scandali, 1. qui in ipsa mutui petitione statim usurarum solutionem pollicetur, & exhibet di-

een-

cendo, mutuo da centum aureos, & ego octo pro usura solvam; nam offert, quod illi nec petere, nec accipere omnino licet: & quamvis ille jam sit animo paratus ad non concedendum mutuum nisi sub usuris; iste tamen hac sua oblatione hic & nunc urget ad hoc peculiare crimen committendum. Solum igitur mutuum petere licet, & usuras ex necessitate solvere. 2. Qui pecuniam mutuo petunt, non ut suis subveniant necessitatibus, sed vel ut negotia amplificent, vel in superfluis, & vanis insumant, vel, quod pejus est, ut in ludis, comessationibus, impudicitiis perdant; nullus profecto honestus titulus a mutuo sub usuris petendo illos excusat; proinde fœneratoris peccato cooperantur, & illius criminis participes evadunt. Hinc egregie docet Auctor Opusc. 63. D. T. tributi. „ Mercatores peccant, tanquam „ occasionem peccandi præbentes; cum „ necessitas, quæ ponitur ad usuram „ petendam, scilicet ut honorabilius „ vivant, & majores mercationes fa- „ ciant, non sit talis necessitas, quæ „ sufficiat ad excusandum peccatum „ prædictum.

CAPUT UNDECIMUM.

De duobus titulis damni emergentis, & lucri intercepti causa mutui.

DOCTRINA.

I. *In mutuo contingere potest & lucrum interceptum, & damnum emergens.*
II. *Regula generalis traditur.*
III. *In quo consistat emergens damnum.*
IV. *Titulo damni emergentis ex mutuo licet compensationem exigere.*
V. *Conditiones veri damni emergentis.*
VI. *In quo situm sit lucrum interceptum.*
VII. *Honestatem, & æquitatem compensationis intercepti lucri in fure admisit S. Thom.*
VIII. *Cur rejecerit in mutuo.*
IX. *Quomodo se gerere debeat mutuans, ut possit intercepti lucri compensationem juste exigere.*
X. *Primum argumentum contra honestatem tituli lucri intercepti solvitur.*
XI. *Secundum proponitur, & enodatur.*
XII. *Conditiones veri lucri intercepti.*

I. CUM contingere aliquando possit, ut causa dati mutui beneficus mutuator vel damnum in rebus suis subeat, vel justo privetur lucro; hinc expendendum, utrum hisce titulis, non ex ipso mutuo, sed causa mutui, aliquid supra datam sortem vel accipere possit, vel pacisci. Prius tamen sunt hi tituli explicandi.

II. Sed operæ pretium duco in antecessum generalem regulam statuere, & explicare, quam tradunt doctissimi FF. Ballarini pro lucro justo, vel injusto in mutuo dignoscendo. Regula autem hæc est. Quicumque titulus justus, honestus, & pretio æstimabilis est in pecunia, furto, vel rapina sublata aliquid præter ipsam pecuniam accipiendi, & exigendi; idem justus, honestus, & pretio æstimabilis est etiam in mutuo: sicut e contra, quicumque titulus injustus, illicitus, non æstimabilis est in furto, & rapina; nec justus sit, nec honestus, nec æstimabilis in mutuo. Quamobrem cum fur, & raptor non solum pecuniam surreptam reddere, sed & totum id sarcire teneatur, quod intererat domino pecunia furto sublata non caruisse; ita pari pacto, qui mutuo accipit, non solum pecuniam acceptam, sed quod revera mutuanti interest sua non caruisse pecunia, compen-

ſare debet. Hinc uterque detrimenta vel lucri intercepti, vel emergentis damni ſarcire tenetur. Et ſicut e contra fur, & raptor, licet ex ſuo ſcelere beneficium reportare non debeat, immo gravandus ſit, eo præſertim nomine, quia pecuniæ furto ſublatæ non fuit dominium adeptus; non tamen reſtituere tenetur titulo furti lucra, vel emolumenta, ex pecunia furto ablata percepta, licet magna ſint & notabilia: ita nec mutuatarius titulo lucri, ex pecunia mutua percepti, adſtringitur aliquid ſupra ſortem reſtituere. Ad hanc igitur regulam expendendos cenſeo titulos omnes, qui occurrere poſſunt in mutuo, ut dignoſci valeat, num juſti, honeſti, rectique ſint, & ad aliquid juſte lucrandum idonei. Et quia primo occurrunt duo laudati tituli, lucri intercepti, & damni emergentis, tum a fure, tum a mutuatario ſarciendi, de his in hoc capite dicemus.

III. Primus itaque titulus eſt emergens damnum, quod ſitum eſt in detrimento, quod ſubire debet mutuans in mutuatarii gratiam, & quidem in bonis, quæ poſſidet; ut ſi quis pecuniam paratam habeat ad culturam vineæ, ad ædium refectionem, ad cenſum extinguendum, ad annonam opportune pro familia comparandam: quamobrem ſi pecuniam mutuo det, vel cogitur annonam carius emere, vel fructus cenſus ſolvere, vel domos nequit locare, nec ex vinea fructus percipere. Diſtinguitur autem a ceſſante lucro, quia per hoc non ſubit detrimentum in bonis, quæ poſſidet; ſed in bonis, quæ adipiſci, & obtinere ſperat. Ita exponit utrumque titulum S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1. ſcribens: „ Ille, qui mutuum dat, poteſt abſque „ peccato in pactum deducere cum eo, „ qui mutuum accipit, recompenſatio„ nem damni, per quod ſubtrahitur „ ſibi aliquid, quod habere debet (& „ hoc eſt damnum emergens). Recom„ penſationem vero damni, quod con„ ſideratur in hoc, quod de pecunia „ non lucratur (en lucrum interceptum „ ſeu ceſſans) non poteſt in pactum de„ ducere".

IV. Hoc porro damnum emergens eſſe juſtum titulum aliquid occaſione mutui exigendi, ad unum fatentur omnes tum juris utriuſque periti, tum Theologi. Primi quidem, quia tanquam certum, & legale axioma ſtatuunt, *neminem teneri cum damno ſuo de proprio beneficium facere*: ſecundi vero, quia cum S. Thom. l. l. *hoc non eſt vendere uſum pecuniæ, ſed damnum vitare*, optime docent.

V. Plures tamen poſtulant & jure merito conditiones. 1. Eſt, ut datum mutuum ſit vera cauſa damni emergentis, quod profecto non ſubiiſſet mutuans niſi mutuum dediſſet: non enim aliud damnum reſarcire tenetur mutuatarius præter illud, quod ex beneficio accepto benefactori provenit. 2. Ut damnum ſit verum, reale, & non confictum, ideſt reapſe immineat, & adſit; non vero ſit umbratile, confictum, & chimæricum: alioquin manifeſte pateret invectum ad uſuras palliandas. Ut etiam cavetur L. uni. Co. de ſententiis quæ *pro eo quod uter*. Ubi dicitur: *Ut hoc, quod revera inducitur damnum, hoc reddatur, non ex quibuſdam machinationibus, & immodicis perverſionibus in circuitus inextinguibiles redigatur, ut dum in infinitum computatio reducitur, pro ſua impoſſibilitate cadat*. Quod ſi damnum, quod timetur, non certum ſit, & exploratum, ſed dubium, probabile, & ſi lubet probabiliſſimum; ſolum ſtipulari licebit de illo compenſando, ſi forte conti-

rigerit. 3. Ne alia via hoc damnum emergens præpediri possit, quam per compensationem mutuatarii: si enim alia via impedire illud possit, puta quia aliam habet pecuniam sepositam, mutuans non potest damni compensationem exigere; quippe qui detrimentum subit propria voluntate, non ratione mutui. 4. Ut de damno emergente moneatur mutuatarius, ut sibi prospiciat, num velit, vel sibi intersit cum tali onere mutuum accipere, ne plus gravetur beneficio mutui, quam juvetur. 5. Ne damni emergentis compensatio petatur, antequam eveniat; multoque minus ex ipsa summa mutuo data extrahatur; nam hoc pacto plus reciperet, quam daret, ut optime observat Just. lib. 4. Instit. tit. 6. §. 33. dicens: *Ne quis petat ante diem, vel ante conditionem, qua enim ratione qui tardius solvit, quam solvere deberet, minus solvere intelligitur, eadem ratione, qui præmaturè petit, plus petere videtur*. 6. Denique ne amplius exigatur, quam postulet detrimentum, & damnum; nam auctarium non esset datum titulo damni emergentis, cum illud superet; sed titulo mutui, proinde fœnebre esset.

VI. Alter titulus est lucrum interceptum, sive cessans, quod obtinet, quando quis paratam habens pecuniam pro emendis mercibus tempore opportuno, puta messis, frumento, oleo, vino, ut deinde cum lucro distrahat; vel honestis, occupatus negotiationibus, merces ab exteris regionibus sua pecunia ad hoc destinata advehere solet, ut commune bonum, & suam utilitatem obtineat. De hoc titulo altum, scribit P. Concina, apud Patres silentium: deinde Sotum exscribens subdit: „ Nullam juris, aut canonici, aut civilis legem „ inveniens, quæ hoc permittat ". Verum quoad primum tanto, & tam celebri viro P. Concinæ libenter concedo, Sanctos Patres expresse nec lucri cessantis, nec damni emergentis, sicut nec moræ culpabilis, nec periculi juris, vel facti in suis scriptis sermonem habuisse: & certe nullum Patrum attulit Concina testimonium, quo ostendat concessam ab illis pro emergente damno compensationem, quam tamen agnoscit, & fatetur. 2. Fortassis de hisce titulis non sunt aperte locuti, quia vel in praxi ita facile non occurrunt, ut putant communiter Theologi; vel ubi revera adsunt, non ita ex æquo spectari solent, ut usura vitetur: sed plerumque ex humana avaritia, & cupiditate in fœnus degenerant, & ad usuram palliandam adhibentur. Ad rem ipsam indigitarunt: nam frequentissime ideo damnant fœneratores, quia de pecunia sibi plane *inutili*, *&* *otiosa* lucrum fœnore quærunt. S. Basilius in Psal. 14. *Inutile tibi argentum da, non gravans illud accessionibus*. S. Gregor. Nyss. in Orat. con. fœner. hos conquerentes inducit *ob argentum domi repositum, quod otiosum est, & infructuosum*. S. Hilarius in Psal. 14. n. 15. *Quid otiosam pecuniam tuam in redditum componis?* S. Ambrosius de Tobia cap. 2. n. 8. fœneratorem hortatur: *Da pecuniam, si habes: prosit aliis, quæ tibi otiosa est*. Lactantius aperte damnum emergens indigitat, & lucrum cessans subindicat lib. 6. Instit. cap. 18. scribens: *Justus nec se inquinabit hujusmodi quæstu, ut sine* ULLO SUO DAMNO *idipsum, quod commodat, inter bona opera numeretur*. Quod vero subdit ex Soto, nullam reperiri juris canonici, vel civilis legem quæ hoc permittat, non est usquequaque verum. Nam

Nam titulus lucri cessantis continetur in omnibus illis legibus, quibus quod interest, reddendum creditoribus indicitur. Hinc L. 2. ff. *de eo, quod certo loco datur*, Ulpianus aperte dicit: „ Quod si merces solebat comparare, „ lucri ratio habeatur, non solius da„ mni? puto & lucri habendam esse „ rationem ". Et L. un. Cod. de Sent. pro eo quod inter. declaratur, mea interest, *quantum mihi abest, & quantum lucrari potui*. Et L. 2. §. 1. *ne quid in in loco pub. fiat* indicitur: *Damnum pati videtur, qui commodum amittit*. In Jure vero canonico Greg. IX. cap. *Naviganti* ab iniquo lucro immunem declarat mercatorem, qui *pannos, vinum, granum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat, si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus*: ubi majus illud pretium non alio titulo licitum esse potest, nisi lucri cessantis; quia si tunc venderet pretio currenti, minus lucraretur, quam si vendidisset tempore, quo vendendum reservaverat. En igitur agnitum a Pontfiice lucrum interceptum, tanquam titulum pretio æstimabilem, & compensatione dignum. Hinc agnitus hic titulus ab omnibus etiam antiquioribus Theologis, qui illum legitimum agnovere in venditione. Immo & ipse P. Concina hujus tituli æquitatem agnoscit in venditione, dum scribit Diss. v. cap. 6. n. 8. „ Communiter quoque „ augendi pretii justam causam afferunt lu„ crum cessans ... ut si venditor esset con„ servaturus merces in tempus futurum, „ quo probabiliter pluris vendendæ essent ". In venditione, inquies, aliisque contractibus onerosis: at non in mutuo contractu plane gratuito. Sed repono, lucrum interceptum, & cessans vel est in se quid pretio æstimabile, vel nihil omnino pendendum: si primum, sicut in venditione justam efficit compensationem, ita eam honestam reddet & in omnibus aliis contractibus; non enim quia mutuo conjungitur, suam æstimabilitatem amittit: si secundum, sicut pro intercepto, impeditoque lucro nihil licet in mutuo, aliisque gratuitis contractibus percipere, nec in venditione, aliisque onerosis contractibus licebit, in quibus tamen justum, honestumque agnoscunt & juris utriusque periti & Theologi. Cur autem hujus tituli non meminerint in mutuo, & superius indicavimus, & inferius plenius explicabimus.

VII. Honestatem, & æquitatem compensationis intercepti lucri clare agnovit, distinxit, & adprobavit S. Thom. in fure, quem obstrictum fatetur, & docet nedum ad damna illata sarcienda, sed & ad impedita lucra compensanda: sic enim docet 2. 2. q. 62. a. 4. „ Quicumque „ damnificat aliquem, videtur ei auferre „ id in quo ipsum damnificat. Damnum „ enim dicitur ex eo, quod aliquis minus „ habet, quam debet habere secundum „ Philosophum Ethic. Et ideo homo „ tenetur ad restitutionem ejus, in quo „ aliquem damnificavit. Sed aliquis da„ mnificatur dupliciter. Uno modo, „ quia aufertur ei id, quod actu habe„ bat. Et tale damnum est semper re„ stituendum secundum recompensatio„ nem æqualis: puta si aliquis damni„ ficet aliquem diruens domum ejus, „ tenetur ad tantum, quantum valet „ domus. Alio modo, si damnificet „ aliquem, impediendo ne adipiscatur, „ quod erat in via habendi, & tale da„ mnum non oportet recompensare ex „ æquo; quia minus est habere aliquid „ virtute, quam habere actu. Qui au„ tem est in via adipiscendi aliquid, „ habet illud solum secundum virtu„ tem, vel potentiam. Et ideo si red-

de-

„ deretur ei, ut haberet hoc in actu, „ restitueretur ei, quod est ablatum, „ non simplum, sed multiplicatum: „ quod non est de necessitate restitutio- „ nis, ut dictum est. Tenetur tamen „ aliquam recompensationem facere se- „ cundum conditionem personarum, & negotiorum ". Honestatem igitur & pretii æstimabilitatem agnovit S. D. in lucri cessatione, quam clare distinguit a damno emergente: hoc enim ad omnimodam docet æqualitatem reddendum; illud vero solum per aliquam recompensationem secundum conditionem personarum, & negotiorum. Immo, fatente ipso Patre Concina, æquitatem hujus tituli agnovit S. D. in debitore moroso, qui recompensare debet non totum lucrum interceptum, sed partem ejusdem. Est igitur lucrum impeditum, & cessans pretio æstimabile. Nec urget, quod dicit, S. D. *loqui de vero damno, quod invitus sustinet creditor a debitore moroso illatum*. Nam hoc verum damnum illatum juxta S. Thom. non est, nisi lucrum impeditum, ut ipse explicat dicens art. 2. *Videtur eum damnificare in toto eo, quod lucrari de pecunia posset*; & respondens *totum lucrum non esse restituendum*; *quia ille qui habet pecuniam, nondum habet lucrum in actu, sed solum in virtute, & utrumque potest multipliciter impediri*.

VIII. Bene est, excipit P.Concina: at S. Thom. hunc titulum aperte excludit & a mutuante, & a debitore non moroso. Nam ubi ex professo de fœnore agit, nimirum 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1. „ scribit: „ Dicendum, quod ille, qui „ mutuum dat, potest absque peccato „ in pactum deducere . . . recompen- „ sationem damni . . . hoc enim non „ est vendere usum pecuniæ, sed da- „ mnum vitare . . . . Recompensatio- „ nem vero damni, quod consideratur „ in hoc, quod de pecunia non lucra- „ tur, non potest in pactum deducere: „ quia non debet vendere id, quod non „ habet, & potest multipliciter impe- „ diri ". Fateor ita docere S. Thom. sed animadverto 1. S. Thom. lucrum interceptum appellare damnum, ut dixi loco superius laudato de fure. 2. Hujus damni in lucro intercepto consistentis compensationem excludere a mutuo, eadem plane ratione, immo iisdem ferme verbis, quo admisit in fure, dicens in utroque loco, *quia non potest vendere, id, quod nondum habet, & potest multipliciter impediri*: & tamen in fure admisit. Non ergo titulum lucri intercepti exclusit S. D. a mutuo, quia inhonestum, illicitum, nullo pretio æstimabile; alioquin nec in fure debitum illud compensandi admisisset: sed alia plane ratione. Et 1. quidem, quia cum mutuans voluntarie det mutuum, censetur hoc lucrum negligere, ut amico benefaciat. 2. Quia hoc lucrum plerumque est magis possibile, quam probabile; & pro possibili lucro, ut inferius dicemus, nec a fure, nec a mutuatario est aliquid erogandum. 3. Denique ut occludatur via fœnoribus, quæ facile hujus tituli umbra, & fuco subrepere possunt. Ceterum, quando vere, & realiter hujusmodi adsit titulus, & justum illum agnoscit S. Thom. & pretio æstimabilem, proinde aliqua compensatione dignum.

IX. Præterea animadvertendum, voluntarium illud dandi mutuum, quod reperitur in mutuante, dupliciter spectari posse, nimirum quatenus ipse vel sponte amico indigenti offert mutuum, vel est paratus ad dandum mutuum; & tunc nihil omnino exigere potest pro tali mutuo, quippe cui nihil lucri cessat,

„ exponendam subtrahere. En quam „ manifestum sit, quod lucrum cessans „ pendet ab ejusdem mutuantis voluntate. „ Quare eo ipso quod vult mutuum, vult „ a lucro percipiendo ex negotiatione „ cessare". Hæc quidem mihi splendide, diserte dicta videntur: at non ita efficacia sunt, ut mentem omnino convincant. Quandoquidem tam in illo mutuante, qui timet damnum emergens, quam in illo, qui lucrum cessans formidat, duæ plane contrariæ inveniuntur voluntates; altera, qua ambo volunt mutuum largiri, altera, qua nolunt vel damnum imminens, vel cessans lucrum: proinde uterque vere dicere potest, volo mutuum dare, & nolo damnum, vel nolo lucrum perdere. Minime, inquit Concina cum Soto, nam damnum emergens non ex voluntate pendet mutuantis. At cur? nonne tota causa damni est mutuum? neget igitur mutuum, & statim evanescit totum damnum. Igitur cum dicit, volo mutuum, sed nolo damnum, mentitur; cum hæc duo sint plane individua, & cum vult mutuum, velit & damnum oportet: eapropter vel neget mutuum, ut damnum evitet; vel mutuum concedat, & damnum libenter sustineat. Alioquin nec mentitur ille, qui de mutuo rogatus respondet, volo mutuum libenter concedere; sed nolo pecuniam negotiationi subtrahere, ex qua mihi lucrum provenit; quia si tibi mutuum impertior, lucrum perdo: proinde vel mutuum deneget, vel lucri, sicut alter damni, compensationem juste exposcit; ille quidem ad æqualitatem, iste vero pro lucri probabilitate. Hanc veritatem agnoscit paulo post idem Concina, cum §. 5. n. 5. exemplum proponit negotiatoris, qui mercaturæ operam navat, ut victum sibi honeste quærat, familiam alat, filias dotet, & rogatus ab amico indigente, ut sibi mutuetur, & vellet amici miseriam sublevare, & nollet familiam lucro defraudare: at misericordia motus, nolens, & quodammodo invitus mutuum concedit, ex quo tamen, ipso fatente Concina, lucri intercepti aliquam jure postulat compensationem. Et revera quid aliud docent sanioris doctrinæ Theologi, qui cæteroquin Probabilistarum laxitates detestantur, & damnant, dum lucri cessantis titulum honestum, licitumque defendunt? Ex his, quæ nos diximus, patet manifeste.

XI. Opponit 2. Concina n. 4. „ Mutui beneficium suapte natura gratuitum est, ergo gratis concedendum. „ Si recompensationem postulas, non „ gratuitum beneficium confers, sed „ contractum onerosum celebras. Aut „ urget præceptum caritatis mutuum „ dandi, aut secus. Si primum, gratia illud conferre adstringeris. Si secundum, aut a beneficio conferendo „ abstine; aut si beneficium conferre „ vis, ne destruas ejusdem naturam, „ quæ est, ut sit gratuitum". Verum hoc argumentum, si quid probat, evincit, nec pro vitando imminente damno ex mutuo licere campensationem accipere; ut patet consideranti, & addenti ad illa verba, *si recompensationem postulas*, hanc solam vocem *damni*, cujus compensationem exigenti dici merito potest, non gratuitum beneficium confers, sed contractum onerosum celebras. At, inquit Concina, incommodum istud sponte suscipis. Æquivocatio est in verbo illo *sponte*. Si enim significet mutuantem præeligere mutuum, quam negotiationem, ut lucrum certum consequatur, & simul sollicitudines, & pericula negotiationis vitet;

ret; libenter fateor, & omnes mecum fatentur fanioris Ethices Doctores, hunc fœneratorem esse, lucrum ex mutuo quærere, & usuram malle, quam lucrum. At si e contra solum, ut amico roganti, pressuras, calamitates, egestatem suam exponenti subveniat, mutuum impertiatur, & pecuniam lucrosæ subtrahat negotiationi, quam mallet cum sua incertitudine, sollicitudinibus, & periculis, quam mutuum dare etiam cum aliqua compensatione, dicimus tunc sponte quidem, quia vult mutuum dare, sed quasi invitum, & coactum, ut ipse fatetur Concina, concedere; adeoque compensationem recipere licite posse. Hæc tamen dicta sint, non ut tanto viro de Christiana Theologia optime merito contradicam; sed ut veritatem, quam ambo unice quærimus, si fieri potest, in re tam obscura, & ancipiti inveniamus. Ambo tamen egregie convenimus tum in Probabilistarum laxitatibus detestandis, & profligandis, tum in summa adhibenda cautione, ne titulo lucri cessantis (quod ille generatim reprobare videtur, & solum in aliquibus casibus concedere; ego vero generatim honestum, licitumque dico, sed raro contingere, ut honeste fiat, affirmo) injustitia, & usura subrepat, & serpat. Nam titulus damni emergentis facile potest dignosci, potest ponderari, & justa compensatione sarciri: at lucrum impeditum, cum sit tantum in spe, non facile dignoscitur, & facillime præsumitur, nec juste ponderari potest; cum nunquam, posito mutuo, futurum sit; nec proinde, quanta sit compensatio facienda, facile decerni valet.

XII. Ut autem honestus, justus, licitusque sit titulus lucri cessantis, plures sunt attendendæ conditiones, ex quarum deficientia in fœnus degeneret, necesse est. 1. Requiritur, ut mutuans nullo modo lucrum in mutuo intendat, ut mox dicebamus; sed solum ex caritate, & misericordia ad dandum mutuum moveatur, & ad perdendum lucrum speratum, quod mallet, quam compensationem mutuantis: unde non ultro offerat mutuum; sed rogatus, & quodammodo invitus consentiat. 2. Ut lucrum sit admodum probabile, non possibile tantum; adeo ut, si incertum, dubiumque sit, nihili æstimetur: nullus enim debet certo solvere debitum plane incertum, & dubium. 3. Ut quantitas pro lucro cessante solvenda correspondeat non spei lucri, quæ semper magna est, sed ejus probabilitati, & quidem non judicio mutuantis taxandæ, sed peritorum, & proborum; nunquam autem majus speretur lucrum supra id, quod vel lege Principum, vel probata consuetudine taxatum invenitur. 4. Ut pecunia mutuo data, sit vere destinata vel negotiationi lucrosæ, vel emptioni fundi frugiferi; & præterea præsens sit, & urgens vel ipsa negotiatio, vel talis emptio: si enim mutuans nonnisi generalem quandam concipiat voluntatem lucrum ex sua pecunia reportandi, nihil titulo intercepti lucri recipere poterit; cum hæc voluntas omnino elidatur præsenti efficaci voluntate dandi mutuum, ex quo proinde lucraretur, si quid exigeret. Quod & dicendum, si efficacem quidem voluntatem conciperet ex pecunia lucrandi, sed nulla adesset occasio vel negotiandi, vel emendi; cum tunc nullum intercipiatur lucrum: quare compensationem postulare a mutuatario sine usuræ labe non poterit. 5. Ne aliam habeat paratam pecuniam, qua possit lucrari legitima negotiatione; nam & tunc nullum cessaret lucrum. 6. Denique, ut debitorem moneat de ces-

cessante lucro, & ipse ejus compensationi consentiat. Harum conditionum defectu, ad quas mutuantes non ea, qua par est, diligentia attendunt, plurimæ mutuationes usuræ labe inficiuntur, ut ex mox subjiciendis Consectariis patebit.

CAPUT DUODECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Nihil licet exigere a paupere in dato illi mutuo.*

II. *De compensatione damni emergentis incerti.*

III. *Onus sarciendi emergens damnum est mutuatario manifestandum.*

IV. *Quando liceat cessantis lucri compensationem exigere.*

V. *In ea exigenda facile usura subrepere potest.*

VI. *Quando abstinendum ab exigenda compensatione lucri cessantis.*

VII. *Si lucrum reipsa non cesset, nibil pro illo est mutuanti tribuendum.*

VIII. *Quando reipsa non cessare censendum sit.*

IX. *Non licet intercepti lucri compensationem in ipsa mutuatione exigere.*

Consectarium Primum.

I. NEc titulo damni emergentis, nec intercepti lucri aliquid est accipiendum a pauperibus, quando necessitate pressi mutuum petunt. Veritatem hujus Consectarii & ipsi fatentur usuræ moderatæ patroni, qui sponte consentiunt, præceptum Christi Domini de mutuo dando absque ulla spe lucri aliquando urgere, sicut urget præceptum dandæ eleemosinæ; & urgere præcipue, quando pauperes gravi pressi necessitate mutuum petunt: si enim liberaliter esset illis donandum eleemosynæ titulo, quod petunt egestate constricti; multo magis mutuum est iis concedendum, nulla habita ratione vel prærepti lucri, vel occurrentis damni. Quando autem urgeat eleemosynæ erogandæ præceptum diximus suo loco de virtute caritatis. Solum addo testimonium S. Antonini part. I. tit. I. cap. 7. §. 15. scribentis: „ Si indigentia amici esset casus „ extremæ necessitatis, vel quasi, ita „ quod teneretur ex præcepto hoc sciens „ ad illi subveniendum, & dandum; „ tunc nihil debet expetere ultra capitale, cum multo magis teneatur ad „ mutuandum, quam ad dandum in „ casu hujus necessitatis “.

Consectarium Secundum.

II. Quando damnum emergens est incertum, & dubium, nihil certo exigere licet: si vero certum quidem sit, at incerta quantitas, non est illicitum transigere de certa quantitate juxta æquitatis regulas, & proborum, ac sapientum judicium; quæ tamen quantitas nunquam excedat vel legum hac de re statuta, vel adprobatam consuetudinem. Primam hujus Consectarii partem inficiantur plures Probabilistæ, qui putant, & pro incerto damno emergente juxta ejus probabilitatem aliquid exigi posse: quod probant contractu fortis, quo quis certam pecuniæ quantitatem solvit pro incerto lucro; ut in jactu retis, quo certa stipulatur quantitas pro captura, licet vel modicum, vel etiam omnino nihil in rete illabatur. At meo videri invicte probatur posita assertio. Nam 1. Tota ratio exigendi lucrum ex mutuo est damnum emergens, verum, reale, urgens, & solum post eventum sarciendum. Si hoc igitur vere obvenerit, illud sarcire tenebitur

mutuatarius: si non obvenerit, ad nihil omnino adstringetur, cum tota ratio solutionis cesset. Quod si dubium, incertumque sit, probe sibi consulere poterit mutuans per stipulationem damni, si forte emerserit, & quando emerserit, sarciendi. Immo, ut hoc quoque pactum statuere possit, oportet, ut damnum, quod timetur, sit determinatum, & particulare: nam pacisci de omni damno in communi sarciendo est manifestum usuræ pallium: cum de natura damni emergentis compensationem postulantis sit, ut debitor noverit, & quid illud sit, & quantum sit, ut sibi possit prospicere, an velit cum tali onere mutuum accipere; quod profecto non contingit, quando damnum in communi solum designatur, & in confuso. At si hoc quoque damnum, quod timetur, determinatum sit, & peculiare, non tamen certum, sed incertum, probabile, immo & probabilissimum, non licebit aliquid certo solvendum pacisci: nam si non obveniat, lucrum illud erit ex mutuo; si vero emergat, jam obstringitur debitor ad illius compensationem. Nec urget paritas contractus sortis: nam in illo tota æqualitas, & justitia ab ipsa sorte pendet; hic autem non sortem, sed mutuum ipsum consequitur, in quo si mutuum verum inferat damnum, sarciendum est, si nullum nihil omnino rependi debet: quamobrem affingere contractui mutui contractum sortis nil allud est, nisi usuræ pallium quærere. Secunda vero pars Consectarii nullam patitur difficultatem: nam posita omnimoda emersuri damni certitudine contrahentes vel pacisci possunt de eo ad æqualitatem solvendo, quando contingerit; vel in minori quantitate compensando, cum mutuans possit, si velit, aliquid de suo donare; vel transigendo pro bono, & æquo de certa quantitate, si forte hæc resciri nequeat, vel exacte ponderari, cum uterque æquale subeat & emolumenti, & detrimenti periculum. Duo tamen sunt in hacce conventione cavenda; 1. ne amplius extorqueatur a mutuatario, quam postulet damnum, quod timetur. 2. Quod tertio loco statuimus, ne pecunia certo solvenda pro incerta quantitate damni unquam statuatur ultra id, quod leges decernunt, & adprobata invexit consuetudo: quippe quæ adeo institutæ sunt, ne debitores injuste graventur; & cum publicum bonum respiciant, sunt & in foro conscientiæ servandæ. Nunquam vero licet sine usuræ labe sive certi damni compensationem, sive certam pecuniæ quantitatem pro incertitudine quantitatis damni exigere in ipsa mutuatione; sed solum vel in mutui restitutione, vel quando damnum emerserit; multoque minus ex ipsa mutuo data pecunia detrahere. Et quod de damno emergente diximus, multo magis est & de lucro intercepto intelligendum.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Licet damnum emergens omnino certum, liquidumque sit, non licet ejus compensationem inscio mutuatario exigere. Nam in omnibus contractibus ad eorum valorem, & honestatem utriusque partis consensus omnino requiritur, cum ab hac solum vim obtineant; quod multo magis locum habet in contractibus, in quibus altera pars solum gravatur. Cum itaque hic debitor sit onere gravandus sarciendi damni, hoc noverit, oportet, ut sibi prospiciat, si forte velit cum tali gravamine mutuum accipere; nec sine ejus expresso consensu licebit hanc compensationem extor-

tor-

torquere. Quod verum est, licet certo præsupponat mutuans, etiam cum tali onere recipiendum a mutuatario mutuum quandoquidem hæc præsumptio consensum nec expressum, nec tacitum debitoris inducit; quod enim omnino ignoratur, volitum nec expresse, nec implicite unquam est, juxta vetus axioma, *nihil volitum, quin præcognitum*: deficiente autem consensu & nullus, & illicitus est contractus. Addendum scandalum, quod proximo præberetur, si in mutuo amplius ab ipso exigeretur, quam datum sit; prudenter enim suspicaretur, usuram a mutuante committi, & auctarium illud ex mutuo reposci. Quamobrem rejicienda est opposita Lessii opinio, docentis licere, etiam non præmonito mutuatario, cum illo de auctario reddendo pacisci, quo certum, sed illi ignotum emergens damnnum, resarciat.

Consectarium Quartum.

IV. Nisi lucrum, interceptum causa mutui, sit omnino certum, saltem quoad substantiam, illius compensationem exigere non licet. Porro tripliciter spectari potest lucrum causa mutui interceptum. 1. Quando est moraliter certum & quoad substantiam, & quoad quantitatem; & tunc integra illius compensatio exigi potest. 2. Quando est moraliter quidem certum quoad substantiam, sed incertum quoad quantitatem; & tunc juxta prudentis, honesti, peritique viri judicium est compensatio taxanda. 3. At si sit plane incertum, dubiumque, adeo ut fieri possit, ut lucrum sequatur, & nullum sequatur; nihil omnino pro tali lucro intercepto postulare, vel accipere licebit. Primum sola indiget explicatione, ut ejus veritas patescat. Finge igitur Titium mille scuta habere, quibus domum sibi jam oblatam, & de qua acquirenda pene convenit cum domino, emere velit; sed ab amico indigente, & in necessitate constituto rogari, ut sibi mille scuta mutuo impertiri velit: Titius profecto ægre ab emptione desistit, & proinde mutuum dare detrectat; sed importunis amici precibus rogatus mutuum dat, sed cum onere, ut pensionem domus, pro qua a conductore in ea habitante quadraginta in annum penduntur scuta, sibi solvat, donec sortem reddat, qua domum emere possit. In hac hypothesi lucrum ex contractu emptionis certum est & in sua substantia, & in sua quantitate: & quidem certum quoad substantiam, quia est fructus locationis; certum autem quoad quantitatem, quia illa quadraginta scuta, quæ conductor venditori pro locatione solvet, solvisset in posterum emptori novo domino. Hoc lucrum vero moraliter incertum dici nequit, cum moraliter intercipi, vel impediri non possit; nec dici in spe, quia esset in re, & in jure illud obtinendi facta emptione: & solum eo solo nomine incertum dici posset, quia futurum, nec obtinendum nisi post annum. Titius igitur poterit absque labe usuræ intercepti hujusce lucri determinatam compensationem, & adæquatam a mutuatario exigere, demptis tamen semper expensis ad fartam tectamque domum servandam habendis. Alterum quoque ex explicatione patebit. Habet Titius mercator frumentarius parata mille scuta ad frumentum tempore messis emendum & eum, qui venditionem offert, invenit, & pene de pretio convenit; rogatur ab amico, ut mutuo det mille scuta, ex quibus sperat lucrum ex venditione tritici opportuniori tempore, quando pluris æstimabitur, facienda: detrectat

ftat itaque officium; at postea solum misericordia motus indigentis amici, illi mutuum largitur. In hac hypothesi lucrum est moraliter certum, quoad substantiam, cum moraliter certum sit minoris æstimari frumentum tempore messis, quam tempore sationis, vel hyemis: est etiam lucrum interceptum, quia ille hujusmodi exercet negotiationem ad sui, suæque familiæ sustentationem, nec aliam habet pecuniam, qua negotiari possit. Est solum igitur incertum quoad quantitatem lucri, quod vel majus, vel minus esse potest. Titius itaque poterit aliquam hujus intercepti lucri compensationem exigere jura peritorum, piorumque existimationem, pensatis etiam oneribus, periculis, & laboribus in tritico conservando, a quibus per mutuum liberatur. Tertium vero, quod inficiantur plurimi Probabilistæ, est tamen meo videri certum juxta S. Thom. doctrinam. Nam hocce interceptum lucrum non est nec in actu, nec in habitu: non in actu profecto, quia speratur; non in habitu, quia adeo contingens est, ut non solum possit non adesse, sed plane oppositum evenire, nimirum pro lucro damnum, & sortis vel amissionem, vel diminutionem. Optime itaque scribit S. Thom. *Non debet vendere id, quod nondum habet*. Præterea istud lucrum multipliciter potest impediri: siquidem tot sunt pericula, difficultates, vicissitudines negotiationis, quæ ipsam obsepiunt, ut non solum incertum efficiant lucrum ex ea, sed aliquando suspicionem, & dubium inferant detrimenti. Nullo igitur pretio æstimabile. At, inquiunt, est in spe, & in virtute; sicut contingit in jactu retis, in quo emitur quod non est nec in actu, quia speratur, nec in habitu, quia contingere potest; ut nihil omnino capiatur. At fictitia omnino est ista spes, quæ nonnisi in humana fundatur cupiditate, qua homines semper lucris inhiantes, illa desiderant, & illis incumbunt: quod autem desideratur, & de facili speratur. Præterea ista spes non solum eliditur æquali timore nihil lucrandi, sed probabili etiam metu damnum subeundi ex ipsa negotiatione, cujus tamen lucrum vendere se posse arbitratur. Neque est in virtute: nam quodnam genus virtutis est, quæ adeo est imbecilla, & tenuis, ut non solum effectum, ad quem ordinatur, producere fortasse non valeat, sed præterea possit detrimentum afferre? Similis est profecto baculo arundineo, qui sustentare aliquo modo cadentem potest; sed ita facile confringi, ut nedum cadentem non sustentet, sed & ipsum lædat, & feriat. Nec urget paritas jactus retis, & sortis; cum hic sit contractus per se stans, nullam cum mutuo, connexionem habens. At hic agitur de ipso mutuo, cujus occasione mutuans lucrum intendit, ac proinde fingit lucrum mere probabile, cujus probabilitas & compensatur ab æquali probabilitate non lucrandi, & fortius eliditur periculo damni in ipsa sorte, quod per mutuum omnino vitatur, & quod certe nunquam futurum est, si intercipiatur negotiatio ob mutuum, ex quo oriri deberet. Præterea in jactu retis semper longe major est probabilitas aliquid capiendi, quam nihil omnino; cum talis contractus non instituatur nisi in locis, ubi certa experientia, & communi hominum sensu pisces abundant. Præterea lucrum, quod speratur in jactu retis, est quodammodo intraneum, & naturale ipsi piscationi: at lucrum est omnino pecuniæ extraneum, quæ de se

se sterilis est, & infructuosa. Nisi igitur certo constet de lucro capiendo, ob ejus cessationem nihil licebit exigere.

Consectarium Quintum.

V. Tametsi compensationem æquam petere lucri vere cessantis usurarium in se non sit; facile tamen in hoc usura subrepere potest. Hæc propositio verissima est: nam cum plures requirantur conditiones, quas supra memoravimus, & inferius a laxitatibus Probabilistarum segregabimus, hæ vel illuduntur, vel contemnuntur in praxi; & quacumque apparente umbra lucri cessantis; statim licitum existimatur lucrum. Quamobrem non immerito & ipsi sanioris doctrinæ Theologi, qui ejus lucri honestatem defendunt, monent tamen, rem attente perpendendam, & a tali mutuo frequentando abstinendum. Hinc Cardinalis Toletus lib. 5. cap. 23. n. 2. postquam dixit, se usuram non reputare, pacisci de lucri cessantis compensatione tamen concludit n. 5. „ Securius est a „ tali abstinere lucro, & gratis mutuare, quando nullum damnnm emergit". Et Medina de rebus per usur. rest. „ Quoniam in his, qui mutuantur, rarissime omnia requisita concurrunt; „ ideo tales contractus, in quibus aliquid ultra capitale ratione lucri cessantis exigitur, dissuadendi sunt, ut „ fiant". Et revera in exteriori foro actio non datur ratione lucri cessantis in mutuo. Quare Comitolus lib. 3. Res. Moral. q. 36. n. 6. scribit. „ Lucri „ cessantis actionem mutuam suam pecuniam dantibus negari apud Venetos Magistratus perspicuum est; „ idque mihi Patritii Veneti non semel „ confirmarunt".

Consectarium Sextum.

VI. Qui pecuniam suam sponte offert ad mutuum, non potest tuta conscientia lucri intercepti compensationem postulare. Hujus Consectarii veritatem luculenter ostendimus capite superiore, & confirmamus hic paritate desumpta ex contractu venditionis, in quo qui rem suam in tempus futurum vendendam reservare statuit, ut carius vendat, si ab amico rogetur, ut nunc sibi vendat, potest majori pretio vendere, quam tunc valeat; at si non rogatus, sed sponte rem suam venditioni offerat, non amplius illi conceditur, ut uberiori pretio vendat, sed currente. Pari igitur pacto, qui pecuniam mutuo offert, sponte abjicit lucrum, quod ex illa consequi poterat: nequit igitur illius compensationem postulare. Et revera vel mutuum offert amicitiæ, & caritatis gratia; vel ob lucrum: si primum, jam patet gratuitum esse debere; si alterum, manifeste convincitur ex mutuo lucrum quærere, quod profecto usurarium esse nemo inficiabitur. At inquiunt, semper verum est ex mutuo lucrum cessare. Permitto; at cessat lucrum voluntate mutuantis illud abjicientis; non voluntate mutuatarii petentis. Reponunt, non voluntas sive mutuantis, sive mutuatarii est inspicienda; sed res ipsa in se, nimirum ipsum lucrum, quod semper cessat. At falluntur, vel fallunt, dum in contractibus rem, seu materiam inspiciendam dicunt, non contrahentium voluntates; cum ex his præsertim natura pendeat contractus. Nam qui domum alteri concedit, non statim sequitur vendere velle, sed vel locare, vel donare, vel ad usum gratuito concedere, prout sibi libuerit, & ex ejus voluntate constabit.

Ita

Ita pari pacto qui mutuum offert amico, gratuito, ut natura postulat contractus, concedere præsumitur; quod si lucrari velit, mentem suam usurariam prodat, necesse est. Sunt igitur, ut falsæ, & laxæ rejiciendæ nonnullorum Theologorum doctrinæ, licere nimirum lucri cessantis compensationem exigere illi, qui vel sponte mutuum offert, vel pecuniam semper tenet paratam ad dandam mutuo cuique petenti; cum revera fœneratores sint illi, qui pecuniam semper paratam habent ad dandam cum lucro quibuscumque mutuum poscentibus.

Consectarium Septimum.

VII. Quando reipsa lucrum non cessat, nihil pro ejus compensatione recipere licet. Nam totus corruit titulus, & fundamentum recipiendæ compensationis, nimirum lucrum illud, quod cum non cesset, nihil omnino est, & nihil valet; alioquin venderetur, quod non existit, nec unquam extabit. Id confirmatur ex debitore moroso, & fure, qui tenentur omnia damna emergentia, & intercepta lucra sarcire: qui tamen, si nullum intervenerit vel damnum, vel lucrum interceptum, non tenentur amplius, quam debeant, reddere; alioquin, ut inquit S. Thom. *non simplum, quod debent, sed multiplicatum restituerent*. Ergo multo minus compensare tenentur mutuatarii lucrum, quod revera non est interceptum: alioquin non pro lucro cessante auctarium daretur, & mutuans acciperet, sed pro ipso mutuo, quod profecto usurarium est.

Consectarium Octavum.

VIII. Ad justam lucri cessantis compensationem in mutuo exigendam necesse est, ut pecunia mutuo danda sit vel jam lucrosæ negotiationi applicata, vel ita proxime destinata, ut nihil remoretur ejus collocationem, & a qua mutuantem in gratiam mutuatoris subtrahat. Nam solum tunc intelligitur vere cessare lucrum, quando prudenter sperari potest. Hinc fœneratores sunt habendi, 1. qui lucri intercepti compensationem postulant, quia in locis negotiosis habitant, ubi frequenter occurrere possunt negotiandi occasiones: nam per hoc nec negotiationi est applicata pecunia, nec ipsis adest præsens efficax voluntas negotiandi. 2. Qui habent quidem efficacem voluntatem negotiandi, sed deficientibus occasionibus nequeunt negotiari; nam istis nullum cessat lucrum, nec in re, nec in spe. 3. Qui dubitant, num velint ex sua pecunia negotiari: cum isti voluntatem determinatam non habeant lucrandi ex negotiatione. 4. Qui talem concipiunt velleitatem, ut dicant, negotiari vellem, nisi multi mutuum peterent: nam isti manifeste ostendunt, se malle lucrum ex mutuo, quam ex negotiatione; quod omnino usurarium esse patet manifeste. Et revera, si fur ab istis pecuniam surripiat; nullus illum ad hæc intercepta lucra sarcienda, cum omnino incerta, conficta, & nulla sint, obstringet. Hinc falsa omnino est Caramuelis doctrina putantis; „ ipsam solam negotiandi potestatem, qua se „ privat, qui mutuam dat pecuniam, „ esse pretio æstimabilem; cum intrinsecum sit mutuo pecunia mutuo data „ carere ".

Consectarium Nonum.

IX. Non licet etiam veri, & certi intercepti lucri compensationem statim in ipsa mutui datione extorquere. Veritas hujus doctrinæ adeo est luculenta, ut

ut nullus sit, qui eam directe oppugnet; licet indirecte nonnulli probabilistæ eludere conentur. Et sane, qui statim in initio mutui, lucri cessantis compensationem postulat, integrum mutuum non dat: dum enim a mutuatario, qui centum mutuo petit, mutuans subtrahit quinque, non jam centum mutuo dat, sed nonaginta quinque; unde lucrum excipit ex pecunia, saltem quoad partem aliquam, ficte tantum mutuo data. Præterea non tunc mutuanti cessat lucrum: deest proinde præsens titulus lucri intercepti: evincitur ergo in ipso mutuo lucrum quærere. Duplici autem via iniquitatem, & usuram vitari posse contendunt nonnulli Probabilistæ. Nimirum 1. Si in ipsa mutui datione lucri intercepti compensatio petatur, non in pecunia, sed in alia re, puta oleo, vino, tritico. Hinc Azorius docet, licere absque fœnore dare alteri centum aureos mutuos, ex quibus titulo cessantis lucri post annum quinque licite queat exigere; & statim in ipso mutuo pro hoc lucro cessante mensuram aliquam vini, vel olei pecuniæ correspondentem exigere. Quod, quam iniquum sit, & fraudulentum, nemo non videt; cum parum intersit, utrum lucrum in pecunia, vel in alia re æquivalenti petatur, & solvatur. Alio modo docet Tamburinus posse etiam pecuniam compensatoriam lucri intercepti in ipsa mutui datione extorqueri, nimirum si qui centum aureos mutuo dat, recepturus post annum titulo intercepti lucri octo nummos aureos, hoc jus recipiendi præfatos octo aureos nummos statim mutuans vendat mutuatario pretio quinque, vel sex aureorum statim sibi numerandorum: quia, inquit, duplex tunc celebratur contractus, alter mutui, alter venditionis juris; pro primo non nisi post annum octo recipere poterit; at prò venditione juris statim ejus pretium accipere poterit. Sed hæ putidissimæ fraudes sunt, quas recitasse confutasse est.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Alii tituli auctarii accipiendi in mutuo ultra sortem expenduntur.

DOCTRINA.

I. *Non in omni mutuo adest titulus lucrandi.*
II. *Duplex periculum sortis in mutuo, & juris facti.*
III. *In mutuo etiam ex periculo juris aliquid recipiendo usuram committi declaravit Gregorius IX.*
IV. *Cur usuram in eo mutuo agnovit Summus Pontifex.*
V. *Quomodo ab usuræ labe immune esse possit lucrum ex juris periculo.*
VI. *Quomodo dignoscendum, utrum licitum sit, aut feneratitium.*
VII. *Ob periculum facti nihil licet in mutuo recipere ultra sortem.*
VIII. *Argumenta proferuntur.*
IX. *Respondetur Adversariorum objectis.*
X. *Alia proponuntur objecta.*
XI. *Quæ diluuntur.*
XII. *Statutum Principis non esse potest justus titulus auctarium accipiendi ex mutuo.*

I. LUCRI cupiditas, & dominans in humanis pectoribus avaritia mentes acuit ad plures excogitandos titulos lucri, occasione mutui, quod gratuitum esse deberet, captandi: ex quibus nonnullos etiam Theologi sua comprobatione confirmarunt: quamobrem factum est, ut penitus evanuerit usuræ crimen, & vix unquam contingat illicite ex mutuo auctarium accipere. Hinc optime, & opportune monet omnes Ec-

clesiæ Præsules, & Theologos Sapientissimus Pontifex Bened. XIV. in sua Encyclica: „ ut illud diligenter animadvertant, falso sibi quemque, „ & nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac ubique præsto esse „ vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo contractus alios justos, quorum vel titulorum, „ vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram, salvamque recipere. Ita si quis senserit, „ non modo divinis documentis, & „ Ecclesiæ Catholicæ de usura judicio, „ sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio „ adversabitur “. Quod repetit, & inculcat in fine subdens: „ Vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis „ illorum sermonibus, qui dictitant de „ usuris hoc tempore quæstionem instiui, quæ solo nomine contineatur; „ cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur “. Hos igitur titulos, quos lucrum occasione mutui perceptum vel honestare, vel excusare conantur Probabilistæ Theologi, expendendos assumimus, & explicandos.

II. Primus, qui obtruditur, lucrandi titulus occasione mutui est periculum sortis, vel expensarum, quæ forte subeundæ timentur in recuperatione sortis. Pro cujus intelligentia duplex est distinguendum periculum sortis, aliud quod *juris* dicitur, alterum *facti*. Juris periculum contingit, quando ipsa vel sors, vel pecunia creditori eam conferenti periclitatur, adeout, si pereat, ipsi pereat. Et hoc dupliciter potest contingere. 1. Si nimirum sortis, vel pecuniæ dominium in accipientem non transferatur, sed in societatem tradatur ad lucrum in negotiatione captandum, & tunc lucrum ex tali pecuniæ datione recipere, nullus est, qui ambigat licere; & nos superius ostendimus in contractu societatis ex doctrina S.Th. quamobrem de hoc genere contractus, in quo nullum intervenit mutuum, minime disputamus. 2. Si pecunia quidem mutuo detur, sed mutuans in se ipsum pecuniæ periculum suscipiat, ut, si forte absque culpa mutuatarii pereat: ipsi mutuanti pereat: qui contractus mutuo extrinsecus apparet, cum sit contractus assecurationis ab ipso creditore, seu mutuante assumptus; & dicitur periculum juris. Periculum vero facti apud debitorem se tenet, qui semper, quocumque fortuito, & excogitabili casu sors, seu pecunia pereat, semper sortem integram reddere tenetur. De hoc igitur duplici periculo disputamus, & a primo incipientes sic dicimus.

III. In mutuo, licet mutuans in se periculum pecuniæ assumat, aliquid accipere usuræ crimine non carere, statuit Greg. IX. & plurimi Theologi docent. Et primo quidem celebris est Gregorii IX. Decretalis anni 1306. qua statuit: „ Naviganti, vel eunti ad nundinas „ certam mutuam pecuniæ quantitatem „ tradens, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus “. Recentior Probabiliorista auctoritate innixus Barbosæ, intrepide pronunciat mendosum textum hujus Decretalis, & deesse particulam *non*, ut contrarius sit eliciendus sensus, & legendum, *usurarius non est censendus*. Verum hujus interpretationis falsitatem evicit P. Daniel Concina in Opere de Usura Contractus

Trini

Trini Diff. 1. cap. 5. §. 2. oftendens, Decretalem illam Sanctus Raymundo O. P. ornamento datam fuiffe, qui eam fuæ Decretalium Collectioni inferuit, & poftea in fua Summa, quam forte, ut putat Bollandus, ante præfatæ Decretalis promulgationem inchoaverat, & certe poftea explevit, fine negante particula exfcripfit: immo doctrinam in ea contentam pluribus argumentis confirmavit; & denique omnem direptam controverfiam affirmavit, fcribens: *expreffa eft bodie Decretalis de boc textu*. Ita ne bardus, ftupidufque eft habendus Sanctiffimus Doctor, qui & falfitatem decifionis non perfpexerit, & tenoris, ac difpofitionis cum fubfequente decifione ineptam connexionem non deprehenderit? Hanc utique S. Antoninus vidit, qui præfatam Decretalem affirmativam agnovit, & declarantem in illo contractu ufuram intercedere. Et Auctor Opufculi 42. al. 73. quod D. Thom. tribuitur, & certe eft fcriptoris A. P. vel fynchroni, vel fupparis, fine negante particula Decretalem legit, fcribens: „ Ratio periculi etiam circa for„ tem non tollit rationem ufuræ in mu„ tuo, ut probatur Cap. *Naviganti* &c. Quid, quod omnes MM. SS. Codices negativæ lectioni repugnant? Afferere autem mendum irrepfiffe ex fcribæ ofcitantia in ipfum autographum, ut afferit P. Boranga, eft defperatæ caufæ argumentum.

IV. Cur autem ufuræ damnaverint Gregor. IX. & S. Raymundus, aliique Theologi lucrum in præfato contractu, cum ibi verus appareat legitimi lucri titulus, fcilicet periculum, non tam facti, quam juris, quod in fe fufcipiebat mutuans, adeo ut, fi pecunia five in navigatione, five in tranfvectione periret, ipfe nec fortem perciperet, declarat meo videri S. Raymundus, quia inquit, *tales femper faciunt tale mutuum propter fpem lucri pecuniarii, quod non licet; & præterea videtur fieri in fraudem ufurarum*. Siquidem nec alter mutuum dare volebat, nifi lucrum perciperet; nec alter lucrum dare, nifi periculum tranfvectionis in fe fufciperet mutuans, quin de honefto titulo lucri cogitarent. Ut modo contingit in illis, qui mercatoribus pecuniam mutuo dant, ut fex in centum per fingulos annos recipiant, ad quod lucrum honeftandum, fi forte redarguantur, ad contractum trium contractuum, vel ad cenfum perfonalem confugiunt; quin tamen, vel quid fit contractus trium contractuum, vel quid perfonalis cenfus, noverint, aut in dando mutuo cogitaverint: urpote quia „ multi funt, ut inquiunt Sal„ maticenfes, feculares, quorum ca„ pita non capiunt hujufmodi tricas, & „ argutias ". Hoc tamen eft difcrimen, quod in iftis contractibus & mens, & animus ufurarius eft; & titulus ipfe ufuram non tollit; in priori autem cafu animus, & mens quidem ufuraria fuit, quippe quia non nifi lucrum in mutuo expetebat: at titulus ipfe honeftus, licitufque effe poteft. Id optime explicat Fagnanus ad Cap. Naviganti fcribens: „ Cenfetur creditor moveri ratione mu„ tui, quando vult, & pacifcitur, ut „ fortis periculum ad fe pertineat; & „ fic ex mutuo vult confequi lucrum, „ non quidem immediate, fed me„ diante periculi fufceptione, quod „ ufurarium eft ".

V. Præfatum itaque contractum a labe ufuræ immunem dicerem, fi hoc modo celebraretur: nimirum mutuans pecuniam navigaturo, vel ad nundinas ituro det gratis omnino, liberumque relinquat, quem maluerit, fi voluerit, fua-

ſuarum mercium, ſive pecuniæ aſſecuratorem quærere: quod ſi ille ipſum mutuantem ſponte eligat; licebit cum illo de periculo paciſci, & illud omnino idem lucrum, ſeu pretium, quod extraneo dandum eſſet, aſſecuratori perſolvere. Hæc omnia complexus videtur S. Antoninus in ſua Summa cap. 7. §. 21. dum rem ſic exponit. „ Quid de „ eo, qui mutuaverit naviganti, vel „ eunti ad nundinas, recepturus ali„ quid ultra ſortem pro eo, quod ſu„ ſcipit in ſe periculum, ideſt ſi pecu„ niam, vel merces inde emptas por„ taverit ſalvas, alias nihil recepturus „ etiam de ſorte? Reſpondeo, quod „ aut illud ultra ſortem recipit ratione „ mutui tantum, & ſic eſt uſura non „ obſtante, quod periculum in ſe ſuſci„ piat, & iſte eſt caſus capitis *Navigan„ ti* “. En igitur, quomodo S. Præſul non mendum in præfata Decretali agnoſcat, ſed veram doctrinam, uſura præfatum contractum coinquinari declarantem. Dein ſic proſequitur. „ ut recipit „ illud ultra ſortem ratione periculi; & ſic „ non eſt uſura, ſed licitum. Nam etiamſi „ non mutuaret, & periculum navigantis „ in ſe vellet recipere, licite poſſet re„ cipere pretium periculi; nec propter „ hoc, quod ei ſervitium faciat in mu„ tuando, efficitur deterioris conditio„ nis. Aut aliquid ultra ſortem recipit „ partim ratione periculi, & partim ra„ tione mutui; & tunc uſura eſt quan„ tum ad id, quod plus recipit reſpe„ ctu mutui; & illud tenetur reſtituere“. Ita quidem optime, inquies: at qui dignoſcere potero, num pœnitens, qui hunc celebravit contractum, & lucrum percepit, mentem habuerit uſurariam lucrandi ex mutuo, an rectam ratione periculi? Nam ſi quis de juſtitia hujus contractus interroget, antequam illum ineat, inſtrui poteſt de modo illum rite, recteque celebrandi: at poſt factum, & lucrum acceptum, ſi de juſtitia quærat, quid reſpondendum?

VI. Quoad hanc practicam, & juſtiſſimam quæſtionem quid ipſe ſentiam, libere promam. Si qui hunc maritimum contractum celebravit, recte illius naturam, conditioneſque novit, & juſtum pactus eſt pretium aſſecurationis rogatus a mutuatario, profecto mente juſtum lucrum quærente illud celebravit nullaque fuit uſuræ labe contaminatus: & hic ad ſecundam a S. Antonino aſſignatam claſſem pertinet. At ſi qui illud iniit, nihil de ejus natura ſciens, ſed ſolum noſcens ex illo lucrum reportari conſueviſſe ab exercentibus, & unice ſpe hujus lucri illactus celebravit, adeo ut aliter certe ſuam pecuniam mutuo non dediſſet; aperte conſtat hunc in prima a S. Antonino producta claſſe contineri, & uſuræ reum eſſe, & nonniſi lucrum quæſiviſſe, quocumque ex capite illud prodiret, ſive ex mutuo, ſive ex aſſecuratione. Nam quicumque contractum celebrat, in conſcientia, & coram Deo adſtringitur conditiones, æquitatem, honeſtatemque ejus expendere, ne ſe periculo peccandi committat; cum cupiditas lucri facile in errorem poſſit impellere, mentem obnubilando, ne, quod iniquum eſt, perſpiciat. Ad dignoſcendum vero, quinam tertiam occupent a S. Antonino ſtatutam claſſem, illorum ſcilicet, qui partim ex mutuo, partim ex periculi aſſecuratione lucrum quæſierint, hæc ſunt optanda 1. Pretium aſſecurationis periculi incertum non eſſe, & ad libitum aſſecurandis taxandum; ſed vel juxta leges vel juxta conſuetudinem, vel peritorum judicio determinatum, inſpectis quantitate, & qualitate ipſius, diſtantia locorum, tem-

po-

poris diuturnitate &c. 2. Affecurationis contractum ftatim completum, perfectumque intelligi, quando merces, five pecunia vel profpere ad terminum pervenit; vel illius amiffionis habita eft certa notitia; nam in primo cafu folvendum eft affecurationis pretium; in fecundo vero vel pretium mercium, vel onus ceffat reftituendæ fortis, quæ mutuanti periit. Quamobrem his bene perpenfis, tunc lucrum partim erit ex mutuo, partim ex affecuratione periculi, quando vel hujus pretium juftam eftimationem excedat, five integrum femel folvatur, five per partes in fingulis annis, vel in fingulis navigationibus, vel quando fola ratione temporis dilati ad reftitutionem fortis crefcat lucrum. Ratio primæ partis eft manifefta ex eo, quod primo loco notavimus, nimirum non arbitrarium effe affecurationis pretium, fed determinatum. Secundæ vero partis ratio, quia cum hoc pretium fit determinato tempore folvendum, ratione moræ in reftituendo (nifi fit culpabilis) augeri fine fœnore non poteft: quamobrem, fi crefcit, jam non ex affecuratione, fed ex mutuo lucrum provenire manifefte apparet; dummodo tamen non femper eidem fubjaceat periculo pecunia mutuo data.

VII. In mutuo ratione periculi facti non licet aliquid ultra fortem recipere. Ad hujus doctrinæ intelligentiam nonnulla funt præmittenda. 1. Duplex diftinguunt Theologi periculum, alterum fcilicet commune omnibus mutuatariis, qui, licet divites fint, & bonis abundent, poffunt tamen de repente vel communibus infortuniis, vel inopinato aliquo cafu ad inopiam redigi. Alterum particulare, feu melius fingulare, quod refultat ex conditione mutuatarii; puta quia perfidus eft, decoctor, prodigus, vel negotiationi incumbens, negotia periculofa, incertique exitus affumit, & exercet. Nonnulli Theologi aliter utrumque periculum diftinguunt, nimirum alind, ex quo timetur damnum non reparabile; & aliud, ex quo timetur periculum quidem, fed facile reparabile, vel a quo creditor fibi cavit. Et quidem pro periculo, vel remoto, vel a quo creditor cavit, vel facile reparari poteft, nihil recipi poffe fatentur omnes Theologi; cum hujufmodi periculum non fit pretio æftimabile. At ob alterum periculum, ex quo timetur damnum irreparabile, plures Theologi putant aliquid recipi poffe, aliis ex adverfo negantibus. Utrique tamen in eo conveniunt, quod, fi mutuatarius velit mutuantem fecurum reddere vel pignore, vel hypotheca, vel idonea fidejuffione, non poffit cogi ad auctarium folvendum ratione periculi; nam hoc effet velle ex mutuo manifefte lucrari. At fi mutuans periculum iftud fubeat, quippe qui nec pignore, nec fidejuffione fibi cavet, fed foli fidit fyngraphæ mutuatarii, ejufque confcientiæ, & bonæ fidei, poffe aliquid accipere docent laudati Theologi, non quidem univerfim, & abfolute, fed quibufdam fervatis conditionibus. Nimirum 1. Ut periculum verum, & reale fit, firmifque conjecturis innixum. 2. Ut in pactum deducatur, ut mutuatarius perfpicere poffit, num fibi interfit cum hoc onere mutuum accipere. 3. Ut non amplius exigatur, quam ipfa ratio periculi juxta prudentum, & peritorum exiftimationem expoftulet. 4. Ut in pactione hujus lucri leges caritatis, & eleemofynæ non violentur. Verum ab hac opinione recedendum exiftimo, & nullum licere auctarium ratione periculi, five reparabilis, five irreparabilis, recipere his per-

permotus argumentis probabilius censeo.

VIII. Ideo, inquiunt Theologi adversæ sententiæ, licet ratione periculi in mutuo aliquid exigere, quia hoc periculum est ipsi mutuo omnino extrinsecum. Quod sic evincunt: illud periculum est extrinsecum mutuo, a quo cavere, vel quod vitare possum, salvo permanente mutuo: porro per pignus, hypothecam, vel idoneum fidjussorem possum illud vitare periculum, perseverante mutuo: ergo est illi extraneum: non igitur si aliquid causa hujus periculi recipitur, ex mutuo recipitur. At subsumunt: hoc periculum sponte subire est quid pretio æstimabile; nam illud subire etiam in dando mutuo nulla lege adstringor: ergo licite ejus pretium exigere possum absque ulla fœnoris injustitia. Verum hæc ratiocinatio mihi inepta ad rem probandam videtur. Nam immo retorqueri potest in arguentem hoc modo. Illud periculum est intrinsecum, & intraneum mutuo, quod semper, quocumque tempore, & a quocumque mutuatario timere possum, & ab illo immunitatem, & liberationem juste, & legitime petere: porro semper, quocumque tempore, & a quocumque mutuatario petere possum liberationem a timore periculi, & immunitatem ab illo juste, & legitime; ut contingit in Montibus Pietatis per pignus; vel per hypothecam, seu idoneam fidejussionem: ergo istud periculum est mutuo intrinsecum, a quo quidem separari potest non supponendo extrinsecum esse, sed e contra supponendo intrinsece adesse, sed ad illud vitandum indemnitatem per pignus petendo. At dicent fortassis, non quodcumque periculum est mutuo extrinsecum, sed illud quod *irreparabile* dicimus; quia ejus indemnitas non est quæsita per pignus, hypothecam, vel idoneam fidejussionem. Repono, sicut cuicumque mutuo in communi intrinsecum est periculum amittendæ sortis, a quo proinde cavere possum per pignus licite, & legitime; ita huic particulari, vel singulari mutuo, quo pecuniam do prodigo, decoctori, periculosis negotiis operam danti, est intrinsecum periculum amittendæ sortis, a quo possum quidem cavere, vel indemnem me servare pignore, hypotheca, idonea fidejussione, non vero illius incerti damni pretium petendo: quandoquidem hoc pretium nec periculum tollit, nec a damno liberat; nam merito timeri potest, ut qui sortem vel ex infortunio, vel ex malitia non restituet, profecto nec pretium periculi solvat. Quamobrem, qui de securitate sortis minime sollicitus, nec pignus, nec hypothecam, nec fidejussorem postulat, contentus pretio periculi, clare ac luculenter ostendit, se non sortis securitatem quærere, sed lucrum ex mutuo. Præterea hoc periculum in ceteris contractibus nihil penditur; cur ergo existimandum in mutuo? Si quis enim mercem credito vendat, vel agros locet, pretium mercis, vel locationis post annum recepturus, nonne periclitatur de pretio? Et tamen quis dicat, hujus gratia periculi licere vel pretium sive mercis, sive locationis augere ultra justos limites, vel pro ipso periculo pretium exigere? At reponent fortasse. Hi contractus in utriusque beneficium redundant; proinde mirum esse non debet, si periculum illud flocci penditur. Nam respondeo, licet hi contractus in utriusque utilitatem sint; hoc tamen non impedit, ne venditor, & locator licite, & legitime idoneum postulet fidejussorem pro mercis, vel locationis pretio suo tempore recipiendo.

Ergo

Ergo ficut fidejufforem petere poterit, ita fi huic beneficio in gratiam emptoris, vel conductoris renuntiet, pro periculo pretium repetere poterit; quod tamen certe locum non habet in hifce contractibus, ergo multo minus in mutuo. Quod luculentius patet in fure. Hic profecto cum rei furtivæ nunquam dominium indipifcatur, teneturk furreptam furto pecuniam reftituere, & omnia ex furto damna, & intercepta lucra farcire: teneretur igitur & pretium periculi, in quod dominum fuo furto conjecit, reftituere: quod periculum profecto longe majus eft in fure, quam in mutuatario; cum hic creditori notus fit, & poffit femper ad reftitutionem juris remediis compellere; ille vero occultus, & quem detegere difficillimum & femper incertum eft: & tamen nullus juftus judex furem detectum, quem ceteroquin & ad pecuniam reftituendam & ad damna emergentia, & intercepta lucra compenfanda damnabit, & infuper pœna carceris, triremis, flagellationis puniet, ad periculum fortis compenfandum obligabit. Nec dices, furem pactum non iniiffe de periculo compenfando, de quo pacifcitur mutuatarius. Nam fur tenetur femper de omni jure ab ipfo violato, licet cum domino non convenerit: quamobrem fi juftus foret titulus periculi, & jus daret ad illius compenfationem, & iftud farcire teneretur latro, licet cum domino non convenerit.

IX. Huic argumento plane apodictico, & demonftrativo ut folutionem inveniant fe in omne latus verfant adverfæ fententiæ patroni. 1. Itaque nos interrogatione aggrediuntur. Cur, inquiunt, dominus a fure pignora non petit, & idoneos fponfores? Infulfa plane interrogatio; quæ tamen vim noftræ argumentationis confirmat. Nam fi mutuans poteft pretium periculi pecuniæ mutuo datæ petere, licet duplici via poffit hocce periculum declinare, nimirum vel negando mutuum, vel fuæ indemnitati profpiciendo per pignus, vel idoneos fidejuffores; quamobrem, fi periculum non declinat, id omnino ex fua voluntate progreditur: quanto magis præfati periculi pretium exigere poterit à fure dominus, qui fua pecunia invitus fpoliatur, quique irreparabili damno illam ammittendi fibi profpicere non poteft per pignora, vel idoneos fidejuffores? At inquiunt: ideo mutuans poteft pretium periculi petere, quia & ipfe voluntarie concedit pecuniam confumendam mutuatario, & non exigit fecuritatem de forte recuperanda, cujus periculum in fe fufcipit; quæ duo requiruntur, ut juftum fit pretium periculi: at dominus nec pecuniam confumendam concedit latroni, nec illius periculum vult fubire, fed furem cogit ad ftatim reftituendam pecuniam; ergo ille, non ifte pretium periculi pendere debebit. Bene, optime. Interim tamen verum eft tam mutuantem, qui fuæ pecuniæ confumptioni fponte confentit, quam dominum, qui invitus fua fpoliatur pecunia: & fua pecunia carere, & periculum fubire damni irreparabilis: cur igitur primus poteft pretium exigere, alter vero omnino non poteft? Si titulus periculi irreparabilis eft juftus ad pretium exigendum, dum fponte fubitur; cur non erit juftus, quando invito, & nolenti per injuftitiam imponitur? Iniquitas furti juftitiam tituli non tollit, fed auget. Minime reponunt. Nam in locatione equi nihil exigi poteft a conductore, qui per hoftilem terram infcio, vel invito locatore tranfivit cum periculo amittendi equi, fi illo incolumi

mi revertatur, & domino salvum restituat: & tamen locator antea pacisci poterat de pretio hujus periculi, si lubens, & volens subiisset. At, amabo, de quo periculo pacisceretur cum locatore conductor? Num de periculo facti? nimirum quod si equus revertatur incolumis, illum restituat, & pretium periculi solvat; si vero equus pereat, & pretium equi restituat, & pretium periculi. Iniqua profecto conventio, cui locator jure obsisteret: responderet enim equus meo stat periculo, adeo ut si pereat, pretium equi tibi pendere debeo, & tu adhuc postulas pretium hujus periculi, quasi tibi immineret, postquam in me transtulisti? Ita profecto respondet mutuatarius: periculum pecuniæ, quam mutuo accipio, totum mihi imminet, qui semper pecuniam, quocumque pereat infortunio, tibi reddere integram debeo; & tu hujus periculi pretium, quod in me rejecisti, postulas? Pacisceretur itaque præfatus conductor de periculo juris, ut nimirum, si equus incolumis revertatur, illum reddat locatori, & periculi pretium solvat; at si equus ab hostibus rapiatur, persoluto pretio periculi, equi pretium reddere non teneatur. Et hic justus quidem est contractus, quod locum habet, & quando pecunia mutuo datur cum pacto assecurationis, per quod, si in tali periculo pereat, non accipienti, sed danti pereat. Quid, urgent adhuc, si quis navi invitus imponatur, poterit ne, si postea incolumis revertatur, petere pretium periculi, quod in navigatione subivit? Minime certe; & tamen hujus periculi pretium petere poterat, si lubens, & volens in alterius gratiam periculum illud subiisset. Sed hic quoque adest periculum non facti, sed juris. Nam qui violentiam intulisset, non teneretur de pretio periculi; quia damna omnia compensandi onus sibi assumpsisset sua violenta actione, adeo ut, si violentiam passus incidisset in captivitatem, eum redimere teneretur: at e contra, qui in alterius gratiam navem lubens, & volens conscenderet pacto pretio, omnia navigationis pericula in se assumeret; proinde si a Piratis caperetur, non teneretur conductor eum sua pecunia redimere. Ille igitur debet periculum damni compensare, qui hoc periculum in alium transfert, sive juste, sive injuste hoc faciat. Porro tam fur, quam mutuatarius periculum transferunt irreparabilis damni in amissione pecuniæ, ille quidem sua injusta actione in dominum, iste vero, ut lubet adversariis, suo accepto mutuo sine assecuratione pignoris, vel idonei fidejussoris in mutuantem. Ergo si justus est titulus, tam premit furem, quam mutuatarium: illum certe non urget, ut fatentur adversarii; ergo nec istum: non est igitur facti justus titulus aliquid ex mutuo exigendi. Sed, inquiunt adhuc, latissimum est discrimen inter furem, & mutuatarium. Nam restitutionem *veri interesse* metimur ex culpa; compensationem vero *probabilis interesse* metimur ex pacto: *verum interesse* debet compensari quantum quantum est; *probabile* autem *interesse* compensatur ex æstimatione partium, quæ non datur sine pacto. Hæc quidem oracula videntur ex tripode pronuntiata: at minime vera sunt. Nam 1. nonne *probabile interesse* est verum interesse? Nam si sit interesse chimæricum, & confictum, nec probabile esse poterit: est igitur verum interesse in se, sed vel contingens, vel incertum in quantitate. Et hoc probabile interesse est farciendum etiam a fure absque aliqua conventione,

ut pater in adultero, qui probabiliter judicat filium alienæ uxoris esse ex se prognatum; etenim pro rata probabilitatis damnum illatum marito, & familiæ tenetur sarcire. Falsum est igitur primum pronuntiatum oraculi; *Restitutionem veri interesse metimur ex culpa*; cum & ex culpa metiamur probabile interesse absque ulla conventione. Verum interesse debet compensari, quantum quantum est. Utique, si non solum verum sit, sed & compertum, & certum: at si verum quidem sit, sed nec compertum nec certum a fure non debet compensari quantum quantum est, sed quantum ipse coram Deo, vel periti juste judicant illatum esse; & hoc iterum absque ulla conventione partium. Igitur vel titulus periculi irreparabilis in amissione pecuniæ constituit *probabile interesse*, idest verum, licet incertum vel in se, vel quoad quantitatem; & hoc sarcire tenetur fur etiam absque ulla conventione, ut patet ex adducto exemplo adulteri: vel non constituit *probabile interesse*; & pretium pro illo exigere non licet a mutuatario. Porro certum est, furem non teneri compensare domino periculum irreparabile in amissione pecuniæ; quia hic titulus verum interesse non constituit: ergo nec licet ejus pretium a mutuatario extorquere. Firmum igitur manet, & inconcussum argumentum ex paritate furis depromptum. Huic nostræ doctrinæ adhærent innumeri, & quidem magni nominis Theologi Lovanienses, & Parisienses, teste Continuatore Theologiæ Tournelianæ, immo pene omnes Juris periti, ut affirmat Leotardus de Usuris q. 23. ubi lucrum perceptum titulo periculi facti fœneratitium omnino appellat, subdens, quamvis *id licitum esse sentiant Leonardus Lessius, & Theologi sane plurimi . . . sed nostra sententia tutior est, & inter jurisperitos recepta*. His accedunt Navarrus, Soto, Bannes, Rebellus, Tapia, Gutierez, Natalis Alexander, Genettus, Juveninus, Fratres Ballarini tum in Prælect. ad S. Antonin. tum in Jure Divino &c. Nicolaus Gennaro, Toletus ipse lib. 8. cap. 51. n. 2. Antoine autem, licet rationes afferat pro sententia affirmante licitum periculi pretium, non tamen illas adprobat.

X. Opponunt tamen adversarii 1. si periculum amittendæ sortis non est pretio æstimabile; cur tanta cura, & diligentia illud vitare conantur mutuantes, & præsertim Montes Pietatis, qui absque pignore, vel idonea fidejussione mutuum nunquam concedunt? 2. Onus dandi pignoris pro assecuratione restitutionis grave est mutuatario, qui ab eo liberatur per modicum auctarium; & certe libentius pauper hoc modicum auctarium persolveret, quam sua re aliquamdiu, & fortassis diutius careret. 3. Celebris est decisio Congregationis de Propaganda fide, confirmata a Summo Pontifice, qua definitum fuit, ratione mutui immediate, & præcise nihil esse accipiendum; si vero aliquid accipiant (Sinenses) ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos: licet igitur pro periculo aliquid recipere.

XI. Resp. ad 1. Cum periculum amittendæ sortis sit intrinsecum omnibus, & singulis mutuis, securitas per pignora, vel fidejussores quæsita non adversatur justitiæ, & est naturæ mutui omnino conveniens. Cum enim leges omnes, tum naturales, tum positivæ divinæ, & humanæ jubeant, ut a mutuatario sub justitiæ rigoroso debito mutuans serventur indemnis; qui per pignora, vel fidejussionem idoneam securitatem suæ pe-

pecuniæ petit, hisce legibus se conformat. At loco vel pignoris, vel fidejussionis pretium periculi extorquere leges nec jubent, nec concedunt; immo, ut ostendimus, lex divina, usuras prohibens, hoc damnat. Ad 2. fatemur onerosum pauperi re sua oppignorata carere, & libentius soluturum concedimus leve auctarium, quam daturum pignus: at hoc idem beneficium consequeretur pauper, si loco pignoris etiam modestas usuras persolveret. Quamobrem hocce argumentum, si honestum evincit pretium periculi, & honestas etiam evincit tenues usuras; quas tamen a paupere extorquere ne ipsi quidem usurarum Patroni concedunt, quippe qui illas solum locum habere asserunt, quando pecunia non pauperi ad consumptionem, sed negotiatori ad incrementum datur. Præterea non ideo aliquid honestum, quia utile; sed & juxta Philosophos, quod honestum est, & utile est dicendum. Si ergo onestum, justumque est pretium periculi accipere, licet fortassis pauperi onerosum, (ut est pignus dare) licite peti poterit: si vero honestum non est, nec licitum erit, ut luculenter ostendimus; & licet utile sit pauperi, non est permittendum. Ulterius, si liceret a paupere periculi pretium accipere, liceret etiam hoc pretium augere pro quantitate periculi. Porro cum periculum in mutuo dato pauperibus non leve sit, sed grave, cum eorum conditio talis sit, ut dicat Plutarchus, *egeno neminem credere*, & D. Basilius in Psal.4. *pauperes fidem minime invenire*; posset igitur mutuans a paupere mutuatario longe majus pretium periculi extorquere, quam a divite: & sic non beneficium sentirent pauperes ex mutuo, immo grave detrimentum. Sunt tamen, qui censent ratione periculi nihil recipi posse a pauperibus; quia, inquiunt, hoc periculum intrinsecum est ipsi mutuo dato pauperi. At cur intrinsecum pariter non dicunt periculum ipsi mutuo dato decoctori, perfido, periculosas negotiationes exercenti? Certe discrimen inter utrumque periculum non perspicio; cum & in utroque periculum declinari possit per pignus vel idoneam fidejussionem, & æquale omnino sit carere pecunia vel impotentia, vel malitia debitoris: parum enim refert, num ovis vel a lupo devoretur, vel a lanio occidatur. Præterea, qui lusoribus, decoctoribus, perfidis periculosam mercaturam exercentibus mutuum dant, vel ardenti urgentur lucrandi cupiditate, qua obcæcati non perspiciunt imminens periculum integræ perdendæ sortis; vel fatuitati suæ imputare debent, ut animadvertit Salmasius, *si pecuniam illis credunt, a quibus prudentissime timent non reddendam*. At tales fatui vel rari sunt, vel omnino nulli. Ad 3. respondeo 1. Decisionem illam dubiæ esse fidei. 2. Non esse nisi determinati, & singularis casus; ex qua proinde generalis doctrina extendi non potest. 3. Esse mere tolerantem, cum in fine Decreti hæc habeatur clausula, *donec Sanctitas sua, vel Sedes Apostolica aliter ordinaverit*. Magis ad rem nostram facit Decretalis Greg. IX. quæ doctrinalis est, & in qua statuitur, nec ob periculum juris, ne usura subrepat, licere aliquid ultra sortem accipere. Quanto minus igitur licebit ex mero periculo facti? Nam, ut optime animadvertit & ipse Tournelii Continuator, *vix contingit, ut in praxi ab usura immunes sint, qui ratione periculi aliquid supra sortem exigunt*.

XII. Alter, quem obtrudunt nonnulli Theologi, legitimus titulus exigendi aucta-

auctarium occasione mutui est statutum Principis: quem tamen titulum non quidem adstruunt quasi vigentem, cum sponte fateantur, nullibi statutam legem, ut ex mutuo aliquid recipiatur; sed solum posse a Principe decerni, & eo posito decreto, lucrum inde perceptum non fore amplius usuram *stricte sumptam*, sed solum *minus stricte* sumptam. Nam usura *stricte sumpta* tunc solum habetur, quando lucrum percipitur ex *mutuo vi mutui*, nullo alio prorsus interveniente titulo: at in posito casu legis latæ de percipiendo auctario causa mutui, non illud reciperetur *vi mutui*, sed titulo *legis*, *&* *regalis concessionis*; ea propter non amplius usura esset vere, & rigorose talis, sed late, & nomine tenus, non re, & facto. At profecto hæc doctrina nova omnino sit, oportet, cum eam ignoraverint Patres omnes, omnesque Sacræ Scripturæ interpretes, qui putantes omnem usuram esse jure naturæ illicitam, proinde nec ab ipso Deo concedi posse, multoque minus licitam reddi ab humanis Legislatoribus; undequaque se vertunt, ut explicent, quomodo Deus Hebræis concesserit, ut usuram, quam a fratre exigere licite non poterant, possent tamen ab alieno. Quidam dixere, hanc legem esse solum permissivam, & tolerantem, ad majus malum vitandum, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 1. ad 2. scribens: *Quod Judæi ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum, quasi licitum sed permissum ad majus malum vitandum*. Alii dixerunt nomine *alieni* designari Chananæos populos, a quibus poterant Judæi extorquere usuras; quia in universa Chananæorum bona non minus, quam in vitam, jus illis dederat Deus; & sicut eos occidere, ita & spoliare pro jure suo poterant, ut ait S. Ambrosius lib. de Tob. cap. 15. n. 1. *Quis erat tunc alienigena, nisi Amalec, nisi Amorrhæus, nisi hostis? Ibi, inquit, usuram exige, cui merito nocere desideras. Cui jure inferuntur arma, huic legitima indicuntur, usuræ quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centesima vendicare te*. Ab hoc *usuram exige*, *quem non sit crimen occidere*. Alii denique ad supremum Dei dominium confugiunt, qui potest sua infinita potestate dominium rei ab alio in alium transferre, etiam domino invito, quin ulla habeatur iniquitas. At omnes inepto prorsus studio, & labore desudarunt. Nam juxta recentem doctrinam, auctarium, quod Hebræi ab alienigenis in mutuo extorquebant, vera usura, & *stricte talis* non erat; sed usura *minus stricte* accepta: non enim lucrum exposcebant ex mutuo *vi mutui* sed *concessione Dei*; proinde cum dicitur Deuteronomii cap. 23. v. 20. *Non fœnerabis pecuniam fratri tuo ad* USURAM *nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno*, nomen usuræ primo loco, ubi de *fratre* sermo est, *veram* significat, & *stricte sumptam* usuram, quam nec Deus concedere potest: at in secundo loco, ubi de *alieno* sermo habetur, usuram denotat *minus stricte talem*, quam non solus Deus licitam reddere potest, sed & possunt humani legislatores. Cæci igitur, & stupidi fuerunt omnes Sancti Patres, & Interpretes, qui difficultatem, & quidem maximam reperisse se putarunt in re planissima, & falso supposito existimarunt, usuras stricte sumptas, quales erant, quæ a fratre accipi vetabantur, fuisse concessum ab alieno extorquere, cum plane essent diversi generis: illæ enim natura sua illicitæ, quia extortæ ex mutuo *vi mutui*; istæ plane justæ, licitæ, innoxiæ, quia extortæ non ex mutuo *vi mutui*, sed ex mutuo vi & *titulo concessionis di-*

vinæ. Immo de re plane impossibili disputarunt: nam impossibile plane erat etiam divinæ omnipotentiæ concedere Judæis, ut usuras *stricte sumptas* ab alieno, immo & a fratre exigerent, cum hac ipsa sua concessione statim ipsam usuræ naturam immutasset, sicut in nuptiis Canæ Galilææ aquam in vinum Christus mutavit. Nam illæ usuræ, quæ prævie ad concessionem erant usuræ *stricte tales*, proinde iniquæ, injustæ, illicitæ, quia extortæ ex mutuo vi mutui absque alio titulo, jam evasissent minus *stricte tales*, proinde licitæ, honestæ, justæ, utpote exactæ non ex mutuo vi mutui, sed ex mutuo alio titulo, scilicet concessione divina: quod miraculum profecto, si nuperos Theologos audias, nec omnipotentiam postulat, nec supremo eget Dei dominio, cum & ab humanis Legislatoribus facillimo negotio, paucisque verbis peragi possit, indicendo, *QUINCUNCES USURAS IN MUTUO EXIGITO*. Et ecce statim usuræ immutata natura: non enim amplius auctarium exigitur vi mutui, sed titulo lati sapientissimi (si Superis placet) Decreti. Hoc pacto ego paucis risu censui refellendam hanc novitiam doctrinam de potestate supremi Principis concedendi usuras. Quam methodum si secutus fuisset P. Concina, non adeo acriter vapulasset, non a Magistro sed (proh pudor tanti viri!) a discipulo P. Pichler. Ne autem & ego hujus plagosi Orbilii ferulæ manum subjicere cogar, patrocinio P. Zech me commendo. Ceterum quoad praxim attinet, certum est antiquorum Imperatorum leges, usuras concedentes, esse Jure canonico abrogatas, & ut docet S. Tho. hic qu. 78. art. 1. ad 3. *concessas, non quasi æstimando eas esse secundum justitiam sed ne impedirentur utilitates multorum*: & postremis seculis a nullo Legislatore concessum, ut quis ex mutuo lucrum acciperet; & leges, quæ concedunt determinatum lucrum ex quacumque data pecunia, semper præsumunt adesse titulos *veri interesse*, nimirum vel lucri intercepti, vel damni emergentis, vel moræ culpabilis; & præterea illud lucrum repetendum non jubent, vel concedunt, sed, ne majus extorqueatur, prohibent.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Non licet cum Turcis, & Saracenis usuras exercere.*

II. *Num difficultas recuperandi sortem, & expensæ faciendæ in recuperatione justum sint titulum auctarii in mutuo exigendi.*

III. *Num utilitas, & commodum mutuatarii, sicut & angor, ac sollicitudo mutuantis similem titulum constituant.*

IV. *Num pœna conventionalis sit justus titulus.*

V. *Num sit onus mutuum dandi, vel non repetendi sortem nisi post multum temporis.*

VI. *Num aliquid liceat accipere in mutuo ob labores, & operas in mutuo præstando adhibendas.*

VII. *Non licet ex pecuniis pupillorum, & viduarum usuras exercere.*

VIII. *Num qui bona fide usurarium contractum celebrarunt, putantes, & volentes licitum contractum inire, ab usura excusari possint.*

IX. *De Montibus Pietatis.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. FALSA est doctrina D. Domhouderii relata a Cornelio a Lapide in

in cap. 23. Deuter. scribentis: „ Cum „ Turca, & Saracenis Christiani facere possunt usuram, ut sic bona Ecclesiæ recuperent, quæ Turca, & „ Saraceni sine ulla ratione, jure, & „ æquitate, occisis tot millibus Christianorum, hactenus invaserunt. Qui „ ergo a Turca, a latrone, a fure infideli „ usuram acceperit, non rapinam fecerit, nec fratri nocuerit, & Ecclesiam „ auxerit “. Nam si usura jure naturali „ vetita est, illam ab ullo homine extorquere non licet. Et præterea, ut egregie animadvertit Nood lib. 1. de fœn. cap. 10. „ Quæ de fœnore, & „ usuris fiunt conventiones, non belli, „ sed pacis, & commerciorum jure celebrantur; ideo . . . nec cum hostibus quidem fieri possunt; quia hi „ cum inter se contrahunt, non ut „ hostes agunt, sed ut homines, qui „ utilitatis permutatione invicem sibi „ consulunt, idest jure gentium utuntur “. Quamobrem melius adnotavit ad hunc versiculum Calmet: „ Bellicæ „ Leges non permittunt, ut hosti fœnore des; licet permittant, ut illi „ ea auferas bona, quibus utitur contra te. Quod si nec tempore belli „ licet ab hostibus usuras exigere; multo minus licebit, quando sub umbra „ pacis cum eis commercia habentur “. Accedit scandalum, quod infidelibus præberentur, si scirent, fœnora ab ipsis extorqueri licitum a Christianis reputari.

Consectarium Secundum.

II. Justus non est titulus exigendi aliquid supra sortem in mutuo causa difficultatum, vel expensarum pro recuperanda ipsa sorte. Hoc inficiantur plures Theologi etiam Probabilioristæ: quia putant hunc titulum esse mutuo plane extraneum, & accidentale, & pretio æstimabile; proinde jure hujus tituli gratia aliquid exigi posse supra sortem proportionaliter ad difficultates, vel expensas subeundas in sorte recuperanda. Verum oppositam, quam statui, doctrinam puto longe probabiliorem: nam licet hic titulus dici possit extrinsecus mutuo generice, & abstracte spectato; est tamen intrinsecus huic determinato, & singulari mutuo, quo tuam pecuniam mutuo das homini decoctori, malæ fidei, litigioso, cavilloso: quandoquidem eo ipso quod tali mutuum largiri vis, jam sponte hujusmodi difficultatibus te objicis; eas enim potes, si vis, declinare vel negando mutuum, vel idoneum fidejussorem petendo. Præterea urget in hac causa argumentum superius indicatum: nimirum nullus prudens, & cordatus pecuniam suam mutuo largitur homini cavilloso, litigioso, malæ fidei, perditæ conscientiæ, lusori, si prævideat non sine difficultatibus, & expensis sortem recuperaturum; nisi cupiditate lucri ex auctario reportandi ita obnubiletur, ut has difficultates libenter devoret. At inquiunt, quandoque denegare non licet talibus vitis mutuum petentibus sine periculo indignationis, rixarum, odii &c. cogitur igitur quodammodo quis ad mutuum illis dandum: poterit igitur per auctarium suæ indemnitati prospicere. At hæc mera sunt effugia. Nam si, ut hoc auctarium licite accipiat, necesse est, ut causam illius exponat, quia sine prævio mutuatarii consensu exigi non potest; erit ne tutum istiusmodi viris dicere, auctarium ab eis postulari, quia sunt litigiosi, malæ fidei, perditæ conscientiæ, decoctores, aleatores, & similia? Nonne hoc illos offenderet, ad iram provocaret, & odium, & illorum indignationem ob denegatum mu-

mutuum, ob manifestationem causæ ad auctarium petendum impellentis, sibi manibus, & pedibus accerserent? Vel causam petiti auctarii sileres; & tunc scandalo ipsis esses, qui te fœneratorem crederent. Ulterius, qui ab istiusmodi viris litigiosis, & perfidis vix sperat sine difficultatibus, & expensis sortem recuperandam, quomodo sperare poterit auctarium, quod novæ litis, novarumque difficultatum materiam, fomitemque suppeditaret? Denique ad expensas sarciendas tenetur ipse mutuatarius, si sua culpa sint a mutuante subeundæ.

Corsectarium Tertium.

III. Justus titulus aliquod auctarium ex mutuo percipiendi esse non potest nec utilitas, seu commodum mutuatarii, nec angor, sive displicentia quam sentit mutuans ob pecuniæ carentiam. Hos duos titulos proferunt duo recentes Scriptores, nimirum Auctor libri inscripti de Moneta, qui Abbati Gagliardi tribuitur, & auctor Lectionum de Commercio Abbas Genovesi. Primus itaque sic scribit lib. 5. cap. 5. cujus verba latine reddo, in calce tamen italice rescribam. (*) „ Certum tandem „ est, inter homines non aliud pretio „ æstimari, quam quod placet, volu„ ptatemque affert, & solum emi & „ comparari, quæ commoda sunt: & „ cum nemo possit, quod sibi placet, „ consequi sine alterius incommodo, & „ molestia; hinc quod pretio penditur, „ est incommodum, & privatio rei, „ qua carere alteri displicet. Aliquem „ in angore desinere molestum est illi: „ est ergo pro hac molestia pretium „ pendendum; & quod fructus pecu„ niæ dicitur, non est nisi pretium „ hujus molestiæ, & angoris “. His paucis verbis eam complexus est doctrinam hic Auctor, quam fuse exposuerunt benigniores Theologi Caramuel, Lessius, & de Lugo. Ille quidem scribens disp. 14. n. 178. „ Distinguo mo„ lestiam a periculo, vel damno emer„ gente, & lucro cessante. Est vero „ aliqua recreatio in videndis rebus pre„ tiosis, cur & non possidendis? Pro „ audienda comœdia, vel videnda be„ stia datur pretium, & nemo contra„ dicit; cur & non pro videndis, & „ possidendis optimis auri partibus? „ Ratione ergo hujus molestiæ, a ca„ rentia pecuniæ subortæ, præciso om„ ni alio periculo, posse quid supra „ sortem accipi affirmat Medina “. Lessius vero lib. 2. cap. 20. dub. 14. n. 133. similia habet scribens: „ Sicut „ aliis rebus, & oneribus potest aliquod „ pretium imponi; ita etiam oneri ca„ rendi sua pecunia tanto, vel tanto „ tempore. Cum enim pecunia sit in„ strumentum negotiandi, & privare se „ instrumento suæ artis sit pecunia æsti„ mabile; cur non etiam Mercatores „ poterunt carentiæ pecuniæ pretium „ aliquod communi consensu imponere, „ præsertim si ratio boni communis id „ postulet?“ Addit tamen: „ Nihilominus „ sentio, non esse tam laxas habenas „ mercatoribus dandas; nec illis con„ cedendum, ut quid supra sortem exi„ gant, si illis ex carentia pecuniæ nul-

(*) In fine è certo, che fra gli uomini non ha prezzo, che il piacere, e non si comprano che le comodità, e siccome uno non può sentir piacere senza incomodo e molestia altrui, non si paga altro che il danno e la privazione del piacere ad altri arrecata. Il tenere alcuno nel batticuore, è dolore, dunque convien pagarlo.

„ nullum lucrum cessat, nullum periculum impendet, nullum incommodum „ metuitur. Primo, quia illa sententia „ videtur nova, nec illam apud Au- „ ctores reperio; ac proinde in re mo- „ rali tanti momenti non est facile ad- „ mittenda „. De Lugo denique ad angorem respiciens (il tenere alcuno nel batticuore è dolore, dunque convien pagarlo) sic scribit: „ Sicut pro „ labore corporis potes pretium exigere „ ut aliquid sit tibi dolori capitis, quan- „ ti doloris illius molestia æstimari pos- „ sit; ita pro molestia, & angore men- „ tis subeundo poteris pretium exigere, „ cum non minus, sed magis aliquando „ cruciet, quam dolor corporis. Si er- „ go posses ultra sortem exigere, quan- „ do mutuum futurum esset tibi causa „ doloris capitis; potes etiam exigere, „ quando mutuum futurum tibi esset causa „ doloris, & timoris interni propter peri- „ culum sortis amittendæ; quia dolor ille „ & timor, prout contradistinctus a sorte „ ipsa, est aliquid, quod in pactum possit „ pro pretio afferri". Quid, si timor & angor (il batticuore) esset effectus animi pusilli, nimium timidi, vel cupidi: nihilominus (convien pagarlo) ejus pretium est solvendum, ut confirmat laudatus De Lugo subdens: „ Cum enim ratio licite „ exigendi aliquid propter periculum „ sit, quia mutuans non potest hic, „ & nunc mutuare, quin habeat mo- „ lestiam illam, & timorem; parum „ videtur referre, quod res ipsa, vel „ indoles mutuantis, & ejus dispositio „ talem molestiam afferat. Quia si ego, „ quia claudus v. g. sum, debeo subi- „ re periculum, & molestiam, ut pe- „ cuniam ex domo afferam ad tibi mu- „ tuandum, quam molestiam alii non „ subirent; possum bene peculiare pre- „ tium exigere pro illa molestia a me „ subeunda. Sic ergo similiter, quia „ meticulosus sum, & pavidus, non „ possum tibi mutuare sine magno an- „ gore, & timore amittendæ sortis, vi- „ detur, quod possim aliquid exigere „ pro hac molestia, & onere, sine quo „ ego tibi mutuare non possum. Hoc „ tamen aliorum judicio relinquo ". Et revera benignum judicem sibi faventem reperit in Auctore laudato. Hæc quidem commoda sunt, & opportuna avaris, fœneratoribus, & cupidis hominibus: at meo videri & cum lege divina pugnant, & cum doctrina Ecclesiæ. Cum lege quidem divina, quia usuræ peccatum inter figmenta, & chimæras amandat. Nam certum est, mutuatarium ingentem voluptatem percipere ex pecunia mutuo accepta (ed è certo che fra gli uomini non ha prezzo altro, che il piacere) debet ergo pro percepta voluptate pretium pendere (dunque convien pagarlo). Ex alio vero parte, qui mutuum dat (nisi caritate urgeatur ad proximo subveniendum; & tunc certo nihil ex mutuo percipere volet) dolorem sentit, & angore afficitur ob carentiam suæ pecuniæ (non si paga altro, che il danno, e la privazione del piacere) potest igitur pretium pro tali molestia accipere (dunque convien pagarlo). Nulla ergo amplius usura in mundo; & crimen usuræ chimæra est, figmentum inane in cerebro delirantium prognatum. Cum doctrina vero Ecclesiæ, quæ fundamentum, & basim dejecit, qua totum harum laxarum, & abominabilium doctrinarum ædificium innititur, & superstruitur, scilicet pecuniam numeratam, & præsentem esse pretiosorem numeranda, & absente, quam doctrinam damnavit Innoc. XI. in propositione 41. ajente: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris*

fa-

faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari. Nam juxta istos Auctores pecunia præsens numerata mutuatario lætitiam, & voluptatem affert; pretiosior est igitur absente, quam non habet, quippe quæ nullam illi voluptatem affert. Ceterum inter homines nonnisi quod placet, & voluptatem affert, pretio æstimatur (è certo che fra gli uomini non ha prezzo altro, che il piacere). E contra pecunia, qua se privat mutuans, unde fit illi absens, nec numeranda nisi post annum, minus evadit illi pretiosa, cum sit causa tristitiæ, angoris, & molestiæ; ergo minus prætio æstimabilis in se, proinde æquanda per auctarium, quo angorem, molestiam, & tristitiam, proculdubio pretio æstimabilia, compenset. Hoc est igitur damnatam ab Ecclesia doctrinam tueri, & renovare sub involucro voluptatis, angoris, timoris.

Alter vero Abbas Januensis, post multa philosophice dicta, & centies refutata, tandem ad Theologica progrediens, ne Theologos exasperet „ & „ eos se audire velle profitetur, & co„ nari, ut vocem RATIONIS benigne „ audire velint, cui nimia zelotypia „ inimici fiunt". Ut igitur ostendat, posse mutuantem aliquod auctarium in mutuo recipere ob beneficium, commodum, utilitatem, quam mutuatario pauperi, & indigenti affert, nec huic auctario adversari Patres, & Concilia, scribit: „ Vellem adesse Concilio illo„ rum Sanctorum, & doctissimorum „ Patrum, & ab illis hæc duo sciscita„ ri. 1. Si quis non egens beneficium „ (mutuum scilicet) a me postulet, „ solum ad luxum, ad delicias, ad „ divitiarum cupiditatem, teneor ne „ ego, Patres Sanctissimi, illi mutuum „ dare? 2. At, si sim ipse egens, nec „ vitam traducere valens, nisi pecunia „ mea lucrum mihi quæram, possum „ ne hujusmodi postulanti respondere: „ Frater Fratrem adjuvet, mutuo adju„ vemur? Ipse tuæ voluptati, deliciis, „ & cupiditati favebo, pecuniam meam „ tibi elargendo; & tu quoque præbe„ bis mihi pretium consuetum mutui. „ Nonne juste possem hæc ab illis pe„ tere? Donec audiam, quid respon„ deat Concilium, aut quid Concilii „ nomine Theologi, pro certo habebo, „ nec Theologos, nec Patres usuræ ad„ versari juxta exposita in petitionibus". Huic duplici interrogationi ut responsio detur, nec opus est Concilio, nec Patribus, nec Theologis. Quilibet Christianus in Catechismo edoctus, & sciens usuram esse peccatum, facile respondere poterit. Ad primum itaque dicet; Non teneris: potes, si vis, fratri tuo benefacere; cave tamen, ne ejus avaritiæ, vel cupiditati tuo beneficio faveas, ne sis particeps alieni peccati. Ad alterum vero reponet. Si tua pecunia tibi necessaria ad vitam comparare debes, eam occupa in honestis negotiationibus, census eme, agros, vineas, domos, ex quorum fructibus, & locatione possis honestum, & licitum lucrum percipere: non autem des ad usuram, ut faveas luxui, deliciis, cupiditati alienæ; hoc enim indignum est homine christiano. Tu, qui Sacerdos es naturæ (sic enim teipsum vocas) vocem naturæ non audis, dicentis tibi ore Ethnici Philosophi Aristotelis lib. 1. de Repub. cap. 10. usuram *optima ratione in odio esse, quod ab ipso nummo quæstus fiat, & non, ad quam rem paratus est, usurpant? Permutationis causa natus est, fœnus autem eam auget, & multiplicat. In fœ-*

no-

nore pecunia pecuniæ partus est, & fœtus est. Quapropter maxime omnium quærendæ pecuniæ rationum abhorret hæc a natura? Hoc pacto puto responderi posse duobus illis quæsitis. Has responsiones confirmare possem pluribus SS. PP. testimoniis: at frustra laborarem, nam ab eorum doctrinis perfugium sibi quæsivit Abbas Genovesi, subdens: *At, si mihi dicta opponantur SS. PP. plane contraria docentium, intrepide respondeam, illos non revera dicere, quod dicere videntur; nam quod dicere videntur, funditus systema destruit, quod constanter statuunt.* Quid igitur ad Patres, & ad Concilia provocat? Quid illos interrogare vellet? Ad quid eorum responsiones audire? si contradictoria docere illos credit, & intrepide pronuntiat. Proinde non ad ejus instructionem, sed ad Lectorum utilitatem definitionem profero Concilii Burdigalensis anni 1583. nemini permittentis ex pecunia mutua lucrum quærere; licet ex ea indigeant lucrum sibi quærere ad vitam sustentandam, sic decernentis: „ Ne cui ex mutuo præter „ sortem ex conventu, vel eo, quod „ datum est, aliquid amplius accipere, „ sive ejusdem generis, sive alterius „ quomodocumque, etiam si opera sint, „ liceat; etsi pecuniæ ipse sint pupillorum, aut viduarum, aut locorum „ piorum, vel etiam dotales, nisi quatenus id jure nominatim permittitur. „ Mutuum enim ex præcepto divino „ debet esse gratuitum “.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Pœna conventionalis non videtur justus titulus aliquid exigendi ultra sortem in mutuo. In disputatione de contractibus in communi ostendi probabilius esse, non licere pœnam conventionalem mutuo adjicere, utpote quæ usuræ larva esse potest, & solet. Solum igitur nonnulla hic subjicio, ut mentem P. Concinæ explicem, quam non recte intellixisse videtur Cl. Franzoja, dum in sua ratiocinatione illum de petitione principii accusat. Duplici itaque causa apponi potest pactum in mutuo de pœna conventionali solvenda a frangente fidem, idest non reddente mutuum præstituto tempore, scilicet vel zelo justitiæ quia, ut inquit laudatus Commentator, *cum fractio fidei culpabilis & justitiæ contraria sit, puniri meretur*, proinde non est contra justitiam pœnam apponere fidem frangenti. 2. Ut mutuator prompte suam pecuniam recuperet, nec ea carendo ultra præstitutum tempus damnum sentiat. Primam apponendæ pœnæ causam non assignavit P. Concina, quia putavit in paucis mercatoribus reperiri. Et certe in centum mutuatoribus vix unum reperies, qui hoc justitiæ zelo moveatur ad pœnam conventionalem apponendam: & si qui forent, qui vero justitiæ zelo impellerentur, hujus pœnæ emolumentum non sibi tribuerent, sed in favorem pauperum, vel Ecclesiæ illum refunderent: & revera Judices Ecclesiastici, & etiam plures Laici hujusmodi pœnas pecuniarias non sibi applicant, sed pauperibus, vel in Dei cultum dari jubent. Plerique itaque moventur, vel spe lucri in exigenda pœna, quæ in eorum redundat utilitatem, & qui hac mente mutuantur, usuræ coram Deo certe rei sunt: & cum omnes cupiditate urgeantur, haud difficile est hanc cupiditatem subripere, vel qui minus cupidi sunt, ad apponendam pœnam moveri, non aliis de causis, nisi 1. vel quia de periculo sortis timent, si ejus solutio post præstitutum tempus differatur; & hi, fatente ipso Franzoja, usu-

usuram non vitant, cum periculum sortis amittendæ non sit justus titulus aliquid exigendi ultra sortem, & pœnam apponere hac de causa idem omnino est, ac de periculo sortis sibi cavere sub fuco pœnæ conventionalis. 2. Vel quia timet damnum emergens, vel interceptum lucrum; & ad hoc vitandum non est necessaria pœna conventionalis, cum morosus debitor ad illa sarcienda etiam sine conventione prævia in conscientia teneatur. 3. Vel quia timent ex impotentia non soluturum suo tempore debitum; & injustum est pœnam conventionalem exigere ab impotente, & sine culpa non solvente; vel denique quia timent ex malitia non soluturum; & tunc inanis est ad intentum appositio pœnæ, quia si ex malitia non reddet sortem, nec pœnam conventionalem solvet. Non igitur petitione principii laborat argumentatio Conciniana; sed recte enumeratione causarum, quæ impellere communiter solent mutuantem ad conventionalem pœnam mutuatario imponendam, argumentum deducit, eamque non nisi ad usuram palliandam induci ostendit. Et revera, si solus justitiæ zelus, ne perfidia impunita remaneat, licitam reddere potest conventionalem pœnam, raro admodum eam apponere licebit: nam pii, sanctique homines, qui soli hoc zelo moveri solent, lubentius consilium amplectuntur Christi Domini dicentis Matth. 5. v. 41. *Quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo: qui petit a te, da ei, & volenti mutuari a te, ne avertaris.*

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Nihil recipere licet in mutuo, vel quia se quis ad mutuum dandum obstrinxit, vel quia ad non repetendam sortem se obligavit ante determinatum tempus. Ratio primæ partis est, quia onus illud mutuandi vel ex caritate procedit, vel ex cupiditate pecuniæ: si ex caritate, cur proximum gravat lucrum ab illo exquirendo? Si ex cupiditate, jam ex mutuo lucrum quærit; quòd cum obtinere non possit ratione mutui, novum genus obligationis instituit, ut per ipsum lucretur. Præterea usurarii omnes, & feneratores mensam tenent apertam, & ad mutuandum omnibus paratos, & propensos se ostendunt, dummodo idonei sint & ad sortem, & ad auctarium reddendum. Quomodo igitur a crimine usuræ hoc titulo excusari poterunt? Denique licet Montes Pietatis ad hoc instituti sint, ut omnibus mutuum dent; non tamen gratia hujus tituli, aliquid accipere possunt præter id, quod necessarium est ad ministrorum sustentationem, & ad fabricæ, sive cameræ conservationem. Non esse igitur potest justus titulus aliquid accipiendi onus dandi mutuum. Altera vero pars jam Ecclesiæ judicio definita est in damnatione propositionis 42. ab Alex. VII. damnatæ, quæ asserebat: *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Et revera si mutuum, prout a precario differt, necessario importat, ut pecunia mutuo data congruo tempore mutuatario concedatur; manifestum est concessionem congrui temporis esse ipsi mutuo intrinsecam; ac proinde quidquid pro dilatione exigeretur, ex mutuo exigeretur. Nec dicas, congruum quidem tempus, at non diuturnum convenire mutuo; proinde si mutuator per longum tempus, puta sex, octo, vel decem annos se obliget ad non repetendum mutuum, ratione hujus

hujus diuturnioris temporis licitum erit aliquid ultra sortem pacisci. Non, inquam, hoc dicas: nam congruitas temporis sive brevioris, sive longioris desumitur & ex voluntate mutuantis, & ex commoditate mutuatarii. Si itaque ille consentiat mutuum concedere ad longum tempus, hæc ejus voluntas, & concessio est huic determinato mutuo intranea; non enim mutuum datur in abstracto, sed vere, & realiter hic & nunc ad tale tempus juxta voluntatem mutuantis: proinde nihil poterit pro eo mutuo exigere. Si vero spectetur commoditas mutuatarii, hæc vendi non potest a mutuante, cum non sit nisi usus pecuniæ per longum tempus; & si juxta doctrinam S.Thom. seorsum venderet & pecuniam, & usum pecuniæ per longum tempus, quod est manifesta usura. Præterea Auctor Opusc. 73. cap. 8. scribit: „ Quidquid causa temporis accedit in contractibus, sicut in mutuis, sorti accedit sine justo titulo: „ quia ipsa facit suum per fraudem vendendo tempus, quod Dei est, & „ datum communiter omnibus: & hinc „ est quod omnis contractus, in quo „ aliquid plus accipitur, quam datur, „ sive in spe, sive in re, & hoc tantum propter causam temporis, vocatur contractus usurarius ".

Consectarium Sextum.

VI. Labores, & opera ad mutuum dandum præstanda, non sunt semper titulus justus aliquid ultra sortem accipiendi. Veritas hujus doctrinæ explicatione patebit. Sunt enim aliqua opera, aliquique labores ad mutuum omnino necessarii, cujusmodi sunt numeratio pecuniæ, mensuratio tritici, vini, olei &c. Hæc si præstentur ab ipso mutuatore, vel ab ejus famulis sibi inservientibus, nihil pro illis recipere potest, cum sint ipsi mutuo intrinseca: non enim fieri potest, ut quis mutuam det pecuniam, nisi eam numeret, vel vinum, oleum, triticum, nisi mensuret, ut sciat quantum dederit, ut tantumdem recipiat; non potest itaque ratione hujus laboris, vel operis aliquid recipere. Si vero hæc opera sint ab aliquo tertio præstanda, puta a communi mensuratore, vel ex officio publico, vel privata arte, proculdubio mutuans debet ab istis expensis immunis reddi a mutuatario, in cujus beneficium illæ redundant; præsertim cum hujus laboris, & operis pretium non in ipsius mutuantis utilitatem redundet, sed ministri accipientis. Idem pariter dicendum: si res mutuo datæ, puta frumentum, vinum sint de loco ad locum, de domo mutuantis ad domum mutuatarii transferendæ: expensas enim ad hoc necessarias non mutuator subire debet, sed mutuatarius; ut de se patet, nec longiori indiget probatione.

Consectarium Septimum.

VII. Non licet tutoribus pupillorum pecuniam mutuo dare, ut ex ea in eorum utilitatem lucrentur; nec viduis suæ dotis pecunia ad sui sustentationem lucrum ex mutuo quærere. Veritas hujus propositionis est de se manifesta. Cum enim usura sit jure naturali, & divino illicita, nulli est concedenda. Ita statuitur in Concilio Provinciali Mechlinensi tit. *de usuris*; ubi dicitur: „ Quoniam usura jure divino, & canonico omnibus Christianis sub pœna „ peccati mortalis interdicitur, neque „ facienda sunt mala, ut eveniant bona, Synodus statuit, & ordinat, ne „ tutor, aut curator sub prætextu „ augmentandi patrimonii pupillorum „ . . . pecunias illorum sub certo lucro,

„ cro, singulis annis ultra sortem reci-„ piendo, mutuo dent, retenta facul-„ tate repetendæ sortis, quando ad „ majorem ætatem pervenerint ... de-„ clarando, omnes hujusmodi contra-„ ctus usurarios, & contra, ut præmit-„ titur, mutuantes, tanquam contra „ usurarios ad pœnas juris proceden-dum “. Quod & antea decretum fuerat a S. Carolo Borromeo in suo I. Mediolanensi Concilio anno 1564. ubi sic statuit tit. de Usuris: „ Ex mutuo, vel „ deposito etiam apud Judicem factis „ nihil præter sortem a quovis homine „ percipi ex conventu, vel principali-„ ter sperari possit; tametsi pecuniæ „ ipsæ sint pupillorum, aut viduarum, „ aut locorum piorum, vel etiam dota-„ les, nisi quatenus id jure nominatim „ permittitur “. Legatur & Decretum Concilii Burdigalensis superius recitatum Consectario 3. Debent proinde Tutores suæ prospicere indemnitati, & pupillorum utilitati consulere per legitimos, licitosque contractus, ab ipso judice, si opus sit, adprobandos: Viduæ vero suam sibi sustentationem comparare pecunia per legitimos census, vel societates, vel alio honesto titulo.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Qui bona fide putans, & intendens licitum lucrum per aliquem contractum consequi, si deprehendat se usurarium, vel aliud illicitum pactum celebrasse, a culpa quidem fortassis excusabitur, at lucrum perceptum licite retinere non poterit. Plures Theologi huic doctrinæ adversantur, & præsertim Salmaticenses, qui putant, probabiliter quidem, licite contrahere, & lucrum sibi retinere posse, qui in contrahendo hoc modo fallatur; at probabilius etiam, si solum in contrahendo addiderit, se velle obligare *omni modo justo*, quo possit. Nulla autem afferunt hujus suæ doctrinæ argumenta, contenti solum ea rejicere, quæ Theologi proferunt pro prima probabili sententia, in qua clausula illa non fuit apposita. Verum eorum opinio sic refellitur. Contractus bona fide celebratus certe, ut supponimus, illicitus est, & usurarius: ergo non potest dominium lucri transferre. Bona fides eum quidem a culpa excusabit, si parem adhibuerit diligentiam in investiganda contractus honestate, adhibuit, ac ut cerneret utilitatem: si enim hanc solum respiciens, de illa nihil curaverit, nec a culpa excusabitur. Præterea clausulæ illius appositio, sicut & habitualis, & etiam, si lubet, actualis voluntas contrahendi licito quo potest modo, justum, licitumque non efficit contractum, qui de se illicitus, & fœneratitius est: non enim voluntas humana potest legem Dei, & naturæ immutare. Modus ille justus, ad cujus normam protestatur se contrahere velle, est contrahenti omnino ignotus: non est ergo volitus, cum nihil volitum, quin præcognitum. Et revera in omnibus pene contractibus, qui publico perficiuntur instrumento, apponi solet a Notariis clausula illa, *omni meliori modo*: & tamen si contractus, si Testamentum nullum sit ex aliquo defectu, non per hoc validum, firmumque habetur etiam in humano judicio. Ergo pari pacto verba illa licitum, ac justum reddere non possunt, quod illicitum, & usurarium est. Nec locum habet titulus lucri cessantis, vel damni emergentis, quod subivit, cum posset licitum contractum celebrare. Nam, ut ipsi affirmant Salmanticenses: „ ut possit aliquid ultra sortem accipere, debet „ monere mutuatarium, & illo monito „ da-

„ damnum emergens, & lucrum cessans in pactum deducere". Quod in praesenti minime reperitur. Denique contingere potest, ut cum altero contrahente nullus adsit titulus nisi foeneratitius, unde possit ab illo lucrum accipere: non societatis, quia non negotiatur: non census realis, quia bona stabilia non possidet: non personalis, quia infirmus est, senex, ineptusque ad labores, & opera. Erit igitur tunc illa clausula omnino inepta, & solum ad fucum faciendum, & usuram tegendam inventa, & apposita.

Consectarium Nonum.

IX. In Montibus Pietatis, sive puris, sive mixtis, si Ecclesiasticae serventur leges, nihil reperitur, quod justitiae adversetur. Montes pietatis puri illi dicuntur, in quibus ex piorum eleemosynis summa aliqua corrogata est, ut mutua dentur pauperibus tradito pignore, & aliquo tenui auctario. Hos Montes ab injustitiae labe puros declaravit Concilium Leteranense sub Leone X. celebratum. Si quid enim in ipsis esset, quod injustitiam redoleret, foret auctarium, quod exigitur a mutuatariis. Verum hoc auctarium, ut declaravit praefatum Concilium, non accipitur causa mutui, sed ad solas ministrorum expensas, & aliarum rerum ad Montium conservationem pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, & absque lucro eorumdem Montium. Hinc titulus hujus lucri ad damnum emergens deducitur. Quandoquidem, si ministris stipendia danda forent ex ipsis pecuniis, quae Montis sortem, sive capitale constituunt si ex iisdem emenda domus, vel pensio pro eadem solvenda, citissime periret, & exhauriretur fundus Montis, & cessaret pauperum levamen a Fundatoribus intentum. Non igitur usuraria est exactio auctarii, sed justa omnino, & licita. Pro quo augmento etiam plures, & quidem sanctissimae statutae sunt leges omnino custodiendae. Nimirum 1. ne lucrum aliquod ipsi Monti accedat. 2. Ut nihil ultra accipiatur pro auctario supra id, quod ad Montis indemnitatem necessarium est. 3. Ut ministrorum stipendia moderata sint. Hinc minime laudandus Clericatus, qui in Decis. Miscel. Decis. 91. n. 1. Patavinum Montem commendat, *quod amplissimas mercedes ministris donet, & amplissimas eleemosynas eroget*; cum illae amplissimae mercedes ex pauperum venis extrahantur, & largae illae eleemosynae nudos quidem vestiant, sed pauperrime vestitos nudent. 4. Incrementa, quae forte consurgunt ex minutioribus solutionibus, ut quando pro octo minimis (vulgo Bagattini) quorum duodecim obulum (soldo appellant) conficiunt, integer obulus, seu unus solidus solvitur, quod in plurimis mutuis ad grandiorem quandoque pecuniae summam ascendet, non in ministrorum utilitatem cedat, quod iniquum esset, sed, ut jussit Paulus V. pro Montibus sui Ecclesiastici status, non in alios usus distrahatur, quam in mutuum pauperum; vel, ut concessit Sixtus V. Monti pietatis Bergomensi, in capitale ejusdem montis accumuletur, vel in fundum, seu capitale constituendum, ex quo necessariae habeantur expensae: quamobrem absque ullo auctario pauperibus, & indigentibus mutuum in posterum detur. Absit tamen, ut ad haec consulto auctarium augeatur, sed solum ex auctario necessario redundante haec fieri poterunt. Sunt praeterea & aliae optimae leges statutae pro pauperum levamine, cujusmodi sunt, ut pro modicis summis mutuo datis nullum exiga-

exigatur auctarium; pro majoribus vero modicum, ut ad summum quatuor, vel quinque in centum non excedat. 2. Ut pecuniæ Montis nonnisi pauperibus, & vere indigentibus dentur. Hinc peccant qui modicitate auctarii, quod Monti persolvitur, abutentes, magnam pecuniæ summam mutuo accipiunt, non ad præsentes levandas indigentias, sed ad negotiationem, & commercia habenda; vel, quod pejus est, ut aliis mutuo impertiantur cum majori auctario: quod profecto, quam iniquum sit, nemo non videt; cum veris pauperibus noceant, quos mutuis defraudant, & illorum pecunias suæ avaritiæ faciant inservire. 3. Ut ministri Montis non amplius quid accipiant a mutuatariis, quam liceat juxta Montis statuta pro rata summæ, & temporis. 4. Ne in pignorum venditione pauperes debitores graventur, & quod superest pretium in venditione, fideliter reddatur debitori: & aliæ plures apud Auctores legendæ. Quæ omnia statuta si exacte serventur, nihil erit in Montibus istis, quod vere pietatem non redoleat, & magnum pauperibus, & vere indigentibus levamen non afferat, & subsidium.

Montes vero mixti illi dicuntur, qui instituti quidem sunt ad mutuum dandum pauperibus, sed præterea a privatis quibuscumqne personis pecunias accipiunt, hisque tria, ut quatuor solvunt pro centum, quoadusque ipsam datam pecuniam repetant, quam interim pauperibus mutuo dant, a quibus tantumdem exigit Mons, ut se indemnem servet, præter expensas ministrorum, & cetera gravamina sustinenda. Inquirendum igitur est, quo titulo licite pecuniam in Montibus deponentes præfatum auctarium possint accipere? Et primo quidem sunt in duas classes hi Montes Pietatis distinguendi: alii nimirum, qui nulla habent bona stabilia, ex quibus fructus, & reditus colligant; alii vero, qui hujusmodi bona obtinent. In prioribus Montibus, qui pecuniam tribuunt, ut ex ea præfatum auctarium recipiant, usurarii habendi, sunt, sicut eos aperte declaravit S. Carolus Borromæus in suo II. Concilio Mediolanensi anni 1569. in quo sic decrevit: „ Ne quisquam pecuniam apud „ Montes pietatis deponat, vel eisdem „ mutuo det, ut inde aliquid ne mi„ nimum quidem lucri, aut ejus, quod „ interest, nomine percipiat. Qui vero „ eo pacto quidquam ea causa percepe„ rit, quod Monti pietatis pecuniam „ vel mutui, vel depositi nomine dede„ rit, cum eo tanquam cum usurario „ homine agatur ad juris præscriptum". Unicus tamen esse potest titulus aliquid exigendi, a Julio III. Pontifice pro Monte Vicentino adprobatus, nimirum lucrum cessans, *quando scilicet*, inquit Pontifex in suo Brevi dato 8. Jan. 1555. *qui pecunias suas de facili, & commode in emptionem annuorum redituum, seu censuum licitorum, & permissorum, vel possessionum, seu prædiorum, ex quibus non solum quatuor, sed & quinque, & sex, & forsan ultra pro centenario, juxta illarum partium consuetudinem, perciperent, convertere possent, & nihilominus caritatis zelo, ut uberius pauperibus subveniri possit, ac nullatenus animo, & intentione fænerandi pecunias in dicto Monte deponant &c.* Quod & antea statuerat Paulus III. pro Monte Mutinensi; & postea ferme iisdem verbis confirmavit Greg. XIII. pro Monte Veronensi, quæ omnia Brevia, & Decreta legi possunt apud FF. Ballarinos in Append. Tom. 2. de Jure Divino, & naturali circa usuram. Ut igitur ex præfatis Decretis pos-

possint, qui Monti pietatis suas tradunt pecunias in pauperum utilitatem mutuo dandas, aliquod auctarium percipere, duæ sunt omnino conditiones ex præfatorum Pontificum voluntate ad usuram vitandam necessariæ: nimirum 1. ne animo ex pecunia lucrandi eam Monti tradant, sed vere ex motivo caritatis, & misericordiæ ad subveniendum pauperum necessitatibus. 2. Ut ex præfata pecuniæ traditione ipsis vel damnum emergat, vel lucrum cesset, quippe qui possent, si vellent, eam utiliori modo occupare in aliis lucrosioribus contractibus sibi jam obviis, & ad manum: quam majorem utilitatem zelo caritatis, & boni operis præferre malint minori beneficio, quod ex lucro Montis reportant. Alterutra ex his conditionibus deficiente, statim usura subrepit. At huic doctrinæ opponitur praxis, qua frequenter; præsertim in Italia, pecuniæ in Montibus pietatis collocantur, & inde annuæ pensionis auctarium sumitur, quin tamen hujusmodi lucri cessantis ratio habeatur. Verum respondeo hanc praxim non esse adeo universalem, cum teste Clericato in superius laudata Decisione, plurimi sint qui pecunias ad Montes pios deferunt in pauperum beneficium, quin ullum nec minimum inde lucrum percipiant, contenti securitate loci, ubi pecunia custoditur, & certitudine recuperandi, quotiescumque repetere illis libuerit. 2. Non desunt etiam, qui revera vel census sibi oblatos, vel prædia sibi ad emendum proposita comparare recusant, & Monti pietatis ex caritate, & zelo tradunt. 3. Sunt denique plurimi, qui unice attendentes in Montibus pietatis auctarium dari deponentibus pecuniam vel ex ignorantia, vel etiam ex malitia & verum titulum lucri cessantis minime attendentes, inibi pecuniam deponunt: & hi si ignorantes, sunt monendi, si malitiosi, cogendi, ut vel pecuniam repetant, vel auctarium recusent, & quod hactenus perceperunt, restituant, cum ab usuræ labe minime fuerint immunes. Nam illos excusare velle, & illis lucrum concedere, vel ex concessione Pontificum, ut docent Pasqualigo, & Felix Potestas, vel ex dono, & largitione Communitatis, vel ex consuetudine, & silentio plurium Theologorum, & Magistrorum, qui hæc videntes passim fieri, saltem suo silentio approbant, est cum animæ detrimento usuram leni fuco tegere, & pulvillos sub cubitu fœneratorem sternere, ut facilius in pravo lucro conquiescant. Quod si mos iste plurimum serpit præsertim in nostra Italia, non inepte FF. Ballarini Opusc. 1. cap. 4. n. 33. Confessariorum negligentiæ tribuunt, quippe qui hac super re, ceteroqui frequentissima, nec pœnitentes suos interrogant, nec instruunt; quia fortassis & ipsi opinionibus vulgaribus usuram tegentibus favent.

Si vero præfati Montes pietatis bona stabilia obtineant, possunt privati illis pecunias suas sub legitimo censu dare, & ex ipsius Montis fundis fructus percipere: Mons postea de damno, quod patitur ex sui fundi venditione, titulo emergentis damni, in pauperum beneficium, & ex caritate suscepti, compensationem a mutuatoribus percipere; & sic nihil erit quod justitiæ adversetur, & usuræ labe contaminetur. At hic quoque duo sunt declinandi scopuli. Alter, ne Mons plus pecuniæ accipiat, vel privati conferant, quam postulet prædium, vel valor ipsorum stabilium bonorum; alioquin illud incrementum nomen quidem præseferret census, sed re ipsa mutuum esset. Alter,

ter, ne ementes hujusmodi census suam pecuniam repetant ab ipso Monte, cum sibi libuerit; sed ex parte quidem Montis redimi possint, at ex ementium parte irredimibiles sint. At inquiunt, ista vulgo non fiunt. At pessimum nobis opponunt rei bene gerendæ auctorem. Nam vulgo peccant, vulgo aleis luditur, vulgo commeatur ad fornices, vulgo fraudatur, potatur, insanitur. Non igitur, quod vulgo fit, sed quod recte faciendum sit ad normam divinæ legis. Theologos docere oportet. Et hæc dicta sufficiant. Qui plura cupit, legat prælaudatum Opusculum 1. in calce Tomi 2. Vindiciæ juris divini & naturalis circa usuram.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

De Pactis licitis, vel illicitis, quæ mutuo addi permittuntur, vel probibentur.

Doctrina, et Consectaria.

I. *Doctrina S. Thomæ exponitur.*
II. *Alia ejusdem S. D. regula.*
III. *Non licet mutuatario onus imponere dandi mutuum.*
IV. *Nec alicujus operis ab eo præstandi in favorem mutuantis.*
V. *Petenti mutuum num licitum sit merces dare loco pecuniæ.*
VI. *Quid sit licitum a mutuatario exigere.*

I. REGULA universalis, eaque verissima est S. Thom. non licere ex mutuo exigere aliquid prætio æstimabile. Sic enim scribit 2. 2. q. 78. a. 2. „ Si aliquis pro pecunia mutuata, vel quacumque alia re, quæ ipso usu consumitur, pecuniam accipit ex pacto tacito, vel expresso, peccat contra justitiam: ita etiam quicumque ex pacto tacito, vel expresso quodcumque aliud acceperit, cujus pretium pecunia mensurari potest, simile peccatum incurrit “. Et in resp. ad 3. ad uberiorem explicationem addit: „ Si aliquis ex pecunia mutuata aliquid expectet, vel exigat, quasi per obligationem pacti, recompensationem muneris *ab obsequio*, vel *a lingua*, perinde est ac si expectaret, vel exigeret munus *a manu*: quia utrumque pecunia æstimari potest: ut patet in his, qui locant operas suas, quas manu, vel lingua exercent “.

II. Altera quoque est regula ejusdem S. D. l. l. Non esse vetitum ex mutuo aliquid accipere, quod sit omnino gratuito datum, vel aliquam compensationem, quæ pretio non soleat æstimari; unde subdit: „ Si accipiat aliquid hujusmodi, non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere ... Recompensationem vero eorum, quæ pecunia non mensurantur, licet pro mutuo exigere; puta benevolentiam, & amorem ejus, qui mutuavit, vel aliquid hujusmodi “. Et ad 3. iterum repetit: „ Si vero munus *ab obsequio*, vel *a lingua* non quasi ex obligatione rei exhibeatur, sed ex benevolentia, quæ sub æstimationem pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expectare “.

III. Hinc ex prima regula infert D. A. in resp. ad 4. non licere mutuum dare cum onere, ut mutuatarius vicem rependens mutuatori det mutuum, si & quando ab illo postulaverit, scribens: „ Pecunia non potest vendi pro pecunia ampliori, quam sit quantitas pecu-

„ cuniæ mutuatæ, & quæ restituenda „ est. Nec ibi aliquid est exigendum, „ vel expectandum, nisi benevolentiæ „ affectus: qui sub æstimationem pecu„ niæ non cadit: ex quo potest proce„ dere spontanea mutuatio. Repugnat „ autem ei obligatio ad mutuum facien„ dum in posterum: quia etiam talis „ obligatio pecunia æstimari potest. Et „ ideo licet mutuanti unum simul aliquid „ aliud mutuum recipere: non autem „ licet eum obligare ad mutuum in po„ sterum faciendum ".

IV. Ex eadem regula collegit S. Antoninus II. P. tit. I. cap. 7. §. 5. „ Si „ quis mutuat alteri ea intentione, vel „ pacto, ut vadat ad molendinum, vel „ furnum vel apothecam suam ad emen„ dum, vel intret scholas suas sub eo, & „ hujusmodi, alias non mutuaturus, usu„ ram committit, etiamsi si non majori „ pretio sibi vendat propter hoc, seu „ plus ab eo, quam ab aliis petat. „ Ratio est, quia commoditatem, seu „ utilitatem inde recipit, quæ pretio „ æstimari potest ". Eadem regula, & ratione usuram non declinant, qui adversario contra se litiganti mutuum largitur, ut a lite desistat, vel ut pro se fidejubeat, vel spondeat, vel officium, vel beneficium conferat, vel procuret.

V. Qui mutuam pecuniam petentibus partim pecuniam largiuntur, partim merces, rei evadunt usuræ, si cum mutuatario paciscuntur, ut eas merces emat, alias non mutuum daturi, licet justo pretio vendant, ut ex S. Antonino vidimus. Si vero integra carentes pecuniæ summa mutuo petita, merces offerant, libere omnino a mutuatario emendas, nulla erit usura, dummodo nec pretium augeant, nec postea eamdem mercem minori pretio vel per se, vel per interpositam personam emant; tunc enim manifeste pateret se ex mutuo lucrum quærere. Sicut & qui mutuo dat pecuniam, sed a mutuantis debitoribus non sine labore, & fortassis non sine expensis exigendas, labem contrahit usuræ; quia onus imponit vero pretio æstimabile.

VI. Ex secunda autem regula. Non est illicitum petere a mutuante, ut pro beneficio mutui sit tibi amicus, ut privatas offensas condonet, ut alias juste tibi debita persolvat, ut ab injusta vexatione desistat: hæc enim omnia ex lege caritatis, & benevolentiæ sunt jam alteri debita, nec solent pretio æstimari. Similiter qui mutuum dat Medico, Advocato, Judici eo pacto, ut pauperibus, & indigentibus operas suas sedulo exhibeant, non sunt rei habendi usuræ; cum hæc pietatis, & misericordiæ officia non in ipsius mutuantis utilitatem redundent, sed in beneficium pauperum, quibus jam ex caritate, & pietate auxiliari tenentur. Quod si ex tali pacto aliquod ipse reportaret emolumentum, profecto sub specie pietatis latitaret usura. Optimum etiam est P. Concinæ monitum, nimirum „ caven„ dum, ne sub ipsis amicitiæ pactis „ latitet usura „. Nam ut ipse ani„ madvertit, sæpe homines confundunt „ amorem amicitiæ cum amore concu„ piscentiæ; & dum simulant, & emen„ tiuntur amicitiam, quæ mutuum „ amorem tantum prodit, non amorem, „ sed effectus amoris, nempe tempo„ ralia bona, quærunt: quamobrem in „ mutuis salubrius est ab omni pacto „ abstinere ".

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

De obligatione, & pœnis fœneratorum, & de cooperatione, & fœnus.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. DOCTRINA est S.Thomæ q. 78.a. 3. Fœneratores dominium non adipisci pecuniæ, sive alterius rei per usuram acquisitæ: & jure merito, nam cum contractus usurarius sit omnino nullus, jure naturæ, canonico, & civili, ineptus omnino est ad dominium transferendum. Nec obstat, usuras voluntarie, & libere solvi a mutuatario. Nam, ut observat Auctor Opusculi 73. cap. 9. „ Accipiens mutuum libera voluntate accipit, sicut is qui mutuum dat; sed accipiens mutuum non libera voluntate amplius promittit, vel dat, sed quasi coactus ex perversitate mutuum dantis ". Quibus postremis verbis indicatur discrimen inter pauperem ex necessitate vendentem domum, & pauperem petentem usuras: nam in primo casu necessitas vendendi domum ex ipso vendente oritur, & est ab intrinseco, proinde venditionem non infirmat; at in mutuatario necessitas a fœneratore imponitur, qui cum possit gratuito mutuo indigenti subvenire, illum cogit sub fœnore mutuum accipere; proinde assimilandus potius latroni, cui licet a viatore pecunia tradatur voluntarie, ut vitam salvet, ita tamen coacte dat, ut nullum in latronem transferat dominium. Sunt tamen Theologi, qui putant dominium usurarum in fœneratorem transferri, sed semper onere restitutionis gravatum; proinde quantum ad praxim non est diutius in hac quæstione agitanda immorandum.

II. Hinc sequitur, Fœneratorem teneri restituere pecuniam ex usura acceptam, non autem lucrum ex ipsa perceptum; cum istud fructus sit suæ industriæ, & negotiationis, quod est & de ceteris rebus usu consumptilibus, puta frumento, vino, oleo dicendum. Si vero, quæ pro usura obtinuit, sint res frugiferæ, & res ipsæ sunt restituendæ, & fructus ex ipsis percepti. Ita S. Thom. hic q. 78. a. 3. „ Res quædam „ sunt, quorum usus est ipsa earum re„ rum consumptio, quæ non habent „ usumfructum secundum jura . . . Et „ ideo si talia fuerint per usuram ex„ torta (puta denarii, triticum, vi„ num, aut aliquid hujusmodi) non „ tenetur homo ad restituendum, nisi „ id quod accepit: quia id quod de „ tali re est acquisitum, non est fructus „ hujusmodi rei, sed humanæ industriæ: „ nisi forte per detentionem talis rei „ alter sit damnificatus amittendo ali„ quid de bonis suis. Tunc enim tene„ tur ad recompensationem nocumenti. „ Quædam vero res sunt, quarum usus „ non est earum consumptio: & talia „ habent usumfructum; sicut domus, „ & ager, & alia hujusmodi. Et ideo „ si quis domum alterius, vel agrum „ per usuram extorsisset, non solum „ teneretur restituere domum, vel „ agrum, sed etiam fructus inde per„ ce-

„ ceptos; quia sunt fructus rerum, „ quam alius est dominus; & ideo ei „ debentur ".

III. Bona frugifera ab usurariis usuris acquisita non ipsis crescunt, vel fructificant, sed mutuatariis: at e contra, si pereunt, ipsis fœneratoribus pereunt, utpote malæ fidei possessoribus; si vero aliis vendant, nequeunt ab emptoribus retineri, sed, ac si a fure emissent, restituenda sunt, cum in alios dominium transferre nequeant, quod ipsi non obtinent. Præter perceptos fructus obstringitur fœnerator & illos restituere, qui a mutuatario fuissent percepti, licet ipse sua ignavia, vel culpa non perceperit. Uno verbo ad ea omnia compensanda, & restituenda obstringitur, ad quæ obligantur fures, latrones, caterique malæ fidei possessores, de quibus dicemus in tractatu de Restitutione.

IV. Pœnæ in usurarios latæ, sunt: 1. Non sunt ad Sacramentorum participationem admittendi, immo nec ad ipsam peccatorum confessionem, nisi prius vel male parta usuris restituerint, vel de illis restituendis idoneam præbuerint cautionem. Ita statuitur in Concilio Lugdunensi II. „ Nullus manifestos „ usurarios ad Confessionem admittat, „ sive ipsos absolvat, nisi de usuris sa- „ tisfecerint, vel de satisfactione pro „ suorum virium facultate præstent ido- „ neam cautionem ". Non sunt tamen ipso facto excommunicati jure canonico, sed digni qui excommunicatione feriantur, ut resipiscant: in aliquibus tamen Diœcesibus lata est contra ipsos sententia excommunicationis. Altera pœna est, ut si in sua pravitate moriantur, ecclesiastica priventur sepoltura. Ita statuit Alexander III. cap. *Quia in omnibus* Extrav. de Usuris: *Si in hoc peccato decesserint, nec christianam accipiant sepulturam*. Nec ad hanc evitandam pœnam sufficit, si in mortis articulo constituti signa pœnitentiæ dederint, nisi usuraria lucra restituerint; ut decrevit in laudato Concilio Lugdunensi II. Greg. X. can. 27. statuens: „ Quamquam usura- „ rii manifesti de usuris, quas rece- „ perant, satisfieri expressa quantitate, „ vel indistincte in ultima voluntate „ mandaverint; nihilominus tamen eis „ sepultura ecclesiastica denegetur, do- „ nec de usuris ipsis (prout patiuntur „ facultates eorum) fuerit plenarie sa- „ tisfactum, vel illis, quibus est fa- „ cienda restitutio, aut aliis, qui eas „ possint acquirere, vel eis absentibus, „ loci Ordinario . . . idonee de resti- „ tutione facienda sit cautum ". Clerici vero, qui notorios usurarios non adhibitis statutis cautionibus ecclesiastica donarent sepultura, ab Alex. III. laud. cap. *Quia in omnibus* ab officio suspenduntur: „ Qui autem præfatos christia- „ næ tradiderit sepulturæ, ab officii „ sui maneat executione suspensus ". 3. A publicis oblationibus repelluntur: „ Nec oblationes (subdit laud. Ponti- „ fex loc. cit.) eorum quisquam acci- „ piat: qui autem acceperit, ea, quæ „ acceperit, reddere compellatur; & „ donec ad arbitrium sui Episcopi satis- „ faciat, ab officii sui maneat execu- „ tione suspensus ". 4. Nulla declarantur, & irrita illorum Testamenta, Codicilla, Legata, nisi per ea jusserint usurarum restitutionem: „ Testamenta „ quoque (sic statuit Greg. X. in laud. „ Conc. Lug.) manifestorum usurario- „ rum non valeant, sed sint irrita ipso „ jure ". Quinta denique est infamia, ut habetur in Jure Can. Infames caus. 3. qu. 7. ubi inter infames enumerantur. „ Sunt infames ipso genere facti, „ ut exercentes improbum fœnus, & il-

„ illas exigentes usuras usurarum ". Hujus infamiæ causa Clerici beneficiis ecclesiasticis licet non sint ipso facto privati, Decreto tamen Alex. III. illis privari, & ab officio suspendi possunt; cum cap. præterea Extr. de Usuris statuatur: „ Quod si parere contempse„ rint, si Clerici sint, eos ab officio, „ beneficioque suspendas ": Hæc quidem de Usurariis notoriis, sive notorietate juris, sive facti, qui absolutione donandi non sunt, non solum antequam fœnora restituant, sed nisi publica restitutione, & pœnitentia dato scandalo satisfaciant. Qui vero fœneratores occulti sunt, non eis Pœnitentiæ Minister absolutionem impartiatur, nisi 1. serio polliceantur ab usuris imposterum abstinere. 2. Nisi prius juxta eorum vires usurarum lucra restituerint, vel saltem de illorum restitutione moraliter certum reddiderint Confessarium.

V. Rei sunt criminis usuræ non solum ipsi fœneratores, sed qui illorum iniquitati aliquo pacto cooperantur. Hi autem sunt: 1. Qui fœneratores vel ad fœnus hortantur, vel illis ad hoc pecuniam suppeditant, licet de lucro fortassis non participent; cum efficaciter in ipsa fœnora influant. 2. Qui apud usurarium pecuniam suam deponit, illi concedendo, ut ea utatur ad fœnus, vel præsciens ipsum ad usuram abusurum (nisi apud alium deponere possit) alienæ cooperatur iniquitati: si vero necessitate cogente apud fœneratorem pecuniam deponat, ut tutius custodiatur, licet prævideat illius abusum, a cooperatione excusabitur; cum ex sola malitia fœneratoris proficiscatur illius abusus, a quo abstinere potest, & debet. Ita S. Thom. hic q. 78. a. 4. ad 3. „ Si quis committeret pecuniam suam „ usurario non habenti, unde usuras „ exerceret, vel hac intentione com„ mitteret, ut inde copiosius per usuram „ lucraretur, daret materiam peccandi „ unde & ipse esset particeps culpæ. Si „ autem aliquis usurario alias habenti, „ unde usuras exerceat, pecuniam suam „ committat, ut tutius servetur, non „ peccat; sed utitur homine peccatore „ ad bonum ". 3. Qui domos usurariis locant: cum non tam ad habitandum, quam ad lucrum exercendum sedem, & officinam locent. 4. Notarii, qui fœneratitios contractus sua auctoritate corroborant, & instrumenta conficiunt. De quibus optime scribit S. Antoninus P. II. tit. 1. cap. 9. §. 6. „ Si „ scienter faciunt instrumenta, vel „ chartas de debito usurarum, ac si „ esset legitimum debitum, puta quia „ Notarius facit instrumentum, quod „ Martinus mutuaverit Petro centum „ hinc ad annum restituendos, cum „ sciat non mutuasse nisi nonaginta; „ tunc tenetur in solidum, si ipsi (fœ„ neratores) usuram non restituant, „ & peccat procul dubio lethaliter. Si „ tamen instrumentum non fecerit, nisi „ in favorem receptoris mutui; tunc „ non teneretur Notarius (ad restitutio„ nem) peccaret tamen mortaliter hoc „ faciens, quia perjurium incurreret fa„ ciens instrumentum falsum, & in „ fraudem usurarum ". Quod si instrumentum juramento non confirmaret, adhuc peccaret lethaliter, quia falsum testimonium diceret in judicio: cum hæc Notarii instrumenta fidem faciant judicibus de re peracta; & præterea in sua Institutione juramentum præstant de falsis instrumentis non conficiendis. 5. Supremi autem Principes, & Magistratus, qui ad pactas usuras solvendas compellunt, eo solo nomine excusantur, quia vel ad majus vitandum malum

malum fœnora permittunt potius, quam concedant; vel quia legibus ea permittentibus se conformare in suis judiciis tenentur. Ubi autem non sunt leges eas permittentes, procul dubio graviter peccant, & restitutioni obnoxii sunt loco fœneratoris, si ad usuras solvendas compellant. 6. Ministri omnes usurarii, & quidem qui non solum proxime, ut quidam Theologi dicunt, usuris cooperantur, sicut qui usuras nomine principalis fœneratoris celebrant, qui ad usuras solvendas compellunt; sed & illi, qui remote cooperari dicuntur, videlicet qui pecunias vel adventantibus solvunt, vel a solventibus recipiunt, & custodiunt: nam & isti vere cooperantur contractibus usurariis, & fœneratitio commercio, non minus proxime, ac ille, qui scalam tenet domino ascendenti per fenestram ad stuprandam virginem. Nec audiendus Tournelii Continuator, qui, ut hosce iniquitatis ministros excuset, scribit, *vix aliud faciunt, quam manus suas denigrare*, ac si isti ministri vel superflue adhiberentur, vel ipsi nihil lucri reportarent; cum revera & necessarii sint fœneratitio negotio, sine quorum ministerio exerceri non valet, & ipsi ex tali ministerio lucrum, & victum reportent. Male itaque dixit recentior Probabiliorista, *consulendum his famulis, ut sibi alterum herum procurent*; nam dicere debebat, adigendos ad pravum ministerium abjiciendum. Legantur ea, quæ diximus Tract. 4. de Virt. Theol. cap. 21. C n. sect. 16.

VI. Quoad restitutionem vero usurarum, deneganda est absolutio fœneratoribus publicis sive sanis, & viventibus, sive infirmis, & morti proximis, nisi male parta actu, & revera restituant juxta eorum facultatem; vel certum faciant Pœnitentiæ Ministrum de quamprimum facienda restitutione. Si vero occultus sit fœnerator, & vivus, ac sanus, differenda absolutio, donec & pœnitentiæ vera exhibeat argumenta fœneratitios rescindendo contractus nondum consummatos; & saltem in parte, nisi valeat omnimodam, tum usurarii lucri, tum damnorum respectivam restitutionem, & reparationem perfecerit, & stabili, firmoque proposito polliceatur ab omnibus in posterum fœneratitiis & illicitis contractibus abstinere. Si vero sit in extremo agone constitutus, admoneri, & cogi debet, ut statim, quod potest, & in promptu habet, restituat; deinde hæredibus, & familiaribus suis onus imponat restituendi, qui ipsi Confessario polliceantur voluntatem morientis fideliter impleturos. Restitutio vero est facienda iis, qui læsi fuerunt, vel eorum hæredibus, si noti sint & comperti; si vero ignoti, iis in locis, ubi fœnera habita sunt, pauperibus fœnebria lucra distribuenda. Ita decrevit Alex. III. cap. *Cum tu* Extr. de Usuris: „Qui usuras extorserint, cogendi sunt „... eis, a quibus extorserunt, vel „ eorum hæredibus restituere; vel his „ non superstitibus, pauperibus erogare, dummodo in facultate habeant, „ unde ipsi possint eis restituere". Hæredes vero fœneratoris ad restitutionem & ipsi tenentur, cum onus restitutionis sit & personale, & reale; nec majus dominium possit quis in alterum transmittere eo, quod ipse obtinet: quamobrem cum nullum obtinuerit dominium fœnerator in lucra fœneratitia, nec illud potest in suos hæredes transferre. Quod si hæredes plures sint, & inter eos divisa fœneratoris hæreditas, quilibet tenetur ad usuras solvendas pro rata hæreditatis, non vero in solidum,

&

& de proprio; cum ad restitutionem non teneantur nisi ratione rei acceptæ, & solum ex parte defunctum repræsentent; nisi & ipsi iniquitatis participes fuerint. Tota tamen hæreditatis summa ita est restitutioni obnoxia, ut cohæredibus aliis non restituentibus, quilibet totam suam hæreditatis partem in restitutionem erogare teneatur, compensationem ab aliis hæredibus repetendo, si forte pars aliqua esset, quam legitime retinere posset. Ratio est, quia omnia bona defuncti sunt pro restitutione hypothecæ subjecta, non quidem hypotheca civili, & jure humano inductæ, sed jure naturali & divino: adeo ut in quascumque manus deveniant, cum onere restitutionis deveniant, qua solum integre perfecta, bona quæ supersunt, legitime ad hæredes deveniunt. Sed de his fortassis iterum de Restitutione sumus dicturi.

REFLEXIO.

I. Seculis decimotertio, & quartodecimo Usuram erecta fronte grassatam esse, & multas regiones oppressisse, ac pene devastasse invicte ostendunt tot Summorum Pontificum, & Conciliorum Decreta ipsis Juris Canonici Codicibus inserta. Immo ut efficacius huic pestilenti morbo obviarent, & illos Magistratus, ac Judices terrerent, quibus cum cura incumberet fœneratorum sacram famem compescendi, non solum indulgentia quadam, & conniventia, sed publicis etiam decretis, & statutis confirmare, & fovere non horrescerent, nec non & illorum ora obstruerent, qui impudentissime docere non erubescebant, usuras exercere peccatum non esse: quem errorem nostris renovatum temporibus desl...emus: sacrum Viennense Concilium an. 1311. decrevit: „ Ut quicumque „ Communitatum Potestates, Capitanei, „ Rectores, Consules, Judices, Con„ siliarii, aut alii quivis Officiales sta„ tuta hujusmodi de cetero facere scri„ bere, vel dictare, aut quod solvan„ tur usuræ, aut solutæ cum repetun„ tur, non restituantur, plene, ac „ libere, scienter judicare præsumpse„ rint, sententiam excommunicationis „ incurrant; eamdem etiam sententiam „ incursuri, nisi statuta hujusmodi ha„ ctenus edita de Libris Communitatum, „ ipsarum (si super hoc potestatem ha„ buerint) intra tres menses delevce„ rint, aut si ipsa statuta, sive „ consuetudines effectum eorum haben„ tes quoquo modo præsumpserint ob„ servare ". Decrevit insuper Clemens V. eodem sacro adprobante Concilio: „ Si quis in illum errorem inciderit, „ ut pertinaciter affirmare præsumat, „ exercere usuras non esse peccatum, „ eum veluti hæreticum puniendum, „ locorum Ordinariis, & hæreticæ pra„ vitatis Inquisitoribus districtius injun„ gens, ut contra eos, quos de erro„ re hujusmodi diffamatos invenerint, „ aut suspectos, tanquam contra dif„ famatos, vel suspectos de hæresi, „ procedere non omittant ".

II. Ut hæc saluberrima, & sanctissima Decreta, qua par erat, reverentia exciperentur, & a christianis populis observarentur, plures etiam adlaborarunt eximii, sanctique Verbi Dei emeriti Præcones, præcipue e D. Francisci familia, qui contra usuram, & fœneratores ardenti zelo in sacris Concionibus declamantes ab usuris exercendis plurimos avocarunt. At, ne interim pauperibus mutuo indigentibus opportunum deesset subsidium, consilium saluberrimum inierunt, pluribus accedenti-

tibus Præsulibus, eximiisque Episcopis, de Montibus pietatis erigendis, quibus pauperibus mutuum daretur sub pignore, vel omnino gratis, vel modico addito auctario, ad Ministrorum, & domorum sustentationem omnino necessario. Non defuere tamen alii doctrina, zelo, & pietate viri Jurisconsulti, & Theologi, qui sub auctarii nomine pro præfata ministrorum, & domorum sustentatione usuram latere existimantes, illos non approbandos sensere. Commendabilis profecto fuisset inter adversa opinantes ex una parte justitiæ zelus ex altera pietatis, & misericordiæ studium, si tamen intra æquos limites constitissent: sed disputationis æstu nonnulli abrepti nimium invicem exarsere, non sine christianæ caritatis læsione, & offensa. Donec tandem re attente discussa, & omnibus rite, recteque perpensis, argumentis etiam contradicentium auditis, in Concilio Lateranensi V. sub Julio II. inchoato, & per Leonem X. continuato, commendatis utriusque partis studiis „ alterius quidem justitiæ „ zelus, ne vorago aperiretur usurarum, „ alterius pietatis, & veritatis amor, „ ut pauperibus subveniretur, " sacro adprobante Concilio declaravit, & statuit præfatus Pontifex, „ Montes pietatis, in quibus pro eorum impensis, „ & indemnitate aliquid moderatum ad „ solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illarum conservationem „ pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra sortem, absque „ lucro eorum montium accipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, neque „ ullo pacto improbari, quinimmo meritorium esse, ac laudari, & probari debere tale mutuum, & minime „ usurarium putari ". Adjicit adhuc tamen existimavit Pontifex, „ multo perfectius, multoque sanctius fore, si „ omnino tales montes gratuiti constituerentur, " hoc est, si, illos erigentes, aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel media ex parte hujusmodi montium ministrorum solvantur impensæ, ut ad leviorem æris solvendi portionem medio hoc pauperes gravari contingat.

III. Sed, proh dolor! hoc medium, tam salubre pauperibus, nonnullis factum exitiale, & aliquibus factum est odor mortis in mortem, quod, ut omnibus esset odor vitæ ad vitam, fuerat institutum: adeo nihil est tam pium, & sanctum, quod hominum malitia, & Satanæ versutia corrumpi, depravarique non possit. Nam montes, qui Christi misericordiæ, & pietatis dicuntur, qui deposita Apostolica, patrimonia pauperum, miserorum refugia audiunt, facti sunt non paucis montes lucri, emolumentorum, & etiam divitiarum. Jam vidimus ex Clericato, ministros splendidissima accipere ex monte emolumenta; &, dum ipsis pauperibus modica ad vitæ sustentationem suppeditant, ipsi unde laute, splendideque vivant, & familiam etiam copiosam commode, ut mitius dicam, alant, lucrantur. Facti sunt etiam odor mortis in mortem illis, qui non tenuem pecuniæ montis portionem privatis suis negotiationibus, commodis, utilitatibus applicant, qui fictis: falsisque datis pignoribus mutuum accipiunt. Qui pignora sub hasta exposita vel per se, vel per interpositas personas vili emunt, qui denique expilata pecunia aufugiunt. Unde pinguissimi aliquando montes, de repente, vel etiam sensim sine sensu exhausti omnino pecunia, depauperescunt non sine maximo miserorum detrimento, quo-

rum

rum plerumque bona diripiuntur. Optandum itaque esset, ut ad horum montium ministeria solum probi, piique viri diligerentur, qui tenui contenti, vel etiam nullo, si fieri posset, stipendio, pauperum negotium agerent, amplissimam expectantes suæ misericordiæ a Deo retributionem; & tot solum eligerentur, quot necessitas postulat, ne plus justo graventur pauperes, quam necessarium sit ad pii operis officium, & ministerium. Sed præ omnibus optandum, maximeque in votis habendum ut omnes Christi fideles serio meditentur, & præ oculis habeant aureum illud monitum Augustini Valerii Episcopi Veronensi de Eccl. Rethor. lib. 2. c. 16. „ Artem quæstuosissimam esse eleemosynam, misericordiæ filiam, licitam, & sanctam quandam fœnerationem, distributionem in pauperes ".

IV. Hanc sanctam fœnerationem laudat quoque, & commendat S. Ambrosius de Tobia cap. 16. scribens. „ Date mutuum iis, a quibus non speratis vos, quod datum fuerit, recepturos. Nullum hic damnum est, sed compendium: minimum datis, multum recipieris: in terra datis, at id vobis reddetur in cœlo: fœnus amittitis, mercedem magnam habebitis: fœneratores esse definitis, filii eritis Altissimi: estis misericordes quo vos Patris æterni probetis hæredes. Sed fœneratorum vos delectat, & usurarum vocabulum. Id quoque non invideo: docebo, quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas quæratis usuras. Dicit Salomon: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperi, secundum datum autem ejus retribuet ei*: Ecce bonum fœnus de malo factum est. Ecce irreprensibilis fœnerator. Ecce usura laudabilis ".

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De Testamentis, & ultimis voluntatibus.

DOCTRINA.

I. *Notio Testamenti exponitur.*
II. *Quotuplex sit Testamentum.*
III. *Quid sit Testamentum clausum, & apertum.*
IV. *Quænam sint, quæ valori Testamenti non afficiant.*
V. *Testamenta privilegiata dicuntur, quæ ad pias causas sunt facta.*
VI. *Nec non quæ a privilegiatis personis fiunt.*
VII. *Testamenta per fraudem, & dolum extorta nulla sunt.*
VIII. *De Testamentis imperfectis nonnullæ Regulæ.*
IX. *Regula I.* X. *Regula II.* XI. *Regula III.*
XII. *Regula IV.* XIII. *Regula V.*
XIV. *Regula VI.* XV. *Regula VII.*

I. QUONIAM plerumque donationes, aliæque dispositiones gratuitæ Testamentis, Legatis, aliisque ultimis voluntatibus includuntur: ideo de his agere postremo loco propositum est, quibus etiam totum hunc tractatum de Contractibus concludemus. Testamentum igitur, quod ex mentis testatione nomen habet, ut notat Justinianus in Instit. definitur ab Ulpiano L. 1. ff. de his qui testamentum facere possunt (ejusque definitio ab omnibus Jurisperitis, atque Theologis adprobatur) *nostræ mentis justa sententia de eo, quod quis post suam mortem vult fieri*. Dicitur *justa sententia*, eo quod dispositionem legitimam, & juri congruam complecti debet, quod est illi commune cum omnibus aliis contractibus, & conven-

ventionibus, quæ eatenus valere possunt, quatenus legibus consentire, aut saltem non repugnare inveniuntur. Additur *de eo, quod post mortem quis fieri velit*. Siquidem testamentum ad tempus mortis refertur, in quo solum suam vim obtinet, & firmitatem; ut etiam Apostolus ad Heb. 9. confirmat illis verbis: *Testamentum in mortuis confirmatum est, nondum enim valet, dum vivit, qui testatus est*. Nihilominus per hanc Ulpiani definitionem Testamenti constitutio perfecte non explicatur. Omnia enim verba in ea adhibita verificantur de ultimis voluntatibus, quæ Testamenti conditiones non obtinent, puta de codicillo, legatis, de fideicommissariis restitutionibus, de donationibus causa mortis &c. Quapropter ad rationem Testamenti integre comprehendendam communiter a Doctoribus hæc alia verba adjiciuntur, *cum directa hæredis institutione*. Revera enim Testamentum in eo positum est, ut per illud fiat hæredis institutio, qua si caret, Testamentum non est. Si autem præter hanc alias quoque dispositiones contineat, puta legata, fideicommissa &c. reputantur accessoriæ, & accidentales, utpote etiam sine quibus Testamenti vim obtineret. Non desunt tamen Regna, & Principatus, in quibus Testamenta vim obtinent, licet nulla facta in eo sit hæredis institutio.

II. Testamentum dividitur in solemne, & non solemne. Primum illud est, quod solemnitatibus, & conditionibus a Jure humano positivo præscriptis ad ipsius validitatem fulcitur. Siquidem jure spectato naturæ, nulla determinata solemnitas ad Testamenti valorem necessaria existit, sed sufficit, ut hæc quatuor non desint. 1. Facultas in eo, qui testatur disponendi de rebus. 2. Capacitas in eo, in cujus favorem editur testamentum, easdem res possidendi. 3. Libertas dispositionis non vi, nec dolo extortæ. 4. Sufficiens expressio, & manifestatio propriæ voluntatis in disponendo. Jure tamen gentium aliquid amplius exigitur, ut videlicet ad minus duo contestes dispositionis a testatore factæ præsto sint: quandoquidem ad evitandas fraudes remedium aptissimum omnium fere nationum consensu reputatum est, ut nemo cum suo, vel alterius præjudicio stare teneatur assertioni unius, quantumvis fide dignissimi, sed, ut etiam divinum oraculum Deut. 17. pronuntiavit, *in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*. Testamentum vero non solemne est, quod solemnitatibus, præter supra recitatas ex jure gentium, a jure civili dumtaxat introductis, minime gaudet, de quibus mox dicemus. Et istud plerumque nullum valorem sortitur: aliquando tamen effectu non caret, etiamsi solemnitates deficiant; & tunc dicitur testamentum privilegiatum, quia solum vel ob favorem personæ, ut testamentum parentum inter liberos conditum, militis in expeditione bellica factum, vel tempore pestis a morientibus &c. vel ob respectum causæ, puta si agatur de causa pia, valere permittitur.

III. Rursum testamentum solemne civile, dividitur in clausum, sive scriptum, & in nuncupativum, seu apertum. Primum adhibetur, quando testator vult latere id, quod disponit: & tres has conditiones jure Romano (quod tamen non ubique servatur) indispensabiliter ad sui valorem requirit. 1. Ut in scripturam testatoris, vel alterius manu efformatam redacta fuerit dispositio. 2. Ut adsint septem testes idonei,

nei, videlicet qui alias a testificando non repellantur; & insuper omnes sint masculi, sint puberes, sint liberi, sint ad id specialiter rogati; demum sint omnes simul præsentes, videntes, & audientes, coram quibus testator profiteatur, sive scripturam legerit, aut legendam præbuerit, sive non, in illa contineri suam voluntatem, & supremam dispositionem de rebus suis: statimque eidem scripturæ, vel sua manu subscribat, vel si id facere non potuerit, aut nesciverit, adhibeat alium octavum testem, qui ejus vice subscribat. 3. Ut omnes illi septem advocati testes uno, & eodem tempore sine interruptione videlicet, nisi quam brevissimam, & parvi momenti aliqua necessitas naturalis induxerit, eamdem scripturam suis subscriptionibus firment, atque sigillo proprio, vel alieno muniant; quamvis sufficiat, etiamsi omnes eodem utantur sigillo. Hæ, inquam, sunt conditiones testamenti clausi, seu scripti jure Romano ita rigorosæ constitutæ, ut sine aliqua earumdem testamentum suum valorem amittat. Verum cum hæc, ut dixi, non ubique gentium obtineant, illæ sunt ad valorem testamenti servandæ, adhibendæque solemnitates, & conditiones, quas Leges, & consuetudines Regnorum, & Provinciarum servandas sancivere. Testamentum vero apertum, sive nuncupativum appellatur, quando coram septem testibus, eodem modo qualificatis, ac supra, Testator sive ex charta legit, sive oretenus pronuntiat suam supremam voluntatem, ac dispositionem, nuncupando, & appellando hæredem, & reliqua sive legata, sive alio modo disposita non reticendo: quæ dispositio debet fieri coram testibus, ne dum audientibus, sed etiam videntibus ipsum Testatorem: nam si tantum ejus vocem velo, vel cortina interposita exciperent, non valeret ipsorum præsentia ad Testamenti valorem, quantumvis se testantis vocem probe nosse profiteantur. Quod inductum fuit ad evitandas fraudes, quæ ex callida simulatione alienæ vocis a dolosa persona contingere possent.

IV. Testamenti autem nuncupativi conditioni non officit, quod pronuntiata a Testatore dispositio postea a Notario coram testibus in scripturam redigatur. Id enim ad substantiam actus nequaquam sit, sed solum ad majorem comprobationem, & etiam ad supplendum defectum testium, si contigerit, hos vel mori, vel reddi inhabiles ad testificadum in judicio, vel oblivisci eorum, quæ audierunt a Testatore. At si Testamentum scripturæ mandetur, debet coram Notario a Testatore subscribi, vel ab alio ab ipso ad hoc nuncupato; cum publicæ scripturæ sint ab exhibentibus signandæ. Item valori Testamenti nuncupativi non obest, si fiat ad interrogationem alterius, puta Notarii, vel alius personæ coram idoneis testibus interrogantis, utrum velit talem, vel talem hæredem instituere, vel hæc, & alia legata relinquere; dummodo qui interrogatur, etiamsi corpore infirmus, sana sit mente, & præsens spiritu, ita ut cognoscatur interrogationem probe intelligere, eique distincta, & articulata voce respondeat; secus si solum capite annuat, vel aliquid imperfecte respondeat, quasi ad interrogantis importunitatem evitandam. Notandum etiam est, non valere Testamentum nuncupativum, si imperfectum relinquatur, hoc est, si, antequam Testator omnia exprimat, quæ dicturus erat, aut moria-

riatur , aut loquelam amittat , etiamsi institutionem hæredis , & aliqua legata jam pronuntiasset . Si tamen legata ista essent pia , vel hæres declaratus illæ esset , qui ab intestato deberet succedere , Testamentum sic imperfectum pro perfecto habendum esse plures tenent Auctores ; ita ut prævaleat etiam Testamento perfecto , in quo extraneus aliquis hæres institutus fuisset . Cæterum tam in Testamenro clauso , quam in nuncupativo conditio indispensabilis a jure civili Romano ad ejus valorem præscripta censetur , ut in utroque institutio hæredis contineatur ; & ulterius hæres sit aliqua persona determinata , nec solum in genere designetur. Sed quid ? Si Testator schedam aliquam coram testibus exhibeat , in qua hæres sit scriptus , vel quoad hæredis designationem referat se ad id , quod continetur in scheda aliqua alicubi deposita , sed solum post ejus mortem inveniendа , & legenda ? Affirmant non pauci , & quidem probabilius valere , ac sic hæres oretenus declaratus fuisset . Nonnulli tamen excipiunt , ut quoad hæredem universalem minime sufficiat hæc designatio solum remissiva. Certius autem plerique docent , non valere Testamentum nuncupativum factum hoc modo , ut Testator asserat se illum in hæredem assumere , quem talis , vel talis persona , cujus voluntati rem committit , postea declaraverit .

V. Testamenta vero privilegiata non tot postulant solemnitates. . Inter hæc præcipue sunt Testamenta ad pias causas , nimirum illa , per quæ non aliquod pium legatum relinquitur , alioquin pene omnia Testamenta essent ad pias causas , sed quando ordinantur ad Dei honorem , & cultum , & spirituale bonum, cujusmodi sunt Testamenta , per quæ hæredes instituuntur Ecclesiæ , Monasteria , Hospitalia , vel etiam Virgines , Viduæ , Orphani, nec non relicta pro pauperum alimentis , pro dote puellarum , vel monachatione , & in subsidium aliorum miserabilium personarum , puta captivorum , carceratorum &c. uno verbo , quælibet dispositio facta vel intuitu divini cultus , & obsequii , vel pro salute animæ propriæ , & aliorum , vel ad sublevandam temporalem , seu spiritualem necessitatem , causa pia dicitur &c. Immo dicitur etiam Testamentum ad pias causas , quotiescumque in Testamento decernitur , ut mortuo hærede instituto , vel hæreditatem non acceptante , vel præstitutas conditiones non implente , hæreditas ad pia loca , vel pia opera devolvatur . Porro ad horum Testamentorum valorem satis est , si duo adhibeantur tantummodo testes, & non a publico Notario , sed etiam a solo Testatoris Parocho excipiantur . Ita statuit Alex. III. cap. *Cum esses* , Extr. de Testamentis , ubi decernit : ,, Testamenta , quæ Parochiani coram ,, Presbytero suo , & tribus , aut duobus aliis personis idoneis in extrema ,, fecerint voluntate , firma decernimus ,, permanere , sub interminatione anathematis prohibentes , ne quis hujusmodi audeat rescindere Testamenta ". Fatendum tamen est, in præfata Decretali Pontificem non specialiter de Testamentis ad pias causas decernere , sed universaliter de omnibus Testamentis , etiam prophanis , ut ex ipso textu manifeste patet : ubi emollire velle videtur Legum civilium rigorem , quæ plures requirunt testes , & alias solemnitates . Quæ tamen Decretalis , utrum vim obtineat in omnibus temporalium Principum regionibus, merito

tito ambigitur. Magis autem ad rem facit cap. 2. *Relatum* de Testamentis, ubi specialiter decernitur: „ Relatum „ est, cum ad vestrum examen super „ relictis Ecclesiæ causa deducitur, vos, „ nisi septem, vel quinque idonei te- „ stes intervenerint, inde posponitis „ judicare . . . . mandamus, quatenus „ cum aliqua talis causa (nimirum pia) „ ad vestrum examen fuerit deducta, „ eam non secundum leges (civiles, „ sed secundum Decretorum statuta) „ tractetis tribus, aut duobus legitimis „ testibus requisitis". Porro hocce privilegium ex praxi, & consuetudine universali in utroque foro obtinere constanter affirmant Canonistæ omnes teste Reiffenst. lib. 3. tit. 26. §. 4. n. 140.

VI. Privilegiata etiam sunt testamenta parentum inter liberos, illa videlicet, quæ parentes, nempe pater, mater, avus, proavus; aliique ascendentes in linea recta faciunt, per quæ hæredes liberos, vel nepotes instituunt. Porro hæc testamenta ita privilegiata sunt, ut, licet solemnitatibus careant, si duobus testibus quibuscumque probari possint, valida habeantur: immo nec duo testes necessarii sunt ad eorum absolutum valorem, sed solum ad probationem in foro externo. Hinc valent hæc testamenta, si in scriptis testator totum testamentum manu propria scribat, licet nullus adsit testis, nec ipsius subscriptio: at si aliena manu exaratum sit, propria tunc manu subscribere debet; dummodo tamen in testamento appareat & tempus scriptionis, vel subscriptionis, & omnium filiorum propria nomina; nec non uncias, seu partes, quas cuique relinquere statuit, designet, & quidem non signis numerorum, sed claris, & indubitatis verbis exprimat. Si vero non scriptum sit, sed nuncupativum, valet, etsi omni alia careat solemnitate, dummodo per duos testes constet de voluntate testatoris: hi autem testes, non est necesse, ut sint, rogati, & possunt esse etiam fœminæ. Valet vero non solum respectu liberorum, qui omnes hæredes institui debent, & hoc nomine donari, licet inæqualiter ad eos perveniat hæreditas, sed etiam respectu extraneorum, dummodo non tamquam hæredibus aliquid relinquatur, sed tantum per modum legati, aut fideicommissi. Privilegiata sunt etiam testamenta militum in expeditione bellica, sive fiant in ipsis castris, & tentoriis, sive in actuali conflictu cum hostibus, vel eo instante: nam quocumque modo hi suam voluntatem ultimam manifestaverint, sive voce, sive scripto, in quacumque materia, puta charta, clypeo, pulvere, atramento, vel sanguine, vel gladii mucrone, & hæc illorum dispositio excipiatur a duobus testibus, sive masculis, sive fœminis, sive vocatis, sive fortuito præsentibus, omnem firmitatem, valorem, & fidem assequitur. Vim etiam retinet per annum integrum, ex quo miles a militia, vel castris dimissus degerit in loco tuto. Hoc tamen privilegium non conceditur militibus, qui existunt in fortalitiis, quæ actualiter non obsidentur, aut in urbibus, & locis extra occasionem pugnandi, aut qui custodiæ Principis sunt addicti. Sunt etiam privilegiata testamenta rusticorum, sive rure obeuntium, quippe quæ approbantur a legibus etiam civilibus, sine pleno numero testium; ita tamen ut saltem quinque interfuerint, quamvis minime subscripserint ob litterarum ignorantiam; si tamen inter hos aliqui litterati reperti fuerint, isti etiam pro aliis subscribere debent.

Quod

Quod tamen privilegium plures Juristæ minime ad nobiles pertinere autumant, qui in pagis, & villis habitant; cum leges rusticis faveant, non ratione loci, sed eorum simplicitatis, & imperitiæ, ut ipsa verba legis aperte indicant, cum dicitur: „ Homines rustici, & in quibus non est litterarum peritia, quomodo possunt tantam legum subtilitatem custodire in ultimis voluntatibus? Ideo necessarium duximus per hanc legem eorum simplicitati subvenire ". Denique & privilegio gaudent testamenta illorum, qui tempore pestilentiæ decedunt, quod privilegium in eo situm est, ut, si pestis non ita sæviat, ut testes alias requisiti haberi possint, adhibeantur quidem, licet non simul, & semel congregati sint, sed successive adveniant; proinde nec necesse est, ut testamentum uno contextu fiat: si vero acriter sæviente pestilentia incolæ partim per mortem sublati sint, partim ad loca tuta confugerint non requiruntur septem testes, sed sufficiunt etiam quinque, vel duo. Testamenta vero, si plura sint ab aliquo confecta, semper postrema, priora revocant, & ultimo standum est, licet fortassis suum effectum non sortiatur; ut si hæres hæreditatem repudiet, vel ante testatorem decesserit.

VII. Testamenta, quæ fraude, vel dolo extorquentur, nulla omnino sunt in foro conscientiæ, licet in foro externo valida habeantur, quia dolus, & fraus ignoratur. Nam, si hæc ceteros vitiant, & annullant contractus, multo magis testamentum, in quo plena requiritur libertas. Hinc qui per hujusmodi testamenta aliquid adipiscerentur, & lethaliter peccarent, si fraudis, vel doli in causa essent; & ad restitutionem faciendam iis, ad quos defuncti bona pertinerent, tenerentur. Idem pariter dicendum de testamentis ex metu etiam reverentiali extortis, quippe quæ non omnino libera essent. Quam libertatem adimit etiam error circa personam hæredis; puta si quis hæredem institueret aliquem, falso existimans esse vel filium, vel consanguineum, cum talis revera non sit; nam persona ad substantiam pertinet testamenti, utpote cui benefacere intendit testator. At qui justis suasionibus, & honestis precibus testatorem moverit vel ad se hæredem instituendum, vel ad aliquod legatum sibi relinquendum, nec peccaret, nec ulli esset obnoxius restitutioni.

VIII. Sed quid dicendum de imperfecto testamento? Dupliciter contingere potest testamenti imperfectio, nimirum vel quia non certo constat de voluntate testatoris; vel solum quia omissæ sunt vel aliquæ, vel plures ex solemnitatibus a jure constitutis. Et primo quidem certum omnino est, quando de testatoris voluntate non constat, nullam vim habere quæ factæ ab ipso dicuntur dispositiones: unde enim vim accipient? Non profecto ex ipso testamento, quod non perfectum supponimus: non ex voluntate testatoris, quam exploratam, compertamque non habemus; præsertim cum agatur de damno hæredis ab intestato, qui certo re sibi ex legibus debita privaretur ob causam omnino incertam. At quando certo constat de voluntate testatoris, & hæc non est solemnitatibus a jure requisitis munita, est ne saltem in foro conscientiæ servanda? Tres sunt Theologorum, & etiam juris tum canonici, tum civilis peritorum sententiæ. Alii siquidem censent, testamenta, & ultimas voluntates necessariis destitutas conditionibus omni robore carere tum in externo, tum in in-

interno conſcientiæ foro. Alii vero cenſent in conſcientia obligare, quippe quia voluntas teſtatoris clare cognita eſt omnino implenda. Nonnulli vero media via incedentes, putant vim habere hujuſmodi teſtamenta, & in foro conſcientiæ obligare, donec a judice reſcindantur; at facta per judicem reſciſſione omnem vim amittere, nec in foro conſcientiæ eſſe adimplenda. Quid ipſe probabilius cenſeam, nonnullis Regulis aperiam.

Regula Prima.

IX. Certum eſt Summis Poteſtatibus facultatem convenire jubendi, ut teſtamenta certis deſtituta ſolemnitatibus nulla ſint, & irrita, nedum in foro externo, ſed & in foro conſcientiæ. Veritatem hujus regulæ oſtendimus in Tract. de Contract. in Com. cap. 10. §. 3. n. 18. Nam ad ipſos pertinet providere, quod bono communi expedit. Porro quam maxime expedit communi bono, ne teſtamenta, & ultimæ civium voluntates fraudibus, & dolis ſubjaceant, ſed talibus muniantur adminiculis, & ſolemnitatibus, ut omnis præcludatur fraudibus, & dolis aditus. Porro cum hæ leges juſtæ ſint, & ad commune bonum ordinatæ, vim obtinent obligandi nedum in externo, ſed & in conſcientiæ foro; cum omnis poteſtas ſit a Deo, & terrenis Principibus ſit parendum non ſolum quia gladium portant, ſed etiam propter conſcientiam. Hinc qui teſtamentum conficeret, omiſſis data opera ſolemnitatibus a legibus præſtitutis, & peccaret, & nulla eſſet habenda ratio ſuæ diſpoſitionis. Peccaret quidem, quippe quia licet nemo abſolute obſtringatur teſtamentum condere, poſito tamen quod teſtari velit, debet juſtas præſtitutas leges obſervare. Nulla eſſet ſuæ diſpoſitionis ratio habenda, quippe qui in contemptum legis eam omiſiſſet, probe ſciens ſuum teſtamentum nullius eſſe valoris. Hinc vero regulam puto veram non ſolum in teſtamentis ad profanas cauſas, ſed etiam ad pias; cum hujuſmodi leges pro omnibus teſtamentis ſint latæ, & tum perſonæ teſtantes, tum bona teſtamento relicta ſupremis Poteſtatibus ſubjaceant, & Principum legibus.

Regula Secunda.

X. Leges tum civiles, tum canonicæ, licet certas juſſerint ſervandas in teſtamentis ſolemnitates, non omnem tamen ademiſſe vim naturalem obligandi etiam nudis teſtatorum voluntatibus videntur. Et certe in Inſtit. ſtatuitur tit. 24. „ Si quis hæres confiteatur, „ ſibi injunctum a teſtatore, ut alteri „ aliquid donet, licet ſine juris ſolem- „ nitatibus, teneatur, quod relictum „ eſt, exſolvere “. Quare dicitur, ſi „ is, a quo relictum dicitur, confi- „ teatur quidem aliquid a ſe relictum „ eſſe, ſed ad legis ſubtilitatem requi- „ rat, omnino ſolvere cogendus eſt “. Præterea clarius adhuc in Inſtit. §. per traditionem 20. aperte indicitur: „ Nihil tam conveniens naturali æqui- „ tati, quam voluntatem domini, vo- „ lentis rem ſuam in alium transferre, „ ratam habere “. Quod confirmatur etiam ex Cod. de teſt. L. *non dubium* 16. ubi indicitur: „ Qui ex teſtamento, vel „ ab inteſtato hæres extiterit, etſi vo- „ luntas defuncti circa legata, ſive „ fideicommiſſa, ſeu libertatis legibus „ non ſit ſubnixa, tamen ſi ſua ſponte „ agnoverit, implendi eam neceſſitatem „ habeat “. Et iterum Cod. de Fideicommiſ. L. *etſi* 2. ſtatuitur: „ Etſi inu- „ tiliter (ideſt ſine ſolemnitatibus a jure re-

„ requisitis) fideicommissum relictum „ sit, tamen si hæredes, comperta vo„ luntate defuncti, prædia ex causa „ fideicommissi avo suo præstiterunt, „ frustra ab hæredibus ejus de ea re „ tibi quæstio movetur, cum non ex „ sola scriptura (solemnitatibus muni„ ta) sed ex conscientia relicti fidei„ commissi voluntati satisfactum esse vi„ deatur “. Luculentissime denique Cod. de Fideicom. L, *Quæsitum*. „ Cum res „ per testium solemnitatem ostenditur, „ tunc & numerus testium, & nimia „ subtilitas requirenda est. Lex enim, „ ne quid falsitatis incurrat per duos „ forte testes compositum testamentum, „ majorem numerum testium expostulat, „ ut per ampliores homines perfectissi„ ma veritas reveletur. Cum autem is, „ qui aliquid ex voluntate defuncti lu„ cratur, & maxime ipse hæres, cui „ summa auctoritas totius causæ com„ missa est, dicere compellitur verita„ tem per sacramenti religionem, qua„ lis locus testibus relinquatur, vel „ quemadmodum ad extraneam fidem „ decurratur, propria & indubitata „ fide relicta, cum & in leges respexi„ mus, quæ justis dispositionibus testa„ torum omni modo hæredes obedire „ compellunt, & sic strictius causam „ exigunt, ut etiam amittere lucrum „ hæreditatis faciant eos, qui testato„ ribus minime paruerunt “. Id vero multo apertius indicitur in jure canonico, nam cap. *ultimo voluntas* 4. cau. 12. q. 2. universim statuitur verbis ex S. Gregorio desumptis: „ Ultima vo„ luntas defuncti modis omnibus serva„ ri debet “. Quibus verbis hanc notam addit S. Antoninus 3. p. tit. 10. §. ult. „ Nota, quod cum quis sanus, „ vel infirmus, qui est sanæ mentis, „ ultimo disponit de bonis suis, de „ quibus potest disponere per simplicem „ scripturam, vel per verba solum, „ non violentatus, non circumventus, „ sed libere sine notario, & testibus, „ standum est ejus dispositioni in foro „ conscientiæ; & hæredes, quibus con„ stat certitudinaliter, tenentur ad ob„ servandum illud, etiamsi prius per „ solemne testamentum aliter disposue„ rat “. Præterea Cap. *Indicante* 4. de testamentis, universaliter statuitur, valere legatum, etiamsi nudis verbis exprimitur. Sic enim ibi legitur: „ Co„ gnovimus, quod moriens conjux con„ cham argenteam nudis verbis jussit „ venundari, & suis dari liberis, & „ scutellam argenteam cuidam Mona„ sterio reliquisse: in quibus volunta„ tem ejus per omnia volumus adim„ pleri “. Quando igitur eædem leges decernunt, testamentum solemnitatibus destitutum, vel non valere, vel pro infecto haberi, vel voluntatem defuncti non tenere, præsertim externum, & judiciale forum respiciunt, in quo sententia ferenda sit adversus testamenta præstitutis destituta solemnitatibus.

REGULA TERTIA.

XII. Ubi Romanæ vigent leges, & jus canonicum custoditur, licet hæredi, vel legatario hæreditatem, vel legatum sibi ex testamento solemnitatibus carente obvenientia, si nullus obsistat, retinere, donec aliter judicis sententia statuatur. Sequitur hæc regula ex præcedentibus. Nam cum ex testamento imperfecto certo constet de voluntate testatoris, cui non omnem vim ademere præfatæ leges, jus consurgit in hærede, & legatario rei dominium acquirendi, sibique retinendi: quod jus confirmatur, si a nullo de valore testamenti moveatur controversia. Quandoqui-

quidem (ut optime observat celeberrimus Jurisconsultus) „ vitium , quod „ leges civiles ex defectu solemnitatum præsumebat , hic cessare videtur . Præsuponitur enim , testatorem hunc sibi hæredem serio delegisse : & revera ad neminem propius, „ quam ad hunc , ea bona pertinent , „ postquam illi adquiescunt , & tacite „ juri suo cedunt , quos alias lex generalis ad successionem vocaret . Seria enim voluntas minus solemnis declarata eatenus tantum a legibus civilibus ad transferendum jus insufficiens declaratur , quatenus per eam alii sunt excludendi , qui ex alio fundamento jus ad eamdem rem possunt prætendere . Ubi ad forum civile negotium non trahatur, absentia „ solemnium juris positivi id haudquaquam vitiet , si adfuerint , quæ generali naturæ lege alias ad jus constituendum sufficiunt . Ergo videtur „ defectus solemnium scriptis hæredibus tantum nocere contra eos , quibus in defectum hæredum testamentorum lex successionem dedit . His „ silentibus censetur ad dominium „ transferendum sufficere , quod serio „ testificaverit testator , quem sibi hæredem velit “. Quod certe tunc magis verum puto, dum & defectus testamenti notus est ; & qui illud impugnare possint , nec vi , nec metu , nec alio injusto modo ab impugnatione impediuntur . Quod si res ad forum contentiosum duducatur , hæres ex testamento non solemni , ubi præfatæ vigent tum civiles , tum canonicæ leges , jus suum tueri poterit , donec per judicem in irritum revocetur . Ita sentiunt plurimi , tum Theologi , tum Jurisperiti apud Reiffenstuel , & Ferrarium .

REGULA QUARTA.

XII. Ubi vero Romanæ leges vim non obtinent , nec jus Canonicum attenditur, Regula illa tenenda est, quam tradunt Genetus Tract. 2. cap. 7. Natalis Alex. Reg. 13. Juven. Resol. Cas. Conf. Tom. 1. Tr. 7. cap. 5. §. 4. In conscientia illud est observandum, quod decerneret justus judex , qui rei veritatem recte cognosceret: ita ut in regionibus , in quibus hæres , qui fateretur oneratum se fuisse a testatore aliquo legato , non tamen in foro externo obstringeretur ad illud solvendum , si solemnitates a jure requisitæ observatæ non fuissent ; pariter non obligatur in conscientiæ foro, cum certum sit justam sententiam a judice prolatam in conscientia obligare , quando nulla falsa innititur suppositione. Hinc qui per minus solemne testamentum hæres instituitur , juris peritissimos consulere debet , num juxta patrias leges illud sustinere possit , & tueri : & si certus fiat de futura rescissione , hæreditatem dimittat ; si res dubia sit , cum legitimo hærede se componat , ne periculo injustitiæ se committat , & rem alienam mala fide possideat, & in hæredes transferat cum summo sui , & suorum æterno periculo.

REGULA QUINTA.

XIII. Testamenta , & legata omnia ad pias causas , quando certo constat de voluntate testatoris , sunt semper implenda , licet careant solemnitatibus a jure requisitis ; dummodo illæ serventur , quæ jure naturali , & gentium necessariæ reputantur ad ceteros contractus. Ita communiter pene omnes , tum Jurisperiti , tum Theologiæ Doctores , nixi auctoritatibus juris Canonici, & con-

consuetudine etiam juris civilis. Hinc inferunt 1. Validum esse testamentum in utroque foro, quando manifesta sit voluntas testatoris, sive privata ejus scriptura, sive per duos testes, etiam fœminas. 2. Licet testamentum nullum sit ex deficientia solemnitatum in causa profana, valet nihilominus quoad legata pia in eo relicta. 3. Testamentum inchoatum, sed imperfectum ob supervenientem testatoris mortem, licet alias invalidum, subsistit tamen quoad pia legata. 4. Si hæres ab intestato absque omni teste piam voluntatem defuncti ab eo audivit, illam tenetur implere. 5. Quando testamentum ad pias causas validum habetur, licet solemnitatibus careat, valet etiam quoad legata in eo relicta, licet ad pias causas non spectent; cum legata sint quid accessorium ad testamentum, cujus proinde naturam sequuntur. 6. Si in testamento minus solemni instituantur hæredes agnati, vel extranei simul cum pia causa, licet fortassis corruat quantum ad institutionem hæredis agnati, vel extranei, subsistit tamen quoad institutionem piæ causæ. Plura alia congerunt privilegia Canonistæ, & Theologi apud eos legenda. Solum hic superest perpendendum, num sufficienter constet de voluntate testatoris etiam in pia causa ex testimonio unius tantum, licet omni exceptione majoris, puta Confessarii. Non desunt qui affirmant, cum sufficienti modo per talem testem constet de voluntate testatoris; nec hæres solidum habeat fundamentum tali testi fidem negandi. Verum probabilius puto, posse quidem hæredem, si velit, fidem adhibere, at in conscientia non teneri: & colligo ex ipso jure canonico, quod duos saltem postulat testes ad fidem faciendam de voluntate testatoris. Porro hi testes, ut ipsimet fatentur & Jurisperiti, & Theologi, necessarii minime sunt, quando certo constat alio modo de voluntate testatoris. Nam, ut inquit Reiffenstuel lib. 3. tit. 26. §. 6. n. 143. „ Duo testes non sunt necessarii ad substantiam, & valorem testamenti ad pias causas, sed tantum ad probationem in casu, quo aliunde non constet, nec probari possit voluntas testatoris, nisi per testes “. At in nostro casu non constat de voluntate testatoris, quæ probari non potest nisi per testes: ergo ex juris canonici statuto, & Pontificis decreto duplex requiritur testis ad fidem faciendam, nec unus ullo modo sufficit ad obligationem inducendam hæredi onerosam. Quod confirmat laudatus Auctor n. 152. scribens. „ Quando per scripturam propriam testatoris, vel aliunde de voluntate testatoris sufficienter non constat, tunc . . . requiruntur duo testes legitimi juxta canones, adeout nec in foro interno hæres ab intestato credere teneantur uni testi, licet omni exceptione majori, testimonium suum etiam juramento confirmanti “. Quamobrem sapienter subdit „ improvide, ac periculose agere tam testatorem qui uni soli v. g. Confessario manifestat, quam ipsum Confessarium, qui suscipit voluntatem ultimam referendam hæredi ab intestato: hoc ipso enim, quod uni soli, quisquis ille sit, credere non tenetur hæres ab intestato, dispositio talis ultima periculo nullitatis semper exponitur “. Et revera, sicut æquissimus judex, si sententiam ferre deberet, nunquam unius innixus testimonio hæredem cogeret ad solvendum; ita a pari nec hæres ipse cogendus est ad standum unius testimonio. At inquiunt, si judici comperta esset ve-

veritas illius etiam unici testimonii, pro veritate judicaret. Fateor. At pariter hæres, si certo eamdem veritatem nosset; teneretur implere legatum: sed sicut nec ille unico testi assentiri sua sententia potest; ita nec iste illius stare testimonio. Præterea, posito quod veritatem adducti testimonii nosset, jam non ex unius tantum testificatione sententiam ferret, sed ex veritate sibi præter testem alio modo comperta. Quapropter non assentior laudato Reiffenstuel, dum docet „ licere pauper„ culæ famulæ, vel famulo, cui domi„ nus dicat, post mortem meam accipe „ in hoc, vel illo loco has, vel illas „ pecunias, vel aliam rem, quam tibi „ tanquam pauperculo lego, secreto „ ea accipere, & sibi retinere “. Nam non solum providere tenemur bona coram Deo, sed etiam coram hominibus. Porro reus scandali foret servus ille, qui clam, & inscio hærede post mortem domini rem occuparet, & furti ipsum arguere posset hæres, & justus judex ipsum damnare. Teneretur igitur hæredem de dono sibi facto monere, & ab eo, si consenserit, rem legatam accipere: si vero neget, suo adscribat infortunio, si re illa careat, in quam jus habere non potest nisi de consensu hæredis, ad quem cum omnia bona defuncti ex certo, & legitimo testamento, vel ab intestato pertineant, aliqua illorum parte clam spoliari non potest obtentu privatæ donationis.

Regula Sexta.

XIV. Rescisso per judicem testamento, ejusque declarata inutilitate, corruunt legata omnia nedum ad profanas sed etiam ad pias causas. Hujus regulæ veritatem admittunt Theologi omnes, & juris canonici Doctores quoad legata ad profanas causas; at plurimi negant quantum ad pia legata, quæ vim suam obtinere potius præsumunt, quam probent. Contra ipsos tamen hæc militant, meo videri, invicta argumenta. Judicis legitimæ sententiæ etiam in foro conscientiæ parendum est: at judex legitima, justaque sententia nullum declarat, irritumque testamentum: ergo huic sententiæ parere potest, & debet hæres, & proinde testamento stare non tenetur. 2. Dominum bonorum legibus subjicitur Principum Supremorum, qui illius translationem ob commune bonum vel impedire possunt, vel nonnisi certis adminiculis, & conditionibus servatis concedere; & his legibus, ut pluries diximus, parendum est etiam in foro conscientiæ; cum ergo juxta has leges decernendo, judex nullum declarat testamentum, dominii translationem vetat, & impedit; nullum proinde jus in legatario ad rem illam, nullum onus hæredi ad illam solvendam consurgit. Et revera non alio ex capite oritur jus in legatario ad legatum, nisi ex testamento defuncti: at hoc fundamentum omnino tollitur, & evertitur per sententiam judicis: corruat igitur, necesse est, & jus illi innixum. Nec dicant, adhuc superesse certam testatoris voluntatem, & pietatem causæ, ad quam ordinatur. Nam ad dominium transferendum non sufficit, ut diximus, sola voluntas domini, sed & observantia, & subjectio legibus justis supremarum Potestatum necessaria est. Nam dominium, ut ostendimus in Tract. de Contract. est quidem *facultas utendi re sua*, sed *modo legibus non interdicto*; unde translatio dominii legibus regitur, iisque subjicitur. Hinc etiam in testamento ad pias causas certæ sunt præstitutæ solemnitates, ut suum valorem sor-

fortiantur, quæ potius corrumpunt, quam explicent, & interpretentur Theologi, dum adeo extendunt, ut etiam illis minime servatis, & fortasse etiam contemptis, adhuc testamenta valere affirmant quidem, sed minime probant. Pietas vero causæ, nimirum quod legatum, & testamentum cedat in utilitatem animæ testatoris, non subtrahit materiam a subjectione legum, cum hæc in rebus temporalibus sita sit, quæ Principum justis legibus subjicitur, quæ certe sunt, & Sancte custodiendæ; & non licet illas juxta privatorum interpretationem plus justo vel extendere, vel corrumpere, sufficiat quidem hæc voluntas testatoris ex testamento minus solemni, & pietas causæ, ut ante sententiam judicis vim habeat obligandi; at illam extendere etiam post sententiam judicis, est ordinem pervertere, & debitam Principibus, & legibus obedientiam, & subjectionem excutere. Sibi autem imputare debet testator, si pia ejus voluntas non impletur, quippe qui sibi consulere poterat, vel dum in vivis erat pia opera per se præstando, vel idoneo, & legitimo testamento de rebus suis juxta leges disponendo. Præterea & hic locum habet regula a Genetto, & Natali Alexandro tradita, cujus meminimus reg. 4. nimirum hæredem teneri testatoris voluntatem implere eo plane modo, quo justus judex judicaret. Porro justus judex judicavit testamentum nullum esse: cur igitur huic sententiæ tuta conscientia hæres se conformare nequibit? Legatur Juveninus Tom. 1. Resolut. Cas. Consc. cap. 5. §. 4. quæst. 10.

REGULA SEPTIMA.

XV. Si hæres Auctori suo viventi pollicitus est, se legata pia in testamento constituta fideliter adimpleturum, licet testamentum per judicem rescindatur, ea adhuc adimplere tenetur. Ratio est aperta: quia tunc præter testamenti obligationem, quam nullam supponimus, alia adest obligatio ex fidelitate, & justitia, qua se testatori obstrinxit, & a qua per sententiam judicis non liberatur. Nec alia de causa hæredis promissio a testatore exigitur, nisi ut certus sit in quocumque eventu de fideli suæ dispositionis, & voluntatis executione, quam hæres sponte, & libere pollicetur, nisi forte legata totam absorberent hæreditatem, vel excederent, tunc enim abrenuntiata hæreditate a suscepto onere se liberare posset.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Quinam testamentum condere teneantur.*
II. *Testes in testamento quas habere debeant conditiones.*
III. *Qui hæreditatem adiit ex testamento minus solemni, & legata implere debet.*
IV. *Falsa nonnullorum Theologorum doctrina rejicitur.*
V. *Hæredes testatoris voluntatem quantocius implere tenentur.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. LICET nullus præcepto aliquo positivo ad testamentum condendum obstringatur, plures tamen esse possunt, qui naturali lege ad hoc obligentur, nimirum, qui ære alieno gravantur, quod solvere viventes non va-

luere; qui prævident, nisi de rebus suis rite disponant, lites, & discordias inter hæredes consecuturas; qui hæredes habet, alios quidem locupletes, alios pauperes, & indigentes, ut istis potius auxilietur, quam illis ex lege caritatis. Omnibus autem utile est de rebus suis pie, recteque disponere, illis eas relinquentes, ad quos de jure intelligunt pertinere; nec se rapi sinant ad iis benefaciendum, quos magis fortassis carnaliter, quam spiritualiter diligunt, præsertim si vel justitia repugnet, vel obsistat caritas. In iis, quæ a suo omnino pendent arbitrio, & gloriam Dei primo loco respiciant, & proximi necessitates; at regulam servent, quam tradit S. Ambrosius lib. 3. de Offic. cap. 48. nimirum res suas distribuant *fide sincera, & perspicaci providentia, & dirigente caritate cum prudentia, & prudentia cum caritate conjuncta*, ut monet S. Greg. M. 3, p. Past. ad 21. Quod recte implere nunquam poterunt, nisi testamentum conficiant, dum non solum mente, sed & corpore valent; cum res sit gravissimi momenti, & solerti providentia, cura, & studio tractanda. Hinc merito Jo. a S. Tho. in sua adjuvandi moribundos methodo scribit: „ Non pauci peccant in materia „ tam gravi peccato negligentiæ, quæ „ illos postmodum plurimum turbat, & „ affligit, quod de his non disposuerint, „ cum integræ essent valetudinis, & „ judicii, dum cogitant in se de die in „ diem distulisse, existimantes se illico „ morituros, ubi testamentum condiderint, Debent Confessarii talium personarum, aut ii quos consulunt de „ rebus suæ conscientiæ, illis serio inculcare, tanquam negotium maximi „ momenti, quod sine magno scrupulo „ omitti non potest, maxime si personæ sint provectioris ætatis, vel implicitæ ministeriis, & occupationibus „ periculosis, ut quantocius ab illis se „ expediant ".

Consectarium Secundum.

II. Testes in testamento tum scripto, tum nuncupativo ex præscripto juris plures debent habere conditiones. Nam, ut superius diximus, esse debent omnes masculi, puberes, liberi, & non servi, sintque ad hoc specialiter rogati. Quamobrem excluduntur muti, cæci, surdi, furiosi, & impuberes. Excluduntur etiam personæ suspectæ, nimirum ipse hæres in testamento institutus, & ille, qui in potestate testatoris sive hæredis est. Non excluduntur tamen affines, nec consanguinei testatoris, sicut nec ejus famuli, ministri, domestici: immo & fratres jam emancipati, sicut & pater in testamento filii testis esse potest, si iste per emancipationem sit a patria potestate solutus. Nec maritus excluditur a testificando in testamento uxoris. Clerici vero, tam sæculares, quam regulares, extra casum necessitatis in testamentis testes licite sine licentia vel Episcopi, vel suorum Superiorum esse non possunt, cum in Synodo Romana ab Eugenio II. celebrata statuatur: „ Quamquam Sacerdotum „ testimonium credibilius habeatur, tamen ipsi in secularibus negotiis pro „ testimonio, aut in conficiendis testamentis non rogentur, quia eos in „ talibus rebus esse non convenit ". Validum tamen esse testimonium affirmant plures utriusque Juris periti, nec per hoc impugnari posset valor testamenti; cum præfatum Eugenii Decretum non necessitatem, sed honestatem tantum importet, ut ea verba indicare videntur, *quia eos in talibus rebus esse*

non

non convenit : & contraria prævalet consuetudo. In hoc tamen Provinciarum leges, & mores sunt attendendi.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Qui hæreditatem adiit titulo testamenti minus solemnis, tenetur & omnia in eo contenta legata implere. Ratio est manifesta : nam tota ratio, cur ex hujusmodi testamento hæreditatem percipiat, est clara, & cognita voluntas testatoris : porro hæc non minus constat in hæreditate, quam in legatis: ergo sicut ipse putat se posse hæreditatem percipere; quoadusque per judicem ab ea deturbetur; ita existimare debet, se etiam ad legata reddenda obligari. Iniquus propterea esset, qui & hæreditatem adire vellet ex clara voluntate testatoris, & simul denegare redditionem legatam, quia testamentum est minus solemne. Nam hoc pacto duplex adhiberet pondus, duplici uteretur mensura, alia pro se, alia vero pro ceteris; quod est profecto detestabile. Unde Deut. cap. 25. v. 13. præcipitur: *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus : pondus habebis justum, & verum*. Et Proverb. 20. v. 23. *Abominatio est apud Dominum pondus & pondus : statera dolosa non est bona*. Quamobrem non sunt audiendi Theologi illi, qui ob probabilitatem, quam supponunt, utriusque sententiæ, nimirum valere, & non valere in foro conscientiæ testamenta solemnitatibus destituta, id licitum docere non erubescunt. Quod si hæres hujusmodi testamentum existimet rescindendum a judice, & propterea se ad hæreditatem restituendam cogendum, cum legatariis convenire poterit de restituendis in eo casu acceptis legatis, & ita suæ prospicere indemnitati.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Falsa quoque, & laxa est rejicienda opinio Theologorum, qui docent hæredes ab intestato, & hæredes, vel legatarios institutos ex testamento minus solemni, de valore hujus testamenti sibi magis faventem opinionem eligere posse, ut proinde & hæres ab intestato legatariis legata negare, & hæredes, ac legatarii instituti testamento minus solemni sibi queant & hæreditatem, & legata occupare, &, si non valeant, uti occulta compensatione. Audiantur Salmanticenses Tr. 14. cap. 1. pun. 6. n. 52. scribentes : „ Cum igitur „ utraque dicta sententia probabilis sit „ qui primam sequi vellet (de valore „ testamenti minus solemnis) poterit, „ si hæres, aut legatarius instituetur „ testamenti minus solemnis, hæreditatem procurare, & si adipiscatur, „ retinere . . . . Et sequendo nostram „ sententiam poterit hæres ab intestato „ non dare hæreditatem, aut legatum „ testamenti minus solemnis; quia secundum illam invalidum manet testamentum etiam in foro conscientiæ, „ ideoque succedit hæres ab intestato, „ ac si confectum non esset. Sed quia „ probabiliorem diximus hanc sententiam, poterit dictus hæres uti occulta compensatione, si legatarius, aut „ hæres institutus aliqua via legatum, aut hæreditatem adierit; quia, „ ut diximus, datur locus compensationi, quando est probabilior sententia, quod sibi talia bona debeantur. „ Sed hoc non poterit hæres, aut legatarius facere, si hæres ab intestato nolit reddere, quod in testamento minus solemni redditum est, etiamsi „ conformare se velit alienæ opinioni, „ nisi eam judicet probabiliorem; quia „ eo

„ eo quod fit probabile aliquid deberi, „ locus compenſationi non datur . . . „ Sed adhuc poſſe, utramque ſequendo „ opinionem ſolum ut probabilem, te- „ nent Villalobos, & Leſſius ". Ex qua doctrina quiſque cordatus perſpicit, quot ſequantur in humano convictu abſurda, perturbationes, & ſcandala, dum licet alteri alterius bona vel clam occupare, vel compenſatione ſarcire: & quam perverſa ſit doctrina, quæ occultam compenſationem permittit; cum juxta hos Theologos non ſolum locum habeat, quando jus aliquid habendi certum, exploratumque eſt, ſed etiam cum probabilius, vel etiam ſolum probabile; & quiſque facile poſſit de ſibi faventis opinionis probabilioritate judicium efformare.

Consectarium Quintum.

V. Hæredes, & teſtamentorum executores teſtatoris voluntates implere quantocius tenentur. Veritas hujus propoſitionis eſt de ſe manifeſta: nam hoc eſſet rem alienam detinere, cum ex voluntate teſtatoris legata, eleemoſynæ, remunerationes, aliæque ſimiles diſpoſitiones jam ſtatim ab ejus obitu, & cognita voluntate ad illos pertineant, quibus legata donata, & conceſſa inveniuntur: rem autem alterius detinere nec per modicum tempus licet, ut docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 62. a. 8. Nec valet conceſſio juris, quod unius anni ſpatium concedit ad implendas teſtatorum voluntates, ſi ſint ad profanas cauſas, ſex vero menſium, ſi legata pia ſint. Quandoquidem, ut optime obſervat Reiffenſtuel Tom. 3. Jur. Can. diſt. 26. §. 23. n. 786. illud tempus eſt deſignatum in ordine ad non incurrendas pœnas, non ad vitandam culpam. Hinc optime inferunt Sylveſter, & Layman graviter peccare, ſi ex negligentia diutius differant exequi teſtatoris voluntatem. Hoc tamen executionis tempus latitudinem patitur. Nam 1. non urget, niſi prius hæredi innotuerit defuncti hæreditatem eſſe ad omnia implenda ſufficientem. 2. Niſi ab ipſo teſtatore executionis tempus fuerit deſignatum; tunc enim ſat erit ejus voluntatem ſtatuto tempore implere: quod tamen prævenire hæredi, vel executori conceſſum eſt, cum hoc voluntati teſtatoris non adverſetur. Qui vero vel intra annum, vel ſex menſes teſtatoris juſſa non impleverint, compelli poſſunt per judices, ſive ſeculares, ſive Eccleſiaſticos ad impletionem; immo ad ipſum Epiſcopum, ſi pia ſint legata, ut ſtatuit Greg. IX. Jus executionis devolvitur. Elapſo vero anno, ſi contempta monitione judicis ea exequi neglexerint, omni hæreditatis emolumento privantur; excepta tamen tota legitima, ſi hæredes ſint neceſſarii, ut ſtatuitur in jure Can. tit. 26. cap. 6. ubi ex Concilio Moguntino indicitur: „ Si hæredes juſſa teſtatorum non adimpleverint, ab Epiſcopo loci illius omnis res, quæ eis relicta eſt, canonice interdicatur cum fructibus, & ceteris emolumentis ".

CAPUT DECIMUMNONUM.

De his qui teſtamenta condere poſſunt, & de hæredibus inſtituendis.

Doctrina.

I. *Quinam poſſint teſtamentum condere.*
II. *Quinam non poſſint.*
III. *Num Clerici teſtamentum facere valeant.*
IV. *Num Regulares.*

V.

I. ILLI omnes testamentum rite condere possunt, qui nec jure naturali, nec positivo prohibentur, Porro jure naturali testandi carent facultate, qui ratione destituuntur: sicut enim alios contractus, qui sunt actus humani, ita etiam testamentum condere prohibentur; cujusmodi sunt infantes amentes furiosi, mente capti &c. Si tamen furiosi, & amentes subinde lucida habuerint intervalla, in his testari nequaquam impediuntur; dummodo constet revera in illis sufficienter sanam obtinuisse mentem. Quod si hoc in dubium vertatur, examinanda est illorum dispositio, & testandi modus, utrum rationi congruere, nec ne, reperiatur: si post tale examen adhuc dubium perseveret, præsumendum est sufficienti mentis libertate nequaquam fuisse potitos, ac pro nullo eorumdem habendum testamentum; si quidem constat de amentia in quam inciderunt, nec constat de amentiæ cessatione. E converso nemo in amentia testamentum condidisse præsumendus est, nisi cujus infirmitas perspicue probata fuerit, si alias prius mente constabat, ob oppositam rationem, quia videlicet constat de pristina istorum sanitate, & non constat de consequente amentia. Testamentum incœptum tempore sanæ mentis, sed non completum, puta quia durante actu testandi testator incidit in amentiam, vel furorem, etiamsi hactenus hæredis institutionem fecisset, aut aliqua legata declarasset, etiam quoad ista remanet infirmum, & cassum; exceptis tamen, ut communiter sentiunt juris Canonici Doctores, piis legatis. Jure naturali a testando repelluntur, qui bona non habent, de quibus possint disponere, deficiente materia: si tamen vel sperent se habituros, vel jus habeant ad bona, quæ licet hactenus non possideant, aliquando tamen sciunt sibi obventura, de his testamento valet disponere.

II. Jure vero positivo testamentum condere prohibentur 1. Impuberes, scilicet qui nondum quartumdecimum annum, si masculi sunt, aut, si feminæ, duodecimum complevere; ita tamen, ut si ultimus dies prædictorum annorum inchoatus fuerit, jam pubertatem attigisse censeantur. Horum tamen testamenta quoad bona, quæ in eorum dominio sunt, juxta non paucos Auctores, & juxta secundam regulam cap. 17. constitutam, valent in foro conscientiæ, saltem quoadusque judicis sententia rescindatur. 2. Fili-familias, qui jam puberes sunt, possunt quidem de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus item de bonis adventitiis, quæ post Clericatum adepti sunt (nam hæc evadunt quasi castrensia) etiam ad profanas causas testamento disponere: sed de profectitiis, vel etiam adventitiis ante Clericatum acquisitis, neque cum patris consensu testari possunt nisi ad causas pias; nam hæc exceptio colligitur ex cap. *Licet* de sepulturis in 6. 3. Testamentum condendi incapaces decernuntur, qui a nativitate sunt surdi simul, & muti; non item, si hæc vitia contraxerint solum casu, vel ex aliqua infirmitate, dummodo alias scribere possint,

sint, vel alio pacto suam mentem exprimre. Surdus autem a nativitate, sed qui mutus non est (si hoc fieri aliquo modo possit) item naturaliter mutus, sed qui surdus minime existit, valide testantur, ille quidem & oretenus, & in scriptis, posterior vero solum per scripturam. 4. Prodigi, quibus interdicta fuit suorum bonorum administratio, valide testari non possunt saltem ad causas profanas: testamenta autem antea condita suo valore non carent. 5. Captivi, & obsides apud hostes, dum in tali statu detinentur, testari prohibentur; quorum tamen anteriora testamenta subsistunt. 6. Damnati ad mortem naturalem, vel civilem, hoc est ejecti in perpetuum exilium, vel perpetuo carceri mancipati olim ad testamentum faciendum inepti reddebantur; quin immo & testamenta jam facta, præter donationes factas uxoribus, rescindebantur: nunc temporis hæc pœna non tenet, nisi damnationi conjuncta fuerit confiscatio bonorum. Item antiquo jure damnati ob libellos famosos, sicut etiam legibus tum civilibus, tum Canonicis hæretici, & eorum credentes, defensores, receptores, fautores, qui intra annum Ecclesiæ non satisfecerint, testandi facultate privantur. De quibus tamen observandæ sunt leges Regnorum, & Provinciarum, quæ justis de causis has leges vel temperarunt, vel mutarunt. In jure Canonico ex cap. *felicis* de pœnis in 6. jure testandi privantur, qui hostiliter insecuti sunt S. R. Ecclesiæ Cardinales, vel eos ceperunt, aut percusserunt. Et ex cap. *Quamvis* de usuris in 6. Usurarii manifesti, qui vel usuras non restituerunt, aut de illis restituendis idoneam non præstiterint cautionem.

III. Quoad Clericos vero, & Religiosos. 1. Certum est Clericos de bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus libere testari posse etiam ad causas profanas; cum & sint bona omnino laicalia, quorum plenum obtineant dominium, nec ab ullo jure, quomodo sibi libet, disponere prohibeantur. 2. Licet non ita certum sit, probabile tamen admodum est, posse tali modo disponere de reditibus beneficiorum, quæ propria parsimonia congruæ suæ sustentationi subtraxerunt, non dissentiente S. Th. qui 2. 2. q. 85. a. 7. ad 2. scribit: „ Bona Ecclesiarum non sunt solum expendenda in usus pauperum, sed „ etiam in alios usus. Et ideo si de eo, „ quod usui Episcopi, vel alicujus Cle„ rici est deputatum, velit aliquis sibi „ subtrahere, & consanguineis, vel aliis „ dare, non peccat; dummodo illud „ faciat moderate, idest ut non indi„ geant, non autem ut ditiores inde „ fiant". 3. De bonis vero mere Ecclesiasticis, quæ superabundant eorumdem congruæ sustentationi, etiam ad causas pias, sine Summi Pontificis licentia testamento disponere prohibentur; ut constat ex pluribus juris Canonici legibus, passim ab Juristis adductis: idque optime institutum affirmant, ne Clerici vacent rebus, & bonis accumulandis, scientes de iis pro suo libito minime disponere posse. Quoad consuetudinem vero testandi ad causas profanas de præfatis bonis pro certo habendum est, hujusmodi consuetudinem tamquam iniquam, & lege naturali, & divinæ adversantem, vim obtinere non posse; nec licere Clericis vi talis consuetudinis vel ad causas profanas disponere, vel ab intestato decedere, ut consanguinei ab intestato succedant, nec illis hæredibus hujusmodi bona sibi licite retinere. Quandoquidem non majus

jus dominium sive per testamentum, sive quocumque alio contractu quis transferre in alium potest, quam ipse obtineat. Porro late ostendimus, & fuse probavimus, Clericos nullo modo esse bonorum Ecclesiasticorum, quæ suæ congruæ superabundant sustentationi, dominos, sed meros œconomos, & distributores. Non ergo amplius dominium in alios transferre possunt, nec hæredes bona pauperum, & Christi patrimonium sibi retinere. Nec contraria consuetudo prævalere potest. Nam, ut dicit Cap. *Finali* de consuet. „ Nemo „ sanæ mentis intelligit naturali juri „ (cujus transgressio periculum salutis „ inducit) quacumque consuetudine „ (quæ dicenda est verius in hac par„ te corruptela) posse aliquatenus de„ rogari ". Porro & ipsi adversarii fatentur, hanc consuetudinem efficere quidem posse, ut validum sit testamentum Clericorum de bonis Ecclesiasticis ad profanas causas; at illos lethaliter peccare: consuetudo igitur ista ex multiplicatis oriretur criminibus. 4. Quoad consuetudinem vero testamentum condendi ad pias causas, ut testantur juris Canonici Scriptores, adeo fere ubique invaluit, ut beneficiati minores, idest infra Episcopalem dignitatem constituti etiam non obtenta dispensatione, & testamentum condant ad pias causas, & ea rata, & valida habeantur: quæ consuetudo eo nomine non est improbanda, quia cum istis Ecclesiasticis ab intestato decedentibus succedant non Ecclesia, sed consanguinei, cavetur, ne bona Ecclesiastica ab ipsis occupentur, & de illis, vel in proprium commodum, & utilitatem disponant. Quamobrem Ecclasiastici hujusmodi superflua bona possidentes, &, dum vivunt, ea pauperibus erogare tenentur, vel ita caute rebus suis consulere, ut saltem post suum obitum in pium usum, & pauperum levamen convertantur.

IV. Religiosis vero professis, qui ob votum paupertatis proprium non habent, & ob votum obedientiæ sui juris non sunt, proculdubio minime licet testari, vel de illis, quorum administratio sibi permissa fuit, etiam de Superiorum suorum licentia. Concedente vero Summo Pontifice ad pias causas testamentum facere possunt Religiosi illi, qui beneficium seculare, aut regulare obtinuerunt, aut qui extra claustra viventes, licitum peculium sibi compararunt. Non professi vero, sive ante, sive post Religionis ingressum, etiam sine licentia Episcopi, vel alterius Ecclesiastici Superioris, libere de suis rebus testari possunt, eorumque dispositio subsequente professione tanquam morte confirmatur; ita tamen ut, dum vivunt, illorum bonis frui possit Monasterium, si possidendi capax sit, alias statim ad hæredes devolvantur. Signanter dixi, præfatos testamentum conficere posse etiam sine licentia Episcopi, vel alterius Ecclesiastici superioris. Nam licet Trident. Concilium sess. 25. de Regul. cap. 16. statuerit: „ Nulla quoque renuntiatio, aut obli„ gatio antea facta, etiam cum jura„ mento, vel in favorem cujuscumque „ causæ piæ, valeat, nisi cum licen„ tia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat „ infra duos menses proximos ante „ professionem; ac non alias intelliga„ tur effectum suum sortiri, nisi secuta „ professione: aliter vero facta, etiamsi „ cum hujus favoris expressa renuntia„ tione, etiam jurata, sit irrita, & „ nullius effectus ": in hoc tamen Decreto Concilium tantum loquitur de dispositionibus inter vivos, donationibus, „ re-

„ renuntiationibus, cessionibus &c. ne per illas, utpote de jure illico validas, novitii temporalibus bonis privati libertatem ad seculum revertendi amittant, & in Religione inviti quodammodo manere cogantur. Quod profecto locum non habet in testamento, cum per illud, utpote ad professionem usque semper revocabile, & ea non emissa nullum habiturum effectum, novitius nec bonis suis, nec sua libertate spolietur.

V. Omnes, sive sint singulares personæ, sive sint Communitates, attento jure, tum naturali, tum positivo hæredes institui possunt, nisi specialiter a jure repellantur: siquidem nil aliud requiri videtur, ut quis hæres legitime instituatur, quam plena potestas in disponente, forma a jure præscripta, & capacitas in eo, in cujus favorem disponitur. Plures tamen in jure incapaces declarantur ad hæreditatem consequendam. Et 1. quidem Hæretici, & Apostatæ, item credentes, receptores, defensores, eorumdem, circa quos tamen leges, conventiones, & pacta Regnorum, & Provinciarum sunt attendenda. Item jure canonico, ut superius diximus, nedum testamenti condendi, sed & hæreditatis capiendæ incapaces declarantur, qui hostiliter S. R. E. Cardinales insectantur, capiunt, vel percutiunt. Immo universaliter ex Juristarum recepta sententia quicumque ex delicto, vel culpa intestabiles active constituuntur, etiam intestabiles passive debent existimari: non vero qui ex aliquo defectu testamentum condere non possunt. Hinc hæreditatis, & legatorum capaces sunt infantes, pupilli, minores, pauperes, infirmi, cæci, muti; immo & nondum nati, qui in utero matris continentur, vel in posterum nascituri sunt. Servos, si a dominis hæredes instituantur, libertate donari censendum est. A domina vero hæres nequit institui servus, pendente accusatione de adulterio cum ea patrato. Hæredes quoque, qui testatores interfecisse convincuntur, sunt ipso facto a bonis hæreditatis exclusi: quæ num ad hærede ab intestato devolvantur, vel ad fiscum pertineant, digladiantur Juristæ. Similiter qui gravem ingrati animi affectum, vel graves inimicitias contra testatorem exercuere, & qui illum vel testamentum condere prohibuerint, vel conditum revocare, hæreditate, & legato privantur. Ex Clementina *Exivi* de Verborum significatione fratres minores strictioris observantiæ hæredes, vel legatarii, sive in particulari, sive in communi institui non possunt, itaut ex hujusmodi institutionibus, si factæ fuerint, nihil juris obtineant. Per hanc tamen Constitutionem minime interdictum censetur, ut eis aliquid per modum eleemosynæ relinquatur, ad Ecclesiæ constructionem, altarium ornatum, & sacras supellectiles. Immo & potest alteri personæ hæreditas, vel legatum relinqui cum onere, ut vendatur, & pretium eisdem fratribus distribuatur, vel certæ eleemosynæ summa, sive esculentorum, sive potabilium portio singulis annis erogetur. Alii vero, qui professi sunt in Religione, quæ possidendi in communi capax habetur, valide institui possunt hæredes, vel legatarii; ita tamen, ut non sibi, sed Monasterio hæreditas, vel legatum obveniat, etiam absque ullo facto ipsius Monachi, vel Religiosi, qui institutus fuerit hæres, vel legatarius: ita ut, etiamsi iste moriatur, antequam adeat hæreditatem, vel eisdem proprio motu renuntiaverit, nihilominus Monasterium, cui jam jus est acquisitum, eam percipere possit.

VI.

VI. De illegitimis vero controversia est, utrum hæredes institui possint. Notandum vero, duas distingui in jure illegitimorum species, alii qui *naturales* dicuntur, alii *spurii*: Naturales olim dicebantur, qui ex unica concubina domi retenta erant orti. Sed postea jure canonico, cujus determinatio etiam in Foro civili recepta fuit, omnes illi, & soli vocantur: qui procreati sunt ex parentibus solutis, id est inter quos nullum erat tempore conceptionis, vel nativitatis impedimentum dirimens Matrimonium; licet fortassis intercederet impedimentum aliquod ex iis, quæ simpliciter impedientia dicuntur, puta votum simplex castitatis: immo nonnulli Theologi, ut Lessius, sub hoc nomine comprehendi existimant & illos, quorum parentes tempore nativitatis, vel conceptionis obligabantur quidem vinculo impedimenti dirimentis, quod tamen erat ignotum vel utrique parti, vel etiam solum alterutri. Filii autem spurii illi dicuntur, qui ex parentibus procreati sunt, quos inter tempore conceptionis, vel nativitatis extabat impedimentum dirimens; ut si intra quartum gradum consanguinei, vel affines fuissent; aut illorum uterque, vel alteruter aut solemni voto castitatis obstrictus, aut Sacro Ordine initiatus fuisset. Hi vero in jure civili etiam ex damnato concubitu geniti dicuntur.

VII. Si itaque de filiis naturalibus sermo sit, isti ex juris civilis dispositione possunt institui hæredes universales a patribus non habentibus legitimam prolem; ita tamen ut, si ascendentes patris non defuerint, istis legitima portio reservetur, quamvis hanc reservationem non esse usu receptam notent plures Auctores: ideoque, ubi talis non viget lex, vel consuetudo, potest a patribus, in defectu legitimorum, naturalibus totum relinqui. In Gallis vero, teste Juvenino, ea lex viget, ut filii naturales totius hæreditatis capaces non sint, sed a parentibus legati nomine aliquid accipere possint. Si vero pater illorum sine testamento decedat, naturales filii hæredes ex asse ab intestato esse non possunt, sed solum ad sextam hæreditatis partem legibus admittuntur. Quod si pater habuerit filios legitimos, tunc naturalibus nihil competit ab intestato; possunt tamen testamento patris accipere unciam, idest duodecimam partem hæreditatis. Aliter vero res se habet respectu hæreditatis maternæ, siquidem naturales filii succedunt matribus ab intestato in totum, si filii legitimi desint; si vero adsint, ex æquo cum aliis partiuntur hæreditatem. Immo non possunt prætermitti naturales in testamento matris; sed aut hæredes institui debent, aut exposita causa exhæredari: alioquin testamentum prætermittens irritum foret, & tanquam inofficiosum suo careret effectu. Semper tamen præ oculis habendæ sunt peculiares leges, & statuta Regnorum.

VIII. Quoad spurios vero aliter res se habet: isti enim Juris Romani dispositione nihil a patre percipere possunt neque testamento, neque ab intestato, neque ex donatione inter vivos; ut patet ex Authentica *Licet* in Cod. de filiis naturalibus. Ibi enim a quocumque beneficio excluduntur, qui ex damnato coitu sunt procreati, cujusmodi spurii censentur. Et novella 74. præcipitur: *nullam esse eis clementiam participandam*, ut si etiam quoddam supplicium patris agnoscere nihil eos habituros ex suis bonis. Maternæ quoque hæreditatis iidem incapaces exi-

existunt: qui enim non potest saltem aliquo modo patri succedere nec matris hæres esse potest, nisi aliqua exceptio juris pro eo limitet, quæ nulla pro spuriis invenitur. Et licet nonnulli filium conjugati, vel Sacerdotis ex soluta posse matri succedere autument, quia hujusmodi conjunctiones non tam acriter civilibus legibus vindicantur; nihilominus esto minus puniantur, negari tamen non potest, eos inter damnatos coitus comprehendi; quapropter nisi lex, statutum, recepta, & adprobata consuetudo vel innovaverit, vel alio modo statuerit, aliter ac de aliis spuriis de ipsis judicandum non videtur, quibus stando juri civili nec alimenta essent concedenda. Verum, si his non suppetat, unde sustententur, alimenta esse danda jus canonicum statuit, ut patet ex Cap. cum haberet 8. de eo qui duxit in Matrimonium &c. ubi dicitur: „ Sollicitudinis tuæ interest, ut uterque „ parentum liberis suis, secundum quod „ eis suppetunt facultates, necessaria „ subministret „, temperans in hoc sua æquitate rigorem legum civilium, tanquam pietati naturali minus consentaneum: jure enim naturæ pater ad alendum filium indigentem adstringitur; & hæc moderatio etiam in foro civili omnium Regnorum, & rerum publicarum ut justissima suscepta fuit, & vim obtinet. Porro nomine alimentorum intelliguntur quæ sunt necessaria pro conditione personæ ad victum, vestitum, habitationem, medicinalia, & hujusmodi: quare & dotes filiarum continentur, cum dotes in locum succedant alimentorum, etiam si parentes Sacerdotes esse contingerit. Nec huic obligationi satisfacit pater, exponens filium spurium in aliqua hospitali domo, nisi aut pauper existat, aut ad id compellatur ad evitandam infamiam occulti criminis, cum & in hunc finem aliquæ hospitalis domus fundatæ inveniantur. Semper tamen expensas compensare debet ab hospitali factas, nisi paupertate impediatur, ut diximus in IV. Decalogi Præcepto.

IX. Quoad alios hæredes vero hi communiter in quatuor dividuntur classes: alii necessarii dicuntur, alii ab intestato, alii voluntarii seu extranei, alii denique substituti. Necessarii hæredes dicuntur, qui in testamento præteriti nullo modo possunt, sed debent vel hæredes institui, vel nominatim exhæredari, expressa justa exhæreditationis causa: alioquin testamentum, quod eos prætermittit, omni prorsus valore ex legum dispositione, privatur. Tales autem sunt filii, nepotes, aliique descendentes in linea recta, sive masculi, sive fœminæ, sive emancipati, sive sub potestate constituti; & his deficientibus ascendentes in linea recta pater, avus, proavus &c. Ita tamen, ut semper ascendentes excludantur, quamdiu aliqui descendentes extiterint. Fratres, & sorores non recensentur inter hæredes necessarios, ita ut testamentum, in quo eis prætermissis, extraneus institutus est hæres, non propterea suo careat robore. Qui tamen ex eodem patre sunt fratres, & sorores, possunt impugnare querela inofficiosi testamenti illud, in quo instituta fuit hæres persona turpis. Turpes autem dicuntur personæ, quæ habent infamiam juris, vel facti, ut concubinarii, meretrices, mimi, lenones, bonorum dilapidatores, & hujusmodi; quæ tamen querela minime conceditur illorum filiis, neque etiam fratribus, vel sororibus uterinis ex diverso patre prognatis.

X. Hæredes ab intestato 1. sunt filii,

2. Nepotes, aliique descendentes in linea recta, sed hi per stirpem, non per capita. Siquidem nepotes cum repræsentent personam patris, plures nepotes ex eodem filio illum solum repræsentant, & omnes simul sumpti eam possunt hæreditatis consequi portionem, quæ uni soli testatoris filio competere potest. Si desint descendentes in linea recta, succedunt ab intestato adscendentes in eadem linea puta pater, avus, proavus, suo quisque ordine, & gradu; & in hac successione locum habet etiam mater posthumi: ut si testator relinquat uxorem prægnantem, ex qua post ejus mortem nascitur filius, qui statim moriatur, mater succedit loco talis filii in ea hæreditatis portione, vel legitima, quæ eidem deberetur. 3. Adscendentibus quoque non extantibus succedunt fratres, sorores, aliique collaterales per capita usque ad decimum gradum inclusive, itaut semper præferentur, qui sunt in gradu proximiore, sive sint consanguinei ex parte patris, qui etiam cognati dicuntur, sive ex parte matris, qui agnati appellantur. Fratri itaque defuncto ab intestato succedunt fratres, & sorores ex iisdem parentibus, excludentes eos, qui ex parte unius dumtaxat parentis sunt fratres; & isti posteriores alios excludunt collaterales magis remotos. Quod si simul concurrant fratres consanguinei, & uterini, primi in bonis paternis, alii in maternis præferuntur; quamvis non desint jurisperiti, qui utrosque ex æquo succedere affirment: quia bona, quæ pervenerunt ad fratrem defunctum ab intestato, quando facta sunt ipsius, desierunt esse vel paterna, vel materna: At in his leges sunt attendendæ, quæ variæ sunt juxta varias dominiorum rationes.

XI. Hæredes vero liberi, sive extranei sunt illi omnes, qui a testatore institui necessario non debent, sed vel cum hæredibus necessariis, vel etiam, si nulli adsint, libere assumuntur; & hi omnes esse possunt, quos enumeravimus n. 5.

XII. Hæredes denique substituti illi dicuntur, qui ad hæreditatem vocantur in locum hæredis primum a testatore instituti, nempe in casu, quo is vel nolit hæreditatem acceptare, & adire, vel minime possit; aut quia ante testatorem moriatur; aut quia ob aliquod crimen, vel impedimentum legale evaserit impotens percipiendæ hæreditatis. Sex autem modis contingit aliquem substitui jure communi, seu Romano, sive sex substitutionis species distingui solent: appellantur autem vulgaris, pupillaris, exemplaris, fideicommissaria, reciproca, & compendiaria. *Vulgaris* substitutio est, qua quivis testamenti condendi capax substituit in locum primi hæredis quam maluerit personam, quæ legibus non excludatur. Extinguitur autem hæc substitutio, cum si is, qui primus est institutus hæres, adierit hæreditatem; tum si substitutus moriatur ante testatoris mortem, vel antequam primus hæres adeat hæreditatem. Substitutio *Pupillaris* est, qua pater filiis impuberibus hæredibus a se institutis alias personas unam, vel plures substituit in casu, quo contigerit filios ante pubertatem decedere. Cum enim impuberibus leges nequaquam permittant testamentum condere; ideo indulgent patribus, ut vicem filiorum suppleant, & pro ipsis testamentum condant. Ut autem valida sit hæc substitutio, tria necessaria sunt. 1. Ut is, cui fit substitutio, sit sub potestate patria: quapropter mater non potest pupillariter substituere, quia patriam potestatem non

ha-

habet ; nec ipse pater ob eamdem rationem filio illegitimo potest substituere . 2. Ut idem , cui fit substitutio , per mortem testatoris evadat sui juris , nec recidat in potestatem alterius: quare nec pater vivente avo , nec avus vivente patre potest sic substituere ; quia pupillus alterutro deficiente sub alterius potestate constituitur . 3. Ut hæc semper implicita intelligatur conditio , quod videlicet ante pubertatem decedat , cui facta est substitutio ; alias eadem locum non habet . Substitutio *exemplaris* sic dicta , quia fit ad exemplum pupillaris , est , qua pater , aut alius ascendens filiis amentibus , aut furiosis , vel surdis simul , & mutis , vel prodigis , quibus bonorum administratio sit interdicta (nam sic scilicet prodigi , & surdi simul ac muti solum ad pias causas testari permittuntur) substituit hæredem , si eos in tali statu mori contigerit . Differt hæc substitutio a pupillari , quia habet locum respectu filiorum etiam puberum ; immo & illorum , qui a patria potestate sunt emancipati . Fieri autem potest non solum a patre , sed etiam a matre , præsertim quoad bona , quæ ab ipsa proveniunt ; immo & ab avo , & proavo , siquidem jus sic substituendi non tam intuitu patriæ potestatis , quam titulo humanitatis concessum fuit . Ad hoc tamen ut valida sit , debitus ordo servandus est in personis substituendis ; ita ut , si filios habeant ii , qui testari impediuntur , filii necessario substituantur; & his deficientibus illorum fratres sunt præferendi . Si tamen nec fratres, nec sorores adfuerint , potest & extraneus ex libito testatoris substitui . Substitutio *fideicommissaria* est indirecta , & obliqua substitutio , qua hæres primo institutus gravatur , ut hæreditatem totam , vel partem ejus aliquotam, puta dimidium , tertiam , quartam &c. restituat alteri , qui fideicommissarius vocatur . Est , inquam , indirecta , & obliqua substitutio , quia hæreditas ministerio alterius defertur ad substitutum : idcirco etiam in Codicillo fieri potest , licet aliæ substitutiones non valeant , nisi in testamento contineantur ; quia per codicillum esto hæres non possit institui , institutus tamen gravari permittitur . Sic autem gravatus potest ex legum dispositione retinere sibi quartam partem hæreditatis , quam alteri restituere jubetur : & hæc quarta pars vocatur Trebellianica , quia Senatus Consulto Trebellianico , a Trebellio Consule auctore , concessa & decreta fuit , tum ne vana foret hæredis institutio , tum ut hac utilitate alliceretur ad id faciendum , & exequendum , quod eidem testator imponit . Si ergo hæres institutus fuit ex asse , quartam totius hæreditatis integræ ; si in dimidia parte , seu ex semisse fiat hæres , quartam hujus dimidii portionem sibi vendicabit ; & sic proportionaliter discurrendo . Notandum hic discrimen , quo distingui debent legitima Trebellianica & Falcidia . Legitima est illa portio hæreditatis , quæ hæredibus necessariis debetur , quave non relicta , nisi fiat expressa , & justa exhæredatio, testamentum irritum est . Complectitur autem trientem , seu tertiam partem hæreditatis jure communi , si filii non sint plus quam quatuor ; si vero hunc numerum excedant , semissem , seu dimidiam hæreditatem æqualiter singulis dividendam , ut etiam alibi diximus . Trebellianica vero est quarta pars hæreditatis , detracto ære alieno , & expensis funeris , quæ conceditur hæredi , fideicommisso universali gravato . Quod si

iste

iste sit etiam hæres necessarius, juxta communiorem sententiam nedum legitimam, sed etiam Trebellianicam poterit ex hæreditate restituenda detrahere. Tandem Falcidia (sic dicta non a falce, ut imperiti aliqui censuere, sed a Cajo Falcidio Tribuno plebis, ejus auctore) est quarta pars bonorum testatoris, quam hæres scriptus potest sibi retinere ex hæreditate nimis gravata legatis, singulis pro rata detrahendo. Id autem sibi licitum est, quoties a testatore expresse prohibitum non fuerit; non habet tamen locum in legatis piis, nisi forte hæres sit aliqua causa pia: nam tunc detrahere Falcidiam poterit; quia causæ piæ contra causam piam non datur privilegium. Nec etiam habet locum, quando res, quæ legata est, in perpetuum alienari prohibetur. Substitutio *reciproca*, seu breviloqua est, qua plures hæredes instituti etiam sibi invicem substituuntur: ut si dicat testator instituo Cajum, & Sempronium meos hæredes, & invicem eos substituo, est substituto breviloqua, quia brevibus exprimitur verbis; est vero reciproca ob mutuam substitutionem. Tandem substitutio compendiaria est, quæ plures complectitur substitutiones relative ad varia tempora: ut si dicat testator, instituo filium meum hæredem; & ei substituo Titium, quandocumque filium mori contigerit: æquivalet vero hæc substitutio *pupillari*, si filius ante pubertatem moriatur: *exemplari*, si eumdem contingat in amentiam, vel aliud impedimentum incidere; *fideicommissariæ*, si post pubertatem decesserit, salvo tamen jure legitimæ, & Trebellianicæ, & vulgaris, si filius ante patrem moriatur, vel alio modo incapax evadat hæreditatis.

CAPUT VIGESIMUM.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Pater nequit sine justa causa filium exhæredare.*
II. *Justæ adesse possunt causæ filios hæreditate privandi.*
III. *Sicut respectu filii exhæredandi parentes.*
IV. *Quinam filii non sint inter illegitimos recensendi.*
V. *Num liceat parentibus filium spurium hæredem instituere.*
VI. *Quinam ordo servandus in testamentis.*
VII. *Non omnis inæqualitas in testamento etiam respectu filiorum injusta habenda est.*

Consectarium Primum.

I. PATER nequit absque injustitia sine legitima causa filium exhæredare, & sua legitima privare. Ipsum jus naturæ hujus propositionis veritatem ostendit, quod parentem obstringit ad proprium filium alendum, eique necessaria ad victum suppeditanda, & quidem non quocumque modo, sed juxta sui status conditionem. Quamobrem, ut in 4. Decalogi præcepto diximus, tutus non esset in conscientia genitor, qui, ut aliquem ex filiis ditiorem, splendidioremque relinqueret, vel alios filios necessariis privaret, vel sola donaret legitima, quæ satis non esset ad sui status conditionem servandam. Accedunt & Leges civiles pene omnium Regnorum, quæ irrita declarant, & nulla testamenta, quibus filii legitimi hæreditate privantur, vel etiam solum prætermittuntur: ut habetur L. 1. ff. de irrit. Test. *Testamentum nullius est momen-*

menti, cum filius, qui fuit in patris potestate, & præteritus est. Legitima vero debetur filiis ex omnibus, & singulis bonis utriusque parentis, & libera ab omni gravamine, & onerosa conditione, nisi forte legitima detur filiis in aliqua re determinata, puta pecunia, bonis stabilibus &c. dummodo tamen res assignata & portionem jure debitam adæquet, & sine hujus minima diminutione, imposita possit onera sustinere. Deficientibus, filiis, & descendentibus legitima, ut diximus, ascendentibus debetur. Verum in hac designanda dissentiunt utriusque Juris Doctores, cum certa lege, sicut in descendentibus, taxata non sit. Quidam enim docent eandem esse, quæ debetur filiis, idest vel trientem, vel semissem totius hæreditatis juxta numerum hæredum. Alii duas hæreditatis partes pro legitima assignant, tertia solum Testatoris arbitrio relicta. Alii communiter tertiam partem statuunt. Sunt igitur in hoc municipales leges consulendæ. Uxori vero nulla debetur legitima ex bonis mariti, licet eam sine dote acceperit: in aliquibus tamen locis, Leges quartam bonorum partem uxori non habenti, unde decenter vivat, dandam statuere.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Justæ adesse possunt causæ filios hæreditate privandi: hæ autem partim in jure civili communi, partim peculiaribus locorum legibus decernuntur; sunt autem quæ sequuntur. 1. Si filius violentam manum in parentes injecerit, nisi forte in sui, vel patriæ defensionem; aut mortem ipsis machinatus fuerit, etiam effectu non secuto. 2. Si gravi eos vel injuria, vel contumelia affecerit, quæ gravitas est prudentum judicio ponderanda, inspectis causis, circumstantiis, & conditionibus tum parentum, tum filiorum. 3. Si eos in causa criminali accusaverit, exceptis tamen criminibus læsæ majestatis, & hæresis; vel in judicio contra ipsos delator, vel testis fuerit de gravi crimine, ob quod plectendus esset pœna mortis, vel perpetua exilii, vel infamiæ. 4. Si parentes in carcere ob æs alienum detentos vel liberare neglexerit, cum posset; vel pro illis fidejubere detrectaverit; vel in captivitatem redactos redimere, cum posset, omiserit, vel in dementiam lapsos non curaverit. 5. Si paternum torum violaverit, indigenti patri alimenta denegaverit, novercam uxorem patris sui vel occiderit, vel necare, tentaverit. 6. Si illum impedierit, ne Testamentum conficiat, vel confectum revocare coegerit. 7. Si filius infamem, & propudiosam artem amplexus sit, & exerceat; vel maleficus sit, & excantator, vel maleficorum socius: & similiter filia, si oblatam ad honestum matrimonium dotem repudiaverit, & luxuriosam vitam, seu meretricium elegerit; vel si filii a Catholica Religione apostataverint juxta Principatus leges. In Galliis conceditur parentibus, ut filios, & filias, sine illorum consensu matrimonium celebrantes, possint exhæredare. Verum quoad hanc legantur ea, quæ diximus cap. 8. de dote filiabus danda, & doctrina ibi tradita huic aptetur loco.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Quemadmodum filios parentes exhæredare possunt; pari pacto & filii parentes suos justis de causis ipsis debita privare hæreditate valent. Justæ vero causæ sunt ferme illæ, quas superius recensuimus: Nimirum, si filium amentem non curaverit, si captivum non redemerit, vel mortem illi intentaverit, aut

aut de gravi crimine mortem, exilium, infamiam, gravioremve aliam pœnam inferente vel accusaverit, vel testis fuerit; exceptis tamen criminibus proditionis patriæ, læsæ majestatis, vel hæresis. Si filii uxorem vel concubinam corruperit, vel matrem filii enecaverit, vel interficere tentaverit &c. In utraque tamen exhæredatione nec parentes filiis, nec filii parentibus alimenta ad vitam sustentandam, aliunde non habentibus, denegare possunt; licet lautiora, & eorum congrua statui tribuere non teneantur: nam priora denegare idem est, ac illos interficere. 2. Licet patrata sint crimina, quæ exhæredatione puniri merentur, nisi tamen revera secuta sit exhæredatio, impedita fortassis vel morte patris, vel ignorantia delicti, nec filius hæreditate patris, nec pater hæreditate filii privatur, sed tuta conscientia eam occupare possunt: tum quia nemo sibi ipsi pœnam ante Judicis sententiam infligere tenetur; tum quia præsumi potest, condonatam a patre filio pœnam. Quamobrem leges jubent, patrem in Testamento, non nisi adducta exhæredationis causa, eaque probata, posse filium hæreditate spoliare. 3. Semel remissa injuria locum amplius non habet exhæredatio, quæ pœna est; licet fortassis Testamentum, in quo illa inflicta erat, revocatum non fuerit, & condonatio non expresse, sed tacite facta sit: similiter, si reus publica pœnitentia, vel per Religionis ingressum patri offenso satisfecerit, non vero si solum privata pœnitentia de patrato delicto doleat; cum hæc non videatur sufficiens ad tollendam pœnam in foro exteriori infligendam. Ita communiter tum Theologi, tum Juristæ.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Inter filios illegitimos, vel spurios illi habendi non sunt, qui orti sunt ex matrimonio bona fide contracto, licet ex aliquo ignorato impedimento nullum fuerit, & irritum. Nam id expresse declaratum fuit in Jure Can. cap. ex *Tenore* Extr. *qui sint filii legitimi*, ubi Pontifex statuit in favorem prolis ex tali matrimonio natæ esse judicandum, scribens: *Intelligentes, quod Pater R. Matrem ipsius in facie Ecclesiæ ignaram, quod ipse sibi aliam matrimonio copulasset, duxerit in uxorem, dum ipsa conjux ipsius legitima putaretur, dictum R. susceperit, ex eodem in favorem prolis potius declinamus, memoratum R. legitimum reputantes.* Quod plures Theologi extendunt etiam, saltem ex parte, ad filium natum ex matre vel violenter compressa, vel per fraudem decepta ab aliquo se maritum simulante: cujus filius respectu ipsius ita habetur legitimus, ut simul cum aliis filiis tum ex testamento, tum ab intestato matri succedere possit. Qui vero per subsequens matrimonium facti sunt legitimi, & per omnia legitime natis æquiparantur; quia ut docet Glossa, *tanta est vis matrimonii, ut omnia præcedentia purget*. Legitimati vero gratia Principis æquali jure succedere possunt parentibus suis, si hæ adsint conditiones; nimirum si nulli extent liberi legitimi; si pater post generationem filii justa causa impeditus matrem in matrimonium ducere non potuerit, & subsequens matrimonium filium legitimare; si denique filii legitimi legitimationi consensum præbuerint.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Non licet filium spurium hæredem paternorum bonorum constituere substitutione fideicommissaria: num vero pupillari, incertum, & juxta Regionum leges, & consuetudines dijudicandum. Explicatur. Fideicommissariam substitu-

tutionem capite præcedente eam diximus, qua Testator hæredem quidem instituit, sed cum adjecto onere hæreditatem vel integram, vel in parte alteri tradendi. Sic Pater, cum legibus prohibeatur, ne filiis spuriis aliquid donet præter alimenta, ut tamen ipsum hæredem faciat in fraudem legis, alterum hæredem constituit cum pacto, & promissione vel integram, vel ex parte hæreditatem tradendi filio spurio. Hinc quæritur, num licite, & valide possit hic hæres ante judicis sententiam hanc hæreditatem spurio tradere, & hic valide, & licite retinere, vel potius sit hæredibus ab intestato tradenda. Et quidem 1. conveniunt Theologi, omnes illicite agere, & graviter peccare tum parentem ita testantem, tum amicum promittentem; cum justissimam legem, & *providam cautionem*, ut eam appellat S. Hieronymus ep. 11. violent, illique illudant; proinde Confessarius Testatorem monere debet, & denegatione absolutionis cogere, ut voluntatem mutet, & legibus Principum, qua par est, reverentia, ut Deus jubet, omnino obtemperet. Docent etiam communiter Auctores, post sententiam judicis teneri fideicommissariam hæc bona fisco reddere, ad quem devolvuntur; ante hanc sententiam tamen nonnulli censent, posse eam sibi retinere; cum enim hæc privatio hæreditatis pœna sit, nemo eam sibi infligere tenetur. Num autem valide possit & fideicommissarius hæreditatem filio spurio tradere, & hic valide retinere, disputant Theologi. Nos partem negativam, utpote probabiliorem & proposuimus, & tuemur, his ducti firmissimis rationibus. Hæres iste nullum hæreditatis dominium adipiscitur, cum nullus adsit justus dominii titulus: nam voluntas Testatoris omnino est invalida, quia legibus vetita, proinde justum titulum nequit constituere. Præterea hæc testatoris voluntas non transfert dominium in hæredem, quem hæreditatis dominum minime constituere intendit, sed merum ministrum injustæ, & illicitæ voluntatis: non ergo idonea est ad dominium transferendum. Si igitur hæres dominium non obtinet, profecto nec illud in alium transferre potest; cum nemo plus juris in alium queat transfundere quam ipse obtinet. Superest igitur, ut dominium in spurium descendat ex voluntate patris, qui in fraudem legis hoc pacto hæredem illum instituit. At patri illicitum, vetitum, interdictum est sic bona in spurium transmittere; si enim licitum foret, hac fraudolenta substitutione minime uteretur. Non est igitur idonea hæc patris voluntas ad justum titulum constituendum dominii in filio spurio. Et ita quidem sentiunt ex Jurisconsultis Bartholus, & Gomez, ex Theologis vero Sotus, Ledesma, & Juveninus Tract. 7. cap. 1. §. 2. n. 5. Huic tamen opinioni nonnulli adversantur, qui putant fideicommissarium verum esse hæredem; proinde posse & valide sibi hæreditatem retinere, saltem donec a Judice privetur; vel etiam, si sibi placet, spurio tradere. Nonnulli vero inter quos Salmaticenses, & verum hæredem illum agnoscunt, & in conscientia obstrictum ad hæreditatem spurio tradendam. Priores his moventur argumentis. Fideicommissarius est verus hæres, quia institutus a Testatore, & a nulla lege repellitur. Privari quidem potest hæreditate in pœnam promissionis contra legem datæ: at hæc privatio locum non habet, nisi ex sententia judicis, quam ipse prævenire non tenetur. Præterea cum hæc conditio turpis sit, pro

non

non adjecta haberi debet: eapropter hæreditatem sibi retinere poterit. Porro si legitimus est hæres, si hæreditatem consequi potest, poterit illam illicite quidem, quia in fraudem legis, at valide spurio tradere, qui tunc hæreditatem non a patre consequitur, sed a fideicommissario. Addunt Salmaticenses, teneri hæreditatem ex justitia filio tradere: quia promissio onerosa obligat ex justitia: cum igitur fideicommissarius pollicitus sit testatori hæreditatem transmittendam, ex justitia fidem datam implere obstringitur. Verum hæc non tanti ponderis sunt, ut a statuta doctrina recedere cogant. Nam ad 1. resp. Fideicommissarium non verum esse hæredem, sed umbratilem dumtaxat, & nomine tenus, quippe qui nec ex voluntate testatoris sibi obtinere valet hæreditatem, & a legibus ab ea capessenda arcetur, ad quas tantummodo eludendas hæres dicitur. Ad 2. privatur quidem hæreditate non in solam patrati delicti pœnam, sed quia legitimo caret titulo eam retinendi; unde in L. *Prædo* dicitur, non quia contra legem fidem suam obligavit Testatori, ut inepte dicunt Salmaticenses, sed quia rem alienam & invito domino, & reluctantibus legibus sibi usurpat. Quamobrem dum dicimus, eum teneri hæreditatem cedere hæredibus ab intestato, non pœnam sibi infligere cogimus, sed quod injuste, & illicite accepit, restituere compellimus. Ad 3. conditio vero adjecta tradendi spurio hæreditatem non solum turpis est, sed ipsam hæreditatis perceptionem omnino inquinat, & injustam reddit: siquidem omnem repellit justum titulum, nimirum voluntatem testatoris, qui non in ipsum transfundere intendit hæreditatem, sed in spurium; & ipsum Testamentum nullum irritumque legibus declaratur, & tanquam illicitum prohibetur. Nequit igitur hæreditatem sibi retinere, nec spurio tradere; sed hæredibus ab intestato est dimittenda. Id vero, quod subdunt Salmaticenses de obligatione promissionis ex justitia, hic locum habere non potest; cum agatur de re omnino illicita, & legibus vetita: unde & ipsi Salmaticenses n. 97. scribunt: *Sicut tam parentes, quam filii, qui contra legum tenorem . . . aliquid donant, & recipiunt, peccant mortaliter, eo quod agunt in materia gravi contra leges justas, & sanctas, ita testator, & fideicommissarius in dicto casu peccant mortaliter, quia contra leges justas operantur, quæ fidem præstare in hac materia prohibent*. Quomodo igitur esse potest obligatio aliquid ex justitia faciendi, quod est contra leges justas, & sanctas? Profecto hæc obligatio esset vinculum iniquitatis. Porro leges non solum prohibent promittere; sed & implere promissum: igitur æque peccant, & dum promittunt, & dum fidem illegitime datam illicite implent.

Quoad substitutionem vero pupillarem num hujus capaces sint filii spurii, diverso plane modo sentiunt & Jurisconsulti, & Theologi. Nonnulli concedunt, quia tunc non patris, sed fratris hæredes fiunt; & revera, cum hæc substitutio locum habeat solum, si pupillus ante pubertatem moriatur, & facultas concessa sit parentibus substituendi Pupillos, ut vicem filiorum suppleant, quibus non interdiceretur, si puberes forent, fratribus suis spuriis hæreditatem; vel in partem, vel in totum relinquere non videtur hæc substitutio in lege, spurios ab hæreditate paterna excludente, comprehendi, præsertim cum lex illa sit maxime odiosa, proinde, quantum fieri potest, restringenda. Alii vero limitant so-

ſolum quoad bona propria ipſius pupilli, non vero quoad bona paterna, quæ per pupillum ad ipſos perveniant. Alii denique ab hac ſubſtitutione omnino excludunt, quia ſemper verum eſt ſpurios hoc pacto paternorum bonorum hæredes fieri, quod legibus eſt interdictum. In hac igitur controverſia leges, & conſuetudines Regni, & Provinciæ ſunt expendendæ, & juxta illas etiam in conſcientiæ foro dijudicandum.

Consectarium Sextum.

VI. Qui conſanguineos, vel affines habent pauperes, & indigentes, licet hæredes neceſſarii non ſint, illis potius, quam extraneis, immo & cauſis piis, bona ſua relinquere teſtamento tenentur. Et revera ita poſtulat ordo caritatis, quæ jubet, ut nobis magis propinquis auxilium feramus. Quod multo magis verum eſt in Teſtatore habente ſuperſtites fratres, vel ſorores egeſtate preſſos: iſtis enim nullo modo præferre poteſt extraneos, non ſolum quia contra caritatem, ſed etiam ob ſcandalum, quod hoc pacto præberent: non enim hæc fratrum, & ſororum præteritio aliunde oriri merito crederetur, niſi ex defectu fraterni amoris, vel etiam ob odium, & indignationem adverſus ipſos; præſertim ſi inimicitiæ, vel ſimultates inter ipſos præceſſerint. Nec extrema ſit, oportet, vel admodum gravis fratrum, vel ſororum inopia & egeſtas, ut ex caritate ſuo Teſtamento illis beneficare teneatur; nam in caſu extremæ, vel gravis admodum neceſſitatis etiam extraneis auxiliari tenemur: ſed ſufficit, ſi impares ſint vel ad filios congrue juxta proprium ſtatum alendos, vel ad filias congrue dotandas; quibus inſpectis, qui majore premuntur anguſtia, & neceſſitate, abundantiorem hæreditatis partem accipient. Nam, ut optime animadvertit P. Concina, Teſtamentum exemplum eſſe debet & caritatis, & juſtitiæ, & pietatis. In eo igitur hæ virtutes, quæ quidem omnem Chriſtiani actionem ornare debent, in Teſtamentis, & ultimis voluntatibus maxime eluceſcant, oportet. Sunt etiam & ipſis piis cauſis præferendi præfati conſanguinei, & affines indigentes; quia caritas ceteris omnibus virtutibus ſupereminet, & ipſa largitio hæreditatis indigentibus, & affinibus pro pia cauſa haberi poteſt, & certe pietatis officium eſt. Quod ſuo exemplo, & doctrina confirmavit S. Auguſtinus, qui, ut teſtatur Poſſidius in ejus vita, aliquas pias hæreditates recuſavit „ non quia (ſcribit) pauperi„ bus inutiles eſſe poſſent, ſed quia „ juſtum, & æquum eſſe videbat, ut „ a mortuorum vel filiis, vel parenti„ bus, vel affinibus magis poſſiderentur, quibus ob eas deficientes dimit„ tere noluerunt “.

Consectarium Septimum.

VII. Non eſt vetitum parentibus inæqualitatem aliquam inter filios in ſuo Teſtamento inducere; dummodo tamen hæc non ex inordinato affectu, ſed juſta de cauſa, videlicet vel ob inæqualia filiorum merita, vel ob ſpecialia alicujus ſibi præſtita curæ, & benevolentiæ officia progrediatur. Quod ſi parentes, relicta filiis ſolum legitima portione, quod ſupereſt de ſuis bonis extraneo relinquunt, licet hoc Teſtamentum validum haberetur in foro externo, coram Deo tamen, & in conſcientiæ foro illicitum eſſet, utpote caritati, & fortaſſis etiam juſtitiæ adverſum, præſertim ſi ex animo prodiret filiis parum propenſo. Quod verum puto, licet

licet pia causa esset ad hæreditatem vocata.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

De Legatis, Codicillis, & Donationibus mortis causa.

D o c t r i n a.

I. *Quid sit Legatum.*
II. *Legata duplicis generis.*
III. *Quando sint Legata reddenda.*
IV. *Partes, & adjuncta legato debentur legatario.*
V. *Sicut & fructus rei legatæ.*
VI. *Quænam sint legata conditionata.*
VII. *Quænam legata sub demonstratione.*
VIII. *Quid sit Codicillus.*

I. LEGATUM l. 2. Inst. Just. definitur: *Donatio quædam a defuncto relicta, & ab hærede præstanda*. Differt ab hæreditate, tum quia hæc non est alicui rei determinatæ alligata; tum quia legatum est ab ipso hærede præstandum. Differt etiam a donatione causa mortis, quia legatum nonnisi post mortem Testatoris in dominium pervenit legatarii; dum res donata etiam vivente donatore ad donatarium transit, & ab ipso Testatore, non ab ejus hærede proficiscitur. Quamobrem illi legata relinquere possunt, qui possunt Testamentum condere: sicut e contra illi, quibus concessum non est testari, nec legata valent constituere. Et vicissim percipiendi legati capaces sunt, qui hæredes institui possunt; qui vero ab hæreditate sive per Testamentum, sive per Codicillum aliqua de causa repelluntur, nec legata valent percipere, nisi alimentorum causa, quæ nulli denegantur, licet civiliter mortuo. Nonnulli Legatarios in universales partiuntur, & in particulares: priores voce tenus legatarii dicuntur, cum revera sint hæredes; posteriores vero proprie legatarii sunt.

II. Legata alia pura dicuntur, alia conditionata. Priora statim ab adita hæreditate debentur Legatario, jure naturali inspecto; jure vero Romano L. *Finali*, Cod. de usur. & fruct. L. solum post legatarii petitionem. Alia vero nonnisi completa conditione, quæ tamen, si sit de re vel impossibili, vel contra bonos mores, pro non adjecta haberi debet, & legatum transit in purum. Legata non debentur nisi detracto ære alieno: quamobrem, si debita hæreditatem superent, nihil debetur legatariis. Materia vero legati esse possunt non solum quæ actu sunt in dominio legantis, sed etiam futura; ut habetur L. 7. ff. de Legatis: sic legari possunt fructus in agro, vinea, horto post annum orituri: immo ex L. 30. etiam aliena legari possunt, si tamen Testator sciverit rem esse alienam, quam tunc hæres a proprietario emere debet justo pretio, & tradere legatario. Quod si dominus rem vel vendere nolit, vel nonnisi injusto, & excedente pretio, non tenetur hæres nisi justum rei pretium persolvere. Quod si Testator putavit rem legatam non alienam, sed suam esse, tunc hæres ad nihil tenetur, cum desit materia legati. Legatario proinde incumbit probare, defunctum testatorem probe novisse rem legatam non suam, sed alienam esse, ut legatum percipere valeat, sicut habetur lib. 2. Inst. tit. 10.

III. Legata pura, ut diximus, debentur statim ab adita hæreditate. Quod si hæres repudiaverit hæreditatem, licet communi jure censeantur cadere legata omnia, tam conditionata, quam

quam pura, cum tamen superius cap. 17. n. 10. ostenderimus, & ipsas leges civiles statuere, ut comperta Testatoris voluntas executioni mandetur, hinc hæres ab intestato eam implere tenebitur, ut plura etiam particularia jura præcipiunt; & certe legata ad pias causas sunt semper a quocumque hærede implenda. At si legatarius vel ante Testatorem moriatur, vel ante impletam conditionem legato præstitutam, corruit legatum, quod minime ad hæredes transit, cum nunquam in dominium, & potestatem legatarii pervenerit: quamobrem in alios nequit transmittere, quod ipse non obtinuit. Quod si Legatarius, licet legatum non perceperit vel ex mora hæredis, qui rem legatam non tradidit, vel ex sua, quia non postulavit, cum tamen statim post aditam hæreditatem plenum jus obtinuerit ad rem consequendam, hoc ad hæredes transmittit. Durant autem legata juxta voluntatem Testatoris, ut patet ex propositione damnata ab Alex. VII. n. 43. *Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos*.

IV. Res legatæ debentur Legatariis eo in statu, quo sunt in morte Testatoris, & cum omnibus, quæ illis connexa, vel accessoria sunt, & fructibus ab illa pendentibus. Quamobrem si legatum tempore conditi Testamenti pluris æstimabatur, quam tempore mortis, detrimentum cedit in Legatarii damnum; sicut in ejus utilitatem redundat incrementum, quod additum esset eodem tempore: nam cum per mortem Testatoris legatum firmetur; tunc solum vim obtinet, & jus accedit legatario ad rem sibi legatam. Accessoria vero, seu adjuncta rei legatæ duplicis generis sunt. Alia, quæ ipsam rem constituunt, & sunt veluti partes; & hæc debentur Legatario; si legata domo, legatum & intelligitur adnexum viridarium; & legato viridario etiam concessæ censentur plantæ, & arbores. Alia sunt accessoria, quæ licet partem non constituant rei legatæ, ipsi tamen adhærent, & conjunguntur, vel tanquam conjuncta, & adhærentia reputantur; quod verum est, licet ipsa accessoria rei pretium superent: sic legato viridario concessa censentur statuæ, & ornamenta, legato horologio sunt legatæ gemmæ quoque, quibus splendet, legata veste aurum quoque, & argentum, quo ipsa vestis ornatur. Si quis alicui usumfructum leget alicujus fundi, concessa censentur etiam instrumenta omnia ad illum colendum: immo addunt Jurisperiti, si legatarius sit agricola, legata censentur etiam horrea domus, cella vinaria, nec non triticum ad sationem determinatum.

V. Fructus vero rei legatæ, ante Testatoris mortem percepti, hæredi cedunt, non legatario; nisi forte sint rei legatæ aggregati, ipsique conjuncti: quamobrem si res legata sit grex, capita quæ ante Testatoris mortem gregi sunt aggregata, immo & recenter empta, & gregi adjuncta, legatario debentur; sicut & ipsi decrescunt, si ex illis aliqua vel pereant, vel a Testatore fuerint divendita. Si in fundo legato fuerint fructus pendentes, nec collecti ante obitum Testatoris, ad legatarium pertinent. Hujusmodi autem fructus, ut superius diximus, inspecto jure naturali debentur legatario statim post morem Testatoris; ideoque hæres, vel executor testamenti, qui mala fide legati distulit traditionem, fructus inde perceptos restituere debet. Ubi vero viget jus Romanum, statuens legatum non deberi nisi post legatarii petitionem, plures Theologi censent, hæredem,

dem, qui bona fide Testamentum publicavit, vel apud Notarium deposuit, ad quem omnes accedere valent, posse rei legatæ fructus sibi retinere, donec a legatario res legata postuletur: quia, inquiunt, ad leges pertinet statuere, quando, & quomodo rerum dominia transferantur per humanos contractus. Cum itaque decreverint, legata non deberi nisi facta per legatarium petitione; ante hanc res ad hæredem spectat jure positivo. Verum probabilius meo videri docent alii Theologi, legatum statim deberi legatario; cum statim jus in re adipiscatur ob Testatoris dispositionem: leges autem non huic naturali juri derogant, sed ad lites dirimendas, & ad fraudes vitandas tempus constituunt, ultra quod differri non liceat; non vero jus alterius diminutum volunt, ut optime docent Vasquez, Molina, Gomez, aliique. Et certo de legati fructibus non mihi videtur ambigendum: nam licet hæres legatum dare non teneatur, nisi a legatario pulsetur, facta tamen petitione dominium rei legatæ, fictione juris retrotrahitur ad tempus vel mortis Testatoris, vel aditæ hæreditatis; quamobrem fructus a tali tempore ad eum pertinere dicendum est. Omnes tamen fatentur, pia legata statim ab adita hæreditate absque ulla pulsatione, vel petitione causæ piæ esse implenda.

VI. Legata vero conditionata alia sunt ad diem, idest implenda solum statuto tempore; ut si quis leget nepti suæ centum aureos eidem tradendos post biennium. Alia sub conditione, quæ si sit de præterito, vel præsente, legatum transit in purum; si vero sit de futuro contingente, est expectandus eventus: dummodo tamen conditio apposita non sit turpis, vel impossibilis; tunc enim pro non adjecta habetur. Alia sunt sub modo, quæ licet sint legatis conditionatis pene similia, aliquo tamen modo ab istis distinguuntur. Dicitur autem legatum sub modo, quando testator alteri aliquid legat cum aliquo onere, vel gravamine adjecto: ut si quis mille aureos leget, dummodo singulis annis decem amico persolvat, vel domum habitandam concedat. Discrimen a conditionato in eo situm est, quod impletio conditionati legati usque ad conditionis eventum suspenditur; eapropter si legatarius ante conditionis impletionem moriatur, evanescit legatum: e contra vero legatum sub modo statim debetur legatario, & ad ejus hæredem transit cum eodem onere. Legatum ex causa dicitur, quando testator causam exponit, vel finem, sive præteritum, sive præsentem, cujus gratia aliquid alteri legat: puta si dicat, lego centum Petro, qui negotia mea gessit fideliter, vel quia mihi opportunæ est auxiliatus. Jurisperiti censent, hujusmodi legata semper esse valida, licet causa apposita falsa sit. Nam, ut habetur L. *Demonstratio falsa* 17. §. *Quod autem*, & L. *Cum tale* 72. §. *falsum* 6. ff. de condit. & demonst. *Falsa causa legato non obest, quia ratio legandi legato non cohæret*. Excipiunt tamen, nisi certo constet, & hæres sufficienter probet, quod testator non legasset, si causam non subsistere cognovisset; vel si error testatoris fuerit in legatarii persona, puta si existimaverit legatarium esse filium, vel nepotem, vel fratrem; tunc enim absque alia probatione præsumitur, quod testator minime legasset, si agnovisset errorem.

VII. Ad conditionalia legata pertinent & illa, quæ dicuntur cum demonstratione, quæ cadere potest vel super

per personam legatarii, vel supra rem legatam. Prior habetur, quando legatarii persona aliqua circumstantia designatur; puta lego centum Titio amico benefactori meo; posterior vero, quando circumstantia rem legatam afficit; puta lego Titio centum aureos in vidulo contentos, vel quæ mihi Cajus debet. Quando designatio super personam cadit, licet falsa sit, legatum non tollit; quia ut habetur L. Proxima 30. Instit. de lege, *juris regula est*, *falsa demonstratione legatum non perimi*. Excipitur tamen, si demonstratio supra personæ substantiam cadit, ut si quis dicat, lego Titio fratri, filio, nepoti meo; tunc enim nullum est legatum, ut diximus numero præcedenti: sed valet, si error circa accidentalem aliquam personæ circumstantiam cadat; puta si dicat, relinquo Titio procuratori, vel benefactori, licet nec ille testatoris negotia procuraverit, vel illi nullum beneficium contulerit. Quando vero demonstratio super rem legatam cadit, si demonstratio falsa sit, vel in totum, vel in partem, cadit pari passu legatum; ut si quis dicat, lego Titio centum, quæ mihi debet Sempronius, qui revera nihil debet, corruit legatum; si vero dicat, lego centum in vidulo repositos, & in eo vel nulli reperiuntur nummi, vel solum in minori quantitate, vel omnino perit legatum, vel solum pro ea parte subsistit, quæ in loco demonstrato habetur. Ita communiter docent juris utriusque periti.

VIII. Codicillus est velut appendix testamento addita, quæ præter hæredis institutionem directam, legata, & fideicommissa institui possunt, & ea, quæ sunt in testamento constituta, declarari, mutari, minui, augerique valent. Dixi præter directam hæredis institutionem, nam indirectum per fideicommissionem hæredem instituere in Codicillis nulla lege vetatur. Pro Codicillorum valore non alia præstituitur solemnitas, quam quinque testium præsentia simultanea, qui mares esse possunt, ac fœminæ, & vel rogati, vel etiam si fortuito venerint, qui se subscribere debent, si in scripta redigatur codicillus, non vero ad hoc tenentur, si oretenus fiat. Omnes vero illi possunt codicillos exarare, qui valent testamentum condere, sive oretenus, sive in scriptis: possunt etiam plures fieri codicilli, nec priores per posteriores tolluntur, nisi contrarii sint, & de eadem re aliter omnino disponatur, vel Testator alterum annullet. Immo codicillus etiam ante Testamentum exaratus valet, dummodo clare appareat Testatorem a voluntate, quam in codicillo expresserat, non recessisse; vel expresse illam in subsequenti Testamento confirmet. Distinguendus tamen a clausula codicillari: hæc enim ipsum afficit Testamentum, illudque corroborat, & confirmat; adeout si forte omnimodam non sortiatur validitatem ob defectum alicujus legalis solemnitatis, valeat tamen ut codicillus. Porro hæc codicillaris formula duplex esse potest, videlicet & tacita, & expressa. Hæc posterior habetur, si Testator dicat, volo, ut hæc mea ultima dispositio, nisi ut Testamentum valeat, valeat ut codicillus. Tacite vero apposita reputatur, si dicat, hæc mea dispositio, sin ut Testamentum, omni tamen meliori modo, quo potest, valeat & servetur.

CA-

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM.

CONSECTARIA PRAECEDENTIS DOCTRINAE.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. RES in Testamento legata, si ad legatarii manus ante Testatoris mortem pervenerit titulo gratuito, cadit legatum; secus vero, si titulo oneroso. Ratio primae partis est, quia ut in L. *Omnes debitores*, ff. de oblig. & act. statuitur, neminem duplici titulo gratuito in rem eandem jus obtinere posse; & censendum est Testatorem, rem donantem legatario ante obitum, per se jam legatum implevisse, & suam voluntatem executioni demandasse: quamobrem rei pretium legatarius ab haerede nequit exposcere. Secunda vero pars opposita ratione manifesta est: nam cum Testator suo legato legatario benefacere voluerit, hic beneficio privari non debet: poterit igitur rei legatae pretium ab haerede repetere; & hic dare tenebitur.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Legatum ad pias causas, licet impleri non possit ad litteram ipsius Testatoris, non tamen corruit, sed est in aliud pium opus tradendum, & quidem non ad voluntatem haeredis, nec solius Episcopi, sed de utriusque consensu. Declaratur: si quis pecuniam leget ad Altare construendum, quod jam ab alio extructum est, vel alicui Hospitali, quod non amplius existit, vel etiam alicui pauperi, non ut amico, vel in ipsius commodum, sed per modum eleemosynae, & moriatur pauper, in hisce casibus non cessat legatum, nec in haereditatem transit; quia cum tota causa legati fuerit Legatarii pietas, haec semper persistere praesumitur. Quod vero nec solus haeres, nec solus Episcopus seorsum possint legatum mutare, ideo statuitur, ut & utrique, quod ipsis convenit, servetur, nimirum haeredi jus exequendi, quod sibi a Testatore mandatum est, & Episcopo facultas prospiciendi, legatum pium ita commutari, ut, quantum fieri potest, voluntas defuncti sancte custodiatur. Quod si haeres, vel Testamenti executor injuste voluntati Episcopi obluctetur, haec erit praeferenda. Ita docent Covarruvias, Molina, Layman, & plurimi Juris Canonici Doctores.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Legata pia alicui personarum generi, vel alicui pio operi destinata, sunt juxta Testatoris voluntatem implenda; quae vero solum in genere, & in confuso designata sunt, puta pro pauperibus in communi, non ad libitum, & beneplacitum haeredis, vel executoris sunt distribuenda, sed debito servato ordine, & inspecta implicita Testatoris volunta-te,

te, ac mente. Primam hujus Consectarii partem omnes admittunt Theologi, & Canonistæ: quia voluntas Testatoris est lex omnino servanda, a qua solum justitia, vel injustitia distributionis pendet; proinde hanc voluntatem nec in quid longe melius, & perfectius hæres, vel executor commutare potest: ut si quis legaverit magnam pecuniæ summam Hospitali diviti, & opulento, non licet hæredi legatum transferre, vel in toto, vel in parte ad Nosocomium pauperius, & magis indigens. Sic nec legatum relictum pauperibus, ad januam familiæ Testatoris concurrentibus, transferri potest ad pauperes in Hospitali domo degentes, ut docet Barbosa de Off. & Potest. Episcopi n.2. Altera vero pars ostenditur. Nam licet Testatoris dispositio nihil particulare statuat, sed in genere dicat, lego centum pauperibus, vel Ecclesiæ; semper tamen est aliquis ordo servandus, & ratio habenda ad implicitam ejus mentem. Hinc qui legatum alicui Ecclesiæ reliquit, nullam designando, præferenda est Parochialis Ecclesia, præsertim si in ea Sacramenta susceperit, & in ea ejus sit cadaver tumulatum. Similiter, quando quis in genere pecuniæ summam pauperibus distribuendam indixerit, sunt 1. consanguinei, & affines testatoris aliis pauperibus præferendi, & inter istos, qui magis indigent, juxta ordinem caritatis, juxta quem est præsumendum Testatorem maluisse legata distribui. 2. Pauperes patriæ, ubi Testator domicilium obtinebat, sunt extraneis præferendi; & inter pauperes loci est magis indigentibus succurrendum. 3. Fœminæ pauperes ceteris paribus sunt masculis indigentibus præferendæ. 4. Non plus uni dare debent, quam egeat; cum relicta pauperibus censeantur ad eorum indigentiam levandam ordinata, non ad superflua habenda. 5. Quod in pauperes distribuendum legatur, non licet regulariter uni dare, sed est in plures distribuendum; cum hoc indicent verba Testatoris in plurali loquentis. 6. Non prohibetur tamen Executoribus testamentorum hæc legata pauperi Hospitali tradere, præsertim si vel in fundo frugifero, vel in annuo censu legatum constitutum sit. Non vero alicui familiæ etiam pauperi, & indigenti in perpetuum applicare; cum contingere possit familiam ditiorem fieri, & sic Testatoris voluntatem minime impleri. 7. Sicut nec prohibetur ipsi Executori testamenti, si vere pauper sit, & indigens, sibi per modum eleemosynæ partem legati suæ indigentiæ levandæ sufficientem applicare; ut docet etiam S. Th. 2. 2. q. 32. art. 9. ad 3. scribens: *Cum aliquis distributor ponitur eleemosynarum, potest & ipse sibi accipere, si indigeat, eo tenore, quo & aliis ministrat*. Excipiendum, nisi aliter constet de voluntate Testatoris, qui certe nihil illi concedi voluisse præsumitur, quando aliquo legato, vel beneficio ipsum Executorem affecit. Nec prohibetur eidem Executori etiam suis, sive affinibus, sive consanguineis partem legati juxta eorum indigentiam impertiri. Quod si minus pauperes pauperioribus præferat, licet contra justitiam non peccet, quia eam prælationem non præstituit Testator, qui solum pauperes legatarios designavit; fidelitas tamen postulat, ut implicitam Testatoris mentem sequatur, qui procul dubio voluit ordinem caritatis servari, & magis indigentibus subveniri. 8. Si quis legatum reliquit pro dote trium suarum consanguinearum pauperum, liberam hæredi permittendo illarum electionem,

hic

hic ex pluribus consanguineis poterit, quas sibi libuerit, nulla habita ad proximiorem sanguinis conjunctionem ratione, deligere, si vero hanc electionem expresse ipsi non reservaverit, sed absolute tres dixerit consanguineas pauperes, tenebitur proximiores remotioribus præferre; cum præsumere jure possit, Testatorem ordinem caritatis servandum voluisse, & successionis.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Licet legatum alicui relictum sub conditione, dummodo non contrahat matrimonium, dandum sit legatario etiam matrimonium celebranti; quippe quia talis conditio habetur pro non adjecta, cum bono matrimonii, & Reipublicæ adversetur: tamen si vel vidua sit, cui tale datur legatum, vel conditio sit limitata, ne tali nubat viro, legatum nonnisi servata conditione poterit obtinere. Pari pacto legatum debetur, quando legatarius sine sua culpa, & voluntate a conditione implenda impeditur: ut si frater fratri pecuniæ summam legato relinquat, dummodo Bertam in matrimonium ducat; si hæc vel matrimonium recuset, vel Religionem ingrediatur, non cadit legatum, sed fratri dandum est, cum a beneficio repelli non possit absque sua culpa. Nec pariter privatur legato mulier, si nubat, quando a Testatore dicitur, quod detur mulieri, si caste, & honeste vivat; cum & in ipso matrimonio honeste, castèque vivere possit.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Quamvis legata alicui determinatæ puellæ relicta sub conditione, si nubat, aut quando nupserit, illi debeantur, licet religiosum statum amplectatur; non tamen legata universim pro puellis nuptui tradendis, sunt virginibus ingredi Religionem volentibus concedenda. Prima pars hujus Consectarii communis est apud Theologos, & Juris Canonici Magistros, & definita legitur in *Authent.* de Sanctiss. Episc. §. & *hoc præsente*: & quidem jure meritoque, ne videlicet temporale beneficium impedimentum sit melioris boni spiritualis; & puella ob temporalis boni consecutionem, & emolumentum a perfectiori statu, ad quem a Deo invitatur, & a divino servitio retrahatur. Sed secundæ parti plures adversantur Theologi, quos inter Salmanticenses, qui putant legata pro puellis nuptui tradendis in communi, posse etiam concedi puellis volentibus ingredi Religionem, his permoti argumentis. 1. Ex ipsa authentica rationem desumunt, quia ibi, quod de certa, & determinata puella statuitur, extenditur postea in fine ad omnes, addit enim Justinianus, *seu alteri cuicumque personæ*; quæ clausula, cum generalis sit, omnes universim complectitur puellas. 2. Quia hoc pacto impeditur assumptio status Religiosi; quod impedimentum sua lege auferre voluit Imperator. 3. Quia, si decernatur legatum dandum esse solis puellis nubere volentibus, non vero Religionem amplectentibus, supponitur voluntatem Testatoris hanc conditionem involvisse, *si non ingrediantur Religionem*; quæ conditio, cum turpis sit, a lege rejicitur; proinde vel supponitur non posita, & sic licebit legatum & Religionem ingredi volentibus dare; vel supponitur apposita, & tunc, cum merito rejiciatur, & tanquam apposita non habeatur, non impediet, ne legatum & illis dari possit. Verum hæc tanti non sunt facienda, ut a communi nos avocent sententia, & quidem longe probabiliori,

ri, afferente legatum, determinate relictum pro puellis in genere nubere volentibus, non esse licite concedendum puellis Religiosum statum amplexuris. Nam, voluntas Testatoris est sola lex in Testamentis, & legatis attendenda, nec ab ea recedendum: cum itaque ille bona sua legaverit puellis nuptui tradendis, non est, cur virginibus Religionem ingressuris tradantur. Nec obstat dispositio Authenticæ: non exorbitans est a jure communi, & naturali poscente, ut voluntates Testatoris ad litteram, & exacte impleantur; proinde non est ad alios usus trahenda. Nec quid amplius dicunt postrema verba, *seu alteri cuicumque personæ*: nam semper lex loquitur de legatis relictis certæ, & determinatæ personæ, non de illis, quæ in genere, vel specie solum personas determinant. Præterea manifesta est ratio, cur Authentica statuerit dandum legatum puellæ determinatæ, licet matrimonium recuset, & Religionem eligat; nimirum quia aliter legatum illud impleri non posset: nam si alteri fœminæ nupturæ tradatur, beneficio fraudatur puella a Testatore delecta, cui cum specialem ostendat suo beneficio dilectionem, præsumendum est voluisse & illi legare, etiamsi Religionem ingrediatur. At quando in genere sunt designatæ puellæ nupturæ, legatum realiter, & perfecte impleri potest; nulla proinde apparet legitima ratio mutandi Testatoris voluntatem. Nec hoc legati genus impedit status Religiosi electionem; cum pro illis puellis decernatur, quæ jam Religionis statum deligere nolunt, & matrimoniale jugum subire malunt. Quamobrem falsum omnino est, & ineptum, quod afferunt Salmanticenses, in illis legatis implicite contineri hanc conditionem, *si Religionem non ingrediatur*: cum de hoc ne quidem cogitent Testatores, sed attendentes non omnes virgines ad Religionis statum vocari, sed aliquas optate matrimonium, quod ob paupertatem opportunum non inveniunt, istis suo pio legato auxiliari intendunt: quod profecto cum justum, honestum, piumque sit, nullam turpem nec implicite, nec explicite conditionem involvit; nihil proinde impedit, ne ejus voluntas ad literam impleatur, & legata non volentibus Religiosum, sed matrimonialem statum puellis sint tradenda. Et revera ita sentiunt inter Juris Canonici Peritos Barbosa, Guttierez, Covarruvias, inter Theologos vero Sanchez de Matrimonio, Molina, Lugo, aliique plurimi. Quod si nullæ sint pauperes puellæ, quæ ad matrimonium legato indigeant, nihil prohibet, ne inutile sit, quod & puellis Religionis statum deligentibus tradi possit.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Universim in legatis implendis tum ab herede, tum ab executoribus non est a voluntate, aut a verbis Testatoris recedendum, nec obtentu melioris boni. Hæc regula omnino certa videtur, & quæ, si præ oculis habeatur, innumeras resolvit quæstiones, quas fusius versant Theologi. Certa, inquam, est, & justa: nam, ut pluries diximus, sola voluntas Testatoris legem indicit, & aperte in jure statuitur: *Disponat unusquisque super suis, ut dignum est, & sit lex ejus voluntas*. Et rursum Novel. 1. in Præf. dicitur: *Justum est competentes deficientium dispositiones, quæcumque non repugnant legibus, omnibus modis adimpleri*. Nec attendendum ab Executoribus testamentorum, quod melius est, vel utilius dis-

disposuisset testator; sed quid revera ordinaverit, & faciendum jusserit; ut declaravit etiam Clemens V. in Concilio Viennensi, ubi indicitur: *Cum ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate) converti*. Quamobrem veram non puto doctrinam Reiffenstuel, Molinæ, & Dianæ, docentium aliquando licere Episcopo, hæredibus, & executoribus per epikejam voluntates testatorum interpretari; ut si quis e. ex. pecuniam reliquit Ecclesiæ ad sacra vasa, & calices casulasque comparandos, Ecclesia vero reparatione, vel alia re magis necessaria indigeat, poterunt executores saltem de consensu Episcopi pecuniam non in vasis, & casulis, ut voluit testator, sed ad reparationem Ecclesiæ insumere: hoc enim est, meo videri, non voluntatem testatoris interpretari, sed aperte mutare contra Decretum Clementis V. perspicue dicentis, *quæ ad certum* USUM *sunt destinata*, *ad* ILLUM, *non* ALIUM debere converti. Immo contra jus civile L. 23. ff. de leg. indicente: *Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quæstio*. Nec locum hic habere potest epikeja, quæ solum tunc obtinet, quando actus legi conformis, vel malus fit, vel communi bono noxius; ut docet S. Thom. 1. 2. q. 96. a. 2. qui dicit, tunc *licere a legis verbis recedere, quando manifestum est per evidentiam nocumenti, Legislatorem aliud intendisse*. Vel ut clarius scribit 2. 2. q. 120. a. 1. *Quando malum est sequi legem positam, bonum autem prætermissis verbis legis sequi id quod poscit justitiæ ratio, & communis utilitas ad hoc ordinetur epikeja*: sive quando mens legislatoris est dubia, nam ex eodem S. Thom. l. q. 120. art. 4. ad 3. *Interpretatio locum habet in dubiis, sed in manifestis non est opus interpretatione, sed executione*. Porro in casu nostro nec ullum est manifestum nocumentum, quod a Legislatoris verbis, & voluntate recedere compellat; & verba testatoris aperta, & clara sunt quæ proinde, cum interpretatione non indigeant, executioni sunt demandanda. Nec urgeat, etiam testatorem, si viveret, & præsens esset, mutationem approbaturum; quippe quia talis mutatio rationabilis est, & pia. Nam, non quid voluisset, sed quid revera præscripserit, est attendendum; & hæc mutatio nec rationabilis est, nec pia, si penitius introspiciatur; cum universaliorem legem feriat latam in jure canonico C. *ultima* q. 2. caus. 3. verbis S. Gregorii jubentem: *ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debet*. Pari pacto legatum relictum pro puellis nubendis indefinite, non licet concedere puellis jam nuptis, vel exigua, vel sine dote. Dixi indefinite: nam si relictum sit pro determinatis puellis, puta affinibus, vel consanguineis testatoris, cum in tali legato specialis appareat affectus, & voluntas illis benefaciendi, censerem posse etiam nuptis tradi; præsertim si puellæ desint in tali classe matrimonio copulandæ. Quod & dicendum de legatis relictis pro nuptui tradendis orphanis, quæ dari non debent puellis parentes habentibus inutiles, & pauperes, nisi ex prima classe deficiant: nec viduis, quæ virginibus sunt destinata. Quando vero legatum pro nubendis virginibus est assignatum, non sunt ab eo excludendæ puellæ, quæ, licet secreto corruptæ, in communi tamen opinione pro virginibus habentur, cum in tali designatione non secreta attendatur notitia, sed publica fama;

præ-

præsertim si ex legati denegatione bonum puellæ nomen periclitaretur.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Quando in legatis mens testatoris dubia est, interpretatione est explicanda: si vero certa, & explorata, sed impleri non possit, commutandum legatum, si pium sit, vel in commune, etiam prophanum bonum institutum. Prima pars est manifesta: nam cum voluntas testatoris lex sit, jure gentium; & civili est servanda, & ob dubium non est abolenda. Hæc autem interpretatio fieri poterit a quolibet in tali re perito; verum inspectis verbis, & voluntate testatoris, nec non circumstantiis. Ut si quis leget alicui Parocho aliquid, & dubium occurrat, num Personæ relictum sit, an Ecclesiæ, ex circumstantiis est dijudicandum. Nam si legatum relictum sit ab extraneo, nulla præcedente necessitudine cum Parocho; tunc censendum relictum Ecclesiæ, & Parochi nomen assumptum, non ad designandam personam, sed officium, & administrationem. Si vero legatum sit ab amico consanguineo familiari Parochi vel Episcopi, censetur relictum intuitu personæ, & nomen dignitatis, vel officii ad honorem, & designationem adhibitum. Attendenda est etiam legati qualitas, quæ, si talis sit, ut servitio Ecclesiæ ordinetur, puta sacra paramenta, calices, lampades, & similia, censentur Ecclesiæ, non personæ legata: si vero talia sint, ut privato de se sint destinata servitio, puta equus, rheda, retia, & similia, licet ab extraneo relicta, non ad Ecclesiam pertinere censendum est, sed ad privatam Parochi, rectoris, vel Episcopi personam. Quando vero legatum impleri non potest, ut si quis domum leget nepoti ad inhabitandum, qui jam Religionem professus est, caducum fit, & ad hæredem devolvitur. Si vero in bonum publicum cedat, puta pontis, vel fontis costructionem in tali loco ad communem utilitatem, hæredi per modum legati imponat, & pons, vel fons jam ab aliis fuerant constructa, non fit caducum legatum, ut statuitur L. 16. ff. de usu & usufruc. & redit. Legat. sed in aliud opus publico bono inserviens ad Principis beneplacitum erit convertendum. Et jure merito: quia præsumitur testatorem primo, & principaliter publicam respexisse utilitatem, & commune bonum, ad quod legatum destinavit; & solum secundario tale opus determinasse. Quod multo magis verum est, cum de piis legatis agitur, ut superius ostendimus, & constat ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 8. & sess. 22. cap. 6. ubi statuit: „ In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ „ nonnisi ex justa, & necessaria causa „ fieri debent, Episcopi, tanquam delegati Sedis Apostolicæ, summario, „ & extrajudicialiter cognoscant, nihil „ in precibus, tacita veritate, vel suggesta falsitate, fuisse narratum, „ priusquam commutationes prædictæ „ executioni demandentur „. Summus vero Pontifex rationabili de causa testatorum voluntates potest commutare in pia legata, & testamenta ad causas pias.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Legata incerta, & indeterminata juxta leges, & naturalem æquitatem sunt distribuenda. Et primo quidem, si incertitudo, & indeterminatio supra ipsam rem legatam cadat, adeout dignosci nequeat, quam legaverit; c. ex. Si quis leget amico prædium talis appel-

pellationis, quæ communis est duobus prædiis ad testatorem pertinentibus, sed diversi, & longe disparis pretii, nam unum duobus millibus, alterum quatuor millibus æstimatur; jura statuunt legatum esse caducum, quia commode executioni demandari non potest. Nam, si executor testamenti prædium minoris valoris Legatario tradat, ipsum fraudabit; si majoris, fraudabit hæredem: quod & continget, si domum relinquat Petro amico suo, & duos habeat ejusdem nominis amicos, unde dignosci nequeat, quem designare maluerit. At æquitate naturali inspecta, præsertim in secundo casu, putarem rem esse inter amicos ejusdem nominis dividendam; sicut & in priori cum hærede a Legatario transigendum. Et hic locum habet regula, quam superius tradidimus, nimirum inspiciendum, quid judex justus juxta leges, & consuetudines locorum decerneret pro æquitate, & justitia; & tunc standum decisioni. Quando vero res legata determinata quidem est in specie, ac non in individuo; puta, si dicat, lego amico meo unum ex meis vestibus, horologiis, anulis; tunc inspiciendum est, num aliquod extet in testamento argumentum, quod indicet, a quo sit faciendæ electio, & illi est relinquenda. Nonnulli Canonistæ, ut Molina, hanc regulam tradunt: si verba dirigantur ad hæredem, vel executorem testamenti, puta dicendo, det legati nomine amico meo unam ex meis vestibus; tunc determinatio ad hæredem, vel executorem testamenti pertinet: si vero verba dirigat ad Legatarium, puta dicendo, Petrus in amoris argumentum unam vestem, vel anulum habeat: tunc electio ad Legatarium spectabit. Alii vero aliter distinguunt, nimirum, si res legata sit in patrimonio testatoris, ad Legatarium pertinere electionem; si vero non sit, sed ab hærede, vel executore testamenti sit acquirenda, electio ad hæredem, vel executorem spectabit, ut censet Layman. At probabilius, meo videri, censent alii, & magis apparet æquitati consonum; quando electio non datur expresse Legatario, semper ad hæredem, vel executorem testamenti pertinere electionem. 1. Quia semper præsumendum est, testatorem magis favere voluisse hæredi, quam Legatario. 2. Quia cum res omnes testatoris ad hæredem pertineant, cum onere & æs alienum solvendi; & legata implendi, videtur non nimis gravandus, & re pretiosa spoliandus pro jure legatarii incerto, & indeterminato. Hinc si testator duo habuerit horologia, alterum aureum, alterum argenteum, duos anulos, unum altero pretiosiorem; poterit hæres horologium argenteum, & anulum minus pretiosum tradere legatario. At non ita, si agatur de rebus multis ejusdem naturæ, puta de veste danda inter plures, quas habet testator, vel de equo, vel de pictura; tunc enim nec hæres, si ad eum pertineat determinatio, infimum dare potest, nec legatarius optimum, & pretiosissimum deligere; quia naturalem læderent æquitatem: sed mediocria inter supremum, & infimum præeligere debent; nisi aliter vel ex verbis testatoris, vel ex circumstantiis colligi possit. Semel autem facta designatione, sive per hæredem, sive per legatarium, mutatio pro libito, & voluntate non est facienda, sive facta sit designatio coram judice, sive privata conventione; quia jus eligendi a testatore concessum tunc integre consummatum est. Quam regulam puto & in piis legatis ser-

servandam. Quod si ante designationem res pereat omnino, tum hæredi, tum legatario perit; ut si quis leget Titio unum ex duobus equis, quos possidet, & ante electionem ambo moriantur, nihil debet legatario hæres. Si vero unus tantum pereat, & quidem fortuito casu; equus superstes debetur legatario, cum ex legato jus habeat ad unum equum testatoris. Hoc jure tamen decidit, si provocatus ab hærede, vel executore sive ad eligendum, sive ad recipiendum designatum equum, sit in mora culpabili vel eligendi, vel recipiendi; tunc enim ipsi periret equus: sicut ex adverso, si hæres provocatus a legatario ad designandum, vel tradendum equum sibi relictum: ex dolo, vel mora culpabili designationem, & traditionem differret. Designatione facta rei legatæ sive per ipsum legatarium, sive per hæredem, statim res ipsa pertinet ad legatarium, cui perit, si forte perit, licet apud hæredem sit; nisi pereat hujus culpa, qui rem custodire tenetur eadem diligentia, qua sua paris valoris, & æstimationis custodit. De evictione vero traditi legati non tenetur hæres, quando res est in individuo a testatore designata, ut si quis vineam, vel domum determinatam, & designatam leget nepoti suo, & hæc ab alio in judicio evincatur; non tenetur hæres aliam vineam, vel domum cedere legatario: quia præsumendum est, quod vineam non legasset, si suam esse non putasset; ut inquit Justinianus in Instit. de leg. 54. *Forsitan enim, si scivisset alienam rem esse, non legasset*. Si tamen in evictione vineæ, vel domus ejus pretium esset persolvendum, hoc non ad hæredem sed ad legatarium pertineret. At si res legata non in individuo, sed in specie fuerit a testatore designata, puta dicendo, lego unam ex meis vineis, vel domibus nepoti meo; tunc ab hærede alia est tradenda vinea, vel domus ex iis, quæ sunt in patrimonio testatoris; quia est præsumendum, testatorem voluisse nepoti suo beneficium non prorsus inutile conferre, ut statuitur Leg. 29. §. 3. ff. de Legatis. Denique nulli legatario licet propria auctoritate rem legatam occupare; sed ab hærede, vel executore testamenti eam accipere debet: qui si detrectet, non vi, & violentia, vel occulta compensatione res est occupanda; sed juris remedio ad, quod suum est, obtinendum uti debet. Et hæc de Contractibus dicta sufficiant.

REFLEXIO.

I. Utinam saperent Christifideles, & novissima providerent, idest ut egregie explicat S. Bernardus ep. 292. *saperent, quæ Dei sunt, intelligerent, quæ mundi sunt, providerent, quæ inferni sunt*. Si quidem saperent multo gratiora Deo esse beneficia, quæ pauperibus, Ecclesiæ, piisque locis offeruntur, dum homines vita fruuntur, & prospera valetudine gaudent, quam cum morti proximi, vel non ex plena voluntate, sed ex quadam necessitate deferunt potius, quam elargiuntur. Hinc Ecclesiastici 14. sic omnes admonet Dominus: *Fili, si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. . . . Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis a die bono, & particula boni doni non te prætereat. Da, & accipe, & justifica animam tuam*. Saperent majoris esse meriti, & uberioris satisfactionis apud Deum pia, quæ a vivis exercentur, opera, quam quæ a morituris præstanda hæredibus, & successoribus mandan-

dantur. Hinc optime S. Carolus Borromæus in suis Instructionibus de visitatione infirmorum mandat Parochis, & Confessariis: „ Legata pia, quæ fecerit, præstari quam primum, aut „ etiam eo vivente monebunt; cum hoc „ ei plurimum suffragari possit ad ani„ mæ salutem ". Quod maxime verum est, si de rebus alienis restituendis agatur, cum hoc justitiæ munus sit, & semper urgeat, nec sine periculo animæ differri possit, & ipse per se testator implere debeat; nec nisi summa urgente necessitate est posteris dimittendum. Quamobrem subdit laudatus SS. Præsul: „ In primis monebunt, quæ „ quamquam semper præstanda sunt, „ tali tamen tempore in primis, ut si „ quid alieni habet, si per facultates „ potest, quamprimum restituat, aut „ saltem id præstari testamento caveat ".

II. *Intelligerent, quæ mundi sunt*, nimirum omnia denique in morte dimittenda, & nudos de ventre matris egressos, nudos in terram omnium matrem tandem reversuros: frustra igitur tantis curis, sollicitudinibus, sudoribus hæc terrena comparari, & quæ tandem parata nesciunt, cujus erunt. Hinc verba Christi meditentur, dicentis diviti plurima bona sibi cumulasse gaudenti: *stulte, hac nocte animam repetent a te, & hac, quæ parasti, cujus erunt?* Parum siquidem prodest plurima bona in plurimos annos corrogasse, si desint anni, quibus corrogatis fruantur bonis. Intelligerent, quam optimum, opportunum, & salutare sit de rebus suis disponere, vel dum sani sunt tum mente, tum corpore; & quam graviter errent, qui de condendo testamento tunc solum cogitant, cum morbo ingravescente, & urgente morte, & quidem non sponte, sed ab amicis, & consanguineis coacti, vix quid dicant, quid faciant, norunt, & delirare potius videntur, quam loqui, & de re tanti momenti sapienter, & juste disponere. Unde tot oriuntur perturbata confusa testamenta, quæ postea innumeras, & pene interminabiles generant inter consanguineos, affines, hæredes, contentiones, lites, diffidia, quæ omnia facile vitare potuissent, si mature de rebus suis disposuissent; adhibitis etiam, ut optime monet laudatus S. Archiepiscopus Carolus „ Religiosis hominibus, „ doctrina, & pietatis usu præstanti„ bus, de quorum consilio, non ex ar„ bitrio, non ex inordinato amore, vel „ aliis humanis affectionibus Ita de re„ bus suis statuant, ut justitiam, pie„ tatem, caritatem respiciant, & in „ remedium animæ suæ pro facultatibus „ aliqua pia opera jubeant ". Duo autem præsertim attendant, nimirum 1., ut testamentum conficiant, dum sunt in gratia; ut actus justitiæ, & caritatis, quos in disponendo de rebus suis exercent, nec non pia opera, quæ fieri mandant, sint Deo grata, ipsis salubria, & meritoria: alioquin non ipsis proderunt ad vitam æternam, nec efficere poterunt, ut in æterna recipiantur tabernacula. Quamobrem, si forte contigerit, conditum ab aliquo testamentum fuisse, dum erat lethali peccato inquinatus, post recuperatam per Pœnitentiæ Sacramentum gratiam, confirmet, adprobet, ratumque iterum habeat, quod pie in eo disposuit, ne meritum perdat. Alterum vero, quod attendere debent testatores, est, ne perpetuis piis legatis hæredes onerent: plerumque enim contingit, ut post plures annos, pluresque generationes, immo & aliquando non post multas, illorum vel obliviscantur, vel indigentia omit-

omittant, vel etiam plena malitia contemnant, non sine magno familiarum detrimento, tum temporali, tum spirituali. Nec arbitrentur, se magno privari beneficio, si non perpetua, sed tantum temporaria sibi suffragia relinquant. Nam hic erga Deum amor, & Christiana sollicitudo, ne hujusmodi omissionibus offendatur, ipsis quam maxime poterit in salutem animæ prodesse.

III. *Providerent, quæ inferni sunt*, cogitantes parum, vel minimum sibi profutura suffragia, Sacrificia, pia opera in testamentis pro animarum suarum remedio relicta, si talem non duxerint vitam, per quam ista sibi prodesse meruerint. Ut enim optime monet S. Augustinus in Enchir. cap. 119. „ Negandum non est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis Sacrificium mediatoris offertur vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui, cum viverent, hæc sibi, ut postea possent prodesse, meruerunt „. Frustra igitur de multitudine Missarum sibi blandiuntur post mortem in eorum levamen celebrandarum qui in hac vita degentes, pro suis peccatis dignos facere pœnitentiæ fructus & debitam Deo exhibere satisfactionem neglexerint: sunt enim hæc suffragia, sicut & indulgentiæ, impotentiæ nostræ subsidia, non negligentiæ, desidiæ, & oscitantiæ nostræ supplementa. Quamobrem non raro Deus justus judex, qui omnia summa sapientia, & providentia regit, ac moderatur, hæc suffragia ab hæredibus vel omitti, vel negligenter suppleri permittit, ut sic beneficio, de quo nimium confidenter sibi blandiebantur, careant, & sperato fraudentur levamine. Ut enim optime docet S. Th. Quodl. 6. q. 8. a. 3. per suffragiorum tarditatem, multoque magis omissionem retardantur orationes, & Sacrificia, quæ fierent pro anima defuncti, ex quibus plurimum juvaretur: unde ex hujusmodi tarditate defuncti anima patitur detrimentum. Ad cujus intelligentiam, ne error subrepat, sic mentem suam aperit S. D., duplex distinguens detrimentum. Nam quoddam (scribit) „ detrimentum est, quod pertinet ad toleranțiam pœnæ secundum illud 1. Corinth. 3. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur.* Aliud autem, quod pertinet ad subtractionem remedii. Secundo etiam distinguendum est ex parte eleemosynæ, circa quam porest considerari detrimentum ipsius eleemosynæ, & effectus illius. Quantum ergo ad meritum eleemosynæ nullum detrimentum patitur defunctus ex prædicta tarditate, maxime si, quantum in ipso fuit, curam adhibuit, ut hujusmodi eleemosynæ cito darentur; quia meritum principaliter ex voluntate, & intentione dependet. Sed quantum ad effectum eleemosynæ patitur detrimentum, non quidem, ut pro hujusmodi tarditate puniatur, sed quia remedium ei non adhibetur, dum suffragia differuntur, ex quibus plurimum juvaretur ". Porro hæc S. Th. doctrina, quam refert S. Antoninus in Sum. P. IV. tit. 19. §. 6. & vellicatur a Juvenino To. 1. Resol. Tr. 7. cap. 8. n. 10. doctrinæ non adversatur S. Augustini lib. de Cura pro mort. geren. docentis, impiorum malitiam nocere non posse defunctis. Nam, ut optime subdit S. Thom. l. l. in resp. ad 1. „ Negligentia unius non imputatur alteri ad pœnam; potest tamen redundari in alterum quantum ad effectum remedii, secundum quod unus homo ab alio adjuvari potest „. Præter quam quod S. Augustinus l. l. de Ty-

ra-

rannorum sævitia loquitur, qui corpora Martyrum insepulta volebant, ut ab avibus, & feris discerperentur, vel igne concremabant, & pulveres vel in flumen projiciendos, vel in aerem dispergendos jubebant: & hoc dicit, nec gloriam, quietem, & gaudium Martyrum impedire, nec obesse, ne Deus in extremo judicio ad gloriam in vitam revocet.

IV. Hinc suam agnoscant, & detestentur crudelitatem hæredes, & testamentorum executores, qui suffragia, & pia opera sibi a testatoribus injuncta vel differunt, vel negligunt, vel omittunt. Quamvis enim (ut scribit S. Antoninus l. l.), non noceat hoc animabus defunctorum quantum ad meritum, quia „ minui non potest post transitum eorum; nec noceat quoad augmentum „ pœnæ; nocet tamen quoad subtractionem suffragii: quia, cum non „ fiunt, non ita cito liberatur a pœnis „ anima, sicut liberaretur, si facta „ fuissent. Et illi quidem, qui negligunt implere notabiliter, & sine causa urgente differendo, & multo magis non faciendo, peccant mortaliter, „ quia inferunt damnum notabile proximo. Unde d. 13. q. 2. *Qui oblationes* dicitur: *Tales, ut necatores egentium, excommunicentur* “.

TRACTATUS VIII.

DE RESTITUTIONE.

TAMETSI non uno ex capite alterius damni reparandi onus exurgat, cum tamen frequentius ex contractibus oriatur, humana impellente avaritia, per quam commutativæ justitiæ jura integre non servantur, quamobrem illius reparandæ necessitas incumbit: hinc post disputationem de Contractibus aliam subjicimus de Restitutione, in qua omnia, quæ ad eam pertinent, duobus dissertationibus in plura capita distributis enucleabimus.

DISSERTATIO I.

DE RESTITUTIONIS NATURA, NECESSITATE, MODO, ET CAUSIS.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit restitutio, quomodo necessaria, & quibus ex causis generatim oriatur.

DOCTRINA.

I. *Quid sit restitutio proprie dicta.*
II. *Quænam impropria.*
III. *Quid satisfactio.*
IV. *Restitutio est ad salutem necessaria.*
V. *Restitutionis præceptum affirmativum simul, & negativum.*
VI. *Locum non habet nisi in violatione justitiæ commutativæ.*
VII. *Nulla interveniente culpa theologica num dari possit onus restitutionis.*
VIII. *Num ex sola culpa veniali.*
IX. X. *Nonnullorum Theologorum sententia exponuntur.*
XI. *Illorum argumenta refelluntur.*
XII. *In contractibus, etiam sine culpa theologica, locum habet onus restitutionis.*
XIII. *Ex quibus causis oriatur debitum restitutionis.*

I. RESTITUTIO definiri potest *Actus justitiæ commutativæ, qua dominus iterum in possessione rei ad se aliquo modo pertinentis statuitur.* Desumpta est hæc definitio ex S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 1. scribente: *Restituere nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ.* Dicitur actus commutativæ justitiæ, quia cum *restitutione attendatur æqualitas* (subdit S. Thom. l. l.) *rei ad rem, quod pertinet ad justitiam commutativam .... restitutio est actus commutativæ justitiæ, quando scilicet res unius ab altero habetur, vel per voluntatem ejus, sicut in mutuo, vel deposito, vel contra voluntatem ejus, sicut in furto, & in rapina.* Nec obstat aliquando restitutionem esse faciendam etiam ob violatam distributivam justitiam, ut quando cui majus debetur præmium, minus rependitur. Nam & tunc, ut egregie animadvertit S. Thom. cum adhuc fiat recompensatio rei sibi debitæ ad rem minorem, quam accipit, ut inducatur æqualitas, hæc non jam ad distributivam justitiam, sed ad commutativam spectabit. Sic difficultatem sibi objectam solvit S. D. a. 1. scribens: „Restitutio „est quasi quædam recompensatio ejus, „quod subtractum est. Sed aliquid potest homini subtrahi non solum in „commutatione, sed etiam in distributione, puta cum aliquis distribuens „minus dat alicui, quam debeat habere. Ergo restitutio non est magis „actus commutativæ justitiæ, quam „distributivæ". Cui difficultati sic respondet ad 3. „Recompensatio, quam „facit distribuens ei, cui dedit minus „quam debuit, fit per comparationem „rei ad rem, ut quanto minus habuit, „quam debuit, tanto plus ei detur. „Et ideo jam pertinet ad justitiam „commutativam".

II. Dicitur restitutio, *qua iterato quis statuitur in possessione.* Nam ad restitutio-

nem requiritur, ut alter vel per ablationem, vel detentionem injustam, vel saltem injusta actione re sibi debita sit ante privatus: unde restitutio solum nomine tenus dicitur illa, qua res dono accepta donanti restituitur. Etenim inquit S. Thom. laud. art. ad 1. *Illud, quod alteri non debetur, non est proprie loquendo ejus, etsi aliquando ejus fuerit. Et ideo magis videtur esse nova donatio, quam restitutio, cum quis alteri reddit, quod ei non debetur. Habet tamen aliquam similitudinem restitutionis: quia res materialiter eadem est. Non tamen est eadem secundum formalem rationem, quam respicit justitia, quod est esse suum alicujus: unde nec proprie restitutio dicitur.*

III. Dicitur restitutio *Rei*, quia licet etiam ex rigorosa justitia quis restituere debeat, & sarcire læsum sive in fama, sive in honore, sive in membris corporis, tamen hæc restitutio proprio nomine vocatur satisfactio, ut notat S. Th. in IV. Dist. 15. q. 1. art. 5. qu. 1. *Restitutio est reparatio inæqualitatis existentis in rebus. Reparatio autem inæqualitatis existentis in actionibus, & passionibus satisfactio nominatur.* Præterea in hac restitutione, seu satisfactione non servatur æqualitas rei ad rem, sed rei secundum quamdam proportionem, respectu nimirum habito ad ipsam personam offensam, & ad offendentis personam. Hinc docet S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 1. ad 2. *Secundum primam impositionem nominis, restitutio videtur locum habere præcipue in rebus exterioribus, quæ manentes eædem, & secundum substantiam, & secundum jus dominii, ab uno possunt ad alium devenire. Sed sicut ab hujusmodi rebus nomen commutationis translatum est ab actiones, vel passiones, quæ pertinent ad reverentiam, vel injuriam alicujus personæ, seu nocumentum, vel profectum: ita etiam nomen restitutionis derivatur ad hæc quæ licet realiter non maneant, tamen manent in effectu; vel corporali, puta cum ex percussione læditur corpus; vel qui est in opinione hominum sicut cum aliquis verbo opprobrioso remanet infamatus, vel etiam minoratus in suo honore.* Denique extenditur etiam nomen restitutionis ad illas solutiones, quæ alicui debentur ex aliquo contractu; ut cum quis operario mercedem solvit, vel locatori pretium conductionis: cum & hæ solutiones, licet injuriam non supponant a debitore illatam creditori, ex justitia tamen commutativa debentur, ejusque legibus reguntur: quamobrem hæ duo *solutio, & restitutio pro eodem usurpantur.*

IV. Necessariam esse ad salutem restitutionem nullus est qui ambigat, cum aperte doceatur in Scripturis. Tob. 11. *Videte ne furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis edere ex furtivis.* Et confirmant SS. Augustinus, & Gregorius Papa; ille quidem Epistola 54. ad Macedonium scribens: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi potest, non redditur, pœnitentia non agitur, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed, ut dixi, cum restitui potest: si enim non habet, unde restituat, huic certe non possumus dicere, redde, quod abstulisti.* Alter vero, cujus verba referuntur in Jure Can. Can. Falsas de pœnit. dist. 6. scribit: *Qui bona alterius injuste detinet, veram pœnitentiam non potest peragere, per quam ad æternam vitam pervenire valeat, nisi bona, quæ injuste abstulit, restituat.* Rationem autem reddit S. Thom. non quidem ad probationem, cum hæc veritas sit ipso naturali lumine per se nota, sed ad explicationem scribens art. 2. Re-

Restitutio est actus commutativæ justitiæ, quæ in quadam æqualitate consistit. Et ideo restituere importat redditionem illius rei, quæ injuste ablata est. Sic enim per iteratam ejus exhibitionem æqualitas reparatur. Si vero juste ablatum sit, æqualitas erit. Et ideo non necessarium erit, ut ei restituatur; quia justitia in æqualitate consistit. Cum ergo conservare justitiam sit de necessitate salutis, consequens est, quod restituere id, quod injuste ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.

V. Restitutionis naturale, & divinum præceptum non solum affirmativum est, ut verba ipsa sonant, & omnes Theologi censent, sed & negativum, duo enim per illud præcipiuntur. Primum est ut res aliena domino restituatur: & licet hoc modo inspectum non obliget semper, & pro semper, sed solum cum possis, & data opportunitate, unde affirmativi præcepti rationem habet, includit tamen & ex hac parte præceptum negativum, obligans semper, & pro semper, ut scilicet nunquam animum, & voluntatem deponas rem alienam, cum poteris, restituendi. Alterum est, ne rem alienam nec per modicum tempus retineas, sed statim domino suo reddas: & hoc modo negativum est, quod semper rem alienam possidentem urget; adeo ut injustus sit, quotiescumque restituere valens restitutionem omittat. Ita S. Thom. hic a. 8. scribens: *Sicut accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam: quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum ab usu rei suæ; & sic ei facit injuriam.... Et ideo quilibet tenetur statim restituere, si potest, vel petere dilationem ab eo, qui potest usum rei concedere.* Et in resp. ad 1. subdit: *Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alienam detinere.* Et iterum in resp. ad 3. *Quia per dilationem restitutionis committitur peccatum injustæ detentionis, quod justitiæ opponitur, ideo necesse est tempus esse determinatum, ut statim restitutio fiat.*

VI. Cum ex solius justitiæ, & quidem commutantis, violatione onus oriatur restitutionis faciendæ, ut ostendimus ex D. T. n. 1. (in ceteris enim virtutibus caritatis, liberalitas, misericordiæ locum non habet) ad illud inducendum culpa aliqua injustitiæ præcedat, oportet. Porro duplicem distinguunt Theologi culpam restitutionis debitum inducentem; alia quæ *Theologica* dicitur, alia *Juridica*. Culpa theologica ea est, quæ semper cum Dei offensa conjungitur, & verum peccatum infert vel lethale, vel veniale. Culpa vero juridica est deviatio a regulis juris positivi aliquid statuentis, vel pro rei alienæ majori custodia, & conservatione, vel pro alterius damno vitando. Non infrequenter consociantur culpa theologica, & culpa juridica; ut si quis rem proximi pretiosam sibi ad usum concessam ita incuriose custodiat, ut relicta in atrio domus surripiatur, hic profecto & a legibus civilibus cogitur ad rei pretium solvendum, & his etiam non urgentibus ex commutante justitia ad damnum sarciendum jure naturali obstringeretur. Aliquando tamen dissociari possunt; ut contingit in contractibus, in quibus res alienæ etiam legitime acceptæ sunt reddendæ, licet sine ulla theologica culpa perierint; si tamen omissa fuerit diligentia a legibus pro illis constituta. Hæc juridica culpa plures gradus habet, unde in latissimam dividitur, latiorem, latam, levem, & levissimam. Culpa juridica latissima do-

dolo, & fraudi æquiparatur, & revera in expresso dolo consistit; ut si miles excubias habens se dormire fingat, ut hostes ingrediantur. Culpa latior est dolus tacitus; ut si custos gregis, qui potest clamando furem, vel lupum fugare, silet tamen. Culpa vero lata est omissio illius diligentiæ in rei alienæ custodia, vel damno vitando, quam prudentes, & cordati viri communiter adhibere solent in propriis rebus curandis; ut si servus nocturno tempore ostium domus claudere negligat. Levis vero in omissione consistit illius diligentiæ, quam specialiter adhibere solent viri, & Patres-familias diligentiores; ut si quis aureum vas commodatum in suo quidem cubiculo reponat, clauso etiam ostio, sed feris non obductis. Levissima denique culpa omissionem importat illius diligentiæ, quam soli cautissimi, & circumspectione abundantes solent adhibere; qualis est illius, qui gemmas in arca clauderet, sed manu non experiretur, vel exploraret, num firmiter occlusa sit. Recolantur, quæ superius diximus Tract. præced. cap. 3. num. 3.

VII. Inspecto naturali jure, & extra contractum, quando vel sola interna, vel nulla intervenit theologica culpa, nullum urget restitutionis, seu compensationis onus, licet aliquod proximo damnum ex actione provenerit. Hoc omnino certum est, & exploratum de culpa mere interna, cum hæc apta non sit ad damnum inferendum; ut si quis vel alterius damnum efficaciter desideret, vel inducere etiam firmiter statuat, peccabit quidem, at nulli subjacebit vel restitutioni, vel compensationi, licet fortassis optatum malum vel fortuito casu, vel alterius causa proximo obvenerit. Pari pacto non minus certum videtur, nullum esse restitutioni locum, quando actio externa, ex qua damnum alteri emersit, omni culpa careat; ut si quis ligna cædens ex manubrio avulsa securi, alterum sibi vicinum vel feriat, vel mutilet: quandoquidem, ut injustitia perpetretur, non sufficit, quod actio externa sit injusta & alteri nocens, sed necesse est, ut sciat, vel nosse debeat se injustum facere, sicut egregie docet S. Thom. 2. 2. q. 59. art. 2. scribens: *Si aliquis faciat aliquid, quod est injustum, non intendens injustum facere, puta cum hoc facit per ignorantiam, non existimans se injustum facere, tunc non facit injustum per se, & formaliter loquendo, sed solum per accidens, & quasi materialiter faciens id, quod est injustum: unde talis operatio non denominatur injustificatio*. Et revera, cum actio illa coram Deo omni vacet culpa, nec pro illa Deo satisfacere teneatur, nec proximo aliquid debebit; cum detrimentum, & damnum, quod illi forte obvenit, prorsus præter omnem agentis intentionem, ac voluntatem provenerit.

VIII. At eodem naturali jure inspecto etiam ex sola veniali culpa onus exurgit restitutionis. Et quidem hoc certum exploratumque est, quotiescumque levitas culpæ ex sola parvitate oriatur materiæ: nam qui aliquid per leve furtum abstulit, ad rem ablatam restituendam tenetur, immo, si quod per plura minuta furta ablatum est, sit magni momenti, & gravis materiæ, ad restitutionem sub lethali culpa adstringitur; ut manifeste patet ex propositione 38. ab Innoc. XI. damnata, quæ asserebat: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumvis sit magna summa totalis*. At, si levitas culpæ non ex parvitate materiæ, sed ex imperfe-

ct-

ℓta oriatur deliberatione, vel levi inadvertentia, num onus inferat restitutionis, dissentiunt Theologi: qui tamen in duobus convenire videntur, nimirum 1. non teneri ad restitutionem reum ex culpa levi, si damnum inde secutum leve omnino sit. 2. Si dubium sit, num culpa vel levis fuerit, vel gravis, & inde grave ortum sit proximo detrimentum, reum teneri ad totius damni reparationem; cum potior ratio habenda sit innocentis, quam delinquentis, nec alter certe rei suæ possessione privandus, vel damno certo subjiciendus ob incertitudinem de gravitate culpæ damnum inferentis. At, si culpa certe levis sit ex deficientia perfectæ advertentiæ, & grave inde exortum sit damnum, nonnulli censent nullum onus consurgere restitutionis, ne quidem sub veniali culpa. Sic censent Salmanticenses Tr. 13. cap. 1. §. 2. num. 16. & plures alii Theologi ab eis citati, his permoti argumentis. 1. Quia qui venialiter peccat, solum eam omittit diligentiam, quam cautissimi homines solent adhibere, at non illam, quam adhibere solent communiter prudentes & cordati viri; & ad hanc solum quisque obstringitur, non ad illam. Ergo, si inde sequitur damnum, non est ab ipso reparandum, cum ex efficaci ejus culpa non oriatur, licet ex aliquali oriatur. 2. Levis culpa non est simpliciter injuria: ergo nec actio ex ea procedens simpliciter injusta. 3. Obligatio, sicut pœna, debet culpæ proportionari. Sicut igitur, ubi gravis culpa est, gravis etiam inferenda est pœna; ita pari pacto ubi gravis culpa non est damni illati, statuenda non est gravis obligatio illud reparandi. Nec dicas, saltem oriri levem obligationem magni damni reparandi. Nam cum materia de se apta est ad inducendam obligationem gravem, nequit inferre levem obligationem; sed vel gravem inducat, necesse est, vel nullam: hic gravem inducere non potest, ergo nullam. Et revera sic judicamus de votis indeliberatis Deo nuncupatis, & de promissionibus hominibus factis, quæ si gravem non inferre obligationem judicamus, profecto nec levem statuimus, sed nullam omnino esse pronunciamus.

IX. Alii vero, ut Henricus a S. Ignatio lib. 9. cap. 16. cum Dicastillo, & novissime Clarif. Franzoja censent, etiam ex veniali culpa gravem oriri obligationem restituendi in gravi materia, vel damno gravi illato. Quia, inquiunt, restitutio non tam ex gravitate culpæ, quam ex granditate damni est pensanda. Et revera vix concipi potest, ut sola veniali culpa grave inferatur damnum proximo: & si hoc proveniat, illa inconsideratio, & inadvertentia, quæ de se fortassis venialis videtur, cum agatur de gravissimo malo proximi, jam graviter culpabilis evadit. Immo subdit Franzoja: „ Cum de damni reparatione „ sermo est, illa quæstio, utrum culpa „ mortalis fuerit, an venialis, in da„ mno dato locum non habet. Quia „ cum damnum illatum grave est, in„ consideratio, sive negligentia morta„ lis est ex D. Thom. 2. 2. q. 54. a. „ 3. ubi ait: *Potest dupliciter continge„ re, quod negligentia sit peccatum mor„ tale. Uno modo ex parte ejus, quod „ prætermittitur per negligentiam; quod qui„ dem si sit de necessitate salutis, sive actus „ sit sive cicumstantia, erit peccatum mor„ tale*. Ex qua doctrina infert: „ Cum „ prætermittitur per negligentiam id, unde „ grave damnum proximo infertur, id „ prætermittitur, quod est de necessita„ te salutis: ideoque negligentia non

potest

„ potest esse venialis, sed est mortalis". Exscribit postea ex jure canonico nonnullos canones: qui statuere videntur, damnum ex culpa datum sine ulla distinctione reparandum, quibus recitatis sic tandem concludit: „ Hi canones „ nullam mortalis, aut venialis culpæ „ in damno dato mentionem faciunt; „ sed damnum ex culpa illatum esse „ reparandum absolute sine ulla distin- „ ctione decernunt. Horum præscripta „ veneratione excipienda, & ad pra- „ xim redigenda fidenter pronuntio „.

X. Nonnulli denique media via incedunt, docentes, damnum grave ex veniali culpa inferentem nec ab omni restitutione liberandum, nec ad integram & adæquatam damni reparationem cogendum, inter quos Tournelius, P. Fulgentius Cuniliati tract. 9. cap. 4. §. 3. n. 4. quia, inquiunt, non est potior habenda ratio fontis, & innocentis, ita ut iste totum damnum ex illius culpa, levi quidem, sed tamen culpa, sentire debeat; ille vero ab omni onere reparationis liberetur, qui tamen causa fuit damni. Nec pari pacto gravandus hic reus venialis culpæ, ac si reus esset mortalis criminis: nam sicut non pari pœna plectendus est reus gravis delicti, ac levioris culpæ; ita nec eodem onere restitutionis, qui ex levi negligentia damnum infert, quam qui ex aperta malitia: & sicut jure naturæ, ubi nulla prorsus intervenit theologica culpa, nullum sequitur restitutionis onus, licet grave sit damnum illatum; & ubi gravis est culpa, grave oritur totius damni reparandi debitum: ita ubi nec omnis abest culpa, nec gravis adest malitia, nec ab omni liberetur onere, nec integro gravetur pondere restitutionis. Inter has sententias hanc postremam probabiliorem judico, immo & tutiorem. Nam, licet tutius sit ex parte inferentis damnum ex culpa levi, ut totum damnum resarciat; non tamen tutius est ex parte læsi, ut integram reparationem ab eo reposcat, qui fortassis ad id obnoxius non est. Ne igitur vel alter plus gravetur, quam oporteat, nec alter amplius recipiat, quam æquitas postulet; tutius judico definiendum, ut pro modo culpæ & modus statuatur compensationis. Et certæ, quæ proferuntur argumenta, sive pro integra restitutione, sive pro liberatione ab omni onere in causante malum ob culpam levem, non adeo luculenta sunt, & apodictica, ut mentem omnino convincant; sed ad summum prudens dubium inducunt, dirimendum proinde eo, quo statuimus, tutiori modo, ne scilicet vel ille plus solvat, quam debet, nec alter amplius accipiat quam æquitas postulet.

XI. Et certe Franzojæ argumenta non plane evincunt. Nam 1. supponit levem negligentiam, sive inadvertentiam locum non habere, quando inde grave damnum proximo emergat: nam tunc, inquit, illa negligentia non levis est; sed gravis. At hoc verum solum est, quando ad summam diligentiam ex aliquo justitiæ debito obstringatur; non vero, quando solum ad illam adhibendam teneatur diligentiam, quam quilibet cordatus, & prudens in suis rebus servandis, sive damnis vitandis solet adhibere. Præterea quæstio procedit, quando revera negligentia est solum venialiter culpabilis, non quando lethaliter, proinde quæstionem potius declarat, quam solvat. Ceterum falsum est, semper graviter culpabilem esse inadvertentiam, & negligentiam, quando ex ea grave sequitur damnum proximo. Nam gravitas culpæ in negligentia, & inadvertentia non tam ex effectu pen-

ſatur, quam vel ex debito eam adhibendi, vel ex facilitate præcognoſcendi damnum, vel denique ex ipſa prava animi diſpoſitione, quæ levem culpam, & negligentiam non vitet, quia de gravi damno proximi non curat. At fieri poteſt, ut quis ad ſummam non obligetur, ut diximus, diligentiam, vel non ita facile, & prompte perniciosum effectum inde conſequentem perſpicere queat, & nullo moveatur pravo animo ad actionem illam; quæ cum levi inadvertentia conjuncta damnum proximi producit, proindeque in ſe ipſa negligentia gravis non ſit, & lethaliter culpabilis. Nec oppoſitum docet S. Thom. in verbis a Franzoja citatis, ubi S. D. loquitur vel de negligentia reſpiciente immediate ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, vel quæ ita ſunt abſolute neceſſaria, ut ad exquiſitiſſimam diligentiam adhibendam ex gravi præcepto adſtringamur. Et de his loquitur Apoſtolus ad Hebr. 2. cum dicit: *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt*. Quæ verba ſic explicat S. Thom. *Quia ſi negligentes, fuerimus, puniemur, non tantum amittendo bonum, ſed incurrendo malum damnationis, quod effugere non poterimus*. Et revera mentem ſuam explicat S. D. l. a Franzoja laudato poſt verba ab eo recitata, ſubdens: *Si negligentia conſiſtat in prætermiſſione alicujus actus, vel circumſtantiæ, quæ non ſit de neceſſitate ſalutis, nec hoc fiat ex contemptu, ſed ex aliquo defectu ferveris, qui impeditur per aliquod veniale peccatum, tunc negligentia non eſt mortale peccatum, ſed veniale*. Canones autem a laudato Auctore citati, licet non diſtinguant gravem, vel levem negligentiam, ita tamen loquuntur, ut ſupponant, negligentiam, & ignorantiam eſſe graviter culpabilem; quia eam æquiparant culpæ, & injuriæ irrogatæ. Id patet ex 1. canone ab ipſo citato, qui ſic ſtatuit: *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem forte tuliſti, aut hæc imperitia tua, ſeu negligentia evenerunt, jure ſuper his te ſatisfacere oportet, nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veroſimiliter poſſe contingere, vel jacturam*. Hæc tamen dicta ſunt ſolum, ut oſtendam, argumenta cl. Viri non eſſe ita apodictica, ut omnem vim obtineant, ſed rem dubiam facere, proinde tutiorem partem eſſe eligendam: quæ tamen, ut dixi ſuperius, non conſiſtit in rigidioris ſententiæ electione, cum in ea periculum ſit, ut juſtitia violetur, & plus juſto gravetur, qui dammum dedit ex levi culpa: ſed pro modo culpæ, & omnibus inſpectis circumſtantiis ea ſtatuenda ſatisfactio, & reſtitutio, quæ prudenti viro videbitur juſta: quæ proinde ſi materiam gravem, & notabilem conſtituat, ad eam reddendam ſub lethali culpa teneretur, quia tunc grave damnum inferret proximo, illum re notabili fraudando, quæ illi juſtitiæ titulo debetur. Salmanticenſium vero argumenta imbecilliora quidem mihi videntur. Nam ad 1. dico, omiſſionem illius diligentiæ, quam & cautiſſimi adhibere ſolent, quando de alterius gravi damno vitando agitur, urgere, & eſſe ſervandam ſaltem ſub veniali culpa, quæ, licet non ita efficaciter in damnum influat, influit tamen aliquo modo: quamobrem & aliquo modo reparandum damnum ex ipſa proveniens. Ad 2. levis culpa non eſt ſimpliciter injuria, ſicut culpa gravis; eſt tamen aliquo modo

do

do injuria, & etiam in suo ordine vera injustitia: ut patet in eo, qui levem furatur materiam, qui licet levem committat culpam, cum hæc damnum proximi respiciat, & injustitiæ culpa est. Ad 3. fatemur, pœnam culpæ respondere debere: quapropter diximus, nec ad totum damnum reparandum reum obstringi, nec ab omni onere liberandum. Paritas autem ex votis Deo nuncupatis, vel promissionibus hominibus factis non urget, cum nulla sit homini obligatio, vel emittendi voti, vel promissionis faciendæ, quæ proinde, ut efficaces sint, & effectum suum omnino sortiantur ex perfecta oriantur deliberatione oportet. At de proximi gravi damno vitando, independenter a voluntate nostra, urget obligatio ex jure naturali, & divino: eapropter qui hoc præceptum etiam venialiter violat, onus subit reparandi damni, culpæ suæ gravitati respondentis, quæ obligatio non est sub levi, sed sub gravi, ut mox diximus.

XII. In contractibus quis etiam sine ulla culpa theologica, sed solum ex culpa juridica, etiam levi, & levissima ad restitutionem adstringitur sub lethali, etiam in conscientiæ foro. Inficiantur Salmanticenses, qui putant onus restitutionis in foro conscientiæ semper præsupponere culpam theologicam, ac proinde leges statuentes onus restitutionis procul ab omni culpa theologica, & ex sola culpa juridica, valere tantum in foro externo, & post sententiam judicis; cum nemo jure naturæ inspecto amplius obligetur, vel se obligare intendat ad rei alienæ custodiam, vel conservationem, quam in propriæ. Porro quisque in propriis rebus servandis non majorem adhibere solet diligentiam, & sedulitatem, quam communiter adhibent prudentes, & cordati Patresfamilias. Ergo hac sola deficiente, quæ cum culpa theologica juncta est, tenebitur in foro conscientiæ ad restitutionem. Ad oppositam, quam statuit, sententiam ut probabiliorem tenendam censeo. Quandoquidem leges justæ contractuum sunt servandæ, & legibus justis etiam in foro conscientiæ est parendum. Porro, qui contractus celebrant, eos juxta statutas leges ineunt, & voluntarie illis se subjiciunt. Ergo & in foro conscientiæ illis est obsequendum. Quamobrem si se obligant ad restitutionem ex culpa etiam levissima in aliquo contractu, ea commissa restituendum est. Eo vel maxime, quia hujusmodi leges sunt institutæ ad bonum commune, ut fides contractibus firma sit, & quilibet noverit, ad quid teneatur, quando contractum aliquem celebrare intendit. Præterea, si quilibet privatus se potest obligare ad rem restituendam, licet pereat absque ulla sua culpa, vel juridica, vel theologica, sed ex mero fortuito casu, ut contingit in contractu assecurationis mercium a naufragio, vel a piratis; cur supremæ Potestates statuere non poterunt, ut in quibusdam contractibus contrahentes ex sola vel levi, vel levissima culpa ad restitutionem teneantur, ita exposcente natura, & æquitate contractus, qui aliquo titulo exquisitissimam postulat diligentiam? Quinam autem sint hi contractus, qui ex levissima quoque culpa obligant, dicemus suo loco.

XIII. Licet S. Thom. onus restitutionis ex duplici fonte 2. 2. q. 62. art. 6. promanare doceat, nimirum & *ex re accepta*, & *ex rei acceptione*, art. tamen 4. & alium designaverat fontem, scilicet *damnum alteri illatum*, licet qui intulit, nihil omnino acceperit: cui

merito & quartum addi potest, nimirum voluntaria obligatio aliquid præstandi ex aliquo contractu. Ad quatuor igitur capita revocari possunt tituli restitutionis faciendæ, nimirum 1. ob rem alterius habitam, sive justa de causa, sive injusta. 2. Ob injustam acceptionem, scilicet furto, rapina, aliove modo commutativam justitiam lædente. 3. Ex damno illato nedum rebus proximi, sed & ejus corpori, vel famæ per injuriam, calumniam &c. 4. Denique ratione alicujus contractus cum altero initi, sive gratuiti, sive onerosi. De his igitur dicemus singillatim sequentibus capitibus.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Quomodo necessaria sit restitutio necessitate & præcepti, & medii.*

II. *Peccant, qui mercedes, & æs alienum non solvunt.*

III. *Non est differenda restitutio.*

IV. *Ex fortuito casu onus non oritur restitutionis.*

V. *Sicut nec ex ignorantia invincibili, & inculpabili.*

VI. *Culpa etiam levissima, animo nocendi perpetrata, onus inducit restitutionis.*

Consectarium Primum.

I. RESTITUTIONEM ex justitia debitam necessariam esse non necessitate medii, sed præcepti naturalis, & Divini, communiter affirmant Theologi: & ipsa ratio manifestat. Nam, quæ necessaria sunt medii necessitate, nullo pacto omitti possunt; &, si desint etiam sine culpa, salutis impediunt consecutionem. At a restitutione quis excusari potest ob moralem, vel physicam impotentiam. Unde ajebat S. Augustinus ep. 54. *Si res aliena, cum reddi potest, non redditur, pœnitentia non agitur, sed fingitur . . . . Sed, ut dixi, cum restitui potest: si enim non habet, unde restituat, huic certe non possumus dicere, redde quod abstulisti*. Ita quidem, si de reali restitutione sermo sit. At restitutio in animi præparatione, immo, & in studio, & sollicitudine restituendi necessaria est medii necessitate; nunquam enim remissionem consequi poterit admissi sceleris, qui vel restituendi animum penitus abjicit, vel qui de hoc onere nihil curat, qui nullam adhibet diligentiam, & studium restituendi. Qui enim hoc premuntur onere, omnia superflua resecare tenentur, & demptis, quæ absolute sunt sibi, suisque necessaria, cætera omnia ad restitutionem seponere; ut si simul non possint, saltem paulatim restituant. Et in hoc invigilent Confessarii, & gravissimum hoc præceptum clare pœnitentibus exponant, & ejus impletionem urgeant: & dum impotentiam exagerant, & paupertatem, ipsis præ oculis ponant, quid præstaret judex temporalis, si restitutionis onus, quod occultum est, & solum Deo notum, publicum esset, & a creditore urgeri posset per judicem ad præstandam solutionem: Judex enim profecto debitorem obstringeret ad solvendum, limitatum tempus concederet, determinatam pecuniæ summam singulis vel hebdomadibus, vel mensibus solvendam præstitueret usque ad integram debiti solutionem. Porro hoc, quod præstarent temporales judices ex officio suo, tenentur & Confessarii, qui & Judices sunt, præstare; alioquin nulla unquam fiet restitutio in summam tum pœnitentium, tum Ministrorum perniciem.

CON-

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Cum ad restitutionem pertineat etiam solutio tum mercedis, tum æris alieni, gravissime peccant, qui mercedes operariis non solvunt, qui diminuunt, qui differunt. Priores Deus Eccles. 34. homicidis coæquat, dicens, *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt*. Et D. Jacob. cap. 5. scribit: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit*. Hinc merito fraudatio mercedis operariorum inter peccata, quæ vindictam clamant, & Deum ad ulciscendum provocant, enumeratur. Pari pacto, proportione servata, hujus criminis rei sunt, qui, quamvis non integra, ex parte tamen mercede debita operarios fraudant: cum hæc iniquitas sit quidem minor quantitate inspecta, at non minor in malitia, cum ob tenue lucrum pauperi injuriam faciat, & majus fortassis damnum inferat, quam ipse sentiat emolumentum. Unde Auctor Commentarii in Epist. S. Jacob. inter Opusc. S. Thom. fraudem agnoscit tam in negatione mercedis, quam in diminutione, scribens in cap. 5. *Fraudata est a vobis, scilicet non reddendo, sed diminuendo*. Solutionem vero differentes peccant in divinum mandatum naturale, & morale, latum Levit. 13. *Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane*. Et inter salutaria monita seniore Tobia filio suo data hoc habetur cap. 4. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat*. In quo crimine & attendendum est damnum pauperis mercenarii, quod non in sola privatione suæ mercedis sistit, sed in detrimento, quod patitur; cum aliquando ex denegata, vel dilata mercede sua, qua diurnum sibi, familiæque suum victum comparat, cogatur supellectilem, vel vestem, vel alia oppignorare, & auctarium solvere, sive Monti pietatis, sive fœneratoribus: quod detrimentum sarcire tenentur iniqui isti mercedum fraudatores, cum ipsi illius in causa sint. Non peccant tamen, qui integram mercedis solutionem in finem hebdomadæ differunt, suppeditantes interim eam, qua indigent, & quam petunt pecuniam; cum in hoc & ipsi operarii consentiant. Sunt tamen inter injustos pauperum oppressores connumerandi, qui probe scientes, se non posse illis debitam mercedem solvere, tamen eos conducunt, & eorum opera utuntur. Nam sunt aperti fures, & latrones, qui non pecuniam, sed sudores, & sanguinem pauperum furantur. Nec impotentiæ titulo excusantur; cum hæc voluntaria sit, & ipsis comperta. Quamobrem a conducendis operariis abstinere debent, nisi ipsi, impotentia solvendi mercedem eis manifestata, dilationi consentiant.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Debitores vero, præsertim si divites sint, & æs alienum solvere possint, differre sine iniquitate non queunt ejus solutionem: sed vel transacto præstituto ad solutionem termino; vel petente justo creditore statim solvere tenentur: alioquin detentores sunt rei alienæ; quia ut vidimus ex D. Thom. *impediunt eos ab usu rei suæ, & sic eis injuriam faciunt*. Multoque magis rei sunt, si ob moram solutionis in causa sint, ut mercatores, aliique creditores detrimentum patiantur, si petentes quod suum est, acer-

bio-

bioribus verbis repellant, si per vim, nimirum minis, vel fastidium simulando eos a petitione, & exactione arceant, si respondeant se soluturos, cum maluerint, quando sibi commodum, opportunumque videbitur. Et tamen heu, quot sunt, qui hisce modis negotiatores, mercatores, opifices gravant, & pene dixi opprimunt, & sæpe in causa sunt, ut misere deficiant, & bonis cedere cum magno non solum privatæ familiæ, sed etiam communis boni detrimento cogantur. Ipse pluries negotiatores, & mercatores audivi conquerentes de summo cedendi bonis periculo, in quo versabantur, hac una de causa, quia nimirum, quod sibi debitum erat, recuperare nullo modo poterant, non quidem a pauperibus & egenis, quibus vel parum, vel omnino nihil credito fidunt, sed a divitibus & opulentis viris, a quibus precibus, quod suum est, flagitare inutile, quos in judicium provocare periculosum. Quamobrem ad hoc præcipue attendere debent Confessarii Procerum, Magnatum, Nobilium, & divitum, & eos ad alienum æs solvendum urgere, & compellere omni humano abjecto respectu, etiam denegata absolutione, nisi vera, & reali teneantur impotentia, vel eorum creditores dilationi, & quidem sponte, & lubentes consentiant.

Consectarium Quartum.

IV. Ex fortuito casu non oritur onus restitutionis. Ratio est, quia casus fortuiti censentur extra omnem humanam diligentiam; ut si domus a te conducta terræmotu dejiciatur, vel igne per fulmen accensa comburatur. Excipitur tamen, nisi de hoc periculo pactum initum sit; ut contingit in assecuratione, in qua a fortuitis quoque casibus, sive naufragii, sive prædæ, merces in tuto ponantur. Sunt tamen in Jure civili nonnulli casus, in quibus etiam citra omnem culpam, & ex fortuito eventu ad aliquam compensationem quis compellitur. Primus casus est, si animal tuum alterius animal occidat, vel segetes conculcet, aut devoret, vel hominem læserit, aut damnum aliquod irrogaverit, teneris vel animal tradere læso, vel damnum reparare, si id absque tua culpa contingerit; nam si culpa tua factum est, totum damnum resarcire teneris; ut habetur Tit. *Si Quadrupes pauperiem fecisse dicatur* in Instit. ff. Quod si animal tuum invasum sit ab alio, vel accedat ad feram, quam ligatam tenes, vel fur ad furandum hortum tuum ingrediens a canibus custodibus lædatur, ad nihil omnino teneris. Alter casus est, si mancipium tuum absque tua culpa alterum lædat culpabiliter vel in bonis, vel in persona mancipium tradere debes læso, vel damnum compensare: dicitur culpabiliter; nam si servus inculpabiliter damnum inferat, sicut nec ipse, ita nec dominus ad aliquid tenetur. Tertius casus. Si a domus tuæ fenestra aliquid in viam publicam projiciatur, nec proclamatum fuerit ut transeuntes sibi cavere possent, tenetur Pater-familias, sive caput domus ad duplum dati damni, quando non accidit capiti hominis; tunc enim & curationis expensas subire debet, & omne damnum compensare. Pari pacto, si aliquid e domo tua fuerit appensum, quod cadens nocere poterat, & revera nocuit, damna compensare teneris: si vero non decidit, nec nocuit, qui appendit, decem aureos solvere debet, & totidem Pater-familias, vel caput domus, si scivit, aut vidit, quod appensum erat, nec jussit auferri. Quæ tamen pœnæ, & solutiones, ut animadvertunt Theologi, locum non habeant nisi post sententiam

judicis, non quia leges sint mere pœnales, ut quidam censent, sed quia usu ita receptum est.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Ex ignorantia invincibili, & prorsus inculpabili damnum ortum onus non inducit restitutionis; licet qui damnum intulit, operam rei illicitæ daret. Nam actio illa, quæ est damni illativa, prorsus inculpabilis est, quia prorsus involuntaria; proinde nec ad restitutionem obstringit. Nec nocet, quod actio illa alias sit illicita. Nam adhuc quoad effectum damni inde secuti, quod prævideri prudenter non poterat, involuntaria est, & damnum ex illa per accidens sequitur, & extra omnem agentis voluntatem. Quod si ignorantia non sit antecedens, sed mere concomitans, ut in illo, qui tormentum explodens ad occidendam feram, cavet quidem, ne hominem vulneret, sed ita dispositus est, ut si homo transiret, adhuc illum feriret: negant Salmaticenses ex tali ignorantia ortum detrimentum esse farciendum: quia, inquiunt, actio illa non est causa vulneris inflicti, quia ex voluntate feriendi non procedit, & licet non sit contra voluntatem, non tamen est a voluntate cum cognitione mali illati. Verum optime oppositum docet Concina hic cap. 4. animadvertens 1. involvere contradictionem, eum, qui paratus est animo hominem, si forte transiret, vulnerare, revera omnem adhibere diligentiam, ne feriat. 2. Quotiescumque actio non est damni causa, procul dubio non inducit restitutionis debitum, licet in se mala; ut patet in eo, qui gaudet de alieno detrimento. At quando actio jungitur cum damno, jam est causa damni. Es dispositus ad feriendum, revera feris, sed improvide, & ignorans; jam actio tua cum tua voluntate conjungitur, & damnum inducit: illud igitur farcire teneris; & licet explicite damnum non cognoscas, implicite tamen vides, cum dispositus sis ad illud inducendum.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Culpa etiam levis, immo & levissima sed animo nocendi perpetrata, onus restitutionis inducit, si detrimentum sequatur. Hanc propositionem oppugnant nonnulli Theologi, Lessius, Sanchezius, immo & Navarrus a Salmaticensibus citati, his permoti rationibus. Ad onus restitutionis inducendum necessaria est actio externa injusta. Porro omissio illius diligentiæ, quæ culpam levem, vel levissimam inducit, non est secundum se injusta, quia ad eam non teneri supponimus: nec pravus animus de se sufficit ad præfatum inducendum restitutionis onus, cum de se inefficax sit; ut patet in judice ex odio, & inimicitia reum ad pœnam damnante, vel carnifice ex pari odio sententiam exequente, qui peccant quidem, verum ad restitutionem minime adstringuntur. Et revera, si quis omnem quidem adhibeat diligentiam, & tamen optet rem evenire cum damno proximi, quod revera subsequitur, reus quidem erit pravi desiderii, at restitutioni minime obnoxius; cum nec animus nocendi sine reali nocumento, nec levis, aut levissima culpa, etiam cum animo nocendi, inducere restitutionis onus minime valeant. Verum posita doctrina longe probabilior est, & D. Th. doctrinæ innixa. Scribit itaque A. P. 2. 2. q. 62. a. 2. *Aliquis potest impedire aliquem, ne habeat præbendam, multipliciter. Uno modo juste; puta si intendens honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ, procuret, quod detur ali-*

alicui personæ digniori ; & tunc nullo modo tenetur ad restitutionem , vel ad aliquam compensationem faciendam . Alio modo injuste ; puta si intendat ejus nocumentum , quem impedit propter odium , vel vindictam , vel aliquid hujusmodi , & tunc si impedit , ne præbenda detur digno, consulens , quod non detur , antequam sit firmatum , quod ei detur , tenetur quidem ad aliquam compensationem , pensatis conditionibus personarum , & negotii secundum arbitrium sapientis . Ex qua S. Th. doctrina manifeste apparet , unam eandemque actionem exteriorem , quæ in altero debitum restitutionis non inducit, quia sine animo nocendi factam , in altero tamen ex pravo affectu nocendi procedentem præfatum onus inducere . Quod confirmari potest innumeris pene exemplis . Nimirum si quis crematum bibat ob voluptatem , alter vero ad excitandam in somnis pollutionem , licet hæc ambobus contingat , uni tamen , non alteri imputatur ad culpam . Pari pacto , qui furem in domum recipit , ejus latrociniis favens , reus est furti , & restitutioni obnoxius ; qui vero eum recipit solum , ut amicum , vel consanguineum , nec peccato , nec restitutioni sit obnoxius . Confirmat & ipsa ratio . Nam sicut datur quidem effectus ita cum causa conjunctus , ut nulla agentis voluntate , vel conatu separari possit , ut abscissio capitis cum morte ; quamobrem qui unum vult , & alterum velle convincitur , licet animo obluctetur ; ita nonnulli sunt , qui cum causa immediatam conjunctionem de se non obtinent , conjungi tamen possunt agentis voluntate ; sic blasphemia de se non est cum ebrietate conjuncta ; si quis tamen ebrius soleat blasphemare , dum ebrietatem vult , & blasphemias cum ea conjunctas velle convincitur . Sic itaque contingit in re nostra . Damnum non est quidem de se conjunctum cum omissione illius diligentiæ , quæ culpam levem , vel levissimam inducit . Quamobrem si quis eam committat . quia ad illam se non teneri novit , fortassis onus restitutionis non subibit . At si animo nocendi omittat , jam nocumentum cum ipsa prava omissione conjungit , & obnoxius fit restitutioni . Hinc medici , chirurgi , advocati , artifices , custodes, qui pacta mercede operam suam locant, non tenentur , si ex eorum culpa levi , vel levissima damnum aliquod clientibus obveniat ; quia nemo illorum se obstringit ad majorem adhibendam diligentiam ea , quam adhibere solent ceteri experti, & solertes ejusdem artis professores: at si isti hanc majorem omittant diligentiam animo nocendi , jam & culpæ rei fient , & obnoxii restitutioni . Nec opposita argumenta persuadent . Nam licet illa omissio de se , & absolute graviter injusta non sit , nec immediate conjuncta cum damno alterius; graviter tamen evadit injusta, & cum detrimento proximi conjungitur per pravum affectum , & animum , a quo profluit : quo fit , ut illud detrimentum sit omnino volitum . Nec est par ratio vel de judice damnante , vel de carnifice puniente ex odio reum : quia hic jus non habet ad vitandam pœnam sicut quilibet jus habet,ne ab altero talis ponatur culpa quæ illi in detrimentum cedat. Pari pacto qui omnem adhibet diligentiam , & tamen cupit detrimentum proximo sequi , cum nullum externum opus ponat , jam in damnum non influit , quod ex solo interno affectu progredi nequaquam potest .

CA-

CAPUT TERTIUM.

De restitutione facienda titulo rei acceptæ.

Doctrina

I. *Quinam possessor bonæ, & malæ fidei.*
II. *Possessor bonæ fidei quando ad restitutionem teneatur.*
III. *Hic durante bona fide de re tanquam sua disponere potest.*
IV. *Præscriptionis beneficio legitimus fit rei dominus.*
V. *Quando restituere, vel retinere possit fructus rei alienæ.*

I. RES aliena ea dicitur, quæ licet in alicujus sit possessione, dominium tamen ipsius ad alium pertinet, a quo in possessorem transivit, vel absque ulla injustitia, vel quia injusta aliqua actione fuit occupata. Si primo modo, possessor dicitur *bonæ fidei*, si vero posteriori modo, vocatur possessor *malæ fidei*: uterque tamen ad restitutionem rei adstringitur: primus quidem unico titulo, scilicet ob rem alienam bona fide acceptam; alter vero duplici titulo, nimirum & rei, quam accepit, & injustæ acceptionis. De primo, idest bonæ fidei possessore in præsenti dicemus, de altero in sequentibus.

II. Possessorem bonæ fidei, qui rem alienam vel justo titulo se obtinuisse, vel suam esse prudenter putat, vel certe inculpabiliter ignorat rem esse alienam, statim ac deprehenderit ad alium pertinere, ad restitutionem teneri omnia jura docent, unde & ortum illud adagium, *res clamat domino suo*. Unde egregie docet S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 6. *Circa illum, qui rem alienam accepit, duo sunt consideranda, scilicet ipsa res accepta, & ipsa acceptio. Ratione autem rei tenetur eam restituere, quamdiu eam apud se habet; quia quod habet ultra id quod suum est, debet ei subtrahi, & dari ei, cui deest secundum formam justitiæ commutativæ.* Quod si restitutionem detrectet, cum invincibiliter debitum restitutionis ignorare non possit, jam in possessorem malæ fidei transit; quippe qui, licet rem alienam injuste non acceperit, injuste tamen detinet: unde furi comparatur, ejusque onera subire debet, de quibus postea dicemus.

III. Quamdiu rem alienam detinens possessor est bonæ fidei, de re illa, prout sibi lubet, ceu verus dominus disponere potest, eam consumendo, vendendo, donando: re vero bona fide consumpta, ad restitutionem non obstringitur, cum nullus adsit restitutionis titulus, non injusta acceptio, quam locum non habere supponimus, non ex ipsa re accepta, quæ jam consumpta non amplius existit. Illud tamen animadvertendum; rem alienam etiam consumptam adhuc remanere posse apud possessorem bonæ fidei, non in se quidem, sed in æquivalenti; ut si vestem alienam, quam bona fide putabas tuam, commutasti cum equo, vestis virtualiter in ipso equo subsistit; si alienum panem, & vinum consumpsisti parcens tuis, in his illa virtualiter subsistunt, unde factus es ditior alieno detrimento. In utroque casu possessor tenetur dominum compensare, vel aliud æquivalens restituendo, vel id, in quo factus est ditior. Quamobrem, si neque æquivalens habeat, nec in ullo factus est ditior, restituere non tenetur. Qui itaque rem alienam consumpsit, puta panem, vinum, oleum &c. nihil de suo consum-

ptu-

pturus, nihil restituere tenetur; quia non est factus ditior: si vero æquale de suo absumpsisset, tenetur rei pretium reddere. Si equo alieno iter habuisti parcens expensis subeundis in locando equo, hoc pretium pendere debes domino: quod si vel ab itinere abstinuisses vel pedibus iter peregisses, nihil dare debes. Quod si res aliena consumpta longe potior fuerit re tua, cui pepercisti, non rei consumptæ pretium reddere teneris, sed solum valor rei tuæ, quam absumpsisses, cum solum in hoc factus sis ditior. Qui itaque res alienas bona fide possessas in rebus voluptuosis insumpsit, puta lautius vivendo, familiam splendidius alendo, filios accuratius educando, quas expensas aliter non fecisset, ad nullam restitutionem adstringitur. Hujus doctrinæ veritas & ex ipsa naturali æquitate apparet, & in utroque jure statuitur: nam regula 49. in 6. dicitur; *locupletari non debet aliequis cum alterius injuria, vel jactura*.

IV. Qui rem alienam bona fide possidet, elapso ad legitimam præscriptionem tempore, legitimus rei dominus evadit, nec amplius ad restitutionem tenebitur, licet res in se existat; nam, ostendimus tract. 6. de Dominio cap. 12. §. 1. præscriptio legitimis munita conditionibus dominium in possidente confirmat. Quod si dubitare incipiat, num res sit aliena, licet, ut fuse ostendimus l. 1, cap. 13. Confect. 2. hocce dubium bonam fidem possessionis non abrumpat, ac proinde non teneatur nec pro rata dubii rem restituere, sed retinere possit, donec vel veritas innotescat, vel tempus præscriptionis præterlabatur, interim tamen non potest rem consumere, sed conservare tenetur, & quamdiu veritatem inquirit, & donec præscriptionis tempus finiatur, ut, si forte contingat detegi rem esse alienam, possit eam domino reddere. Quod si rem vel servare non possit, vel nolit, poterit quidem absumere, & de ea disponere, paratus tamen animo, ut, si res detegatur aliena, ante tempus præscriptionis, domino suo illius pretium, vel æquivalens restituat. Ratio est manifesta: nam in eo dubio periculo se exponeret rem alienam absque justo titulo consumendi. Titulus siquidem, quo rem possidet, ipsi dubiis evadit. Titulus præscriptionis nondum advenit. Solo igitur possidet dubio titulo, proinde in periculo versatur rem alienam injuste consumendi. Conservare itaque rem debet, vel animo paratus sit, oportet, ad legitimum dominum, si forte innotescat, pro re sua compensandum. Quod tamen verum est, si dubium possessioni cum bona fide inceptæ superveniat. At si dubium cum ipso titulo possessionis conjungatur, jam bonam fidem inficit: ut si quis rem emat, quam furto sublatam prudenter dubitat. Hic itaque, si rem illam emat animo eam domino restituendi, ne a fure absumatur, & a culpa immunis est, & domino beneficium præstat: quamobrem si vel casu fortuito, vel absque ejus culpa, sive lata, sive levi res pereat, ad restitutionem non tenebitur. Interim tamen rem servare debet, & diligenter rei veritatem inquirere, ac, si legitimum dominum reperiat, illi rem restituere debet. Et quidem si emit parvo, & tenui pretio, poterit hoc a domino petere, qui tenebitur ei refundere, cum utiliter ejus negotium gesserit, at si emat pretio æquali, vel fere æquali rei, tunc dominus non totum pretium debebit refundere, sed quantum ad arbitrium viri prudentis videbitur mereri, qui rem domini utili-

liter redemit. Quod si dominum non detegat, jam possessor fit bonæ fidei, & rei dominium acquirit. Quod si dubium perseveret, res erit inter pauperes dividenda, pretio tamen pro rata dubii retento; cum hic locum non habeat regula, *melior est conditio possidentis*, quæ solis possessoribus bonæ fidei favet.

V. Quoad fructus vero rei possessæ, hi, si mere industriales sint, restituendi non sunt, sive extent, sive consumpti sint; nam hi ejus industria, & labore percepti fuerunt: quamobrem ad ipsum pertinent. Quod commune est possessori etiam malæ fidei, qui, si ex pecunia furto ablata, vel ludo, vel mercatura aliquid lucratus fuerit, hoc perceptum lucrum non cogitur restituere. Quoad fructus vero naturales, si extent, eos restituere tenetur: si illos consumpsit in nihilo factus ditior, nihil restituere debet: si vero in aliquo factus sit ditior, hoc tantum, quo ditior factus est, debet domino rependere. Ratio primæ partis est: quia res domino suo fructificat, non possessori etiam bonæ fidei. Quod intelligendum est non de fructibus solum adhuc pendentibus, & quæ partes rei sunt, sed & de collectis, modo extent, deductis tamen expensis, & operis æstimatis in illis sive colligendis, sive servandis; immo & de illis quoque, quos fortassis dominus percipere neglexisset, cum semper sint fructus rei suæ. Ratio secundæ, & tertiæ partis & ex superius dictis patet, & legibus confirmantur. Nam L. 1. Cod. de petitione hæred. statuitur: *Bonæ fidei possessores fructus reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores evaserint*. De fructibus vero mixtis eos solum restituere tenetur, si extent, qui naturæ rei respondent; qui vero industriæ, illos sibi potest retinere. Quod si bonæ fidei possessor fructus ex sua negligentia, & culpa non percepit, unde non est factus ditior, puta agrum non coluit, nihil restituere tenetur; quia bona fide putans agrum esse suum, nulli, nisi sibi culpabiliter nocuit: immo si rem ita neglexit, ut perierit, & consumpta sit, non tenetur pretium reddere domino; nam prudenter judicavit rem suam esse, & se nulli nocere ejus consumptione. Fructus vero cujuscumque generis sint, cum inter mobilia comprehendantur, subsunt triennali præscriptioni: quamobrem eo elapso termino, licet in se extent, non cogitur bonæ fidei possessor restituere.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando rem alienam restituere debeat possessor bonæ fidei.*
II. *Quando solum id, in quo factus est ditior.*
III. *Quid in rebus usu consumptibilibus, licet fur, possit restituere?*
IV. *Non semper repetere potest integram compensationem expensarum.*
V. *Nec omnes utilitates ex re aliena perceptas sibi retinere.*
VI. *Num possit rem furi restituere, ut pretium recuperet.*
VII. *Num, si rem alteri vendiderit, pretium acceptum debeat domino reddere.*

Consectarium Primum.

I. POSSESSOR bonæ fidei rem alienam apud se extantem restituere tenetur, sive possit alter eum compensare, sive non possit. Emisti bona fide

equum a fure, sive hic possit pretium restituere, sive non valeat, domino equum reddere debes; & solum tibi actio competit contra furem. Veritas hujus consectarii est de se manifesta, cum res semper clamet domino suo, & dominium rei non sit translatum: non enim amplius dominium potest quis in alium transferre, quem ipse obtineat. Porro fur nullum dominium obtinet in rem furtivam. Nequit igitur illud in alium transferre. Hinc contra justitiam peccant, qui rem alienam bona fide a fure emptam domino reddere recusant, nisi persolutum pretium recipiant.

Consectarium Secundum.

II. Quando res usu consumptibiles quis a fure bona fide emit, vel consumit, si fur impotens sit ad restituendum, emptor, & possessor tam bonæ, quam male fidei rem extortam restituere domino tenentur: vel si consumpta sit, possessor bonæ fidei solum illud restituere debet, in quo factus est ditior, malæ vero fidei possessor totum rependat, oportet. In hanc doctrinam conveniunt Theologi omnes, & res est de se comperta. Nam si res extat, clamat domino suo: si vero consumpta sit, cum remaneat in æquivalenti, idest in eo, quo alius factus est ditior, pariter hoc restituendum est, ne quis ditetur alieno damno. Quod si in hoc æquivalenti non superfit, adhuc possessor malæ fidei totum restituere tenetur, cum reus sit furti, ut dicemus in sequentibus.

Consectarium Tertium.

III. Si fur rei consumptibilis venditor, habeat unde possit dominum compensare, nihilominus res; si extat, debet a possessore bonæ fidei restitui; vel, si consumpta sit, id, in quo factus est ditior, dandum domino: a possessore vero malæ fidei restituendum totum pretium. Rem exemplis illustro. Emisti vinum, triticum, oleum a latrone, accepisti ab eo furtivam pecuniam pro tua re illi vendita, vel convivio, aut cœnæ de rebus furtivis instructæ interfuisti, tantumdem in domo tua consumpturus, teneris domino pretium reddere; licet fur habeat aliud vinum, aliud oleum, triticum, pecuniam, per quæ possit domino compensare, sive possessor sis bonæ, sive malæ fidei: hoc solum posito discrimine, nimirum possessorem bonæ fidei ad id solum, in quo factus est ditior, alterum vero ad totum integre restituendum obstringi. Et quidem doctrinam hanc absolute veram puto in possessore malæ fidei, quippe qui furi ipsi æquiparatur, & in solidum cum ipso ad restitutionem tenetur, sive fur habeat, unde restituere possit, sive non habeat, cum ex duplici titulo ad restitutionem urgeatur, nimirum & rei acceptæ, & injustæ acceptionis. Quamobrem non essentior Salmaticensibus, & Concinæ, qui in hoc pares faciunt tam possessorem bonæ, quam malæ fidei. At quoad possessorem bonæ fidei eam inficiantur nonnulli Theologi his permoti argumentis. Quia non magis sunt restitutioni obnoxiæ res usu consumptibiles, quæ apud furem adhuc extant, quam sint illæ, quas distraxit, vel insumendas dedit: sicut enim poterat priores dare, ita per illas potest restituere. Qui ergo a fure bona fide emit oleum, vinum, triticum, non tenetur restituere; cum fur alio vino, oleo, tritico apud se existentibus possit restituere. Et revera ipse dominus jus non habet repetendi a fure rem eamdem numero, sed vel res similes, vel ejusdem valoris. Porro res similes, ejusdemque valoris sunt apud furem. Ergo illæ obno-

noxiæ erunt restitutioni; proinde possessor bonæ fidei ad furem remittere poterit dominum pro compensatione.

At alii distinguunt, & animadvertendum jubent, num fur eas res usu consumptibiles, quas vendidit, vel infumendas dedit, a suis separatas habuerit, an immiscuerit, & pari pacto num possessor bonæ fidei res easdem emptas cum suis miscuerit. Si nulla ex parte facta sit commixtio, cum res sit omnino eadem, clamat domino suo; & hic jus habet eam repetendi a quocumque possessore: quamobrem etiam a possessore bonæ fidei est restituenda. Si vero ab utroque, vel alterutro facta sit commixtio, cum per eam fiant totius acervi domini, jam fur non amplius rem alienam, sed suam vendit cum onere compensandi dominum; & pari pacto, qui emit: jam non amplius rem alienam habet, sed quæ in ejus dominium transiit per commixtionem,

Verum primæ opinionis argumenta nimis imbecillia sunt, ut vel tenuem probabilitatem inferre possint. Nam res istæ usu consumptibiles, quandiu in se ipsis existunt, semper domino suo clamant, & ipsæ per se sunt restitutioni obnoxiæ; eapropter semper primo, & per se restituendæ, apud quemcumque existant possessorem. Et licet absolute possint per res æquivalentes restitui; tamen & dum in se existunt, a vero domino, nedum in æquivalenti, sed & in individuo repeti possunt; & semper ad ipsum non solum in specie, sed & in individuo pertinent, ad quem incessanter reclamant, qui jure suo minime spoliatur per hoc, quod possit in æquivalenti ipsi satisfieri per alias res similes. Immo hoc debitum restituendi, saltem in æquali jus evincit domini in res ipsas sibi furto ablatas.

Altera vero sententia, quæ probabilior P. Danieli Concinæ, licet non omnino tuta, videtur, mihi, ut ingenue fatear, vix probabilis apparet in omnibus rebus usu consumptibilibus, una excepta pecunia, & quidem non solum argumentis a laudato C. V. allatis ad ostendendum tutam non esse, sed aliis meo videri validissimis. Nam fatentibus Theologis hujus doctrinæ propugnatoribus, & præcipue Salmanticensibus; si fur restituere non possit, possessor bonæ fidei vel rem usu consumptibilem, si extet, restituere tenetur, vel id, in quo factus est ditior. Sic enim scribunt n. 43. „ Si enim aliunde fur sit impotens ad reddendum, „ nulli dubium est te teneri ad rem „ reddendam, si extet, vel id in quo „ ditior factus es: & loquimur in foro „ conscientiæ, quidquid sit de foro externo “. At quare, posita impotentia furis, est a possessore restituendum? Profecto quia nec fur dominium obtinuit, nec possessor bonæ fidei. Ergo in hoc casu impotentiæ furis per commixtionem non est translatum dominium vel in furem, vel in possessorem bonæ fidei. Nam alioquin hic nullo modo esset ad restitutionem adigendus; cum & rem in dominium furis jam traslatam acceperit, & ipse per commixtionem in suum transtulerit dominium. Quo igitur miraculo fit plena translatio dominii rerum usu consumptibilium, quando fur potest restituere, & non fit, quando est ad restituendum impotens? Profecto hæc, sive potentia, sive impotentia nihil confert ad dominium transferendum: sed hoc unum præstat, videlicet posse possessorem bonæ fidei compensationem accipere

pere a fure habente in bonis, quam sperare non valet ab egeno ad id solvendum inepto. Præterea: vel onus restitutionis est furi personale, vel reale. Si solum personale, profecto non transit ad possessorem bonæ fidei, sive fur sit potis ad restituendum, sive impos: si vero reale, profecto transeat, oportet, & in illum, qui rem restitutioni obnoxiam obtinet etiam bona fide, sive fur sit ad reddendum aptus, sive ineptus. Porro concedentibus Salmanticensibus, & omnibus Theologis, restitutionis onus incumbit accipienti rem a fure. Ergo hoc onus reale est, & rem ipsam afficit. At obligatio realis rem ipsam sequitur, in quascumque manus deveniat: igitur qui eam rem habet in se, vel in æquivalenti, restitutioni fit obnoxius, sive fur idoneus sit ad restitutionem, sive ineptus. His addantur argumenta P. Concinæ, nimirum non clare apparere, qua ratione permixtio possit dominum spoliare suo jure, & revera in cumulo illo simul cum rebus furis continentur & res domini, quæ licet admixtæ adhuc clamant domino suo, qui per eam confusionem, & commixtionem jure non privatur vero & reali, quod obtinet in partem illius cumuli.

Dixi tamen hanc doctrinam veram esse in omnibus rebus usu consumptibilibus, excepta pecunia, quæ quidem si nec a fure, nec ab accipiente cum suis commixta sit, restituenda omnino est domino vero, & legitimo: at facta commixtione, per quam ab alia discerni non valeat, puto in dominium transire possidentis, qui, si fur sit, illam expendere potest valide cum onere restituendi: si vero sit possessor bonæ fidei, ad restitutionem minime tenetur. Rationes hujus exceptionis attulimus Tract. de Dom. cap. 11. Consect. 3. ibidem legendæ.

Consectarium Quartum.

IV. Possessor bonæ fidei a domino omnium expensarum compensationem non semper repetere potest. Explicatur. Expensæ, quæ pro aliqua re fieri contingunt, in triplici classe collocari possunt. Aliæ enim sunt omnino necessariæ ad rem conservandam, vel fovendam, ut pabulum animalibus, agris cultura, domibus restauratio, & *quæ* ut dicitur L. 79. ff. de verb. signif. *si factæ non sint, res aut peritura, aut deterior futura sit*. Et hæ omni jure possessori bonæ fidei (immo & possessori malæ fidei, ut dicemus) sunt a domino compensandæ, &, si opus sit, in restitutione detrahendæ; cum æquum non sit, ut dominus ex alienis laboribus, & impensis, commodum reportet, & ditescat. Expensæ vero, sicut & labores, quibus res melior effecta est, sunt possessori bonæ fidei restituendæ a domino, cum aliqua tamen limitatione. Nimirum 1. si expensæ meliorationem excedant, tunc non omnes expensas reddere debet, alioquin rem suam carius emere dominus cogeretur; sed eas tantum, quæ meliorationi, & utilitati inductæ respondent, vel quantum labor, & industria æstimatur. 2. E contra, si melioratio, seu utilitas inducta expensas excedit, ut plerumque contingit, non pretium meliorationis, & utilitatis inductæ compensare dominus debet, sed solum vel expensas factas, vel pretium respondens labori, & industriæ: nam melioratio illa ad dominum pertinet, cujus utilitate, vel detrimento res sua sive melior, sive deterior efficitur, ut habetur L. in fund. ff. de rei vend. 3.

Si dominus beneficium meliorationis, & utilitatis vel absque ullo impendio, vel minori impendio per se obtinuisset, tunc non teneretur, nisi illas refundere expensas, quas ipse fecisset: non enim tenetur emere pretio magno, quod nullo, vel modico pretio per se obtinere potuisset: & possessor bonæ fidei, si quando cogitur totum damnum rei sustinere, ut si quis gemmam a fure ignoto bona fide emat, quam postea domino restituere debet, pretii totius damnum sustinere debet, mirum non est, si & aliquando damnum aliquod expensarum subeat, quas dominus vel minores subiisset, vel omnino non subiisset. 4. Si possessor bonæ fidei ex re aliena tantum utilitatis, & fructuum percepit quantum expendit, nihil pro expensis pergere poterit; quippe qui illarum jam compensationem in fructibus est consecutus: quod si ditior factus sit, quia ampius lucratus, quam expenderit, hoc amplius, in quo ditior factus est, debebit domino restituere. 5. Si possessor bonæ fidei in re melioranda expensas fecerit, licet hæc melioratio non existat, eas a domino poterit repetere, cum bona fide factæ sint, & in utilitatem domini: & sicut ipsi accrevisset melioratio, licet pretium expensarum longius excesserit, persoluto meliorationis pretio; ita ipsi pereunt simul cum pretio meliorationis: quod tamen non conceditur possessori malæ fidei, ut statuitur L. 38. ff. de Hæred. pet.

Quoad expensas vero voluptuarias, ut sunt picturæ, statuæ, aliaque ornamenta in domo, aut viridario alieno facta, si auferri, & separari possunt a re, ea omnia auferre poterit, & sibi vendicare possessor tam bonæ, quam malæ fidei, cum sua sint, & ad ipsum pertineant. Si vero auferri non possint sine fundi, vel rei læsione, possessor quidem malæ fidei damnum sentire cogitur, quippe qui injuriam fecit in re aliena manum immittendo; licet in utilitatem: quod & ad possessorem bonæ fidei extendunt Theologi, sed alia de causa, quia scilicet non tenetur dominus sumptus, nulla re urgente, sed voluptatis causa factos, quos ipse certe non subiisset, persolvere, ut statuitur L. 27. ff. de negotiis gestis. Nihilominus, legibus æquitatis inspectis, putarem rem judicio prudentum, & piorum transigendam, ne dominus commodum sentiat, & utilitatem ex alieno damno, & possessor bonæ fidei expensarum in re, quam suam putabat, factarum detrimentum sentiat: quod tamen possessori malæ fidei non censeo concedendum, ut inferius ostendam.

Consectarium Quintum.

V. Possessor bonæ fidei nec omnes utilitates ex re aliena perceptas domino restituere cogitur, nec omnes sibi retinere potest. Explicatur. Hæ utilitates seu fructus vel sunt aliquo modo naturales, & de his Regulæ sunt servandæ, quas statuimus cap. præced. n. 5. vel sunt fructus mere civiles, nimirum qui non ex ipsa re sponte fluunt, sed sine ipsa haberi non possunt, ut lucrum ex pecunia, locatio domus, venditio cum lucro, & similia. Quamobrem si hæ utilitates, sive fructus civiles solum ex mera possidentis industria proficiscantur, eos domino reddere non tenetur possessor; ut de fure ex alienæ pecuniæ negotiatione lucrante loc. cit. diximus. Pari pacto, si quis sericum a fure bona fide emit, ex quo vestem confecit, non vestem restituere tenetur, sed sufficit, si pretium serici domi-

domino persolvat. At si hæc emolumenta partim ex industria proficiscantur, partim ex re aliena, possessor bonæ fidei illud solum repetere potest, quod suæ respondet industriæ, licet emolumentum perceptum longe sit copiosius. Hinc qui alienam domum bona fide locavit, locationis pretium restituere debet domino, qui eam locare consueverat: hoc enim habetur tanquam fructus civilis, immo & naturalis ipsius domus. Quid autem, si dominus eam locare non consuevisset, sed alteri gratis concedere, immo si res ipsa locabilis non erat penes dominum, ut sunt gemmæ, & anuli alicujus nobilis matronæ, tenebitur ne possessor bonæ fidei pretium locationis reddere? Inficiantur nonnulli Theologi, qui putant tunc locationem fructum esse industriæ possessoris bonæ fidei. Verum opposita opinio probabilior, immo unice vera videtur. Nam 1. nullam locatio industriam postulat, vel certe exiguam. 2. Res istæ de se locabiles sunt, & earum locatio independenter a quacumque persona locante pretio est æstimabilis: est igitur fructus saltem civilis rei, & proxime ad naturalem accedit: est ergo restituendus domino a possessore bonæ fidei: si vero non extet, id in quo factus est ditior. Nec refert, quod dominus rem illam locare non consueverit: immo turpe sibi putaverit eam locare. Nam adhuc semper verum est, rem esse pretio locabilem, & pretium ex ipsa rei utilitate manare; eapropter ad restitutionem tenebitur. Pari pacto, qui rem a fure bona fide emit, sed viliori pretio, si postea carius vendat, excessum pretii non sibi semper retinere potest. Nam si pretii incrementum totum ex industria profluxerit venditoris, totum in illius cedit utilitatem: verum si pretii incrementum partim ex ipsa re, partim ex industria exortum est, tunc possessor bonæ fidei pretium quidem suæ respondens industriæ sibi retinere potest, vel a domino exigere, at incrementum rei domino restituere debet. Rem exemplo illustro. Emisti bona fide equum a fure in loco, ubi propter equorum abundantiam, vel emptorum paucitatem minoris æstimantur equi, puta viginti aureis; deinde alio equum transtulisti, ubi ob equorum caritatem, & emptorum abundantiam plurimi penduntur, quare equum viginti aureis emptum vendis sexaginta: hoc incrementum non integre tibi retinere potes, sed solum quantum expensis in alendo, transferendoque equo, & tuæ industriæ respondere judicio prudentum censetur. Ratio luculentissima est, quia licet industriæ tuæ fuerit, ut equus ad talem locum transferretur, ubi carius venduntur equi; quod tamen inibi equi carius vendantur, non tua præstat industria, sed ipsa natura ea, quæ eo in loco plurimi æstimatur, independenter a quacumque industria, & alia extrinseca de causa, raritate scilicet equorum, & abundantia emptorum. Solum igitur tibi retinere potes æstimationem expensarum in equo transferendo, & quantum tuæ industriæ respondet, & labori. Præterea: res, ubicumque sit, est domini sui, illi proinde valet, quantum inibi æstimatur, sive tanti valuisset in manu domini, sive non valuisset; cum omne rei incrementum, sive intrinsecum, sive extrinsecum semper domino suo accedat, licet illud dominus non percepisset: & solum sunt deducendæ expensæ, & pretium laboris ob illud incrementum suscepti. Et revera, si equus ille, sive res alia quæcumque in manu possessoris bonæ fidei

vel

vel periisset, vel deterior evasisset, licet hoc damnum, vel detrimentum non subiisset in manu domini; nonne damnum illud, vel detrimentum in ipsum dominum recidisset, quod bonæ fidei possessor sarcire non teneretur? Ergo ex opposito æquum est, ut dominus beneficium sentiat meliorationis, & incrementi, & solum onus subeat compensandi laborem, industriam, & expensas possessoris bonæ fidei. Ita sentiunt Henricus a S. Ignatio, aliique Theologi.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Qui rem alienam bona fide dono accipit, eam restituere domino suo tenetur. Si vero pretio emit, & certus moraliter fit, rem a fure restituendam domino, vel ipsum dominum nullo negotio rem suam a fure recuperaturum, & ipse nequeat pretium a latrone recipere, nisi illi rem restituendo, potest rescindere contractum, & pecuniam suam recuperare: si vero noverit furem non restiturum rem domino, non potest rescindere cum fure contractum, ut pretium suum recuperet, sed rem domino suo restituere debet. Prima pars est de se comperta, & omnium consensione firmatur: cum & res illa ad dominum suum clamet, & nemo debeat alieno damno ditescere. Altera quoque pars manifesta est: nam non fit injuria domino, qui rem suam recuperabit; & ipse innocens emptor pretium persolutum recipiet, nec damnum ex aliena iniquitate reportabit. At tertia pars subest disputationi. Et quidem magni nominis Theologi, Navarrus scilicet in Manuali, Sylvester, Angelus, Vasquesius, Alensis, aliique censent, posse bonæ fidei emptorem, nisi aliter persolutum pretium valeat recuperare, rem furi restituere, licet noverit ab illo nequaquam domino restituendam, his permoti argumentis. 1. Nullam intulit domino injuriam emptor bonæ fidei emendo; potest igitur sine ulla injuria rem in eum restituere statum, in quo ante emptionem reperiebatur, ut ipse suum evitet detrimentum. 2. Revera nemo tenetur cum proprio damno rem alterius in meliorem statum constituere, ut contingeret, si emptor bonæ fidei cogeretur non recuperato pretio rem domino restituere: hic enim rem suam tuto consequeretur, quod sperare non poterat, si in manu furis permansisset. 3. Certe dominus non potest esse huic restitutioni in manu furis rationabiliter invitus: nam sicut ipse jus habet in rem suam, ita emptor jus in pretium furi persolutum. Sicut igitur rationabiliter dominus exposcit rem sibi restitui; ita pari debet emptorem persolutum pretium sibi vendicare, rem in pristinum, in quo erat, statum restituendo. 4. Præsertim cum contractus ille nullus fuerit, proinde tanquam infectus habendus, & res, ut antea erat relinquenda: ante contractum penes latronem erat: illi igitur restitui poterit absque ulla domini injuria. Hanc tamen doctrinam nonnulli limitant, nimirum si restitutio rei furi fiat mox, vel paulo post celebratum contractum, non vero post multum temporis, puta post mensem, vel annum.

Verum opposita, quam statui, doctrina, & ipsis fatentibus adversariis, probabilior est, ac proinde sola in praxi tenenda, eamque docent Cajetanus, Soto, Medina, Major, Molina, &, ut scribit Reiffenstuel Juris Can. Tom. 3. lib. 3. tit. 16. n. 105. ac Covarruvias, *frequentissimo Theologorum, & Canonistarum consensu recepta est*. Et sane firmis-

ſimis nititur argumentis. Primo quidem conformis eſt doctrinæ S. Tho. qui 1. docet 2. 2. q. 62. art. 1. *Reſtituere nihil aliud eſſe, quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, & dominium rei ſuæ.* Deinde 2. loco docet art. 6. *Ratione rei acceptæ poſſeſſorem teneri eam reſtituere, quandiu eam apud ſe habet; quia quod habet ultra id, quod ſuum eſt, debet ei ſubtrahi, & dare ei, cui deeſt, ſecundum formam commutativæ juſtitiæ.* Quod & repetit in reſp. ad 1. ſcribens: *Tenetur ad reſtitutionem & ille qui rem abſtulit ratione injurioſæ acceptionis, & ille, qui rem habet, ratione ipſius rei.* Ex mente igitur, & doctrina S. Tho. aperte conſtat, poſſeſſorem rei alienæ, quocumque titulo eam obtinuerit, teneri domino reſtituere, non alteri, & legitimum dominum in poſſeſſionem, & dominium ſtatuere rei ſuæ. At qui rem a fure emptam non domino, ſed furi reddit, ut ſuum recuperet pretium, non ſtatuit dominum in poſſeſſionem rei ſuæ. Injuſtitiam ergo committit, & reſtitutioni eſt obnoxius. 2. Res aliena, in cujuſcumque manum deveniat, clamat domino ſuo, non alteri: res a fure empta in manus venit emptoris: in his igitur ad dominum ſuum clamat, non ad furem: eſt igitur non huic, ſed illi reſtituenda. 3. Si dominus reſciens emptorem, & poſſeſſorem rei ſuæ, illam ab eo expoſceret, poſſeſſor, & ipſis fatentibus adverſariis, nequiret amplius rem furi reſtituere, ſed domino petenti deberet reddere, ſicut & ad eam reſtituendam a juſto judice cogeretur. Ergo tenetur reſtituere, licet dominus & emptorem, & poſſeſſorem neſciens, non petat, vel petere non poſſit; cum hæc domini pulſatio per accidens ſe habeat ad onus reſtitutionis, quæ non ideo eſt facienda, quia a domino depoſcitur, ſed quia ex ipſo jure oritur, quod dominus habet in rem ſuam. 4. Et revera, ſi emptor bonæ fidei jus legitimum haberet ad ſuum damnum vitandum, rem reſtituendo injuſto venditori, hoc jure uti poſſet etiam ipſo domino ſciente, & contradicente; immo juſte non poſſet a judice hoc legitimo, quo fruitur, jure ſpoliari; at oppoſitum & ipſi fatentur adverſarii, & experientia certo conſtat, judices jubere, ut res domino reſtituatur. Ergo emptor bonæ fidei hoc jus non habet ſe ſervandi indemnem, rem furi reſtituendo, ut ſuum recuperet pretium. 5. Si res furi venditori reddi non poſſit, quia abſens eſt, vel mortuus; licebit ne emptori bonæ fidei rem alteri vendere, ut ſuum recuperet pretium? Minime, reponunt & ipſi adverſarii. Ergo jus non habet ad ſuum recuperandum pretium, quo ſi gauderet, utique cuicumque rem vendere poſſet: & ſicut mors, vel abſentia latronis jus adſtruunt domini rem ſuam repetendi a poſſeſſore; ita præſentia latronis hoc jus non tollit, nec minuit, quippe quæ extranea omnino eſt debito reſtitutionis. Eſt ergo res domino reddenda, non injuſto venditori.

Nec adverſantium Theologorum argumenta eorum doctrinam probabilem efficiunt. Nam ad 1. reſpondendo, fatemur emptorem bonæ fidei nullam domino ſua emptione injuriam irrogaſſe; eapropter ad reſtitutionem non teneri ex injuſta acceptione, ſed ex ipſa re accepta, quandoquidem, ſtatim ac in ejus manus devenit, clamat domino ſuo, etiam in eo meliori ſtatu, quo per emptionem conſtituta eſt: qui ſtatus cum ipſi rei adhæreat, ab eo dejici non poteſt ſine injuria domini: ut ſi quis rem naufragio, vel incendio ereptam,

tam, recusaret domino restituere, quia hic præmium sui laboris, & industriæ illi denegat, & vellet iterum eam in mare, vel in ignem projicere, dicens, se rem restituere in primum, in quo erat, statum, & a quo ipse sua industria, & labore eripuit; profecto hic injustitiam patraret: ita pari pacto agit, qui rem furi reddit, domino non restituendam. Ad 2. res semper vel melior, vel deterior efficitur domino suo; melior itaque effecta est, cum devenit in manus emptoris, quam quando erat in manu furis: in hoc igitur meliori statu clamat domino suo, & est illi restituenda. Dum igitur illam furi restituere intendit, ut pretium recuperet, ab illo meliori statu eam dejicit, in quo domino suo clamabat. Nec valet, quod dicitur, neminem teneri cum suo damno rem alterius in meliori statu constituere. Nam optime respondet Molina disp. 722. n. 3. „ Aliud esse, possessorem bonæ fidei perducere rem ad „ meliorem statum, quam esset, antequam illam emeret; aliud longe „ diversum, extrahere illam de statu, „ ad quem jam usu, & re ipsa devenit. Et quidem ad primum nemo „ tenetur cum suo gravi damno, sive „ incommodo: cujusmodi foret, si faciendæ essent expensæ, & subeundi „ labores, ut dominus posset suam rem „ recuperare, quas ipse postea non esset soluturus. At secundum vero tenetur, nihil impediente, quod inde per „ accidens sequatur aliquod suum damnum ex malitia alterius. Neque enim „ præjudicare potest juri, ac commodo „ domini rei, ut se protegat a damno, „ quod ipsi malitia alterius imminet “. Ad tertium minime dominus juste pati debet, ut cum jactura rei suæ alter pretium recuperet, rem furi restituendo: sed jure exigere valet, ut res sibi restituatur ab emptore bonæ fidei, cui liberum jus relinquit repetendi pretium a fure. Ad quartum nullitas contractus efficit, ut rei alienæ legitimum non sit translatum dominium, proinde jus habeat emptor repetendi pretium ab injusto venditore, etiam re illi minime reddita: at non impedit, quo minus res de manu furis in manum transierit emptoris, qui eam domino, legibus justitiæ ita poscentibus, tenetur, non furi, restituere cum injuria, & detrimento domini.

Nec probabilis est habenda Lacroixii doctrina, asserentis non licere quidem domino rem furi restituere, sed permittere posse, ut fur rem alienam venditam sibi recipiat, ut ipse suum recuperet pretium. Nam hæc permissio non videtur, nisi verbo tenus, ab ipsa restitutione differre; immo est ipsa restitutio fuco permissionis oblita. Libentius acquiesco doctrinæ Molinæ, & Covarruvias, & Reiffenstuel, asserentium emptorem bonæ fidei, qui rem alienam a se emptam injusto venditori restituit recuperato pretio, putans id sibi licere, non teneri ad restitutionem domino faciendam, licet inde ipsi domino damnum sequatur, qui rem suam a fure recuperare non potest; cum nullus hic appareat justus titulus ad restitutionem adstringens: non titulus injustæ acceptionis, quia bona fide emit; non injustæ, vel justæ detentionis, cum rem amplius non possideat; non damni illati, quia bona fide processit; non denique quia factus sit ditior, cum solum persolutum pretium accepisse supponatur.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Qui rem alienam bona fide emit, ac deinde alteri bona pariter fide vendidit, pretium, detecto legitimo domino, vel emptori, vel domino rei restituere debet. Hanc propositionem non nulli inficiantur Theologi, qui docent, tunc nec emptori, nec domino ad restitutionem teneri, nisi factus sit ditior: quia, inquiunt, non tenetur ex re accepta, quam apud se non amplius habet; non ex injusta acceptione, cum bona fide emerit; quod si in venditione lucratus sit, debet domino hoc lucrum per quod factus est ditior, restituere. Verum hæc opinio mihi falsa videtur. Nam si emptor rem restituat domino, tunc jus habet repetendi a venditore pretium, quippe qui, cum rem alienam vendiderit, de evictione tenetur. Obstringitur ergo pretium restituere emptori. Nec sufficit, si illi actionem cedat, quam habet in primum injustum venditorem: quandoquidem cum illo nihil ille negotii habet, vel habuit. Immo puto hanc sententiam confirmari posse doctrina S. Thom. qui 2. 2. q. 77. art. 2. loquens de defectibus rei venditæ vel in specie, vel in qualitate, aut quantitate, docet quod *si venditore ignorante aliquis prædictorum defectuum in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat, quia facit injustum materialiter, nec ejus operatio est injusta: tenetur tamen, cum ad ejus notitiam pervenerit, damnum recompensare emptori*. Porro, quando rem alienam bona fide vendis, defectum essentiale rei, nimirum quod sit aliena, non tua, ignorans, & quidem invincibiliter, quamobrem a culpa es immunis, facis enim injustum materialiter; at detecto in re vendita essentiali defectu, nimirum quod sit aliena, proinde omnino inutilis emptori, qui eam domino reddere debet, juxta S.Thom. damnum recompensare teneris; quod profecto non alio præstari potest modo, nisi pretium restituendo. Et revera sic docent Salmaticenses, quando emptor damnum sit passurus ob rem domino restitutam, vel restituendam. At subdunt, si emptor nullum sit passurus damnum, quia nimirum, cum longius absit, ab eo dominus, rem repetere nequit, non tenetur venditor domino pretium reddere, quia & bona fide vendidit, & in nullo factus est ditior. Sed oppositum probabilius mihi videtur, & censeo venditorem ad pretium domino reddendum teneri, & quidem titulo rei acceptæ, quæ, licet in ejus non sit potestate in se ipsa, est tamen in æquivalente, idest in pretio pro re aliena vendita accepto; nam hæc duo, res, & ejus pretium pro eodem reputantur. Ita Juveninus, cui accedit & Concina, qui merito tanquam inefficacem reputat rationem, & doctrinam Salmaticensium, affirmantium ad nihil teneri venditorem, si emptor in longinquas regiones digressus non cogi possit ad rem domino restituendam; cum adhuc pretium rei apud venditorem existens loco ipsius rei ad suum dominum clamet.

Sed quid, si emptor rem alienam sibi venditam tibi venditori non restituat, cum possit, sed legitimo domino, & per hoc impediat, ne tu pretium a primo injusto venditore recuperes? Poteris ne illi pretium, quod a te peti, denegare? Affirmant Lessius, Bonacina, aliique. Verum non audeo huic opinioni adhærere, nisi aliqua interveniat injusta actio, quæ tibi sit damno, cujusmodi certe non est restitutio rei legitim domino. Quod si ex hac justa, & æqua re-

ſtitutione proveniat amiſſio tuæ pecuniæ pro pretio ſolutæ, hoc non ex culpa profluit emptoris, qui, quod juſtum eſt, præſtitit, ſed ex malitia primi injuſti venditoris, qui fortaſſis tibi pretium denegat, niſi rem ab ipſo furto ablatam recipiat, quam cum ſciat domino redditam ab emptore tuo, certo novit ſibi a te dari non poſſe. Et hæc furis iniquitas innocenti emptori tuo nocere non debet; nec quia tu injuriam a fure recipis, injuriam innocenti rependere debes, & injuſtitiam committere illi denegando, quod debes. Quod ſi aliqua interveniat injuſta actio præter traditionem rei domino, qua impediaris tuum pretium conſequi, non tibi denegatur facultas repetendi compenſationem damni, a quocumque illud tibi fuerit illatum.

CAPUT QUINTUM.

De restitutione facienda a poſſeſſore malæ fidei, tum ratione rei acceptæ, tum injuſtæ acceptionis.

DOCTRINA.

I. *Quinam dicantur malæ fidei poſſeſſores.*
II. *Quid debeant reſtituere. 1. Rem alienam, vel pretium ejus.*
III. *Res aliena in manu injuſti poſſeſſoris ipſius bono non augetur, ſed ipſius detrimento minuitur.*
IV. *Qui tenetur reſtituere in meliori ſtatu.*
V. *Quale pretium rei alienæ reddere debeat.*
VI. *Quos fructus, & emolumenta reddere, & compenſare.*
VII. *Quas expenſas perdere, & quas expetere juſte poſſit.*

I. MALA fide poſſidet tam qui rem alienam injuſta ſibi uſurpat actione, quam qui bona fide, & honeſto titulo occupatam, detecta veritate, ſibi retinet: & ſicut ſunt in crimine ferme pares; ita ſunt in reſtitutione facienda æquales. Primo itaque uterque poſſeſſor rem alienam, ſive injuſte acceptam, ſive injuſte retentam reſtituere tenetur, ſi extet, nec ſatis eſt, ſi pretium reſtituat: nam tunc reſtitutio tranſiret in emptionem; qui contractus ſine conſenſu utriuſque partis fieri nequit. Præterquamquod fortaſſis peculiariter affectus erga rem ſuam eam minime vel vendere, vel commutare dominus voluiſſet; & res ſemper clamat domino ſuo. Non inficior tamen, aliquando contingere poſſe, ut quis ſine gravi culpa non rem ipſam, ſed ejus pretium reſtituat; quod ex peculiaribus circumſtantiis eſt dijudicandum.

II. Si vero res non extet, ejus valor eſt domino rependendus, ſive res penes injuſtum poſſeſſorem perierit ejus culpa, ſive etiam ex ſolo fortuito caſu: nam ratione injuriæ fit domino obnoxius pro re ſua, quam illi ſemper reſtituere debet, vel pretium ejus; ut docet S.Th. 1.1. q.62. a.6. ſcribens: *Tunc tenetur ad reſtitutionem non ſolum ratione rei, ſed etiam ratione injurioſæ acceptionis, etiamſi res ipſa apud ipſum non remaneat. Sicut enim qui percuſſit aliquem tenetur recompenſare injuriam paſſo, quamvis apud ipſum nihil maneat, ita etiam qui furatur, vel rapit, tenetur ad compenſationem damni illati, etiamſi nihil inde habeat.* Quod verum eſt, licet res caſu fortuito peritura fuiſſet etiam apud dominum; ut ſi quis pretioſas ſupellectiles domus incendio abſumendas eripiat, & ſibi attribuat, licet poſtea alio incendio, vel caſu fortuito apud ipſum pereant, ad pretii reſtitutionem cogetur. Nam rei alienæ occupatio in proprium

prium commodum facta, cum injusta sit, onus secum semper affert restitutionis, a quo minime liberatur injustus possessor, licet res ipsa pereat; sed suæ iniquitati adscribere debet rei alienæ perditionem. Quod si rem alienam incendio, vel naufragio subtrahas animo eam domino restituendi, sed postea casu fortuito apud te pereat, quæ tamen apud dominum non periisset; adhuc rei pretium restituere teneris, si fueris in mora culpabili restitutionis: nam effectus es per hoc injustus alienæ rei detentor, quam domino suo, statim ac opportune poteras, restituere tenebaris: at si nulla interfuit mora culpabilis, ad restitutionem minime teneris, cum injusta non fuerit acceptio, & res, quæ fortuito casu perit, domino suo pereat.

III. Res aliena, in manu injusti possessoris, & detentoris quandiu existit, non in bonum ipsius crescit, augetur, melior efficitur, at in ipsius damnum decrescit, minuitur, deterior efficitur. Nam res semper domino suo crescit, sive extrinsece, sive intrinsece, cum semper sub ejus jure maneat. Quamobrem qui pullum equinum furatus est, qui crevit, & equus factus est ad cursum, & rhedam utilis, quare plurimi valet, debet illum in hoc statu restituere; ut docet S. Raymundus lib. 2. tit. de furtis §. 6. scribens: *Tenetur* (fur) *restituere rem . . . & si melioravit eam, pascendo forte equum, vel porcum furtivum, vel simile, non potest petere, vel retinere expensas*. Similiter qui vinum, aut oleum alienum abstulit, quando ob talium rerum copiam minoris æstimabantur, & modo ob carentiam plurimi penduntur, debet in hoc statu res eas extantes domino restituere; licet fortassis dominus nec servaturus fuisset pullum equinum usque ad provectiorem ætatem, & consumpturus, vel venditurus oleum, & vinum tunc temporis, cum minori pretio vendebatur: nam res semper domino suo crescit, fructificat, melior efficitur. E contra vero, si res in manu injusti detentoris vel pereat, vel deterior fiat, hoc in ejus dominium cadit. Ita docet laud. Auctor l. cit. §. 21. ubi sic scribit: *Quando mala fide emit, tenetur indistincte ad restitutionem, nec liberatur vendendo, vel alias alienando rem alteri, vel etiamsi res pereat morte, vel alio casu, vel sibi violenter auferatur, vel furtive subtrahatur, vel alio simili modo: & est ratio, quia furtum committit contrectando rem alienam invito domino, & fur semper est in mora restituendi; unde nec pretium, quod dedit, poterit repetere ab illo, cujus res est, nec expensas, quas ibi fecit; & omnem utilitatem, quam ex illa habuit, tenetur restituere. Si restituit rem etiam deteriorem; quam ad ipsum pervenit, non liberatur, sed si aliquo tempore medio melior fuerit res, quam tempore emptoris, sive cum postea vendidit alteri, ejus quod plurimi fuerit, erit æstimatio facienda*. Quamobrem juxta S. Raymundum, si rem in deteriori statu surripuisti, & deinde melior effecta est; at postea iterum est ad deteriorem statum reversa, in quo eam vel vendidisti, vel consumpsisti, restituere debes valorem secundum meliorem, quem habuit, statum: quod certe verum est, quotiescumque dominus erat rem conservaturus usque ad meliorem statum; vel detrimentum, quod apud furem passa est, non subiisset in manu domini: nam possessor malæ fidei tenetur de omni damno emergente, & lucro cessante domino ob injustam vel acceptionem, vel

vel detentionem. At si res a domino fuisset consumpta tempore deterioris status, in quo fur quoque rem vel vendidit, vel consumpsit, non videtur cogendus ad pretium restituendum juxta valorem rei in meliori, vel optimo statu consideratæ; cum restitutio sit facienda juxta mensuram illati damni, vel cessantis lucri. Porro in nostro casu non aliud est illatum damnum, nisi in valore rei, quem percepisset dominus, rem vel vendens, vel consumens in deteriori statu; & nullum illi cessasset lucrum, quippe qui, ut supponimus, lucrum nullum ex re sua expectasset dominus. Ergo juxta hunc valorem esset restitutio commensuranda. Quare qui pullum equinum abstulit, postea factum robustum, & iterum debilitatum, & claudum, debet domino restituere secundum illum statum, quem apud dominum obtinuisset: similiter qui vinum furatus est, quando minoris valebat, quod postea pretio crevit, & iterum decrevit, & tunc a fure vel venditum, vel consumptum fuit, sic pretium restituat, quod prudenter a domino percipiendum existimaret.

IV. Non ita tamen sentiendum puto, si injustus possessor, vel detentor rei alienæ eam in deteriori statu acceptam, & postea meliorem effectam vel consumat, vel vendat cum lucro; licet dominus non esset rem suam conservaturus, & ad meliorem statum perducturus. Repugnant nonnulli Theologi, inter quos Molina, & Layman censentes, non teneri restituere, nisi pretium rei, quando occupata fuit, his permoti argumentis. 1. Restitutio æqualis esse debet illato detrimento. Porro non aliud sensit detrimentum dominus præter privationem pretii, quod ex re in inferiori statu vel vendita, vel consumpta percepisset. Ergo hoc solum est ab iniquo possessore reparandum detrimentum. 2. Et revera majus illud lucrum, quod ex re per furem meliorem effecta percipitur, fructus est industriæ, quod in ipsius utilitatem cedit, non domini, qui eam industriam apponere nec volebat, nec statuerat. 3. Qui mutuam accepit pecuniam, vel aliam rem usu consumptibilem, æquale restituere dicitur, licet vel moneta, vel alia res interim valore decreverit. Ergo idem dicendum & de nostro injusto possessore. Verum, quam statui, sententiam puto probabiliorem, & censeo restituendum valorem rei secundum meliorem illum statum, in quo a fure redacta postea vendita fuit, vel consumpta, his meo videri efficacioribus argumentis. 1. Nam res aliena, quoadusque existit in manu injusti possessoris, sicut domino suo inclamat, ita ipsi crescit, augetur, melior efficitur; quemadmodum & minueretur, & deterior fieret, nisi impediret injusti detentoris delictum, quod legitimo domino prodesse quidem potest, at obesse omnino non debet. Incrementum igitur, & melioratio, quæ rei accrescit, domino accrescit. Ipsius igitur valor ipsi est attribuendus; cum valor rem ipsam sequatur, & loco illius sit. 2. Juxta S. Raymundum, immo & ut ipsum naturale restitutionis præceptum ostendit, injustus possessor semper est in mora culpabili restituendi; restituere etenim rem debebat & tunc temporis, quando rem meliorem effectum vel vendidit, vel absumpsit. Ergo, cum rem non habeat, illius pretium, & valorem restituere tenetur, qui respondere debet rei, non eum primo occupata fuit, sed cum vendita & consumpta; quia & tunc domino suo clamabat, & erat illi resti-

restituenda ; nec sine injustitia vel vendita fuit , vel consumpta . Argumenta autem adversantium Theologorum facile solvi possunt . Ad 1. enim dicimus , restitutionem esse faciendam non solum ad normam damni aliquo tempore illati,sed damni quocumque tempore domino obvenientis ob suæ rei injustam detentionem . Porro detrimentum habuit dominus , quando res vendita , & consumpta fuit : tunc enim erat illi restituenda ; & injustus fuit , qui restitutionem omittens rem distraxit , & absumpsit . Tunc temporis autem res melior effecta pluris æstimabatur , & revera pluris fuit divendita . Ergo loco rei ipsius pretium illi debetur , & est pendendum , Ad 2. negamus incrementum illius rei esse fructum industriæ , sed ipsius rei aptæ & natæ , si servetur , ad illud incrementum obtinendum ; & si quid est industriæ , hæc locum habet solum in tempore , quo venditur , cum nimirum melior effecta est . At tunc quoque ad dominum pertinet ; & tunc quoque venditor est moræ culpabilis reus . Ergo totum pretium est domino reddendum . Ad 3. in contractu mutui cum legitime transferatur dominium , res suis dominis crescunt , vel decrescunt , meliores efficiuntur , & deteriores ; proinde ex his fortuitis casibus nihil repetendum , sed satis erit , si res in specie restituatur .

V. Quoad pretia vero rerum , a possessore malæ fidei consumptarum restituenda , hæc sunt ex variis circumstantiis dimetienda . Nam 1. desumitur ex valore ipsius rei , vel quando surripitur , vel quando absumitur : si enim fur rem pretiosam surripiat , quam postea vili vendit, vel cum inferiore commutat , valorem rei in se restituere debet ; si vero rem furetur , quando minoris valebat, & carius vendit , ut mox diximus , hoc majus pretium restituere debet . 2. Ex lucro cessante , & damno emergente : Sic qui pullum equinum furatur , & statim vendit , non vendendum a domino , nisi cum major , & robustior fuisset effectus , non satis facit , si pretium pulli restituat ; sed , ut docet Auctor Op. 70. D. Th. attributi , debet *equi perfecti valorem reddere* , detractis tamen expensis necessario ab ipso domino subeundis ad equi conservationem , & non secundum quod in re valuisset equus , sed solum in spe , cum potuisset vel equus perire, vel deterior fieri , proinde ad prudentis viri arbitrium . Si res pretium habeant summum , medium , & infimum , non ad supremum cogendi sunt fures , nec infimo satisfaciunt , sed medium rependant , oportet ; nisi ex circumstantiis argui possit , rem non nisi summo pretio fuisse a domino vendendam . Quæ doctrina tamen aliquibus jurisperitis fortassis non immerito displicet . ,, Cur ,, enim , inquiunt , ullo favore hic furem prosequimur ? Et cum recte summum pretium exigere queam , quando in gratiam alterius rem vendo , ,, alias mihi non venalem ; quare furi , ,, qui rem invito abstulit , aliquid remittere debeam " ? Similiter qui rem multo ante ablatam restituere tenentur, debent pretium medium rei, quod tunc valebat , restituere . Quod si existimarent rem a domino conservandam diutius , & ad tempus restitutionis , juxta præsentem valorem facienda est restitutio . Pretii vero quantitatem requirere debent , si ignorent , vel ab iis , qui ex officio hujusmodi pretia in actis habere solent , vel a peritis , & æquis similium rerum æstimatoribus .

VI. Quod fructus vero , malæ fidei pos-

possessor, vel detentor tenetur restituere fructus omnes; tum civiles, tum naturales, tum mixtos, sive extent, sive consumpti sint, quamvis per hoc non sit factus ditior; & quidem licet dominus eos non fuisset percepturus: nam eo ipso, quod producti sint, ad rei dominum pertinent, cui soli res fructificat. Quod si injustus possessor fructus non percipiat, quos percepisset dominus, ad illorum valorem compensandum tenetur. At si nec ipse dominus illos percepisset, puto non cogendum ad compensationem, cum nec ipse ex re aliena lucrum reportaverit, nec dominus ex injusta occupatione detrimentum, ut docent Cajetanus, & Soto. At injustus detentor, si antequam culpabilem moram incurrat, fructus ex re aliena perceptos consumat, solum illud tenetur restituere, in quo factus est ditior, cum tunc solum ex re accepta ad restituendum obstringatur. Compensare præterea tenetur omnia damna emergentia, & lucra cessantia, cum his dominum sua injusta actione spoliet, & privet. Quamobrem ad hæc reparanda tenentur, qui pecuniam negotiationi expositam, vel ad colendos agros, domum restaurandam, annonam opportune comparandam sepositam surripiunt, qui mercenarios, operariosque sua mercede fraudant, unde coguntur vel credito carius emere sibi necessaria, vel res suas oppignorare, unde victum sibi, familiæque comparent: sicut etiam qui artis instrumenta furantur, ut qui piscatoribus retia surripiunt, vel lacerant, hi enim non liberentur, si res restituant, sed necesse est, ut & damna compensent; solos fructus, quas industriales vocant Theologi, reddere non tenentur etiam malæ fidei possessores, ut superius diximus, cum hi ex sola illorum industria proficiscantur.

VII. Num autem expensas injustus possessor a domino repetere possit, & sibi in restitutione compensare, non consentiunt Theologi. Certe S. Raymundus loc. sup. cit. docet, nec necessarias expensas esse a fure pro re furtiva mala fide empta repetendas; sic enim scribit: *Quando mala fide emit ... nec pretium, quod dedit, poterit repetere ab eo, cujus res est, nec expensas, quas ibi fecit*. Immo in libello Synodico Ecclesiæ Nemurcensis edito anno 1284. apud Natalem Alexandrum lib. 4. de Decal. cap. 9. art. 4. reg. 22. sic tit. de Pœnitentia statuitur: *Tenentur ad restitutionem omnes illi, qui scienter rem raptam, vel alienam emerunt cum mala fide, scilicet animo eam sibi retinenda, nec taliter ementes possunt recuperare, seu repetere pretium, quod dederunt pro ipsa, nec possunt recuperare, seu retinere expensas si quas fecerunt, ipsam rem custodiendo, vel meliorando, & hoc propter malam fidem, quam habuerunt emendo*. Nihilominus tamen pene omnes conveniunt, expensas necessarias, sine quibus res servari non poterat, & quas dominus ipse necessario subiisset, esse possessori etiam malæ fidei compensandas; cum nemo debeat ditescere alieno damno. Quod si forte dominus sua industria absque expensis, vel minoribus, rem conservasset, tunc possessori malæ fidei vel non sunt expensæ compensandæ, vel non in totum, sed juxta illas, quas dominus subiisset. Expensæ vero utiles, si vere, & realiter manent in re domini, quæ revera melior effecta sit, possessori malæ fidei videntur compensandæ, non tamen ad omnimodam æqualitatem, sed quantum in ipsa re perseverant, & manent.

nent. Nam si expensæ valorem superent incrementi, & meliorationis, sat erit pretium hujus incrementi rependere: immo nec istud integre, cum & ipsa rei melioratio ad dominum pertineat; sed ad arbitrium prudentis, peritique viri, quantum labor, & industria æstimantur. Sunt etiam civiles leges, quæ possessoribus malæ fidei actionem denegant ad hujusmodi expensas repetendas, quæ tamen non obligant, nisi post sententiam judicis; præsertim cum aliæ leges hunc rigorem mitigaverint, ut patet ex L. *Plane* 38. de hæreditatis petitione ff. de acquir. rer. dom. ubi sic statuitur: *Sed benignus est in hujus quoque persona* (scilicet malæ fidei) *haberi rationem impensarum, non enim debet petitor ex aliena jactura lucrum facere. Plane potest in ea differentia esse, ut bonæ fidei quidem possessor omnimode deducat, licet res non extet ... prædo autem non aliter, quam si res melior sit*. De expensis vero voluntariis, & ad meram voluptatem spectantibus, puto non teneri dominum compensare malæ fidei possessorem, qui sibi imputare debet rem alienam contrectasse, sciens esse alienam, si tamen a re aliena separari possint sine ipsius detrimento, sibi licite poterit auferre; si vero nequeant separari sine damno rei, eas cogitur amittere. Nec in praxi puto verum, quod subdit Concina, nimirum *rem esse prudentum arbitrio transigendam, & si dominus sentit commodum, recipiendo domum auctam picturis, viridario, aliisque ornatibus, non est, cur ab onere impensarum liber omnino esse debeat*. Nam est, cur liber esse debeat, nimirum quia nemo invitus cogendus est ad emendum, quando renuit. Porro dominus invitus cogeretur emere ornatum illum. Cur autem hic debemus potius furi iniquo favere, quam innocenti domino, & hujus libertatem violare, ut alterum a detrimento, quod sponte subiit, liberemus? Hinc æquissimam puto legem 27. §. de neg. ger. quæ sic indicit: *Non tenetur dominus rei sumptus, nulla re urgente, sed voluptatis causa factos, a quibus ipse abstinuisset, solvere*.

CAPUT SEXTUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Rem alienam restituere debet possessor malæ fidei, licet penes ipsum pereat, eodem periculo, & tempore peritura penes dominum.*

II. *Quando majus pretium ex re aliena vendita restituendum.*

III. *Possessor malæ fidei nihil ultra id, quod revera accepit, restituere debet ante judicis sententiam.*

IV. *Quando hæredes possessorum malæ fidei ad restitutionem obligantur.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. REM furto surreptam injusta actione tenetur fur restituere, si penes ipsum perierit, licet eodem periculo, & tempore peritura fuisse apud dominum. In exemplis illustro. Vestem quis furatur mox incendio domus comburendam: eam in loco collocat quem tutum putat, ut sibi eam usurpet; sed incendium illuc perveniens vestem comburit. Imminet naufragium, alter alteri vas argenteum surripit, animo, si naufragium evitet, sibi retinendi: naufragium subsequitur, & vas argenteum a mari absorbetur penes furem, absorbendum & penes dominum. Dicimus utrumque furem & vestie, & argentei vasis adhuc ad restitutionem teneri. Hoc inficiantur Salmanticenses,

ses, quia inquiunt, nullum damnum intulit domino, penes quem peritura erat res, sicut apud furem periit: nec quis tenetur ex justitia rem alienam in meliorem statum reducere. Quibus argumentis & hæc addi possunt. Hic fur vel tenetur ratione injustæ acceptionis, vel ratione rei acceptæ. Non primo titulo: quia non omnis actio etiam injusta onus infert restitutionis, nisi cum damno, & detrimento alterius de facto conjuncta sit. Porro hæc actio injusta surripiendi rem alienam non est revera cum damno proximi conjuncta, quippe quia dominus rem suam adhuc certo certius perdidisset. Peccabit igitur, & furti reus erit; at restitutioni minime obnoxius. Non secundo titulo rei acceptæ, quia res est jam incendio, aut naufragio consumpta; proinde non tenetur illius pretium rependere. Nam quodnam pretium? profecto non nisi illud, quo valebat res, quando a fure injusta sua acceptione occupata fuit. At res, puta vestis, mox igne comburenda, & paulo post eodem incendio consumpta, quanti æstimabitur? puto nec pili, nec teruntii, nec assis. Tantundem igitur reddere debebit. Erit igitur ab onere restitutionis immunis. Verum puto probabiliorem, quam statui, opinionem, & quidem S. Thom. doctrina fulcitam, qui 2. 2. q. 62. art. 1. aperte docet: *Tenetur ad restitutionem & ille, qui rem abstulit, ratione injuriosæ acceptionis; & ille, qui rem habet, ratione ipsius rei.* Igitur juxta D. Thom. sola injuriosa acceptio onus inducit restitutionis, sive res accepta maneat penes injustum raptorem, sive penes alium, sive salva sit, sive consumpta. Et revera iniqua actio injustæ acceptionis tantæ est perversitatis, & malignitatis, ut statim totum periculum rei injuste occupatæ a legitimo domino transferat in furem, cui proinde perit, si pereat, quocumque fortuito, casuali, inopinato casu pereat, quin ullum inde emolumentum percipere queat. Nec urgent argumenta Selmanticensium, nullum esse damnum illatum domino, apud quem res erat peritura. Nam damnum intulit fur rem illius occupando, quæ in manu sua statim salva facta, statim cœpit esse sibi periculo, non amplius domino, ratione suæ injustæ occupationis: & licet eodem tempore, & eodem periculo pereat, jam ratione suæ injustæ acceptionis illud tempus furi elabitur, illud periculum furi imminet, non domino, a cujus possessione rem abstulit; & in suam transferre tentavit. At urgent, certo certius domino periisset. Utique, si in ejus possessione fuisset: & ab ejus possessione erepta, & injusta actione in possessorem injustum translata, jam domino amplius perire non potest, sed ipsi furi pereat, necesse est. Nemo tenetur, inquiunt Salmanticenses, rem proximi in meliori, quam antea erat, statu collocare. Concedimus. Quamobrem, si rem incendio non eripuisset fur, certe contra justitiam non peccasset. At cum vetitum sit rem alienam surripere, fur hoc præceptum transgressus est, quia rem alienam a possessione domini eripuit, sibique usurpavit. Ejus igitur stabit periculo, & ipsi peribit, si perierit, non amplius domino. Sed quodnam pretium, inquiunt, persolvet? profecto illud, quo æstimabatur res, quando injusta actione occupata fuit. At tunc, ut ostendimus, nihili æstimabatur: ergo nihil restituendum. Minime. Illud rependendum est pretium, quod res valebat eo momento temporis, quo per actionem injustam occupata a fure erat in ejus ma-

manibus: tunc enim periculo erepta respectu domini, a cujus possessione subtracta est, proprium, & intrinsecum obtinebat valorem, quem revera domino persolvere debuisset, si rem legitime comparare voluisset, petito ad summum idoneo præmio pro industria adhibita ad rem domino conservandam, si hoc animo eam ab igne extraxisset. Periculum vero, quod vel prosequitur, vel subsequitur, cum non amplius ad dominum pertineat, a cujus possessione subtracta res est, sed ad furem, qui rem injuste in suam transtulit possessionem, rei pretium domino non minuit, cui proinde justum pretium rependere debet.

Consectarium Secundum.

II. Majus pretium rei, quod consequitur possessor malæ fidei ex aliena re vendita, non ad ipsum, sed ad dominum pertinet. Emisti pullum equinum, vitulum, vestem, gemmas mala fide, sciens hæc esse aliena, pretio infimo, & vendis supremo, hoc supremum, non illud infimum teneris domino reddere. Non desunt Theologi, qui censent, si majus illud pretium sit infra latitudinem justi pretii, esse fructum industriæ, proinde etiam injusto possessori concedendum. At oppositum ceu probabilius tenendum. Et certe 1. Si res plane immutata & secundum substantiam, & secundum locum, & tempus pluris vendatur, quam empta fuerat, ut docent Salmanticenses, fructus esse non potest industriæ, sed ipsius rei, proinde nec a possessore bonæ fidei retineri potest pretium, sed est domino rependendum. At, si pretii incrementum oriatur ex mutatione ipsius rei, vel intrinseca, qua res est melior effecta, puta vitulus evasit bos, vel qui macer erat, & infirmus, factus, est pinguis, sanus, & fortis; vel ab extrinseco, quia res vendita fuit loco, & tempore, quo pluris æstimabatur, adhuc pretii incrementum possessor malæ fidei domino reddere tenetur; quia res domino suo crescit, & melior efficitur, & semper, ac in quocunque statu clamat ad dominum suum, cui semper reddenda est, nimirum & quando melior effecta est, & quando ad aliud tempus reservata, & ad alium locum translata, ut carius vendatur: & cum rei locum pretium teneat, hoc integre est restituendum, detractis solum necessariis expensis, quas ipse dominus in re conservanda, & transferenda subiisset. Quod certe, ut diximus, verum est, quando & ipse dominus rem servasset ad aliud tempus, ad alium locum transtulisset, cariusque vendidisset; tunc enim hoc lucrum ipsi cessaret: proinde esset ab iniquo possessore compensandum. Immo, licet dominus non rem servasset, nec alio tempore, vel loco vendidisset, sed, quando minoris valebat, consumpsisset, adhuc tenetur fur majus pretium, quod percepit, reddere domino. Et quidem ratio est, meo videri, efficacissima, quam affert Sporerius, nimirum, quia quando possessor malæ fidei rem alienam consumit, sive vendendo, sive donando, tunc statim absque mora titulo injustæ consumptionis tenebatur ex justitia restituere totum valorem, seu pretium, quantum eo tempore res valebat, & non quantum valere poterat vel antea, vel post: res enim tunc secundum suum valorem ad dominum pertinebat: non ad possessorem malæ fidei, eaque quocumque modo consumpta, cum remaneat virtualiter in percepto pretio, hoc totum est domino restituendum. Hinc non satis.

tis capio, quod Concina docet diss. 2. de rest. cap. 1. n. 26. dum scribit: *Merces, quæ in manu mercatorum, & opificum reperiuntur, habere solent incrementum peculiare præter illud pretium, quod habent in se ipsis*. Hoc enim verum ideo in rebus propriis mercatorum & opificum: hi enim, præter valorem intrinsecum rei, alias subire debent expensas, & pro officinæ conductione, & pro ministris, & Principi vectigalia solvere, & ipsi arte sua vivere: unde profecto res penes ipsos majoris sunt pretii & valoris, quam penes alios, qui similibus non premuntur oneribus. At non capio, quomodo id verum esse possit de re non ipsius mercatoris propria, sed aliena. Nam vel mercator est mercium injustus, & malæ fidei possessor, & tunc & merces restituere debet, & totum incrementum, ut docet Concina, cum furi æquiparetur: alioquin mercatores ex furtis lucrum reportarent: nam certo scirent se solum teneri ad valorem intrinsecum rei restituendum, extrinsecum vero tanquam industriæ fructum posse sibi retinere; quod profecto, quam iniquum sit, & rectæ rationi contrarium, nemo non videt. Si vero mercator sit mercium alienarum possessor bonæ fidei, sicut rem ipsam, si existit, & ut existit, restituere teneretur, nec petere posset a domino pretium in ea comparanda persolutum, multoque minus pretii incrementum, quod merci accrescit, quia in manus ejus devenit; hoc enim ridiculum esset petere: ita si bona fide consumat, id tenetur restituere, in quo factus est ditior; non enim in mercatorum gratiam exceptio est apponenda illi certo ineluctabili naturali principio, *nemo debet ditescere alieno damno*. Puto igitur cautius ab istis generalibus statuendis doctrinis pro cœtu aliquo personarum, quæ in praxi innumeris subjacent difficultatibus, abstinendum; sed peculiares, qui occurrere possunt, casus, inspectis circumstantiis juxta communes regulas in utroque jure, tum naturali, tum humano, sive civili, sive canonico positas pro possessoribus bonæ, vel malæ fidei definiendos.

Ab hac tamen universali regula D. Thom. 2. 2. q. 78. a. 3. excipit res usu consumptibiles, scribens: *Res quædam sunt, quarum usus est ipsa earum rerum consumptio, quæ non habent usumfructum secundum jura; & ideo si talia fuerint per usuram extorta (puta denarium, triticum, vinum, aut aliquid hujusmodi) non tenetur homo ad restituendum, nisi id quod accepit: quia id quod de tali re est acquisitum, non est fructus hujusmodi rei, sed humanæ industriæ, nisi forte per detentionem talis rei alter sit damnificatus, amittendo aliquid de bonis suis*. Quamobrem qui vinum, triticum oleum furatus est, quando minoris æstimabatur, & vendidit, quando pluris pendebatur, attendere debet, num dominus esset reservaturus rem vendendam tempore majoris pretii, & tunc tenetur restituere pretium juxta tempus non furti, sed venditionis ab eo factæ, & a domino faciendæ. Et idem dicendum, si ratione patrati furti coactus est dominus triticum, & vinum sibi emere majori pretio: quia in priori casu detrimentum patitur in rebus suis, scilicet in lucro cessante, quod juste ex re sua percipere poterat; in altero vero detrimentum subit in damno emergente, cum cogatur pluris emere rem sibi necessariam, qua ob alterius iniquitatem privatus est. Quod si nullum revera obveniat domino vel lucrum cessans, vel damnum emergens,

gens, incrementum pretii rei consumptibilis non tenetur fur reddere, quia, ut docet S. Thom. *non est fructus rei*, sed *industria*. Hinc pariter, qui pecuniam furatus est, licet ludo, vel alio modo plurimum lucretur, nonnisi sublatam pecuniam reddere tenetur, nisi dominus ex tali furto damnum passus sit, quia vel bonis est coactus cedere, vel aliam pecuniam sibi necessariam sub usuris comparare: ad hæc enim detrimenta sarcienda fur obstringitur.

Consectarium Tertium.

III. Possessor malæ fidei, quocumque nomine talis sit, nihil ultra restituere debet supra id, quod accepit, nisi sententia judicis damnetur. Ita docet S. Thom. q. 62. art. 3. scribens: *Cum aliquis injuste accipit rem alienam . . . adhibetur remedium* (quoad illatum damnum) *per restitutionem: ad quod sufficit quod restituat tantum, quantum habuerit de alieno; sed quantum ad culpam adhibetur remedium per pœnam, cujus inflictio pertinet ad judicem: & ideo antequam sit condemnatus per judicem, non tenetur restituere plus, quam accepit; sed postquam condemnatus est, tenetur pœnam solvere*. Quamobrem qui legale justum pretium a Principe taxatum in venditione excedit, excessum restituere tenetur; pœnam autem transgressoribus legis inflictam solvere non tenetur, nisi jubente judice. In rapina vero, *cum*, ut docet S. Th. q. 66. a. 9. *non solum inferatur alicui damnum in rebus, sed etiam vergat in quandam personæ ignominiam, sive injuriam*, satisfacere tenetur non solum pro illato rei damno, sed etiam pro injuria; ut inferius fusius dicemus.

Consectarium Quartum.

IV. Qui possessori malæ fidei in bonis succedit, si succedat ut hæres immediatus, & rem titulo hæreditatis acceptam bona etiam fide consumat, neque inde factus sit ditior, tenetur adhuc restituere ex injusta acceptione, non sua, sed sui Auctoris, rem, & fructus & damna compensare, & lucra cessantia ex culpa antecessoris exorta, quantum hæreditatis vires patiuntur. Et ratio est manifesta. Nam 1. hæreditas non dicetur, nisi ære alieno soluto. Porro præfatum debitum restitutionis, & compensationis est æs alienum, cujus solutioni reali tota est obnoxia possessoris malæ fidei hæreditas. 2. Bona fides hæredis non illi prodest: quia cum in omne jus defuncti succedat, in omnibus ejus personam repræsentat: unde sequitur, ut succedat in vitium, & malam fidem defuncti, quæ propterea & illi etiam nocet, ut statutum legitur in jure etiam civili in leg. *Litigator* Cod. de *fructibus & litium expensis*, ubi decernitur: *Hæredis succedentis in vitium par habenda fortuna est &c.* & Leg. *Cum hæres ff. de diversis temporal. præscript.* statuitur: *Cum hæres in jus omne defuncti succedat, ignoratione sua defuncti vitia non excludit*. Et ita sentiunt De Lugo, aliique plures, qui hoc onus non imperite etiam hæredibus licet mediatis imponunt; ut docet etiam S. Raymundus in Sum. lib. 2. tit. de Rapr. §. 24. scribens: *De hæredibus autem raptorum dico, quod quilibet hæres, sive filius, sive extraneus non distincte, utrum raptoris, vel alterius, tenetur jure canonico ad omnia debita defuncti persolvenda, sive fuerint ex contractu, vel quasi, sive maleficio, vel quasi, sive permaneat res illa, pro qua debitum fuit contractum ad eum,*

sive

ſive non; ſive lis fuerit inteſtata cum defuncto, ſive non... Plura deinde citat juris Canonici loca. At ſi ſuccedat poſſeſſori malæ fidei, non ut hæres, ſed ut legatarius, vel donatarius, vel alio titulo, non tenetur ex injuſta teſtatoris acceptione, ſed tantum ex re accepta: quamobrem tunc illi prodeſt bona fides: cum enim unam cum teſtatore perſonam non efficiat, cenſetur ſuccedere in juribus realibus, non vero in vitiis perſonalibus; ſic proinde erit, ſi rem exiſtentem reſtituat, vel ſi conſumpſerit, id in quo factus eſt ditior.

CAPUT SEPTIMUM.

De reſtitutione facienda ex contractu.

DOCTRINA.

I. *Contractus ſunt in triplici differentia.*
II. *Regula I. pro contractibus in ſolius dantis utilitatem celebratis.*
III. *Regula II. pro contractibus in ſolius accipientis utilitatem.*
IV. *Regula III. pro contractibus ce de bus in utriuſque utilitatem.*
V. *Regula IV. pro quaſi contractibus, officiis, & miniſteriis.*
VI. *Contractus de re illicita nulli ſunt.*
VII. *Quando ad reſtitutionem obligent, Reg. I.*
VIII. *Reg. II.*
IX. *Quibus facienda reſtitutio.*
X. *Reg. III.*

I. CUM in ſuperiori tractatu de contractibus eas tradiderimus regulas, quæ ad illotum æquitatem cuſtodiendam ſervandæ ſunt, quibus proinde violatis, ſicut ſtatim læditur juſtitia, ita onus illius per reſtitutionem reparandæ conſurgit; ſolum ſupereſt, ut hic eas exponamus regulas, quæ vel legibus, vel conſuetudine, vel contrahentium conventione ſtatutæ ſunt, & ex quarum violatione debitum infertur reſtitutionis. Pro quarum intelligentia, contractus in triplici differentia conſtitui poſſunt: alii ſunt, qui in favorem fiunt ſolius rem dantis, ut in depoſito: alii in ſolius accipientis, ut in commodato: alii denique in utriuſque commodum, & utilitatem, ut in locatione, conductione, emptione, venditione, ceteriſque pene omnibus contractibus onerosis. Recolenda etiam ſunt, quæ ſuperius diximus de culpa lata, latiori, latiſſima, nec non levi, & leviſſima. Quibus poſitis ſequentes ſunt obſervandæ leges ad dignoſcendum, quando, ſi res pereat, ſit facienda reſtitutio.

REGULA PRIMA.

II. In contractibus celebratis in ſolius dantis favorem, accipiens ad reſtitutionem obſtringitur ſolum, ſi ex dolo, vel culpa lata res pereat. Et quidem ex dolo ad reſtitutionem teneri manifeſtum eſt, cum fraus, & dolus nemini patrocinetur; & ipſe dolus ſit injuſtitia erga próximum, qui re ſua fraudatur. Pariter teneri ex culpa lata certum eſt, cum hæc conſiſtat in omiſſione illius diligentiæ, quam communiter homines adhibere ſolent in rebus propriis cuſtodiendis; quæ proinde culpa etiam eſt nedum juridica, ſed & theologica. Cur autem arctiori non obſtringatur obligatione, docet S. Thom. qui hanc regulam confirmat, & ratione corroborat hic q. 62. a. 6. ſcribens: *Aliquis accipit rem alterius abſque injuria non pro ſua utilitate; ſicut patet in depoſitis; & ideo qui ſic accipit, in nullo tenetur ratione acceptionis; quinimmo accipiendo impendit obſequium: tenetur autem ratione rei. Et propter hoc, ſi e ſub-.*

subtrahatur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem: secus autem esset, si cum magna sua culpa rem depositam amitteret. Hanc regulam confirmant etiam tum civiles, tum canonicæ leges. Just. lib. 3. Instit. tit. 15. statuit: *Is, apud quem res aliqua deponitur, re obligatur, teneturque actione depositi; quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur. Sed is ex eo solo tenetur, si quid dolo* (vel culpa lata, quæ dolo proxima habetur) *comiserit. Culpa autem nomine, idest desidiæ, vel negligentiæ* (quibus nominibus culpa levis, & levissima designantur) *non tenetur. Itaque securus est, qui parum diligenter custoditam rem furto amiserit, quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati imputare debet*.

Regula Secunda.

III. In contractibus vero celebratis in solius accipientis beneficium, ut in commodato, commodatarius tenetur etiam ex culpa levissima, non vero de casu fortuito. Ita statuunt utriusque juris, tum civilis, tum canonici leges. Greg. IX. Cap. *Cum gratia* statuit: *Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur; licet casus fortuitus, nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset, sibi non debet imputari*. Et in jure civili L. *In rebus* §.1. ff. commodati, decernitur: *In rebus commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus pater-familias suis rebus adhibet*. Et L. *obligationes* 1. §. *is quoque* ff. de obligationibus, & actionibus lib. 4. tit. 7. indicitur: *Is vero, qui utendum accipit, exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare compellitur*. Et ipsa naturalis ratio suadet. Nam quo majus est beneficium, eo magis cavendum, ne pro beneficio damnum, vel injuria rependatur. Quamobrem hæ leges nedum in foro externo, sed etiam in interno foro vim obtinent: tum quia justæ sunt; tum etiam quia in naturali æquitate fundantur: adeoque tenetur commodatarius etiam ante sententiam judicis ad reparationem damni, etiam ex levissima culpa dati; licet forrassis nulla intervenerit theologica culpa ut optimæ docent Molina tr. 2. disp. 295. n. ult. & Covarruvias in Epit. 4. decis. 40. & alii plures. Excipitur tamen ab hac lege precarium, quod licet fit in utilitatem solius accipientis, hic tamen non obligatur, nisi ex culpa lata, ut diximus diss. 3. de contr. grat. cap. 3. n. 5.

Regula Tertia.

IV. In contractibus in utriusque partis utilitatem celebratis tenetur ad restitutionem utraque pars solum ex culpa lata, & levi, non vero levissima, ut in locato & pignore. Ita decernitur in Instit. lib. 3. tit. 17. §. 4. *Creditor, qui pignus accepit, re obligatur, quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur actione pignoratitia. Sed quia pignus utriusque gratia datur, & debiteris, quo magis pecunia ei credatur, & creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum, placuit sufficere, si ad eam custodiendam exactam diligentiam adhibeant, quam si præstiterint & fortuito aliquo casu rem amiserit, securum esse, nec impediri creditum petere*. Æquitatis hujus legis ratio, & causa in ipsa lege adducitur: quia nimirum, cum res locata in locatarii concedatur utilitatem, æquitas postulat, ut diligentem in ea servanda curam adhibeat. At, cum simul in domini utilitatem redundet, qui locationis pretium lucratur, necesse non est, ut exquisitissimam diligentiam adhibeat. Quod paucis ver-

bis

bis complexus est S. Antoninus 2. P. tit. 1. cap. 13. n. 6. dicens: *In hoc contractu venit culpa levis, quia gratia utriusque celebratur*.

REGULA QUARTA.

V. In quasi contractibus, seu officiis, & ministeriis, cujusmodi sunt ministeria tutoris, curatoris, advocati, consiliarii, medici, chirurgi, pharmacopolæ, theologi, confessarii, ad dignoscendum, quando restitutionis premantur onere, animadvertendum, num hæc officia præstent vel omnino gratis, vel ex debito justitiæ, vel ex sola caritate. Ideoque, qui ex suo officio quidem, sed omnino gratis, & solum in alterius commodum; nulla ab ipsis percepta utilitate aliquid operantur, restitutioni obnoxii non censentur, nisi ex culpa lata. Nam, dum gratis hæc officia præstant, censentur nec sibi assumere velle, nec alteri se obstringere ad majorem adhibendam curam, & diligentiam, quam communiter adhibere solent in consimilibus casibus viri cordati, & prudentes. Ita docet Sylvius. Sapienter tamen monet Sylvester, & animadvertendum proponunt alii Theologi, nimirum teneri de culpa levi 1. si ipsi vel diligentiorem spoponderint attentionem, vel se sponte obtulerint, quando aliter præsto erat attentius rem perfuncturus: tunc enim censetur spondere non solum æqualem diligentiam, sed & uberiorem. 2. Si res, de qua agitur, sit summi, & magni momenti: quæ non nisi exquisitissima diligentia ad bonum finem adduci potest; tunc enim hæc exquisita diligentia respectu illius negotii evadit communis; cum communiter cordati, & prudentes Patres-familias in rebus maximi momenti exquisitissimam adhibeant diligentiam. 3. Negligentiam, quæ respectu aliorum levis esset; fieri gravem in illis, qui ex officio hujusmodi peragunt negotia; præsertim si res male cedat ob eorum ignorantiam, & negligentiam addiscendi, quæ ad proprium pertinet ministerium. Nam, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 76. art. 2. *Omnes scire tenentur ea, quæ sunt fidei, & universalia juris præcepta; singuli autem ea, quæ ad eorum statum, vel officium pertinent*. Multoque magis obligantur ex levi culpa, si hæc ministeria exerceant, mercede sive privata, sive publica conducti: tunc enim, cum officium, & ministerium cedat etiam in ministri utilitatem, ad majorem obstringuntur diligentiam præstandam; quare & levi culpa tenentur. Optime itaque docet S. Thom. de advocatis, quod & cæteris munia, & officia exercentibus est aptandum. *Illicitum est* (scribit 2.2.q.71. a. 3.) *alicui cooperari ad malum faciendum, sive consulendo, sive adjuvando; quia consulens, & adjuvans quodammodo est faciens; & Apostolus dicit* ad Rom. 1. quod digni sunt morte, qui faciunt, & consentiunt facientibus. *Unde & supra dictum est, quod omnes tales ad restitutionem tenentur. Manifestum est autem, quod advocatus & auxilium, & consilium præstat ei, cujus causæ patrocinatur. Unde si scienter injustam causam defendat, absque dubio graviter peccat, & ad restitutionem tenetur ejus damni, quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter injustam causam defendit, putans esse justam, excusatur secundum modum, quo ignorantia excusari debet*. Et de Judicibus scribit S. Raymundus lib. 2. tit. de Præscript. §. 35. *Judices ferunt aliquando sententiam dolo malo, aliquando per imprudentiam ... In secundo casu, scilicet cum per imprudentiam, tenentur secundum leges læso*

læso . . . in judicio animæ credo, quod teneatur ad restitutionem, in culpa enim fuit, cum scivit, vel scire debuit se insufficientem, & tamen talem causam judicare præsumpsit. Et idem, si erat sufficiens quoad scientiam, si voluisset libros evolvere, & studere; sed quia negligens fuit, & noluit studere, quem debuit condemnare, absolvit, & e converso. In consiliis autem dandis cauti esse debent, sive medici, sive confessarii, sive theologi, ubi agitur de vita, sanitate, & rebus proximi; nam licet fraudem omnem vitent in dandis consiliis; nihilominus cum ad ipsos confugiant infirmi, ignorantes, simplices, tanquam ad peritos in arte, si eos ex ignorantia decipiant, a culpa non excusantur, & a restitutione non liberantur. Nec illis prodest regula juris statuentis *nullum ex consilio, dummodo fraudulentus non fuerit, obligari*, cum ibi sermo fit de iis, qui bona fide consilia dant in iis rebus, quæ ad proprium munus non spectant, & qui etiam ad illos extendi potest, qui non definitive, sed caute respondent, insinuantes, quid ipsi sentiant coram Deo, quid illis magis rectum videatur, & honestum: tunc enim qui eorum sequuntur consilia, suæ debent imprudentiæ adscribere, si forte aliquod damnum vel ipsi incurrant, vel aliis inferant. Sed de hoc iterum inferius.

VI. Ex contractu etiam ad restitutionem tenentur, qui pacta, & conventiones illicitas celebrarunt. Hac de re abunde, & late disputavimus in Tr. de Contract. in gen. diss. 1. c. 7. n. 9. & seq. ostendentes, ex hujusmodi contractibus ad restitutionem alterum contrahentium, scilicet accipientem teneri. Ne igitur, quæ inibi dicta sunt, supervacanee repetantur, solum quosdam peculiares contractus illicitos, ex quibus debitum oritur restitutionis, & quibus facienda sit restitutio, expendemus; num scilicet illi, qui rem injuste, & illicite dedit, an aliis, puta pauperibus: pro quibus sequentes statuimus regulas.

REGULA PRIMA.

VII. Qui aliquid accepit pro aliquo contractu, nec juri naturali contrario, nec jure positivo irrito, sed solum vetito, ad restitutionem non tenetur. Nam licet isti peccent justas Principis leges violando, puta vendendo merces vetitas, serica, & pannos ex aliena ditione, vel quia illis vetitum est tales merces vendere; cum tamen hujusmodi contractus non irritentur, & ut habetur in jure, *multa fieri probibeantur, quæ facta tamen tenent*, contractus rescindere non tenentur, nec alter mercem, nec alter pretium restituere; dummodo tamen justa fuerit venditio, & æqualitas servata tum in merce, tum in pretio.

REGULA SECUNDA.

VIII. Qui aliquid accipiunt pro re licita in se, sed pro qua aliquid accipere est lege positiva, vel naturali vetitum, restitutioni obnoxii sunt, illi faciendæ, qui dedit, exceptis simoniacis & aleam ex professo exercentibus. Plura sunt officia, & ministeria, quæ gratis exerceri jubentur, & pro quibus aliquid accipere prohibetur vel lege positiva, vel naturali; cujusmodi sunt pro justa sententia, pro legitimo testimonio, pro suffragio ferendo, pro deposito reddendo, pro ære alieno solvendo, pro re inventa restituenda, pro reparanda fama, & sexcenta hujusmodi & pariter pro abstinendo ab aliquo opere illicito, ut cum latro pecuniaam extorquet, ne hominem occidat, uxor, ne

ne adulterium committat, testis, ne falsum dicat testimonium, vel judex, ne iniquam ferat sententiam. Non desunt Theologi, qui huic Regulæ adversantur, saltem in ea parte, qua judicibus, testibus, ministris justum judicium, verum testimonium vendere prohibetur: hos enim ab onere restitutionis liberant, quippe quia putant, hujusmodi leges solum in externo foro obligare, non vero in foro conscientiæ, proinde ante judicis sententiam non teneri acceptum pretium restituere. Verum hæc opinio plane falsa est, & omnino improbabilis quippe quia hujusmodi leges omnino justæ sunt, & naturali æquitati ac juri conformes, proinde in conscientia obligant; ut testatur S. Augustinus ep. 54. ad Macedonium scribens: *Non ideo debet judex vendere justum judicium, aut testis verum testimonium, quia vendit. Advocatus justum patrocinium, & Jurisperitus verum consilium. Illi enim inter utramque partem ad examina adhibentur, isti una parte consistunt. Cum autem judicia, & testimonia, quæ nec justa, nec vera vendenda sunt, iniqua, & falsa venduntur, multo sceleratius utique pecunia sumitur. Ille tamen* (qui scilicet pro justa sententia, vel justo testimonio dedit) *solet tanquam male sibi oblatam pecuniam repetere, qui justum judicium emit, quoniam venale esse non debuit.* Cui consentit & D. Thom. qui 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. loquens de lucro vetito jure positivo civili, tanquam omnino certum statuit: *Illos*, qui sunt hujusmodi legibus obstricti, *teneri universaliter ad restitutionem qui lucrantur.* Et rationem reddit q. 62. a. 5. scribens: *Quia qui accepit contra legem, non debet sibi retinere.* Quoad reliquos vero, qui aliquid extorquent, vel ut, quod præstare ex justitia tenentur, exequantur, vel ut a malo, quod inferre prohibeatur, abstineant, palam est onere restitutioni obstringi: cum nullus sit justus titulus, ex quo, quod illi datur, recipere valeant; & qui dant: non ex animo, & voluntate libera dant, sed ut vexationem redimant. Unde optime scribit Auctor Opusculi de Regimine Principis, quod D. Thom. nomen præfert: *Sicut enim injustus esset, qui cappam meam mihi vendere vellet, ita injustus est, qui justitiam* (vel aliud quodlibet officium, vel ministerium) *quam debet gratis ex officio* (& ex justitia) *facere, non vult facere nisi accepto munere.* Ita statuunt & ipsæ civiles leges, ut habetur ff. L. 2. de condit. ob turpem causam, ubi statuitur: *Si turpis causa accipientis fuerit, repeti potest, ut puta dedi tibi, ne sacrilegium facias.* Et L. 3. ff. de Maleficio: *Si ob maleficium ne fiat, promissum sit, nulla est obligatio ex hac conventione.* Hinc, ut falsa & laxa est rejicienda doctrina Lessii, docentis posse judicem vendere sententiam suam in favorem alterutrius partis, quando utriusque partis putat rationes esse æque probabiles; & sic Probabilismum in judice esse venditionis materiam.

IX. Restitutionem autem dixi iis esse faciendam, qui munera, vel pecuniam dederunt; quia supponimus bona fide dedisse, ut, quod sibi debebatur, juste consequerentur, & vexationem redimerent. Quapropter nulla apparet culpa, cur sua debeant re, & pecunia privari. Quod si mala fide dederunt, ut judicem c. c. corrumperent, essent re sua privandi pauperibus distribuenda. Ita vere docet S. Raymundus l. sup. laud. §. 26. *Non licet judici vendere justum judicium. Sed cui restituet? Licet quidam aliter dixerint, dico, quod illi qui dedit, si bona intentione dedit, scilicet ut jus, & quietem sibi conservaret. Si dedit, ut ani-*

mum judicis sibi, sub specie recti, inclinaret, & ita indirecte, & tacite intendebat ipsum corrumpere, non illi, sed pauperibus, & illi, in cujus injuriam data fuit, juxta arbitrium Ecclesiæ est restituenda pecunia. Ab hac tamen universali doctrina excipiendi sunt 1. simoniaci: nam, ut diximus in tract. de simonia, simoniacum pretium amittere debent & qui dedit, & qui accepit. Hic, quia injuste vendidit, quod pretio æstimabile non est; & quia, ut scribit S. Thom. l. q. 62. art. 5. ad 2. *Ille qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere, sed in pios usus convertere.* Ille vere, quia ut subdit S.Th. l. q.32. a. 7. ad 2. *Non est debitum ei, qui dedit, sed meretur amittere.* Et quia ut scribit q.62.a. lau. *ipsa datio est illicita, & contra legem, talis meretur amittere, quod dedit.* 2.Etiam aleatores, ubi leges hujusmodi ludos vetant, quia, ut inquit S. Th. *Qui hujusmodi legibus obstricti sunt, tenentur universaliter ad restitutionem; & si quis lucratus sit ab eo, qui traxit eum ad ludendum, non tenetur ei restituere, quod amisit, quia non est dignus recipere, nec potest licite retinere tali jure positivo durante; unde debet de hoc eleemosynam facere in hoc casu.* Recolantur ea, quæ diximus in Tr.de Contr. oner. c. 4. n.22. 23.24.

REGULA TERTIA.

X. Pretium acceptum pro opere nefario, naturali, & divina lege vetito, est omnino restituendum, non illi, qui dedit, sed vel pauperibus, vel illi, in cujus detrimentum datum fuit. In hujus regulæ veritate confirmanda non est, cur laboremus; abunde enim, & late probavimus, lo. n. 6. cit. omnino legendo. Solum hic addimus, a tota Gallicana Ecclesia in Comitiis anni 1700. congregata doctrinam hanc confirmatam fuisse in damnatione hujus propositionis: *Incantatores, aliique hujusmodi deceptores, Magi, Astrologiæ judiciariæ professores, Arioli, Conjectores ex pessimis quibusque artibus captantes lucrum, licite servare possunt bona his mediis acquisita.* Quam doctrinam hac censura notavit: *Hæc propositio intellecta de prædictis falsis, ac deceptoriis artibus falsa est, temeraria, fovendis fallaciis etiam diabolicis idonea.* Porro quod restitutio non sit illi facienda, qui turpe pretium dedit, ex D. Thom. doctrina colligitur 2. 2. q. 62. a. 5. ad 2. scribentis: *Aliquis dupliciter aliquid dat illicite: Uno modo, quia ipsa datio est illicita, & contra legem; sicut patet in eo, qui simoniace dedit: & talis meretur amittere, quod dedit. Unde non debet ei restitutio fieri de his. Et quia etiam ille, qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere, sed debet in pios usus convertere.* Patet autem manifeste omni lege divina naturali, & civili prohiberi, ne flagitia pretio vendantur, & ne qui ad iniquitatem inducitur, pravi sui operis mercedem accipiat, & lucrum reportet. Non solum igitur ipsum flagitiosum opus interdicitur, sed & *ipsa datio* pro malitioso opere. Quamobrem quod pro tali opere quis accepit, sibi non potest retinere, nec qui dedit, meretur iterum recuperare; quia cum dominium pretii a se abjecerit, & illo privari meretur. Simoniacus vero contractus, ex quo D. Thom. exemplum desumit, non unicus est, in quo datio ipsa sit mala; sed unus est ex illis, de quibus Canonicæ leges in particulari statuerunt, dantem mereri pretii dati amissionem, quod recuperare non debet, sed est pauperibus distribuendum. Quod pariter docet S. Raymundus tum de judice, qui pretium accepit, ut sententiam sive justam sive injustam ferat, tum de accusatore,

tum

tum de teste. De primo siquidem scribit lib. 3: tit. de Præscript. §. 26. *Si judex accepit pecuniam . . . sive tulerit sententiam iniquam, sive justam, tenetur restituere, non ei qui dedit, cum turpiter, dederit, sed ei in cujus injuriam recepit, vel pauperibus*. Et §.40. de teste docet. *Tenetur testis ad restitutionem omnium, quæ per suum falsum testimonium proximus ejus amisit. Si verò accepit testis pecuniam pro testimonio ferendo, turpiter accepit, & credo eum teneri ad restitutionem. Si quæres, cui debeat fieri restitutio, distingue, sicut distinxi in judice*. De accusatore vero scribit §. 41. *Si aliquis accusator accepit pecuniam ad accusandum, vel non accusandum, crimen concussionis commisit, & tenetur ad restitutionem faciendam ei qui dedit, si non turpiter dedit; alias ei, in cujus injuriam data fuit*. Quod pariter est extendendum ad omnes, qui turpiter dant, quia contra leges, tales vetantes contractus, & dationes. Nec huic doctrinæ adversatur S. Augustinus, dum in ep. ad Macedonium scribit: *Justius dicitur advocato, redde, quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti . . . Et cuiquam in quolibet officio militanti, redde, quod accepisti, quando jubente judice cuicumque causæ necessarium hominem tenuisti, ne resisteret, vinxisti, ne fugeret, inclusisti: postremo aut permanente lite exhibuisti, aut finita dimisisti*. Nam restitutionem quidem imperat, & absolute faciendam dicit; at, cui facienda sit, non dicit. Et, si ipsi danti facienda sit, monet tamen non in ipsius dantis utilitatem, sed ut illi, qui damnum passus est, restituatur. Unde Advocatum pœnitentiam de pravo præstito patrocinio sic loquentem inducit. *Recipe, quod mihi dedisti, & redde adversario tuo, quod me agente inique abstulisti*.

CAPUT OCTAVUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ

I. *Quando in contractibus ad restitutionem quis teneatur etiam ex levissima culpa, & ex casu fortuito*.

II. *Quando sit adhibenda summa, & exquisitissima diligentia*.

III. *Uxor, & virgo pretium ob usum sui corporis concessum sibi retinere non potest, nec danti restituere debet*.

IV. *Data impudicæ mulieri quando accipi, & retineri ab ipsa possint*.

V. *Mulier honesta liberaliter sibi donata ob turpem finem restituere debet*.

VI. *Data ob actionem, & opus ex justitia debitum sunt restituenda*.

VII. *Data ob opera debita ex motivo alterius virtutis a justitia destinatæ oneri non subsunt restitutionis*.

VIII. *Data ob actionem bonam, utilem solum facienti, liberaliter data censentur*.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. CONTINGIT quandoque in contractibus, etiam in solius dantis utilitatem celebratis, accipientem [ex culpa levi ex justitia teneri, & etiam ex fortuito casu. Habetur hæc exceptio a communi regula in jure canonico, in quo Depositarius ex levi culpa tenetur, si se ad custodiendum depositum sponte obtulerit; quippe qui in causa fuit, ne res a depositante apud diligentiorem fuerit deposita: sicut & malæ fidei suspectus redditur depositarius, qui, salvis suis rebus, res penes se depositas perire permiserit. Sicut etiam ex fortuito casu, si ita vel pacto convenerit, vel ob restitutionis moram res perierit. Om-

Omnia hæc habentur C. *Bona fides*, Ext. de Deposito, ubi Gregorius IX. sic statuit: *Bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus, depositas amisisti. De culpa quoque teneris, si te ipsum deposito obtulisti, vel si aliquid pro custodia recepisses. Pacto vero, culpa, vel mora præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur*.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. In contractibus in utriusque utilitatem initis quandoque altera pars ad restitutionem tenetur etiam ex levissima culpa, nimirum quando res summam, & exquisitam exposcat diligentiam. Hanc quoque exceptionem inducunt leges civiles, & quidem ad normam æquitatis naturalis. Nam cum res, circa quam celebratur contractus, talis sit qualitatis, ut, nisi exquisitissima adhibeatur diligentia, servari non possit, de hac ab altero contrahente pactum initum censetur. Quamobrem qui de rebus admodum fragibilibus de loco ad locum transferendis mercede conductus pactum init, ad hanc exquisitam diligentiam adhibendam tenetur: eapropter, si & ob levissimam culpam pereant, damnum sarcire tenetur. Quod & dicendum est de illis, qui res pretiosissimas vel custodiendas, vel expoliandas pacto pretio, qui vasa vino, oleo, aliisque liquoribus plena, transferenda suscipiunt; cum ex ipso naturali lumine pateat, hæc omnia exquisitam postulare diligentiam, & ad hanc se obstringere; nec non talem exquirant, qui eos conducunt. Quapropter illius diligentiæ omissio vel culpa levis non est dicenda, sed gravis respective ad opus; vel ex levissima quoque culpa teneri illos dicendum est. Ita statuitur L. *Si merces* lib. 19. ff. tit. 2. locati & conducti §. 6. *Qui columnam transportandam conduxit, si ea, dum tollitur, aut portatur, aut reponitur fracta sit; ita id periculum præstat, si qua ipsius, eorumque, quorum opera uteretur, culpa acciderit. Culpa autem abest, si omnia facta sint, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset. Idem scilicet intelligimus, si dolia, vel tignum trasportandum aliquis conduxerit. Idemque ad cæteras res transferri debet*. Pari pacto in negotiis agendis, licet qui aliena negotia gerit in alterius utilitatem, non nisi ex culpa lata ad restitutionem teneatur; si tamen ipse se ultro obtulit, cum alius haberi posset diligentior, tenetur ex culpa levi: nam sua oblatione pollicitus est se majorem adhibiturum diligentiam supra communem, & consuetam, quæ debitum non infert, nisi ob culpam latam; proinde & ex levi tenebitur. Sic statuit etiam jus civile. In Institutionibus siquidem lib. 3. tit. 8. de obligat. statuitur: *Sicut is, qui utiliter gessit negotia, dominum habet obligatum negotiorum gestorum: ita & contra ille quoque tenetur, ut administrationis reddat rationem. Quo casu ad exactissimam quisque diligentiam compellitur reddere rationem: nec sufficit talem diligentiam adhibere, quam suis rebus adhibere solet, si modo alius, diligentior eo, commodius administraturus esset negotia*.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Virgo, vel uxor, quæ pacto pretio sui usum corporis alteri concedit, pretium acceptum retinere sibi non potest nec danti restituere, sed pauperibus vel in alia pia opera elargiri tenetur. Et quidem retinere non posse, & ex dictis infertur, & late probavimus de Contract. in communi l. sup. cit. Quod vero danti restituere non debeat, ex

ex doctrina profluit S. Thom. quippe quia; *cum turpiter dederit, meretur quod dedit amittere*. Erogandum ergo est scelestum pretium vel in subsidium pauperum, vel in pium opus. Quando vero virgines dolo, vel fraude seductæ sub spe matrimonii sponso usum corporis concedunt; possunt aliquid recipere in illati damni compensationem, ut dicemus in Tr. de Sponsal. Nec audiendi sunt, qui docent, lucrum ex adulterio perceptum præbendum esse marito, tanquam corporis uxoris domino. Nam in ordine ad adulterium uxoris nullum jus habet maritus in corpus ejus, sed solum ad legitimos filios procreandos. Pari pacto nec viris licet pretium retinere datum ab impudica muliere ad pravum opus, sed & ipsi tenentur illud in eleemosynas elargiri.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Quando absque ullo prorsus pacto, & iniquo opere patrato, aliquid impudicæ mulieri sponte dono datur ab habente potestatem sua alienandi, non tenetur ex justitia restituere; debent tamen Confessarii eas ad munera abjicienda, & in pauperes distribuenda compellere. Et primo quidem non teneri ad restitutionem accepti doni manifestum est; quippe quia nec ullum intervenit illicitum pactum, nec pro mercede datum supponitur, sed ex mera dantis liberalitate, qui pravo opere consummato, posset libere, si vellet, a munere illo abstinere. Dixi tamen, si, qui largitur, potestatem habeat disponendi: qua si careat, sicut tunc nec iste licite dare, ita nec illa licite posset recipere. Hinc data a filiis-familias, pupillis, minoribus, & religiosis, etiam muneris nomine, retineri non possunt, sed sunt restituenda non ipsis dantibus, sed vel eorum parentibus, vel tutoribus, vel curatoribus, vel Monasterio Religiosi dantis; cum ad illos ea bona pertineant, quibus ob alienum scelus privari non debent. Addidi hujusmodi mulieres impudicas compelli debere a Confessario ad munera accepta abjicienda, & pauperibus distribuenda. Et hoc quidem jure merito. 1. Ne lucrum ex iniquitate reportent, & aliquam, hac privatione, patrati sceleris pœnam luant. 2. Ne spe similis donationis, & lucri pravo operi impostetum facilius assentiantur. 3. Ne ob præfatorum munerum detentionem & patrati sceleris memoria menti hæreat, & impudicum amorem vel excitet, vel foveat cum periculo complacentiæ, & novi lapsus. Quod si pauper sit, & rem acceptam jam consumpserit, non erit acriter urgenda restitutio; sed admonenda mulier, ut imposterum & a pravo opere abstineat, & iniqua hæc munera abjiciat. Quod si quis vel concubinam, vel aliam a se defloratam mulierem, facti pœnitens, in tuto collocare velit, vel honesto matrimonio copulare, vel in pio aliquo loco recludere, nec illi prohibetur dare, nec huic recipere, quæ necessaria sunt ad ejus honestam sustentationem, cum hæc, licet ex criminis suppositione dentur, donantur tamen tum in compensationem damni, tum ad ipsum tollendum peccatum, vel occasionem peccandi: unde eleemosyna potius est dicenda, quam donatio.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Mulier, quæ ab amasio munera recipit, etiam sibi liberaliter oblata, sed libidinoso animo sibi cognito, peccat graviter recipiendo, licet ipsa nul-

lum

lum malum intendat; & tenetur munera accepta amasio restituere. Et primo quidem eam lethaliter peccare omnes concedunt; quippe quæ talium munerum acceptatione impurum amorem in alio fovet, & spem nutrit, ac fovet copulæ aliquando obtinendæ; quod est gravissimum scandali crimen. At ad restitutionem non teneri plures arbitrantur: quia, inquiunt, & sunt liberaliter data, & ipsi animum non habet ejus impuris affectibus consentiendi; sibi proinde imputare debet nimis credulus amasius, si sibi plus polliceatur, & speret, quam debuerit prudenter vel credere, vel sperare. Verum quidquid sit, num ex justitia restituere debeat, certum est teneri ad munera accepta restituenda ad fœdi amoris fomentum, & scandalum tollendum. Et revera, si oblata munera non sine gravi peccato recipere potuit, ut fatentur & ipsi Auctores, & tenebatur ea respuere, ne scandalo esset impuro donatori; pari pacto jam inique acceptata retinere non poterit eadem de causa, ne scilicet scandalum perseveret, & ut omnem auferat ab impudico amasio spem aliquid obtinendi, & scandalum in accipiendo datum restituendo resarciat. Ita optime & clarissime docet P. Concina hic cap. XI. n. 11. Prodigam autem omnem promissionem ex se non obligare ostendimus dissert. 3. de Contr. gratuitis cap. 2. consect. 2. Multo minus igitur obligationem inducet, si facta sit ob turpem causam, ideoque non tenebitur turpis amasius ad prodigam implendam promissionem, factam mulieri ob ejusdem corporis usum; quippe quæ & nulla est ob prodigalitatem, & nulla ob turpem finem, cujus gratia habita fuit.

Consectarium Sextum.

VI. Munera data pro actione ex justitia debita, sunt danti restituenda. Hujus doctrinæ veritatem ostendimus cap. præced. n. 8. Solum hic nonnullos hoc titulo restitutioni obnoxios designamus. Sunt itaque isti, Ministri Principum, Judices, Notarii, Tabelliones, & præsertim Thesaurarii, qui publica stipendia, vel publicam pecuniam ex officio creditoribus solvere tenentur; quippe qui, si se ad solutionem morosos exhibent, occupationibus distentos simulant, solutionem de industria retardant, ut hoc pacto creditores cogant ad aliquod præmium, sive xenium erogandum, ut prompte sibi debitam pecuniam accipiant, nec diutius fatigentur: hi profecto furibus sunt æquiparandi, & ad restitutionem cogendi; cum pretium illis erogatum, licet titulo remunerationis, vel doni nomine oblatum, sit vi extortum, & solam redimendam vexationem erogatum. Parum autem interest, num hæc munera ipsis Thesaurariis, Judicibus, aliisque non ab ipsis creditoribus, vel litigatoribus dentur, sed ab alio extraneo; cum isti nunquam sint munera daturi, nisi aliqua cum ipsis creditoribus, vel litigatoribus necessitudine sint obstricti, vel ab ipsis de largitione mandatum acceperint. Mera igitur illusio est, & levissimus fucus ad iniquitatem tegendam putare, ut censent nonnulli Theologi, posse a Judice, a Thesaurario, aliisque justitiæ ministris ea accipi, & retineri munuscula, quæ ab extraneo dantur, non vero ab ipso creditore; cum semper præsumptio obtineat, munuscula illa manu extranei a creditore, vel litigatore dari, immo plerumque iniqua ista commercia nonnisi

nisi mediante aliquo lenone peragantur. Hoc tamen non impedit, ne judices, aliique ministri aliquid gratuito, & liberaliter datum recipere possint, dummodo tamen certo ipsis constet, munus ex mera dantis liberalitate proficisci. Quod quidem constabit 1. si munus datum sit quid leve, si post factum, si nulla præcedente vexatione, si ab homine opulento, & assueto liberaliter erogare proficiscatur: quod si dubiter, debet munera modeste respuere. Pariter nec illorum Theologorum doctrinæ lubens acquiesco, qui docent posse hujusmodi ministros titulo mercedis aliquid & petere, & accipere a creditoribus, si sint a Republica ad illud munus conducti absque sufficienti stipendio. Nam 1. debent ab ipsa conducente Republica justum stipendium exigere, &, si non obtineant, officium dimittere. 2. Non ipsi sunt, qui a Republica conducuntur, sed ipsi se offerunt, & ultro se ingerunt, immo sæpissimè omnem movent lapidem, ut hæc lucrosa officia consequantur: quod cum præstent, etiam quando stipendia norunt non esse sufficientia, se obligant ad ea exercenda etiam tenui illo stipendio, nec creditores gravare possunt. 3. De stipendii sufficientia quis judicabit? Num ipsi ministri? Num creditores? At stipendium illud, quod priores insufficiens dolebunt, isti superabundans judicabunt, & utrique in re propria judices sedebunt. Ad Rempublicam igitur pertinebit de sufficientia stipendii judicare, quæ jam sententiam protulit, cum ultro petentibus hæc munia & talia stipendia destinavit, non nolentibus & reluctantibus imposuit.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Quando aliquid datur pro opere ex motivo caritatis, vel alterius virtutis a justitia commutante distinctæ præstando, licet detur tanquam pretium operis, non est ab accipiente de se, & absolute restituendum. Veritas hujus propositionis ex ipsa eruitur S. Thom. doctrina, qui hic q. 62. art. 1. aperte docet, onus restitutionis non oriri, nisi ex violata justitia commutativa, scribens: *In restitutione attenditur æqualitas justitiæ secundum recompensationem rei ad rem, quod pertinet ad justitiam commutativam: & ideo restitutio est actus commutativæ justitiæ*. Porro qui accipit aliquid pro opere, quod ex justitia præstare non tenetur, licet teneatur ex alia virtute, puta caritate, vel pietate, peccabit quidem contra has virtutes, at in justitiam omnino non peccabit: non erit ergo restitutioni obnoxius. At inquit recentior Probabiliorista: *Injuste venditur, quod quis jam præstare tenetur*. Minime gentium, quando tenetur præstare non ex justitia, sed ex caritate: tunc enim illicite vendit, non injuste vendit: vendit illicite, quia caritatem violat, cum accepta mercede præstet, quod sine mercede præstare debebat: at non injuste vendit, quia nullo justitiæ onere tenebatur præstare. Et revera, si officium, quod ex caritate rependere tenetur, recuset, violabit ne justitiam? Nequaquam, cum ista hic locum non habeat. Non ergo eam violabit vendendo opus ex caritate debitum, cum nec tunc justitia locum obtineat. Præterea non satis capio, quid sibi velit præfatus Auctor, dum dicit, *hujusmodi opera* (scilicet ex caritate præstanda) *non esse pretio æstimabilia, utpote altioris, & omnino* di-

diversi ordinis a quovis pretio vel erogato, vel erogando. Fateor quidem omnium virtutum, non solius caritatis, actus, esse altioris ordinis, si spectentur, quatenus sunt spirituales actus intellectus, & voluntatis in ordine ad Deum; at non si spectentur, prout quibusdam exterioribus, & corporalibus operibus ad alterius utilitatem exercentur, Rem exemplo illustro. Cadit quis in foveam, a qua exire sine alterius ope non valet. Clamat auxilium petens. Accurrit clamoribus rusticus, qui procul dubio lapso ex caritate auxiliari tenetur: at opem ferre detrectat, nisi pecuniam accipiat, quam misellus ille vel pollicetur, vel statim erogat. Nunc quæro; quidnam est in hoc opere, quod dici possit *altioris ordinis, & omnino diversi a quovis pretio vel erogato, vel erogando*? Num actus interni voluntatis succurrendi proximo in ordine ad Deum? At hos nec alter vendere vult, nec alter emere curat: immo nec sunt in rerum natura, cum tantum absit, ut actum caritatis eliciat, quin immo graviter peccat contra caritatem: igitur solum quærit opus materiale, & physicum manibus peragendum, quo a periculo liberetur. Et hoc est, quod alter vendit, alter emit, Fateor & has actiones physicas, & materiales deberi ex caritate: sed quia hoc nomine sunt præstandæ, non idcirco fiunt *ordinis superioris, & altioris*, adeo ut pretio æstimari non possint. Quamobrem, qui exhibere detrectet gratis, peccat quidem, non justitiam violando, sed caritatem omittendo, quæ ad ea præstanda obstringit. Meretur tamen a Confessario puniri privatione pecuniæ certo illicite acceptæ, & ad restitutionem obstringi, ne ex hac iniquitate lucrum reportet.

Fieri tamen quandoque potest, ut quis ad restitutionem teneatur; non quidem rigorose talem, sed minus proprie, quando nimirum pecuniæ receptio impediat, ne debitum ex alia virtute, præter justitiam, perfecte impleatur. Ut si quis ex voto teneatur offerre alicui Ecclesiæ crucem, vel lampadem argenteam valoris centum aureorum, & recuset votum implere, nisi ab Ecclesiæ Rectore, vel ab alio viginti aureos recipiat; hic præfatos aureos reddere tenetur non restitutione rigorosa, sed sola satisfactionis causa, quia nimirum illos viginti aureos recipiendo, non integre voto satisfaceret, nec totam poneret voti substantiam. Similiter & ad restituendum acceptum pro aliquo actu virtutis adstringitur accipiens, quando talis datio, vel receptio a Legibus & interdicitur, & irritatur; ut contingit in acceptis ab Ecclesiasticis Visitatoribus ratione visitationis ex speciali dispositione Tridentini Concilii sess. 24. cap. 3. de Reform. statuentis: *Si quisquam* (Visitatorum) *aliquid amplius in supradictis casibus accipere præsumpserit, is præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis . . . sine spe veniæ mulctetur*. Quæ restitutio non ex virtute justitiæ progreditur, sed ex juris dispositione. Sic etiam statuit jus civile L. 2. ff. de conditio. ob turpem causam indicens: quod si turpis causa accipientis fuerit, etiamsi res sequuta fuerit, repeti potest, ut puta dedi tibi, ne sacrilegium facias.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Quotiescumque aliquid datur ob actionem bonam alias debitam, sed vel ex mera liberalitate dantis, vel quia actio bona solum in ipsius accipien-

accipientis redundat utilitatem, quod datum est, licite retineri potest, nec est restituendum. Prima pars hujus consectarii est manifesta: nihil enim prohibet, ne liberalitas locum habeat. Hinc qui alicui opportunam opem tulit in necessitate constituto, licet ad hoc ex caritate teneretur, si liberatus a periculo naufragii, latronum, incendii benefactori suo aliquid remunerationis loco elargiatur, accipi ab isto, & legitime retineri potest. Quod verum est, etiam si officium præstet ex justitia debitum: ut si quis repertam gemmam, vel crumenam auro repletam domino restituens, ab isto liberaliter pecuniam accipiat, poterit tuta conscientia retinere, cum virtutum officia non se mutuo excludant, sed sancto fœdere consociari possint. Similiter si quis officium cujuscumque virtutis, etiam justitiæ, alias debitum præstando, vel gravia subierit incommoda, & pericula, vel industriam suam posuerit, vel expensas fecerit, nedum sponte oblatum recipere poterit, sed & petere aliquam compensationem, tanquam sibi debitam, vel justitiæ nomine, si expensas subierit, vel certe rigorosæ gratitudinis ob exantlatos labores, & adhibitam industriam.

Altera vero pars, quæ affirmat retineri posse, quod datum est ob actionem aliquam bonam in solius facientis utilitatem redundans, est de se manifesta; cum clare appareat tunc datum munus ex sola dantis liberalitate prodisse: nemo enim emit, quod non sibi danti, sed accipienti est solum utile. Ut cum parentes filiis aliquid donant, ut Missam devote audiant, ut ad primam Communionem devotius accedant, ut in sabbatis quadragesimæ jejunent, & similia: hæc enim munuscula sunt pietatis excitamenta, non contractus, lucra, & emolumenta.

CAPUT NONUM.

De Restitutione facienda vel ob illatum damnum, vel ob impeditam boni alicujus assecutionem.

DOCTRINA.

I. QUARTUS titulus, ex quo onus consurgit restitutionis, est illatum proximo damnum; licet qui intulit, nullam vel rem proximi acceperit, vel lucrum reportaverit. Porro *aliquis* (verba sunt S. Thom. hic q. 62. a. 4.) *damnificatur dupliciter. Uno modo quia aufertur id, quod actu habet*; ut cum quis alterius domum diruit... *alio modo impediendo, ne adipiscatur, quod erat in via habendi*; ut cum quis effodit semina, damnificat alterum in tota messe futura. At licet uterque damnum inferat, non æquali tamen premitur restitutionis onere: quamobrem sunt ab invicem sejungendi: & primo de illo, qui damnum infert auferendo alteri, quod actu habet; postea de altero damnum conferente impediendo, ne quis aliquod bonum adipiscatur, dicendum erit. Præterea potest quis alteri damnum inferre non

in solis bonis fortunæ, sed & in aliis, nimirum vita, corpore, fama, honore, & bonis etiam spiritualibus. Verum hic solum de damno illato in bonis fortunæ tractabimus, de ceteris vero in peculiari Dissertatione.

II. Cum superius capitibus 1. & 2. ostenderimus, quando onus restitutionis locum habeat in damno illato, vel ob injustam acceptionem, vel ob rem acceptam, & quando ab illo, qui damnum intulit, liberetur; hic solum nonnullas Regulas breviter statuimus, quæ inibi dicta clarius illustrabunt. Sic itaque

Regula Prima.

Qui alicui actioni honestæ, sibique utili juste operam navat, licet periculum timeat damni alterius, nullo adstringitur onere restitutionis; si tamen eam non omittat diligentiam ad alterius damnum præcavendum, qua uti solent cæteri homines cordati & prudentes, quamvis damnum inde sequatur. Veritas hujus regulæ ipso naturali lumine patet. Nam 1. hic utitur jure suo honesto, sibi licito, & utili. 2. Cavet, ne damnum alterius sequatur. 3. Si damnum sequitur, hoc præter voluntatem provenit agentis, qui illud nec vult, nec intendit, sed ex naturali rerum ordine, & dispositione. Sic licite quis in proprio fundo puteum excavat ad aquas proprio usui comparandas; licet timeat ex hujusmodi excavatione aquas a puteo vicini avertendas, & revera ita contingat. Quod & ex Regula juris confirmatur L. *Nullus* de reg. jur. ubi statuitur: *Nemo damnum fecit, nisi id fecit, quod facere jus non habet*.

Regula Secunda.

III. Qui præfatæ actioni indulget, licet honestæ, & sibi utili, si tamen eam non adhibeat diligentiam ad alterius damnum præcavendum, quam communiter prudentes viri adhibere solent, ad damnum sarciendum tenetur. Ratio est manifesta: quia, licet actio in se justa sit & licita; injusta tamen evadit, & alteri perniciosa quoad modum, & ex ejus culpa. Hinc Pastor, qui ad lupum gregi suo insidiantem capiendum foveam in via aperit, ad damnum tenetur, quod illac transeunti nocturno tempore forte ex lapsu in ipsam obvenit. Hinc Exodi 21. v. 33. dicitur: *Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium jumentorum; quod autem mortuum est, ipsius erit*. Et in jure civili statuitur, quod si multo plus nimio mulum, vel asinum oneraverit, quare cadens in terram vicinum læserit, ad damni restitutionem teneatur. Legis verba sunt L. 1. ff. *Si quando quadrupes pauperiem fecerit. Si propter loci iniquitatem, aut propter culpam mulionis, aut si plus justo onerata quadrupes in aliquem onus averterit, hæc actio cessabit, damnique injuriæ agetur*.

Regula Tertia.

IV. Si actioni vacaveris inutili, otiosæ, multoque magis illicitæ, ex qua alterius damnum secuturum prævidere poteras, & tenebaris, licet omnem adhibueris diligentiam, ne sequeretur, adhuc, si consequatur, ad illud sarciendum teneris. Hanc regulam nonnulli inficiantur Theologi: quia, inquiunt, ille utitur jure suo, & alterius damnum præcavere studet. Verum fal-

fallantur. Nam 1. non utitur, sed abutitur jure suo, quod datum non est ad actiones inutiles, vel malas faciendas, præsertim cum alterius damno conjunctæ sint; sed ad quod honestum, licitum, & utile est, perficiendum. 2. Violat jus alterius, qui damnum passus est, in eo situm, ne quis actione sibi inutili, otiosa, vel mala periculo se exponat inferendi alteri damnum. 3. Est vera causa damni illati, quod prævidit, & ad quod præcavendum nequaquam omnem adhibuit diligentiam: prima enim, & præcipua diligentia erat cessare ab opere inutili, otioso malo, quod alteri nocere poterat, ut egregie docet S. Thom. 1. 2. q. 20. a. 5. *Dicendum, quod eventus sequens aut est præcogitatus, aut non. Si est præcogitatus, manifestum est, quod addit ad bonitatem, vel malitiam actus. Cum enim aliquis cogitans, quod ex opere suo multa mala possunt sequi, nec propter hoc dimittit, ex hoc apparet voluntas ejus esse magis inordinata*. Et L. 30. de reg. jur. in 6. dicitur: *Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur.* Hinc qui domum ad furandum ingrediens, licet caute lumen deferat, si tamen incendium inde exoriatur, ad damnum farciendum tenetur.

Regula Quarta.

V. Si rei otiosæ, inutili, & malæ des operam, licet ex illa plerumque, & communiter nullum alteri obveniat detrimentum, si tamen hoc intendas, & velis, & revera sequatur, ad damnum reparandum obstringeris: nihil enim deest ita agenti, ut reus sit illati damni, non voluntas nocendi, quam adesse supponimus, non opus damnum inducens, quod revera ponitur. Hinc si quis socium moveat, vel hortetur, ut murum transcendat ad furandum eo animo, & mente, ut e muro dilabens damnum in membris patiatur, tenetur, qui impulit, ad damna farcienda; licet ille pluries præfatum murum sine læsione ascenderit, quare nullum ipse timorem conceperit.

Regula Quinta.

VI. Qui alterius damni in causa est, tenetur totum damnum farcire, & cetera onera subire, quæ possessori malæ fidei sunt imposita, cum furi æquiparetur. Ita docet S. Thom. hic q. 62. a. 4. scribens: *Qui damnificatur, quia aufertur ei, quod actu habebat; tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem æqualis; puta si aliquis damnificat aliquem diruens domum ejus, tenetur ad tantum quantum valet domus.*

VII. Qui vero alterum ab alicujus boni consecutione injuste impedivit, num ad restitutionem teneatur, hæc sunt animadvertenda. 1. Nam vel juste impedierit, vel injuste. 2. Num ille, qui bonum non obtinuit, jus aliquod habuerit sive in re, sive ad rem; vel nullum jus habens, bonum dumtaxat ex dantis liberalitate expectaret. Jus in re habere dicitur, qui rem possidet in se, vel in æquivalenti: jus ad rem, qui licet actu rem non possideat, aliquando tamen obtinebit; ut jus filii in hæreditatem patris, Clericus ad Beneficium, quod petit. His prænotatis sequentes statuuntur Regulæ.

Regula Prima.

VIII. Qui juste aliquem impedit a consecutione alicujus boni, quod ille obtinere sperat, nec peccat, nec ad restitutionem tenetur. Veritas hujus regulæ est de se manifesta: nemo enim, quod justum est, agens peccare potest,

, nec

nec alterius jus violat, quod non habet, quia juste arceri potest ab ejus consecutione. Hinc qui impedit, ne indignus Ecclesiasticum Beneficium consequatur, ne officium judicis obtineat imperitus, ne pecunia donetur aleatori, prodigo, scortatori, qui ea ad scelera abuteretur, nec peccat, nec ad restitutionem tenetur: dummodo non hoc faciat ex odio, inimicitia, vel alio tractus inordinato affectu; tunc enim peccabit, nec tamen ad restitutionem obstringetur. Desumpta est hæc regula ex D. Thom. doctrina hic q. 62. a. 2. ad 4. scribentis: *Aliquis potest impedire aliquem, ne habeat præbendam, juste, puta si intendens honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ, procuret, quod detur alicui personæ digniori: & tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, vel ad aliquem recompensationem faciendam*.

Regula Secunda.

IX. Qui fraudibus, dolo, vi, aliove modo injusto impedit, ne bonum aliquis assequatur, ad quod jus aliquod obtinebat, justitiam violat, & ad restitutionem tenetur juxta gradum spei, vel juris, quod in bonum illud obtinebat. Hæc quoque regula est ex D. Th. desumpta, qui l. cit. subdit: *Aliquis potest impedire aliquem ne habeat præbendam* (quod & de quocumque alio bono, vel beneficio est intelligendum) *injuste; si intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujusmodi. Et tunc si impedit, ne præbenda detur digno, consulens quod non detur, antequam sit firmatum, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam compensationem, pensatis conditionibus personarum, & negotii secundum arbitrium sapientis: non tamen tenetur ad æquale; quia illam nondum fuerat adeptus .... Si vero jam firmatum sit, quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam causam procuret, quod revocetur, idem est, ac si jam habitam ei auferret. Et ideo tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundum suam facultatem*. Ratio ipsa S. Thom. doctrinam confirmat. Nam quilibet jus habet, ne dolo, fraude, vi a consecutione alicujus emolumenti, doni, beneficii impediatur: quod jus violatur ab impediente præfatis modis, ne alter præfata emolumenta consequatur. Quoad vero quantitatem damni illati, hæc, ut optime observat D. A. pensanda est juxta qualitatem juris, aut majoris, aut minoris, quod ad illud bonum habet, & juxta gradum spei, seu probabilitatis, quem obtinet in ordine ad illius consecutionem; cum solum juxta hos gradus damnum patiatur, ut inferius iterum dicemus.

Regula Tertia.

X. Qui pravo nocendi animo, & ad vindictam, non dolo, nec fraudibus, sed suasionibus, precibus, consilio impedit alteri consecutionem alicujus boni sperati, alias illi non debiti, peccat, & ad restitutionem tenetur. Hanc regulam, in quantum asserit ita agentem peccare saltem contra caritatem, ad unum omnes fatentur Theologi, & est ipso lumine naturali nota. At quantum ad crimen injustitiæ, & onus restitutionis non omnes consentiunt Theologi; immo plures præsertim ex recentioribus censent, hunc nec justitiam violare, nec ad restitutionem teneri: quippe quia, inquiunt, animus perversus, & injustus minime præstat, ut opus externum sit contra justitiam, quando de se talis non est: porro ex solo actu externo injusto justitia violatur,

tur, & onus exurgit restitutionis. At opposita doctrina in hac regula constituta mihi est probabilior, & doctrinæ innititur S. Thom. mox citatæ aperte docentis: *Impedientem alterum a consecutione alicujus beneficii ex odio, aut vindicta, vel alio hujusmodi, teneri ad restitutionem* .... Solum itaque odium, & vindicta cum exteriori actione conjuncta damnum inferente ex S. Thom. onus inducit restitutionis: & licet nec seorsum odium, & nocendi desiderium, nec seorsum consilium, preces, suasiones vim habeant justitiam violandi, simul tamen conjunctæ hanc inducunt pravitatem; & actio externa malitiam desumit ex pravo interiori animi affectu. Nec obstat exceptio, quam apponit Card. Gotti, nimirum S. D. loqui de illis, qui aliquod jus habent ad bonum illud. Quandoquidem qui tale jus impedit, & violat, licet hoc non præstet ex odio, vel vindicta, sed solum ob aliquam suam, vel alterius utilitatem, semper est obnoxius restitutioni. Ergo S. D. non ex jure violato, sed ex motivo damni inferendi onus desumit restitutionis. Sicut nec ex modo illicito inducendi tale damnum, nimirum fraudibus, dolis, calumniis: nam supponit solum adhiberi consilium, scribens, *consulens quod non detur*. Ergo ex S. Thom. qualiscumque sit modus damnum inferendi, si ex odio, vindicta &c. oriatur, onus inducit restitutionis. Præterea vere jus alterius violatur: quilibet enim jus habet, ne sine justa causa ab alicujus boni consecutione, quod sperat, quocumque modo repellatur; quod tamen jus non habet, si repellatur ex justa causa, ut ex ipso intimo naturæ sensu patet. Nullus enim indignatur, nec dolet, si alter illud idem bonum, emolumentumque, quod ipse sperat, sibi licitis, justisque modis procuret: at jure merito conqueritur, si ex odio, inimicitia, vindicta hoc bono ab alio se privari conspiciat. Quod confirmatur exemplo illius, qui venam aquæ in vicini fontem, vel puteum influentis præcidit in suo fundo, per quem transit: si hoc enim faciat in sui utilitatem, & commodum, & licitum illi erit: & vicinus conqueri juste non poterit de aqua sibi erepta: at si hoc faciat animo damnum inferendi vicino ex odio, inimicitia, vindicta, id omnino non licere omnes affirmant, & leges statuunt; & alter injuste ea utilitate privatur. En igitur, quomodo non ex solo externo opere, nec ex sola animi dispositione, sed ex utroque simul concurrente injustitia desumitur, & onus oritur restitutionis. Non me latet Cajetanum (quem tanquam nostræ sententiæ faventem citant & Salmanticenses, & Concina, cum revera aperte adversetur) ad positam paritatem respondere, præcidentem venam aquæ *auferre vicino aquam propriam, licet dependentem a fundo alterius, propterea oportere auferentem ex legitima causa auferre*: quod non contingit in eo, qui alium impedit a consecutione boni, quod illi non est proprium, sed solum ex alterius liberali voluntate obvenire potest. Nam meo videri fallitur Eminentissimus Scriptor: siquidem aqua, quæ jam in vicini fontem, vel puteum est derivata, illi est quidem propria, qua privari ab alio sine injustitia omnino non potest, sive id faciat ex odio, & vindicta, sive solum in suum commodum, & utilitatem. At aqua, antequam in ejus fontem influat, non est illi debita, nisi (ut ita dicam) ex quadam liberalitate, & dono naturæ, quam liberalitatem alter impedit canalem præcidendo: quod

quod si faciat in sui utilitatem, & bonum, nullam injuriam irrogat vicino, nullique est restitutioni obnoxius; at si id efficiat ex odio, malitia, vindicta, & irrogat injuriam proximo, & ad restitutionem obstringitur: & hoc est, quod contingit in casu nostro, & ex sequenti regula clarius apparebit. Sed prius est aliud Cajetani argumentum solvendum nostram assertionem pulsans. Si quis, inquit, statuit animo aliquid alteri donare, vel exarato jam Testamento legatum designaverit, & postea ex odio, & vindicta voluntatem mutet, & Testamentum revocet, rofecto ceu injustitiæ reum illum nemo redarguet; & tamen est tota causa damni alterius. Ergo nec qui illi consulit, suadet, precibus movet, ut voluntatem, & Testamentum mutet, licet id ex ira, & odio, ac mala voluntate faciat, reus erit violatæ justitiæ, & restitutioni obnoxius. At resp. latum esse discrimen: nam donator, vel testator, quamdiu vel donationem non implevit, vel testamentum morte sua non confirmavit, jus habet naturale suam voluntatem mutandi absque ulla alterius injuria. Quod si id præstet, peccabit quidem contra caritatem proximi, at contra justitiam omnino non peccabit: cum tota ratio spei de bono, & emolumento obtinendo in alio ex unica ejus liberali voluntate pendeat. Sed qui ex odio, & malitia alterum movet suasione, consilio, precibus ad benevolam suam deponendam, vel mutandam voluntatem, ad hoc præstandum nullum jus habet, immo faciendo peccat: & præterea jus alterius violat, postulans, ne a boni, vel emolumenti consecutione, quod ex alterius liberalitate sperat, ex odio, & nequitia quocumque tandem modo arceatur. Ceterum nostræ doctrinæ assentiuntur Bannez, De Lugo, & ipsi benigniores Salmaticenses Tr. 13. cap. 1. p. 4. n. 103. Immo & S. Antoninus, qui P. II. tit. 2. cap. 2. §. 1. sic docet *Patet, quid dicendum sit de his, qui scholares retrahunt, & subtrahunt Doctoribus, cum quibus audiunt: quia aut hoc faciunt ex odio Doctorum, vel volentes sibi providere &c. . . . Si primo modo aut subtrahit scholarem, qui jam intrabat scholas, & tunc tenetur ad restitutionem scholaris, sive salarii, & honoris sibi subtracti . . . . Si autem nondum scholas intravit, sed intrare disponebat, non tantum tenetur, licet obligetur scholarem inducere, ut redeat ad primum.*

Regula Quarta.

XI. Qui non ex illicito motivo, scilicet nec ex odio, malitia, invidia, sed ob suam vel alterius sibi magis conjuncti utilitatem impedit alium a consecutione alicujus boni, illi ex sola collatoris voluntate provenientis, licet fortassis peccet contra caritatem, justitiam tamen non violat, nec ad restitutionem tenetur, si hoc præstet non dolo, nec fraude, sed solis hortationibus, consiliis, precibus, & hujusmodi. Veritas hujus doctrinæ ex superioribus profluit, & patet rationis lumine. Hic jus alterius non violat, nec quoad substantiam, nec quoad finem, nec quoad modum: non quoad substantiam, quia revera alter ex sola interna alterius voluntate, & animi dispositione jus strictum, & rigorosum non est ad bonum, & emolumentum illud consecutus: non ex fine, non enim pravo animo erga illum sed a sua, vel alterius sibi magis aliquo necessitudinis titulo conjuncti utilitate movetur: non denique quoad modum, cum nec dolum, nec fraudem adhibeat, sed solum consilium, hortationes, preces,

ces, quæ vim non inferunt, nec injuriam irrogant. Hinc non sunt injustitiæ arguendi mercatores, opifices, magistri, medici, causarum patroni, qui clientes sibi procurant, precibus invitando, blanditiis alliciendo; majores utilitates promittendo, licet per hoc alios clientibus suis privent, vel, ne ad alios accedant, impediant. Ita docet S. Antoninus l. laud. subdens: *Si autem hoc faciat volendo sibi providere, puta, est Doctor, & vult sibi de scholaribus providere, si hoc sine fraude facit, & scholaris nondum se dederat alicui Doctori, non credo, eum in aliquo obligari, cum cuilibet sit licitum modo licito, & debito procurare utilitatem suam .... Si autem hoc facit, volens aliis providere, sicut quando scholaris alicujus Doctoris subtrahere conatur scholares aliis Doctoribus, ut intrent cum Doctore suo, in hoc solum honorem, & utilitatem sui doctoris intendent, si subtrahat jam intrantem cum alio doctore, credo ipsum obligari, nisi forte illius doctoris, cui subtrahit eum, insufficientia, & scholaris aliqua specialis cura, qua sibi tenetur, excuset. Si autem subtrahat intrare volentem, cum ex hoc nullum jus doctori sit acquisitum, & hoc faciat sine fraude, non credo eum doctori in aliquo obligari.*

Regula Quinta.

XII. In restitutione ob illatum damnum compensatio non est facienda semper secundum valorem impediti boni, sed juxta gradum vel spei, vel probabilitatis illud consequendi. Hanc regulam tradit S. Thom. hic q. 62. a. 4. ubi distinguit inter illum, qui spem aliquam habet alicujus emolumenti consequendi, & illum, qni proximus est ad præfati boni consecutionem, & denique inter illum, qui rem jam est consecutus. Et de priore quidem statuit, restitutionem non esse valori boni sperati æquandam, sed solum spei juxta prudentis arbitrium. Unde sic scribit a. 2. ad 4. *Qui impedit, ne præbenda detur digno, consulens quod non detur, antequam sit firmatum, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompensationem, pensatis conditionibus personarum, & negotii secundum arbitrium sapientis; non tamen tenetur ad æquale; quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri*. Quod generalis repetit, & confirmat a. 4. subdens: *Si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur, quod erat in via habendi, tale damnum non oportet compensare ex æquo; quia minus est habere aliquid virtute, quam habere actu. Qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem, vel potentiam: & ideo si redderetur ei, ut haberet hoc in actu, restitueretur ei, quod est ablatum, non simplum, sed multiplicatum: quod non est de necessitate restitutionis*. De illo autem, qui adeo proximus est ad boni sperati consecutionem, ut moraliter reputetur assecutus, impediens tenetur ad integrum valorem rei: quia inquit S. Thom. *idem est, ac si jam habitam ei auferret; & ideo tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundum suam facultatem*, quia juxta Aristotelem, *quod modicum deest, quasi nihil deesse videtur*. Circa quod axioma Aristotelis a D. Thom. adoptatum inepte Cajetanus cavillatur, dicens, locum non habere in moralibus: nam quando parum abest, ut quis peccet, non ideo peccat; & cum parum abest, ut quis hominem occidat, non per hoc homicida est, & restitutioni obnoxius. At, si attentius mentem S. D. esset speculatus, suam æquivocationem, & amphibologiam detexisset. Aliud enim est, parum

rum abesse, ut damnum des; aliud *damnum dare in re, quæ parum abest, ut fit*. D. Thom. nunquam docuit, aut putavit, quando parum abest, ut quis damnum det, teneri ad restitutionem, sed solum, quando quis damnum dedit in re, quæ parum aberat, ut esset. Rem exemplo illustro. Si venatores currentes cum equis, & canibus circa vineam, aut sata, quorum fructus jam jam sunt colligendi, parum absit, ut ea conculcent, vel pessundent, ad nihil omnino tenentur; cum revera damnum nullum intulerint: at si vineam, vel sata ingrediantur, & vites, ac sata conculcent, pessundent; dissipent, ad totum fructum pretium sarciendum tenentur: quia revera damnum dederunt in fructibus, qui parum aberant, ut essent in possessione domini: & de hoc damno ad æqualitatem rei compensando loquitur S. Thom. At, quando spes rei non est adeo proxima, ut consecutioni possit comparari, non est cum tanto rigore compensatio facienda, sed juxta sapientum judicium; ut primo loco docuit D. A. Quando vero quis rem speratam est jam consecutus, patet manifeste ad integrum valorem rei restituendum teneri, quia illius rei veluti fur, & prædo habetur. Unde scribit art. 4. *Quando quis aufert alteri, quod actu habet, tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem æqualis: puta si aliquis damnificet aliquem diruens domum ejus tenetur ad tantum, quantum valet domus.*

CAPUT DECIMUM.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Actiones nonnullæ a legibus vetitæ, quæ licet honestæ damnum alteri inferunt.*
II. *Quando quis damnum reparare debeat illatum a bestia.*
III. *Quando ob ruinosam domum super vicinam ædem lapsam cum ejus detrimento.*
IV. *Cui restituere debeat, qui beneficium confert indigno, vel digno, sed prætermisso digniori.*
V. *Quando distribuens bona communia, vel sibi legata ad restitutionem teneatur.*
VI. *Quando quis repellens alium a beneficio teneatur ad restitutionem.*
VII. *Num ad restitutionem teneatur, qui precibus, aut consiliis alium ab emolumenti sperati consecutione repellit.*

Consectarium Primum.

I. QUAMVIS juxta primam regulam liceat unicuique per actionem licitam, honestamque, quod sibi utile est, procurare, tametsi inde damnum aliquod alteri obveniat; excipiendæ tamen sunt actiones illæ, quæ, licet honestæ & utiles, a legibus tamen prohibentur, tanquam proximo noxiæ: cujusmodi sunt leges statuentes, ne domus altius attollatur, ne fenestra aperiatur, ne lumen vicino impediatur, & alia hujusmodi; cum leges istæ in commune bonum sint positæ, & illis obtemperare debeant subditi etiam in foro conscientiæ, antequam per judicis sententiam cogantur ab opere desistere.

CON-

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Qui ad vineæ, sive horti custodiam canes feroces detinet, si noctu aliquem ingredientem morsibus lædant, ad restitutionem minime tenetur: at si interdiu ostium solum pessulo obductum relinquat, & solutos canes, ad restitutionem damni adstringitur, si forte ingredientem lædant. Prima pars hujus Consectarii est manifesta: nam quilibet potest rem suam eo honesto modo custodire, quod opportunum judicat; licet fortassis prævideat alteri damnum obventurum, ut in 1. Regula diximus. Modus autem fructus hortorum, & vineæ muro circumseptæ tuendi a furibus est per canes custodes suæ igitur vel imprudentiæ, vel malitiæ imputare debent qui noctu ingrediuntur. Altera pars constat: nam dominus januas interdiu aperire non debet, ni prius canes custodes loro vinxerit, ne ingredientes ab ipsis lædantur; cum hujusmodi animalia non sint eo loco, & tempore retinenda, ubi alii communiter ingredi solent. Quamobrem in culpa esset damni illati, quod resarcire teneretur. Hoc indicatur etiam L. 1. ff. *Si quadrupede*, ubi hæc duo statuuntur. 1. *Si canis, cum duceretur ab aliquo, asperitate sua evaserit, & alicui damnum dederit, si contineri firmius ab alio poterat, vel si per eum locum induci non debuit, tenebitur qui canem tenebat.* Et lege 2. *Si quis aliquem evitans magistratum forte in taberna proxima se immisisset, ibique a cane feroce læsus esset, non posse agi canis nomine, quidam putavit, at si solutus fuisset, contra.* Scilicet, si hujusmodi fugitivus tabernam ingrediens damnum subiisset a cane loris vincto, dominus canis ad nihil teneretur: at damnum reparare deberet, si canis solutus fuisset; nam hæc animalia non sunt in loco, ubi ingressus omnibus patet, detinenda.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Si domus firma, repentino casu super vicini domum cadens, illi damnum afferat, ad nullam restitutionem dominus domus tenebitur: at si domus sit ruinosa, & super conterminum ruat, ruinosæ domus proprietarius, si admonitus fuerit, de toto damno tenebitur. Prima pars hujus consectarii certa est: nam nemo de fortuitis casibus, qui extra humanam providentiam sunt, respondere tenetur, nisi pacto, vel contractu aliquo conveniat, hinc si domus firma ex fluminis impetu, vel ventorum violentia super vicini domum corruat, etiam cum magno illius detrimento, dominus nulli erit obnoxius restitutioni. Altera vero pars ex eo constat, quia admonitus de periculo ruinæ cum detrimento alterius, ad ejus reparationem & lege naturali, & legibus civilibus tenebatur. Quamobrem dominus ruinosam domum non reparans est vera subsecuti damni causa, ad quod sarciendum obstringetur. Excipitur, si ruinosæ domus dominus impos ad fulciendam, & sarciendam domum, ipsum vicinum roget, ut eam vel fulciat, vel sarciat, expensarum compensationem exhibens ex locatione ipsius domus; si vicinus id recuset, sibi imputare debebit, si domus ruens suæ damnum afferat, nec dominus erit ulli restitutioni obnoxius. Dixi tamen, si admonitus dominus de imminenti domus ruina reparationem recuset: nam si talis non præcesserit admonitio, leges statuunt, ad restitutionem damni non teneri, si fundum, & ipsam lapsæ domus materiam damnum passo reliu-

linquat; at, si velit & materiam sibi vendicare, & fundum sibi retinere, & ad rudera tollenda, & ad damnum reparandum tenebitur. Sic statuitur L. 6. ff. de dam. inf. *Evenit, ut nonnunquam damno dato nulla nobis competat actio, non interposita antea cautione, velut si vicini ades ruinosa ceciderint, adeo ut plerisque placuerit, ne cogi quidem eum posse, ut rudera tollat, si modo omnia, quæ jacent, pro derelicto habeat.* Quæ lex in naturali fundatur æquitate. Nam æquum est eum, qui non admonuit de damno sibi imminente, actionem non habere; sed illi satis esse, si rudera, & fundus domus ipsi permittantur, & alter, qui ruinosam domum reparare omisit cum vicini detrimento, ipsam domum pro damno dato amittat: quæ si majoris sit pretii supra illatum damnum, ipsi liberum est damnum sarcire, aut rudera, ac fundum sibi vendicare.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Qui beneficium Ecclesiasticum confert indigno, vel solum digno, relicto digniore, extra concursum, & lethaliter peccat, & restitutioni est obnoxius, non digniori prætermisso, sed Ecclesiæ: si vero ita se gerat in concursu, ad restitutionem tenetur etiam respectu ipsius dignioris prætermissi. In Tract. de beneficiis cap. 7. & 8. ostendimus, beneficia esse semper dignioribus conferenda, & lethaliter peccare qui vel indignis, vel minus dignis confert. Qua posita doctrina certissima, & verissima, quodnam restitutionis onus incurrant, qui indignis, vel minus dignis beneficia conferunt, in nostro consectario statuimus. Ejus veritatem sic probamus. Nam qui extra concursum beneficium indigno, vel minus digno, prætermisso digniore confert, respectu hujus non nisi distributivam violat justitiam, cum dignior nullum jus habeat ad hoc, vel illud beneficium obtinendum; sed & justitiam commutativam violat respectu Ecclesiæ, quæ jus habet strictum, & rigorosum, ne sibi præficiantur, & dentur Pastores, & ministri vel indigni, vel minus digni. Ita egregie docet Sotus de just. & jur. lib. 4. q. 6. scribens: *Provisor tenetur per justitiam commutativam dignum Ecclesiæ providere, quod ideo quod non facit, sed illo repulso præfert indignum, tenetur non illi, quem prætermisit, sed Ecclesiæ restituere . . . quia ille non peccat contra justitiam commutativam nisi in Ecclesiam, quæ stipendia solvit; nam dignus (vel dignior) nullum habet jus acquisitum, nec ejus causa, quæ præcipua fuerit, instituta sunt decimæ. Et confirmatur similitudine . . . Si enim pater-familias ad œconomum suum conductum operarios mitteret, ille autem illos studio conduceret, qui non essent ad operas idonei, restituere profecto teneretur non illis idoneis, quos prætermisit, sed domino cui damnum dedit.* Quod si in ipso concursu indignum digno, vel dignum digniori præferat, jam non solum distributivam violat justitiam, & commutativam respectu Ecclesiæ, sed etiam respectu ipsius dignioris, qui jam per concursum jus acquisivit, ne sine justa causa a beneficio repellatur: repellitur autem injuste, si indigno, vel minus digno postponatur. Fateor tamen laudatum C. V. Sotum huic nostræ opinioni non adhærere; quippe qui putat stipendia, & emolumenta non meritis dari, sed operi: quod cum non præstetur a digniori, jus non habet ad ea, quibus proinde per rejectionem a beneficio non privatur, Subdit tamen, quod illum trepidantem ostendit: *Haud*

tamen diffitendum, quia ob violatam distributivam justitiam debeat Prælatus illius dignioris prætermissi, ubi alia electio occurrerit, accuratiorem rationem habere. Nostræ tamen sententiæ adhærent communiter Theologi, ut testatur Ferraris V. Restitutio cap. 5. num. 5. & eam egregie tuetur Concina Diss. 2. de restit. cap. 8. q. 5. n. 13. & seq. omnino legendus. Porro hæc doctrina de eligente indignum, vel minus dignum, prætermisso digniore, est etiam illi aptanda, qui impedit, ne dignior eligatur; est enim præfati damni causa.

Consectarium Quintum.

V. Qui bona communia, vel alia sibi ad distribuendum legata in plures partiri debet, si partitio a sua omnino pendeat voluntate, justitiam non lædit, nec restitutioni fit obnoxius, si plus uni, quam alteri pro libito suo tribuat. Nam licet tota concio, sive cœtus personarum, quibus facienda est distributio, jus habeat ad illa bona, quæ non sunt in dominio dividentis, sed solum in distributionis ministerio; nullus tamen privatus jus habet ad hanc, vel illam distribuendorum bonorum partem, cum partitio tota in distribuentis omnimoda voluntate sit constituta: qui proinde justitiam non violat, si uni potius, quam alteri majus aliquid de bonis distribuendis partiatur; quamvis fortassis caritatem violet. Hinc pariter, qui hunc distributorem non fraude, dolo, aut vi, & violentia, sed solum precibus, consilio, suasionibus impelleret ad quid majus uni dandum, quam alteri, non esset restitutioni obnoxius. At e contra, si quis bona communia, aut alia sibi legata, vel determinatis personis, vel juxta personarum indigentiam distribuere teneatur, peccat nedum contra justitiam distributivam, sed & commutativam, si non illis, sed aliis distribuat, ac propterea est restitutioni obnoxius. Eapropter qui vel bona communia, vel sibi ad distributionem legata distribuere debet certis personis, puta virginibus, aut viduis; contra justitiam distributivam peccat, si non illis, sed aliis ea concedat, cum præfatæ personæ ratione suæ conditionis jus habeant ad illa bona obtinenda: quod jus violatur, dum ipsis subtrahuntur, ut aliis dentur. Pari pacto, qui præfata bona jubetur distribuere inter pauperes juxta cujusque paupertatem, reus est violatæ justitiæ commutativæ, si minus pauperi plus tribuat, & pauperioribus minus largiatur: nam tunc quilibet habet jus ad illa bona juxta suæ inopiæ qualitatem; quod jus violat distributor sua prava partitione, & ad damnum sarciendum adstringitur. Cui restitutioni foret obnoxius & ille, qui licet sine fraude, & dolo, sed solum consilio, & precibus distributorem moveret ad injustam illam distributionem, cum quilibet jus habeat, ne ullo modo a rei sibi ex justitia debitæ consecutione arceatur. Quare optime docet Layman, belli Ducem dividentem spolia hostium inter milites, pro singulorum meritis, & dignitate distribuere debere: quod si non præstet, quia vel in proprios usus convertit, vel largitur iis, quibus non competit, & distribuentem justitiam violat, & commutantem; quamobrem ad restitutionem secundum leges commutativæ justitiæ obstringitur. Quomodo autem in his distributionis locum habeat justitia commutativa ex D. Thom. ostendimus cap. 1. n. 1.

CON-

Consectarium Sextum.

VI. Qui indignum repellit a beneficio; vel emolumento, quod ab altero solum illi est destinatum, non peccat, si zelo justitiæ faciat, nec ad restitutionem tenebitur. Consectarium exemplis illustro. Prælatus destinavit Beneficium conferre alicui Religioso tanquam digno quem tu indignum noscis. Amicus tuus hæredem, vel legatarium scripsit virum, quem sibi amicum putat, & tu illum scis esse aleatorem, scortatorem, ebriosum, qui legatum, & hæreditatem in pessimis suis vitiis fovendis insumet: si zelo motus & Prælatum avertas a collatione beneficii, & amico suadeas, ut testamentum mutet, non peccas, quia & recta mente, & optimo fine indignum repellis; non ad restitutionem teneris, cum neuter jus vel ad beneficium, vel ad hæreditatem sit consecutus, & præterea uterque emolumento indignus est. Hinc nonnulli Theologi docent, licere etiam occultum, sed verum crimen detegere vel collatori, vel testatori, si hoc opus sit ad eos a proposito dimovendos; dummodo tamen & crimen talis sit generis, ut illos indignos destinato beneficio ostendat, & ipsum crimen ita caute, & prudenter manifestes, ut inde infamia non sequatur. Quod si imprudenter manifestes, & inde infamia sequatur, teneberis quidem ad restitutionem famæ, meliori quo poteris modo, non vero ad restitutionem damni illati ob denegatum Beneficium, vel mutatum testamentum, si denegatio, vel mutatio voluntatis non ex infamia processerit, sed a privata criminis notitia, quæ sola voluntatis mutationem induxerit.

Consectarium Septimum.

VII. Qui precibus, suasionibus, consiliis impellit amicum, ut donationem, legatum, hæreditatem alteri ab ipso destinatam revocet, & convertat in sui, vel suorum utilitatem fortassis contra caritatem peccabit, at nulli erit restitutioni obnoxius. Continet hoc consectarium applicationem Regulæ IV. n. 12. præced. capitis. Et primo quidem illum contra caritatem peccare posse, facile est intelligere, cum alteri faciat, quod certe nollet sibi fieri: a culpa tamen excusari etiam potest, si ipse vere indigeat, & alter vel abundet, vel indignus sit beneficio. At contra justitiam non peccare manifestum est, cum nondum alter jus sit consecutus sive ad rem donandam, sive ad legatum, & hæreditatem destinatam, quæ omnino ab arbitrio donatoris, & testatoris adhuc pendet. Nec dicas cum Franzoja citante doctrinam P. Concinæ T. 7. pag. 197. n.20. *Jus habet, ne impediatur a consecutione boni sibi jam destinati*. Nam hoc jus solum eousque protenditur, ne vel ex odio, & malitia, & mediis injustis, puta fraude, vel dolis repellatur a boni sperati consecutione; non vero ne alter & suam quærat utilitatem, & bonum obtinendum licitis utatur mediis, licet postea consequatur in altero privatio illa, quæ non tam ex petentis officiis, quam ex voluntate conferentis proficiscitur, qui voluntatem suam licite, & pro suo libito mutare potest. Concina autem loquitur de illo, qui occultæ compensationis gratia rem alteri dono missam surripit. Quod profecto & ipse injustum censeo, cum occultam compensationem injustam esse & reputem, & fusius ostenderim, tum quia, etiam si licita aliquo casu rarissimo foret, hanc sem-

semper postulat, etiam juxta ejus Patronos, conditionem, ne fiat cum damno, & detrimento alterius. Ceterum laudatus Auctor licet scribat: *Ego, ne unquam id facias, definio*, non per hoc putat injustitiam committi, sed caritatem plerumque lædi. Nam paulo ante a nostra sententia non recedens dixerat: *Si acceptata non fuerit promissio, & precibus, sublata fraude, impedias, ad nihil teneris; quia promittentis voluntatem preces, & suasiones non mutant*, scilicet modo illicito, & injusto, ut ego interpretor, ne verborum sensus vel contradictionem involvat, vel truncus sit, & imperfectus. Immo paulo post de impedimento, ne Beneficium conferatur Paulo digno, ut detur Petro æque digno, docet, *illum, si fraude, & dolo hoc præstet, teneri Paulo resarcire damnum pro quantitate spei ad illud obtinendum beneficium . . . . Si vero solis precibus impedimentum adjiciat, aut si Paulus indignus sit, nullum esse restitutionis debitum*. Non adhuc tamen acquiescit Cl. Franzoja, qui sic concludit: *Itaque communem, & La-Croixii sententiam quoad hæreditates, legata, & donationes inter vivos fidenter quidem improbare non audeo, eam tamen nec certam habeo, nec tutam, nisi forte adversarii in meliori lumine collocent*. Verum tanti viri pace dicam, hanc doctrinam ab ejus propugnatoribus in satis claro lumine collocatam, dum dicunt, 1. Donatarium, & Legatarium ex sola destinatione, & voluntate donantis nullum jus fuisse adeptum sive in re, sive ad rem proinde nullum ejus jus violari. 2. Id non fieri ex odio, vindicta, aut alio turpi motivo. 3. Non adhibere illicita media, nimirum fraudem, dolum, mendacium, sed licita, cujusmodi sunt preces, suasiones, hortamenta. 4. Denique quia Franzoja postulat, ut id fiat etiam ex justa causa; hæc quoque hic non deest, nimirum, ut suæ, vel suorum, sive indigentiæ, sive utilitati consulat; quod nulli vetitum est, nisi fiat modis indebitis, injustis, illicitisque. Moraliter itaque certa mihi hæc doctrina videtur, & satis tuta, ut injustitiæ argui, & ad restitutionem obstringi non debeat, qui præfatis modis est usus ad bonum aliquod sibi, vel suis procurandum.

Observandum tamen Decretum Clementis V. in Conc. Viennensi (Clem. lib. 5. tit. 5. inq. 1. §. 1.) inhibentis *in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ, ne Religiosi, cum confectionibus testamentorum intererunt, a restitutionibus debitis, aut legatis Matricibus Ecclesiis faciendis, retrahant testatores, nec legata, nec debita, aut male ablata incerta sibi, vel aliis singularibus sui Ordinis fratribus, vel Conventibus in aliorum præjudicium fieri, seu erogari procurent*. Cui Decreto ab omnibus Religiosis, ea qua par est, reverentia obtemperandum est, cum ex parte, quod juris est naturalis, exponat, partim jure positivo, quod certe maxime conveniens est, præcipiat: nam ne Religiosi retrahant testatores a restitutionibus debitis, jure naturæ præceptum est; sicut, ne cum præjudicio aliorum ad legata, vel bona sibi, vel Monasterio suo relinquenda sollicitent, pariter jure naturali ad justitiam pertinet. Ne autem hoc idem faciant, etiam cum contingit sine alterius præjudicio saluberrime præceptum est. Nam ut optime animadvertit Concina, *nihil efficacius seculi, odium, invidiamque adversus Religiosos concitat, quam testamenta a Confessariis pœnitentibus suggesta in suarum Ecclesiarum, seu domorum favorem. Hæc derisio-*

ſionem, *hæc contemptionem abominationemque conflant*. *Hoc odium*, *hæc invidia ſummopere devitanda eſt*, *quoniam hæc impediunt*, *ne Religioſi animabus lucrandis idonei reputentur*. Ne autem retrahant teſtatores a legatis Eccleſiis Matricibus faciendis, jus eſt mere poſitivum, & juſte quidem poſitum: quod tamen exceptionem aliquam admittere poteſt: & certe illam, quam ſtatuit S. Auguſtinus Serm. 355. ali. 4. de diverſis cap. 5. *Quicumque vult exhæredato filio hæredem facere Eccleſiam*, *quærat alterum*, *qui ſuſcipiat*, *non Auguſtinum*. *Immo Deo propitio neminem inveniat*. 2. Si quis intermiſſis debitis reſtitutionibus, bona ſua legare vellet Eccleſiæ, ſive Matrici, ſive cuicumque, ab hoc perniciofo conſilio eſſet a probo, & ſtudioſo Confeſſario avocandus; cum prius, quæ juſtitiæ ſunt, impleri oporteat deinde quæ pietatis, & Religionis: & iniqua eſſet hujuſmodi teſtamentaria diſpoſitio, quæ Eccleſiæ non prodeſſet, & animæ teſtatoris quam maxime noceret.

CAPUT UNDECIMUM.

De reſtitutione facienda a cooperantibus ad damnum alterius. Nonnulli cooperationis modi expenduntur.

DOCTRINA.

I. *Qui alterius damno cooperantur*, *ſunt reſtitutioni obnoxii*.
II. *Modi recenſentur directe cooperandi alterius damno*.
III. *Modi indirecti exponuntur*.
IV. *Generalis doctrina de cooperantibus damno alterius*.
V. *Qui movent ad damnum inferendum*, *reſtituere debent*, *licet ſciant ab alio idem damnum procurandum*.
VI. *Nec non aliquando*, *qui movent ad modos damni inferendi*.
VII. *Quænam ſint veræ cauſæ alterius damno cooperantes*.
VIII. *Ad quid teneatur*, *qui dubitat*, *num alieno damno ſit cooperatus*.
IX. *Reſtitutioni eſt obnoxius jubens*, *ſive mandans*.
X. *Et quidem primo*, *ac principaliter*.
XI. *Quando liberetur a reſtitutione*.
XII. *Sicut & qui conſenſum præbet*.
XIII. *Nec non recipientes fures*.
XIV. *Quinam excuſentur*.
XV. *De in furto participantibus*.
XVI. *Nonnullæ Theologorum opiniones refelluntur*.
XVII. *Non obſiſtentes damno alterius ſunt reſtitutioni obnoxii*.

I. CUM, juxta Apoſtoli Pauli monitum, rei apud Deum ſint non ſolum qui *iniqua faciunt*, *ſed & qui facientibus conſentiunt*, juſtitiæ labe aſperguntur, & reſtitutionis onere gravantur non ſolum, qui aliis damnum quoquo modo inferunt, verum etiam qui tale damnum inferentibus aliquo modo cooperantur, ſive id poſitive præſtent, ſive negative, ſcilicet, vel quando in damnum proximi influunt, vel illud, quando tenentur, non avertunt, aut impediunt. Hæc omnia ſapientiſſime & clariſſime exponit S. Th. hic q. 62. a. 7. ſcribens: *Dicendum*, *quod ad reſtitutionem tenetur aliquis non ſolum ratione rei alienæ*, *quam accepit*, *ſed etiam ratione injurioſæ acceptionis*. *Et ideo quicumque eſt cauſa injuſtæ acceptionis*, *tenetur ad reſtitutionem*. *Quod quidem contingit dupliciter*; *directe ſcilicet*, *& indirecte*. *Directe quidem*, *quando inducit aliquis alium ad accipiendum*... *Indirecte vero*, *quando aliquis non impedit*,

dit, cum possit, & debeat impedire.

II. Modos vero directe cooperandi alieno damno enumerat, ac explicat S. D. A. subdens: *Tripliciter quis directe cooperatur alterius detrimento. Primo modo ex parte acceptionis, movendo ad ipsam acceptionem; quod quidem fit præcipiendo, consulendo, consentiendo expresse, & laudando aliquem quasi strenuum de hoc, quod aliena accepit. Alio modo ex parte ipsius accipientis, quia scilicet eum acceptat, vel qualitercumque ei auxilium fert. Tertio modo ex parte rei acceptæ; quia scilicet particeps est furti, vel rapinæ, quasi socius maleficii.*

III. Modos vero indirectæ cooperationis sic exponit S. D. *Indirecte damno cooperatur alieno, quando aliquis non impedit cum possit, & debeat impedire; vel quia subtrahit præceptum, sive consilium impediens furtum, vel rapinam; vel quia subtrahit suum auxilium, quo posset obsistere; vel quia occultat post factum.* Omnes autem modos tum directos, tum indirectos his versiculis contineri subdit:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

De his omnibus modis singillatim disputabimus: sed ob materiæ amplitudinem nonnullos cooperandi modos, illos videlicet, qui semper onus restitutionis imponunt, in hocce capite expendemus; ceteros, vero, qui non semper ad restitutionem adstringunt, sequenti reservamus.

IV. Primo tamen nonnullæ generaliores doctrinæ sunt explicandæ, antequam ad singulos expendendos modos progrediamur. Et prima quidem generalis doctrina est illa, quam modo ex D. Thom. attigimus, videlicet nec semper, nec omnes alterius damni cooperatores restitutionis onere gravari. Sic enim docet S. D. *Sciendum, quod quinque præmissorum semper obligant ad restitutionem: Primo jussio; quia scilicet ille qui jubet, est principaliter movens: unde ipse principaliter tenetur ad restituendum: Secundo consensus, in eo scilicet, sine quo rapina fieri non potest: Tertio recursus; quando scilicet aliquis est receptator latronum, & eis patrocinium præstat: Quarto participatio; quando scilicet aliquis participat in crimine latrocinii, & in præda: Quinto tenetur ille qui non obstat, cum obstare teneatur: sicut Principes, qui tenentur custodire justitiam in terra, si per eorum defectum latrones increscant, ad restitutionem tenentur: quia reditus, quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut justitiam conservent in terra. In aliis autem casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restituendum. Non enim semper consilium, vel adulatio, vel aliquid hujusmodi est efficax causa rapinæ. Unde tunc solum tenetur consiliator, aut palpo, idest adulator, ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta.*

V. Altera generalis doctrina. Qui alium inducit, & efficaciter movet ad damnum aliquod inferendum, de quo non cogitabat, ad restitutionem tenetur, licet certo sciret impellendum ab alio ad idem crimen. Prima hujus doctrinæ pars de restitutione facienda ab efficaciter movente alium ad damnum aliquod inferendum, est ipso naturali lumine nota: cum hic sit revera damni illati efficax causa, non minus quam ipse inferens: & definita fuit ab Innoc. XI. in damnatione propositionis 39. ajentis: *Qui alium movet, aut inducit ad*

ad inferendum damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati. Altera vero pars non minus est certa, & manifesta, & evincitur ratione. Nam hic vere causa est illati damni, parumque interest ab alio fuisse impellendum: nam tu revera es, qui impellis: & sicut alter qui impulisset, patrati facinoris comparticeps, immo & causa fuisset; ita & tu, qui primus impellis, pari crimine coinquinaris. Alioquin a restitutione liber esset, qui rem certo ab alio furto auferendam furaretur, & qui hominem ab alio occidendum occideret; quod quis dicere audebit? Immo & Christus Dominus dixit quidem, *necesse est, ut veniant scandala*; sed statim subdidit, *væ homini illi, per quem scandalum venit*; idest, licet scandalum, per alium dandum esset, ille tamen, per quem datur, in culpa est.

VI. Tertio. Qui in causa est, ut facinus aliquod, non quoad substantiam, sed quoad modum, puta celerius, atrocius, libentius committatur, ad restitutionem tenetur, aliquando integre & totaliter, aliquando solum ex parte. Et primo quidem ad totius damni reparationem tenetur, quando dubium, incertumque sit, num sine tali consilio, & impulsu ad celerius, atrociusque committendam facinus, patratum revera fuisset: nam tunc non solius circumstantiæ, sed etiam ipsius facinoris in causa habendus esset hortator, consiliator, suasor; cum fortassis sine ipso damnum illatum non fuisset. At posito, quod certissime facinus esset committendum, & damnum inferendum, attendendum puto ad consilii, suasionisque objectum, ut onus restitutionis imponatur. Si enim suadeas, ut atrocius facias, ut libentius, puto solum teneri ad illud majus detrimentum, & damnum, ad quod malefactorem impulisti. Sic c. ex. dispositum ad verberandum hostem suum, suasisti, ut etiam vulneret; paratum ad furandum quinquaginta, hortatus es, ut centum furetur; ad solam illati damni partem, quam tua suasione, & hortamento intulisti, sarciendam teneris, cum hujus tantum revera in causa fueris. Quod si objectum tui impulsus, vel hortationis fuit celeritas temporis, ut cum paratum ad occidendum, vulnerandum, furandum; sed post plures dies, vel mensem, impellis, ut statim furetur, ambigunt Theologi, an ad totius damni reparationem tenearis, an solum ad eam detrimenti partem, quæ ex celeritate, & anticipatione facinoris profluit. Salmanticenses hanc postremam partem tuentur, & non ad totum damnum, sed solum ad partem damni sarciendam moventem teneri putant. 1. Nixi, ut ipsis videtur, doctrinæ S. Thom. in IV. Dist. 15. q. 5. a. 5. ad 3. ajentis, duo requiri ad onus restitutionis in consulente, nimirum ut *probabiliter credat consilium suum fuisse efficax*: alterum; quod *sine eo injusta ablatio non esset commissa*. Porro cum supponatur malefactor ad damnum certo inferendum determinatus, dici non potest, hortantem, & consulentem, ut citius damnum præstet, ita esse illius causam, ut sine eo damnum non esset illatum; cum certo fuisset datum, sed solum post aliquot dies. 2. Quia malefactorem non ad furti, vel damni inferendi substantiam impellit, ad quod jam est certissime determinatum, sed solum ad modum, & circumstantiam temporis: & pro hac sua opinione citant S. Antoninum, aliosque plures Theologos. At oppositum tenent alii plures ab ipsis Salmanticensibus citati, quorum opi-

opinioni, utpote probabiliori, assentior. Nam 1. qui movet alium ad damnum celerius inferendum, ad verum peccatum movet hic & nunc committendum, unde reus est culpæ: at cujusnam culpæ? profecto injustitiæ, quæ onus secum infert restitutionis. 2. Qui alium hortatur, ut potius hodie, quam cras hominem occidat, licet paratum ad eum occidendum in crastinum, nedum ad circumstantiam temporis, sed & ad ipsam operis substantiam impellit, cum hodiernæ occisionis circumstantia sine ipsa occisione haberi non possit: quamobrem movens ad alium occidendum hodie, nedum ad circumstantiam, sed & ad ipsum opus impellit. 3. Quia in dilatione occisionis semper spes est, ne crimen fiat, & tanto major, quanto diutius differtur: nam occisio futura pluribus modis & caussis impediri potest: etenim præter mutabilitatem voluntatis humanæ, sunt & alia plura, quæ occurrere possunt impedimenta, ex parte tum damnum inferre volentis, tum patientis, tum aliorum, tum ex variis humanis eventibus. Nec urget, quod subdunt Salmanticenses, se nimirum loqui loqui in hypothesi, quod nulla sit spes mutationis in animo damnum inferre volentis. Nam hæc hypothesis in humanis rebus, quæ firmitatem non habent, chimærica est. Et revera fingamus pœnitentem se accusare in confessione de consilio dato homini parato ad alterum occidendum post mensem, ut statim eodem die occidat; quod exequitur. Quid agere debebit prudens Confessarius? Interrogabit profecto primo, num certo post mensem foret ille occidendus. Profecto hærebit pœnitens, & quid respondeat, non habebit. At supponamus, attenta perversa occisoris voluntate, vehementi ira concepta, perversi animi firmitate fore, ut certo certius homicidium committeretur, postulabit, num aliqua externa causa impediri potuerit. Quid regerere poterit pœnitens, qui jam peracto homicidio nihil de illo amplius cogitavit, multoque minus animadvertit, num potuisset impediri? Quid ergo statuet Confessarius, absolutum dimittet, nullo imposito restitutionis onere? Non puto. Oportebit igitur, ut ipsum tanquam ejusdem delicti cooperatorem cum ipso reo confundat, & ad restitutionem obstringat, saltem pro rata dubii. Nec oppositum docet S. Thom. l. l. Nam 1. certum est, datum consilium fuisse *efficax*: etenim revera homicidium patratum est; & certe dici non potest sine ipso consilio adhuc fuisse homicidium committendum, cum plura potuerint occurrere ad illud post mensem perpetrandum impedimenta, tum interna, tum externa, tum ex parte interficientis, tum ex parte interfecti, & humanarum vicissitudinum. Præsumendum est igitur ex consilio dato homicidium esse subsecutum, tum quoad substantiam tum quoad temporis circumstantiam. Præterea, si S. D. verba ad litteram accipiantur, doctrinam continerent omnino falsam. Nam in multitudine pravorum hominum, conspirantium ad incendendam alicujus domum, quod incendium a singulis perfici potuisset, cum nemo singillatim ille sit, *sine quo*, incendium non contingisset (ab unoquoque enim seorsum committi poterat) nemo singillatim dicendus esset vera causa illati damni, & nullus ad restitutionem foret cogendus; quod quam falsum sit, nemo non videt. Quamobrem, dum S. D. docet, tunc consilium esse efficax, quando sine eo injusta ablatio non esset commissa, solum effi-

efficacitatis consilii indicium clarum afferre voluit; quin tamen per hoc negaverit, licet commissa fuisset etiam sine illo consilio prava actio, perversum consiliatorem vel a culpa esse habendum immunem, vel ab onere restitutionis sublevandum; cum revera suo consilio ad damnum inferendum impulerit. Quod manifeste patet ex eo, quod in summa hic art. 7. de consiliatore perverso loquens scribit: *Tunc solum tenetur consiliarius, aut palpo, idest adulator, ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta*. Audisti? Non postulat, ut sit adeo principalis causa subsecutæ injustæ acceptionis, ut sine ipsa non fuisset subsecuta injusta acceptio; sed solum postulat, ut consiliator sit aliquo modo causa injustæ acceptionis. S. vero Antoninus verba solum S. Thom. rescribit; eadem proinde adhibenda explicatio.

VII. Hic itaque operæ pretium censeo exponere, quomodo quis possit alicujus effectus, sive criminis causa dici. Nam causa vere efficax, sicut in physicis, ita & in moralibus, non ea tantum dicitur, quæ vel *de se sola sufficiens est*, vel *absolute necessaria* ad inducendum effectum: quandoquidem efficacitas causæ non a sufficientia, vel a necessitate, sed ab efficientia, influxu, & cooperatione in effectum desumitur; ideoque causa, quæ in effectum influit, quacumque sua, sive sufficienti, sive necessaria, sive unica, sive totali, sive partiali, sive principali, sive accessoria vi, & virtute, vera causa *efficax* est dicenda: quod pluribus physicis exemplis compertum est. Nam si seni equi rhedam trahant, omnes in cursu rhedæ efficaciter concurrunt; licet duo tantum sufficerent, & duo principaliter rhedam trahant: pari pacto, si vir fortis, & robustus feram moveat ad secandum lignum simul cum puero, ambo ad ligni sectionem efficaciter concurrunt; licet vir robustus solus potuerit feram trahere, & puer solus omnino non potuerit. Haud aliter in Moralibus: si quis Mandatario jubeat, ut hominem interficiat amplo promisso stipendio, deinde ab alio quoque idem mandatur homicidium sed adeo tenui oblata mercede, ut sine priori mandato crimen perpetrandi onus non assumpsisset: quis inficiabitur, utrosque esse homicidii reos, & ad restitutionem teneri, cum ambo vera causa sint homicidii? Hæc autem doctrina locum habet etiam in humanis judiciis: si enim sex latrones hominem aggredientes strictis ensibus interficiant, omnes rei homicidii habentur, omnes suspendio puniuntur, licet fortassis non nisi unus illum interfecerit: nec expendit judex, num quilibet ita sit reus homicidii, ut sine eo homicidium non fuisset commissum; sed cum omnes deprehendat ad homicidium concurrisse, omnes reos habet, omnes plectit. Haud inficior tamen, unum magis altero peccare posse in prava actione, quo magis ad pravum opus concurrit. At quoad restitutionem non gravitas culpæ, sed vis, & influxus in damnum alterius sunt spectanda, & ex his onus restitutionis inferendum. Hæc doctrina in sequentibus uberiorem lucem accipiet, magisque perspicua fiet.

VIII. Cum vero dubium suboritur, num quis sua qualicumque actione, puta consilio, hortatione mandato &c. in damnum influxerit, expendendum est, num dubium sit vel juris, vel facti; videlicet num dubites, an consilium, mandatum, concursum præstiteris; vel certus de consilio, mandato, & con-

sen-

sensu, dubites, num consilium, mandatum &c. causa fuerit efficax illati damni. Non desunt Theologi, qui, nulla facta distinctione, statuunt, dubitantem non esse ad restitutionem obstringendum, eo innixi axiomate, & principio, *melior est conditio possidentis*. Verum quantum obtineat in Moralibus hoc principium, ostendimus late Tr. 2. de Rat. humana diss. 3. cap. 7. n. 7. & in aliis Opusculis, & præsertim in Tr. *de proxima humanarum actionum regula in opinionibus deligendis*. Hic itaque dicimus, dubitantem de suo facto, nimirum num mandatum, num consilium dederit, num consensum præstiterit, minime ad restitutionem teneri; cum delicta non sint præsumenda, sed probanda, & nemo est præsumendus malus, nisi certo constet. At, si certus sit de mandato, consilio dato, vel consensu præstito, ad restitutionem tenetur, saltem pro dubii gradu. Nam duo hic habentur omnino certa, nimirum 1. datum pravum consilium, mandatum &c. 2. damnum certe subsecutum. Porro hæc duo certa periculum inducunt, & validissimam præsumptionem de damno dato, proinde saltem juxta gradum incertitudinis reparando. Quod confirmari potest ex jure civili statuente ff. de act. emp. L. *Si jactum*. *Dum quis jactum retis emit, si piscator rete jactare recuset, ad rei incertam æstimationem teneri*, idest ad illud lucrum: quod ex jactu retis emptor sperare poterat; licet contingere potuisset, ne quid in rete illaberetur. Immo A. P. hic art. 7. aperte docet, ad integram restitutionem teneri, quando consiliator, aut palpo, idest adulator *probabiliter æstimare potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta*. Quæ probabilitas 1. in præsumptione fundatur: nam juxta Regulam in 46. in 6. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, & quod plerumque fieri consuevit*: consilium dedisti, vel mandatum Petro de furto committendo in domo Pauli; furtum revera commissum est in ea domo: est igitur præsumendum ex dato vel consilio, vel mandato profluxisse. 2. Confirmatur ex praxi Juris Canonici, in quo statuitur, vulnerantem hominem, deinde mortuum, licet dubium sit, num mors sit ex vulnere secuta, habendum esse tanquam homicidam, & irregularem. 3. Denique ex praxi in criminalibus judiciis custodita: dum enim constat de mandato homicidii dato, & de subsecuto homicidio, nisi reus clare ostendat, vel se mandatum revocasse, vel non ex suo mandato profluxisse, homicidii reus habetur. Et hæc quidem generaliora exposuimus; nunc ad singulos modos damnificandi explicandos progredimur.

IX. Primus modus a S. Thom. ponitur jussio, vel mandatum, sive hoc subditis detur, puta a patre filiis, a domino servis, a Principe subditis, sive etiam aliis nullo modo mandanti subjectis: satis enim est si quis mandet, ut ejus jussione delictum patratum dicatur; ut explicat Alex. III. cap. Mulieres de sent. excom. dicens: *Cum is committat vere, cujus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur*. Fieri autem potest jussio vel explicite, vel implicite. Primo modo cum aperte dicitur, occide inimicum, rape rem alienam, domum incende &c. 2. Implicite, cum quis præsertim Superior coram inferioribus conqueritur, se neminem habere, qui de sibi illata injuria ulciscatur, qui hostis sui temeritatem non cohibeat; vel qui dicit sibi gratum fore, si quis furtum, homicidium, vindictam exe-

que-

queretur; vel denique si præmium polliceretur hæc crimina patranti, licet nulli hoc mandet, vel nullum in particulari designet. Quando vero mandatum non expressis verbis, sed tacite datur, pensanda sunt loquentis verba, ut inde colligatur, num vim mandati contineant; cum fieri possit, aliquem imprudenter ex alterius vel querimoniis, vel ira, vel desiderio vindictæ incaute manifestato ansam arripere nocendi proximo contra, vel ultra mentem, & voluntatem conquerentis, & irascentis.

X. Mandans, cum *sit prima, & principalis causa illati damni*, ut docet S. Thom. ad ejus reparationem omnino tenetur: nam *ille qui jubet* (verba sunt S. D.) *est principaliter movens; unde ipse principaliter tenetur ad restitutionem*; nisi forte res proximi, ex alterius mandato furto sublata, sit in mandatarii possessione: tunc enim ratione rei acceptæ hic primus domino restituere obstringitur. Jubens, & mandans non solum reparare tenetur damnum sua jussione inductum, sed etiam alia omnia detrimenta, quæ prævidere poterat obventura ex circumstantiis: ut si quis jubeat incendi domum vicini, & flammæ vento agitatæ etiam alias conterminas domos incendant, ad totum damnum reparandum obstringitur. Immo & damna, quæ ipse mandatarius subire cogitur in executione mandati, si tamen mandans sit ejus Superior: nam Superioris jussa respectu inferioris habent quamdam vim, ac moralem coactionem, qui propterea non sponte, sed quodammodo coacte obtemperat. At si subditus non sit, sed pretio conductus, vel precibus illectus, tum cum mandatarius totum periculum in se suscipiat contentus mercede, ad damna & detrimenta, quæ subire cogitur, reparanda non tenebitur mandans.

XI. A damni reparatione liberatur mandans 1. si præceptum maleficium patratum non sit: nullo enim illato damno, nullum habetur restitutionis onus. 2. Si expresse, vel tacite mandatum revocet, dummodo revocatio ante executionem fiat, & mandatario innotescat: tunc enim si damnum inferatur a mandatario, ejus est malitiæ, non mandantis jussioni tribuendum. Verum si mandati revocatio ad notitiam mandatarii non perveniat, licet id fiat ex negligentia, & culpa famuli missi ad revocationem vel verbo, vel litteris illi manifestandam, adhuc mandans erit restitutioni obnoxius, cum semper ejus mandatum in causa fuerit illati damni: quod locum pariter habet, si ipse mandatarius audita revocatione mandati, vel credat serio non esse factam, vel vi extortam, vel etiam ejus obliviscatur, quapropter jussionem exequatur, & damnum inferat, semper verum est damnum secutum vi injusti mandati. Tacite autem censetur revocatum mandatum, quando qui jussit damnum inferendum alicui sibi inimico & infenso, postea cum ipso reconcilietur, & amicitiam, ac familiaritatem, vel etiam affinitatem cum ipso contrahat; tunc enim mandatarius prudenter judicare potest revocatum mandatum, ut animadvertit Sylvius hic supra art. 7. qu. 62. scribens: *Revocatio potest fieri dupliciter, aut expresse, ut exprimendo suam contrariam voluntatem, verbo, scripto, vel nuntio aut tacite, ut signo, nutu, amicitia, familiaritate, vel affinitate interea temporis contracta cum eo, qui prius erat inimicus*. Lapsus vero longioris temporis a dato mandato ad executionem, tacitæ revocationis vim non obtinet, cum mandatarius præsumere possit sibi delictum

ctum & tempus & occasionem executionis.

XII. Secundo loco est quis restitutioni obnoxius ratione præstiti *consensus* ad damnum alteri injuste inferendum, & quidem non cujuscumque consensus, sed talis, qui revera in damnum ipsum influat: si enim nullo pacto influat, peccabit quidem, sed restitutioni non erit obnoxius: ut si Magnati dicenti familiari suo, se mandatum jam dedisse de interficiendo homine sibi infenso, iste humano respectu annuat, vel dicat hoc sibi quoque gratum esse; hæc enim complacentiæ in jam destinatum scelus non influit. Quamobrem illi consentientes præcipue hic designantur, qui ex officio, & munere suo tenentur non consentire, & alterius damnum impedire, ut consiliarii Regis, qui bello injusto, vel legibus iniquis consentiunt, qui suffragium ferunt in sententia injusta, in electione indigni, qui consentiunt liti injustæ a consanguineis, vel affinibus motæ. Et hæc omnia communiter a Theologis docentur, & est ex ipsa æquitate naturali satis manifestum. Quod igitur solum disputationi subest, illud est, nimirum si in suffragiis ferendis, in quibus ad definitionem non omnia exquiruntur suffragia, sed solum major pars attenditur, omnes qui suffragio suo iniquæ sententiæ, vel injustæ electioni consentiunt, peccent, & ad restitutionem teneantur. Et quidem omnes peccare certum est, cum omnes ad injustum facinus concurrant. Præterea & illos restitutioni obnoxios censent Theologi, 1. quando omnium suffragia ad judicium, vel electionem requiruntur. 2. Quando omnes secreto suffragium ferunt, cum tunc quilibet seorsum, & de se facienori consentiat. 3. Quando suffragia aperte feruntur, qui primi suffragium injustum ferunt, licet prævideant ceteros quoque suffragaturos indignæ electioni, vel injustæ sententiæ, quia revera primi influunt in actionem injustam, immo suo exemplo vel alios excitant, vel in sententia confirmant. 4. Si videntes post aliorum suffragia se sua contradictione, & voto opposito efficere posse, ut qui jam suffragarunt, sententiam mutent, peccant, & ad restitutionem tenentur, si non obsistant, & si voto aliis se adjungant, cum hoc pacto in malum cum aliis conspirent, immo ita efficaciter conspirant, ut sine hoc suo suffragio crimen non patraretur, & damnum non sequeretur. Difficultas solum in eo sita est, quando major pars suffragatorum necessaria, & sufficiens ad effectum jam pro injusta sententia, vel pro indigni electione votum dedit; ideoque nihil ad rem conferunt reliqua suffragatorum vota, sive consentiant, sive dissentiant, num qui ex humano respectu, vel pusillanimitate votum suum adjungunt, sint restitutioni obnoxii. Et quidem a restitutione eos liberant plures, & quidem magni nominis Theologi, hoc moti argumento: Quia, inquiunt, licet peccent, tamen suo suffragio in damnum proximi non influunt; quippe quod jam independenter omnino ab eorum consensu illatum fuerat per priora suffragia. Id confirmant & auctoritate S. Th. hic a. 7. aperte dicentis, onus restitutionis inducere consensum *in eo scilicet, sine quo rapina fieri non posset*. Porro iniqua sententia, vel electio jam sine horum consensu nedum fieri poterat, sed revera effecta est. Ergo nullo pacto in illam suo consensu influunt. At oppositum sentiunt

tiunt alii non inferioris subselii doctores Theologi, & quidem, ut mihi videtur, probabilius. Nam illi omnes ad damnum sarciendum tenentur, quorum nomine damnum illatum fuit: porro damnum infertur nomine omnium suffragantium: ergo ad illud sarciendum obstringuntur: nam sententia non aliquorum tantum nomine profertur, & executioni demandatur, sed omnium illorum, qui suffragio suo illam tulerunt. Nec obstat, postremos suffragatores damnum impedire non posse. Nam licet non valeant absolute impedire, valent tamen, quantum de se est, efficere, ut eorum nomine damnum minime inferatur. Præterea non excusantur, quia etiam sine illorum suffragio damnum datum fuisset: sat enim est, ut & ipsimet ad damnum concurrant, ut vera causa damni habeantur: quemadmodum contingit, si duo inimicum gladiis aggressi, illum vulnerent animo interficiendi, & tertius forte præteriens ipsis associetur in occisione; quis hunc homicidam non appellabit, & restitutioni obnoxium? licet sine ipso adhuc illum duo alii interfecissent. Pari pacto, si incensa domo, alii supervenientes novam igni materiam subministrent ad ejusdem domus incendium, quis judex justus eos ceu incendiarios non puniet? licet domus etiam sine ipsorum concursu fuisset comburenda. Pari itaque ratione & de suffragatoribus idem dicendum est. His accedit, eo promtius, & celerius iniquam sententiam, vel electionem executioni demandari, quo major est suffragantium numerus in eam conspirans. Verba vero S. Thom. ita sunt intelligenda, ut explicent efficacitatem consensus, qui certe, & maxime influit in damnum proximi, quando sine illo rapina fieri non poterat; non vero quod ita limitent consensum, ut nisi talis sit, non inferat onus restitutionis, ut superius diximus. Nam paulo post de consiliatore, & palpone, quos non semper ad restitutionem teneri docet, scripsit eos ad restituendum obstringi, quando *probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit subsecuta injusta acceptio*. Immo paulo superius hanc generalem regulam statuerat, *quicumque est causa injustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem*. Hoc enim pacto indicat D. A. ad restitutionem satis esse, si consilium, vel adulatio probabiliter in effectum influat. Porro quis inficiabitur, suffragatores omnes in injustam vel electionem, vel sententiam suis suffragiis non influxisse, & veram subsecuti effectus causam non fuisse? Quare optime scribit Continuator Tournely par. 3. de Restit. sect. 4. punct. 3. *nostræ oppositam opinionem, quæ Laymani temporibus communis erat, passim nunc rejici*. Recolantur, quæ paulo superius diximus n. 7.

XIII. Tertio loco S. D. inter eos, qui proximo damnum inferentes ad restitutionem obligantur, enumerat recipientes (receptio enim designatur verbo *Recursus*) *quando scilicet aliquis est receptor latronum, & eis patrocinium præbet*: vel, ut paulo ante dixerat, *directe quidem inducit alium ad injuste accipiendum .... quia scilicet illum acceptat, vel qualitercumque ei auxilium fert*. De his quoque S. Augustinus ep. 54. *Illud vero fidentissime dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honeste potest, ad rectitudinem non compellit, socium esse fraudis, & criminis. Nam misericordius opem nostram talibus subtrahimus, quam impendimus*.

dimus. *Non enim opem fert, qui ad peccandum adjuvat, ut non potius subverterit, atque opprimit*. Itaque juxta hos sanctos Doctores rei sunt illati damni, & ad restitutionem tenentur 1. causarum Patroni, qui fures, latrones, grassatores apud judices defendendos suscipiunt, impedientes, ne damnum passi redintegrentur, & rei a judice puniantur; qui praeterea reos consulunt, ne crimen fateantur, licet juridice interrogentur. 2. Qui fures, sicarios, latrones hospitio recipiunt, protegunt, defendunt, instrumenta furti, & latrocinii penes se servant, & custodiunt. 3. Qui praedas emunt, custodiunt, servant, cum ex his omnes, & singuli suppeditent hujusmodi malefactoribus securitatem, tutelam, opportunitatem ad damnum injuste inferendum, vel efficiunt, ne injuste ablatum restituatur. His accensendi sunt Magnates, & potentes viri, nec non belli duces, qui optime scientes famulos, & milites suo abuti patrocinio, & favore suo ad rapinas, furta, damna, violentias, oppressiones, illos non coercent, domo expellunt, protectione non privant, ad restitutionem non cogunt; quippe qui in causa vere sunt illati damni, quod perditi illi viri inferre non auderent, nisi ab his se defendi, atque protegi certo noscerent.

XIV. Rei tamen non sunt habendi, & ad restitutionem cogendi, qui hujusmodi malefactores recipiunt causa hospitalitatis, ut caupones, stabularii, ut eis vel hospitium praebeant, vel cibum; cum haec communia officia nihil in eorum facinora influant: Sicut nec ii, qui illos recipiunt, celant, occultant ratione amicitiae, vel misericordiae, ne a lictoribus capiantur, vel ad fugam arripiendam adjuvant; cum haec sint quaedam humanitatis officia, quae illis exhibent, non ut eorum sceleribus faveant, sed ut ad poenas vitandas adjuvent. Hinc licet ad sua facinora revertantur, non propterea, qui illis ad fugam auxilium suppeditarunt, ad restitutionem tenentur; cum sequentia, sicut & praecedentia furta ex eorum tantum prava voluntate proveniant, non ex istorum qualicumque misericordia.

XV. Participantes enumerat 4. loco S. Thom. inter eos, qui damnum illatum resarcire adstringuntur. Quae participatio esse potest vel in injusta acceptione, vel in re accepta, vel in utroque; quod exponit A. P. hic q. 7. his verbis: *Quando scilicet participat in crimine latrocinii, & in praeda*: &, ut paulo ante dixerat, ex parte rei acceptae, *quia scilicet particeps est furti, vel rapinae, quasi socius maleficii*. Quocumque autem modo quis participet, & reus est furti, & restitutioni obnoxius. Nam illum, qui rem furto acceptam detinet, licet bona fide acceperit, ad restitutionem teneri, nemo est, qui ambigat; multoque magis, si mala fide acceperit. Si vero rem non habeat, adhuc ad restitutionem ipsum teneri docet, & ostendit hic a. 7. l. D. A. scribens: *Dicendum, quod ad restitutionem tenetur aliquis, non solum ratione rei alienae, quam accepit, sed etiam ratione injuriosae acceptionis: & ideo quicumque est causa injustae acceptionis, tenetur ad restitutionem*. Porro participantes in re accepta illi sunt, qui partem praedae accipiunt, qui res furto ablatas levi pretio emunt, qui, ut eas vendant, mercedem accipiunt. Ex parte vero injustae acceptionis participes sunt 1. qui auxilium praebent ad damnum inferendum, cujusmodi sunt, qui adjuvant

juvant ad occisionem, vulnerationem, effractionem, ablationem rei alienæ. 2. Qui ad furtum, rapinam, vel damnum proximi instrumenta suppeditant, scalas deferunt, claves adulterinas conficiunt. 3. Qui furem gratia defensionis ad securitatem comitantur, excubias agunt, transeuntes terrent, & ne viam prosequantur, impediunt, qui portas aperiunt, seras effringunt, prædam asportant, vel custodiunt, & hujusmodi. 4. Notarii, & scribæ usurarios contractus auctoritate sua confirmantes, iniquam sententiam scribentes, vel testamenta ficta conficientes in gratiam hæredum contra sibi compertam testatoris voluntatem.

XVI. Nonnulli tamen Theologi hanc apponunt conditionem, si nimirum alterius injustitiæ participes sint, & cooperatores per actiones de se malas, & illicitas; secus, si per actiones indifferentes, quas præstare cogantur metu gravioris mali: & sic rusticos illos excusant, qui coacti a militibus, vel prædonibus post furtum, vel rapinas, eis suppeditarent curros, equos, immo & suam operam ad prædam asportandam. Et quidem eos excusant vel ratione operis præstiti, quod indifferens putant. At hoc aperte falsum est, cum inter participes furti illi ab omnibus enumerentur, qui prædas asportant, licet de illis non participent: & insuper latroni auxiliari in asportanda præda profecto opus indifferens dici non potest. Vel excusant metu gravioris mali ipsis intentati, si renuant. At nec ista justa est excusatio: nam non licet peccare metu mortis, & vita est abjicienda, & perdenda, cum agitur de peccato committendo. Quamobrem mirum non est, si hisce certis relictis doctrinis digladientur, & invicem discrepent in operibus assignandis, quas licite sine onere restitutionis exercere possunt rustici in favorem militum, & prædonum. Nam Sylvius alia distinguit opera, quæ rusticis præstare nullo modo licere putat, alia vero, quæ illis concedit. Quæ illicita appellat, nec metu gravis damni præstanda censet, sunt fores effringere, pecora, vel armenta e stabulis abigere, per fenestras conscendere, scalas & instrumenta suppeditare. Quod vero illis concedit, est prædas jam coadunatas vehere. At si rationes, quas profert, expendantur, vel omnia licere dicendum est, vel nec hoc postremum. Nam ideo licitum hoc putat 1. quia vehere prædam est aliquid indifferens, quod dominum non lædit, nisi ex iniqua intentione furis. 2. Quia dominus irrationabiliter invitus est, nec juste expetere potest, ut alter cum propriæ vitæ dispendio, & periculo rebus suis consulat. 3. Quia prædas vehere non est furtum facere, sed factum supponere. Quæ omnia argumenta vel nimis probant, vel nihil probant. Nam & fores effringere, & pecus e stabulo abigere, & scalas, ac alia instrumenta suppeditare est quid de se indifferens, quod domino non nocet, nisi ex iniqua furis intentione. Minime, reponit Sylvius: nam licet de se hæ actiones sint indifferentes, hic & nunc tamen malæ sunt, quatenus hic & nunc alterius injustæ acceptioni cooperantur. At hoc idem dici potest & de vectura prædæ injuste acceptæ, quæ, licet sit de se indifferens, tamen hic & nunc mala est, quia adjuvat furem in re aliena asportanda, quam sine tali auxilio domino relinquere cogeretur. Pari pacto, si dominus est irrationabiliter invitus, quia expetere non po-

potest, ut alter cum propriæ vitæ periculo, & dispendio res suas conservet; ergo nec est irrationabiliter invitus, quod scalas subministret, jumenta e stabulo abigat, fores aperiat, cum hæc officia sine suæ vitæ periculo, & dispendio omittere non possit: & si est rationabiliter invitus, quando rusticus scalas suppeditat, fores effringit, oves abigi, erit & rationabiliter invitus, quando bona sua alio transfert, & in locum ubi ea nunquam poterit recuperare. 4. Denique, si prædam vehere non est furtum facere, sed factum supponere, ita præbere scalas, pecora e stabulo emittere, fores effringere non est furtum facere, sed faciendum permittere, quod impediri non potest. Quamobrem puto non recedendum a regulis, quas posuimus, & latè explicavimus Tract. 4. de Virt. Theol. Diss. 3. de Caritate capp. 20. & 21. de cooperatione ad malum, & hic ad memoriam sunt revocandæ.

XVII. Obnoxios restitutioni ultimo loco declarat S. Thom. *non obsistentes* damno alterius, in qua classe collocat præcipue *Principes*, *qui tenentur custodire justitiam in terra, si per eorum defectus latrones increscant, ad restitutionem tenentur: quia reditus, quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut justitiam conservent in terra*. His accensendi sunt custodes nemorum, & vinearum, qui stipendio conducuntur ad eorum custodiam: eapropter obsistere tenentur volentibus vel ligna cedere, vel fructus auferre. Pari pacto Ministri Principum, & Magistratuum præpositi vectigalibus, & mercibus vetitis, si sciant vel vectigalia fraudari, vel merces introduci, quarum ingressus a suprema Potestate prohibetur, & ideo pecuniam accipiunt: multoque magis peccant, & ad restitutionem tenentur, si ipsi eas merces vel introducant, vel introducentes socient, & tueantur, ne forte ab aliis Ministris impediantur.

XVIII. Omnes isti qui in causa sunt alterius damni, ad restitutionem tenentur in solidum, non secundum partem vel inducti damni, vel percepti lucri; adeout altero non restituente, vel reparante damnum, ceteri omnes singulatim teneantur: & ratio est manifesta, nam omnes sunt vera causa injustæ actionis, & illati damni: omnes ergo damnum reparare tenentur. Hinc ab aliquibus Theologis carminibus causas cooperantes exprimentibus versiculus hic præmittitur:

Quilibet in solidum reddat prius injurioso.
Jussio, Consilium &c.

CAPUT DUODECIMUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Qui alium ad damnum inferendum rogant, restituere tenentur.*

II. *Qui mandat damnum inferendum, licet limites præscribat, ab integra damni reparatione non semper liberatur.*

III. *Restitutioni non subest, qui ratum habet damnum suo nomine illatum.*

IV. *Quando qui suffragium ferre recusant, sint restitutioni obnoxii.*

V. *Quinam inter furum receptores sint numerandi.*

VI. *Milites singuli ad totam damni reparationem tenentur.*

VII. *Non vero qui simul non conspirant.*

VIII. *Quando, & quomodo custodes vinearum &c. ad restitutionem obligentur.*

IX. *Quando vectigalium exactores, & vindices.*

X. *Satellites, & vectigalium custodes quid restituere debeant.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. QUI alium rogat, vel illi desiderium suum manifestat de damno inferendo proximo, causa est illati damni, si sequatur, & ad restitutionem tenetur; immo si solum exemplo suo pravo alios ad damnum inferendum moveat. Prima pars hujus consectarii est de se aperta, & evidens: qui enim rogat, vel desiderium ostendit alteri, illum efficaciter movet ad damnum inferendum, de quo non cogitabat. Nec audiendi sunt laxiores illi Theologi, qui docuerunt, nec mandantem, nec suadentem ad damnificandum onere restitutionis obstringi, ea absurda, & imbecilli ratione, quia consentiens, & exequens mandatum, vel precibus annuens hoc ex sua præstat voluntate benigna, & benevola erga rogantem, vel mandantem; cum hujus non benignæ, nec benevolæ, sed iniquæ, & injustæ voluntatis in causa sit qui rogat, vel mandat; nec hujus crimen, illius tollit, vel minuit iniquitatem. Perverse vero abutuntur auctoritate Dominici Soto, docentis adolescentem, qui puellam ad stuprum precibus attraxit, si ipse convertatur, non teneri ex justitia, sed ex caritate ad conversionem quoque seductæ puellæ procurandam. Cum longe dispar sit factum: hic enim agitur de conversione complicis sponte in crimen consentientis; ibi vero agitur de damno a duobus iniquis innocenti tertio illato. Præterquamquod Soto aperte docuit lib. 4. de just. & jure quæst. 7. art. 3. inter eos, qui ad restitutionem obligantur, primo *recensendos illos, qui auctores fuerunt illati damni*. Alteram vero partem probavimus in Tract. de Virt. Theolog. Diss. 3. de Caritate cap. 19. consect. 14. & hic solum addimus, multo magis veram esse doctrinam positam in eo, qui pravo animo vineam alterius ingressus uvas surriperet, ut alios quoque videntes ad idem damnum inferendum excitaret, juxta ea quæ superius diximus; cum actio de se iniqua sit, & pravus adsit animus eam ordinans ad damnum alterius etiam ab alio inferendum, & revera sequitur desideratum detrimentum: quare a culpa injustitiæ eximi non posse, & a restitutionis onere non liberari censemus.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Qui mandat aliquod damnum inferendum, licet mandatario certos terminos præscribat, quos iste prætergreditur, non semper ab onere sarciendi etiam majus damnum illatum liberatur mandans. Explicatur. Mandas, ut inimicum tuum fuste percutiat, & mandatarius gladio vulnerat; mandas, ut decem aureos furetur, & ille triginta abstulit: si res absolute spectetur, ad excessum illum non teneris, quod ex sola prava mandatarii voluntate prodiit. At si res in praxi spectetur, non ita sentiendum est. Nam animadvertendum 1., num quos præstituisti limites observare moraliter possit mandatarius; nam aliqui occurrere possunt casus, qui difficilem reddant custodiam præstituti limitis. 2. Num mandatarius propria pravitate impulsus non curet limites servare, quos cum tu, qui mandas, & prævidere possis, & tenearis, te obnoxium constituis restitutioni, cum majoris illius damni vere in causa sis, sin directe, indirecte tamen, & implicite in prava actione per te mandata. Et revera ita statuitur ipso iure canonico cap. 15. *Qui mandat* de homicid. cap. 6. ubi Innoc. IV. sic decernit: *Is qui*

qui mandat aliquem verberari, licet expresse jubeat, ne occidatur ullatenus, vel membrum aliquod mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat; cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare. Pari ratione, & causa, si præcepisti, ut Petrum occideret, mandatarius vero per errorem Paulum interficit, reus es homicidii, & teneris ad totum damnum ex Pauli morte obveniens, cum illius tua jussione in causa fueris.

Consectarium Tertium.

III. Qui damnum proximo suo nomine illatum ratum habet, & adprobat, quod tamen ipse inferendum nullo modo voluit, ad restitutionem non tenetur. Ratio est manifesta: nam ratihabitio, quæ factum subsequitur, non potest influere in effectum ipsam præcedentem; nulla enim causa esse potest suo effectu posterior: & licet mandatarius damnum intulerit, ut rem gratam domino, vel Patrono præstaret, & hunc finem unice respexerit; verum tamen semper est, dominum nullo pacto damnum antea vel voluisse, vel jussisse. Nec obstant leges, quæ statuunt, ratihabitionem retrotrahi, & mandato sine dubio comparari; sicut nec declaratio Bonifacii VIII. statuentis de sent. exc. in 6. *Cum quis absque tuo mandato manus injicit tuo nomine violentas in Clericum, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam in Canone incunctanter incurris*. Nam leges solum præsumptione nituntur, & præsupponunt eum, qui ratum habet contractum vel homicidium nomine suo vel initum, vel patratum, mandasse: quæ tamen præsumptio locum non habet in foro conscientiæ, quod non præsumptione innititur, sed veritate. Similiter Bonif. VIII. ideo excommunicatos declaravit, qui ratam habent violentam manuum injectionem in Clericum, quia hæc excommunicatio extenditur in Cap. *Cum quis*, & Cap. *mulier* de sent. excom. in 6. non solum contra violentas manus injicientes in Clericos, vel Monachos, sed etiam in illos, qui nomine suo factum ratum habent. Contingere tamen potest, ut quis sua ratihabitione ad restitutionem teneatur, si per eam damnum passus damnorum reparationem consequi impediatur; & ille qui damnum intulit, in injustitia detineatur: tunc enim, cum injusta sua actione alterius damni impediat reparationem, ad illud sarciendum obstringetur.

Consectarium Quartum.

IV. Rei sunt præstiti consensus, & damni illati, ideoque restitutionis onere gravati, qui suffragium ferre recusant in iis circumstantiis, in quibus certo norunt ex sui suffragii deficientia injustam ferendam sententiam, vel indigni electionem faciendam: tunc enim cum possint, & teneantur ratione juris ferendi suffragii ad impediendam suo voto vel injustam sententiam, vel iniquam electionem, huic consentire, immo & concurrere censentur. Licet enim qui suffragii ferendi jure gaudent, non semper teneantur consiliis interesse, vel in illis suffragium ferre; tamen quando norunt, se iniquitatem suo calculo impedire posse, nequeunt vel conventum declinare, vel a suffragio ferendo abstinere: ideo enim eo jure donati sunt, ut justitiam exerceant, & iniquitatem impediant. Præterea juxta S. Th. ille certo certius est in causa damni, *sine quo damnum non fieret*. Et sane, nisi

iste

iste abstineret a ferendo suffragio, damnum, injusta scilicet vel sententia, vel electio non fieret: ergo est certa damni causa, propterea restitutioni obnoxius.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Inter furum, & aliorum injuste damnum inferentium receptores illi sunt recensendi 1. qui filios-familias, pupillos, aliosque propria bona, vel illorum administrationem non habentes, in suas domus ad ludendum, & bona, quæ sua non sunt, dissipanda recipiunt; multoque magis si eis chartas aleatorias, talos, taxillos ad ludendum suppeditent. 2. Qui fraudulentos aleatores recipiunt, quos norunt in ludendo collusores decipere, & inique lucrari. 3. Qui proprium nomen usurpari permittunt in fictis, & fraudulentis contractibus, ut alios suos justo jure rem sibi vendicandi, vel lucrum legitimum recipiendi fraudent; idem enim est, ac si ipsi pretium injustæ venditionis, vel emptionis reciperent: quamobrem sunt restitutioni obnoxii. 4. Qui furibus, & damnificis fugientibus auxilium præbent, non solum ut pœnam, & satellitum manus effugiant, sed ut rem furto ablatam, vel retinere possint, vel in tuto ponere; tunc enim sunt vere furum receptores, & ipsi recursum in furto præbent. Quamobrem optime, ut Cap. præced. n. 13. notavimus, S. Augustinus ad Macedonium scribit: *Qui ad se confugientem, quantum honeste potest, ad rectitudinem non compellit, socius est fraudis, & criminis*. Quapropter qui misericordiæ titulo furem vel abscondit, vel ad fugam adjuvat, ne a lictoribus comprehendatur, & in carcerem traducatur, prius ab ipso rem ablatam, quantum honeste potest, repetere debet, & extorquere, ut eam domino reddat: & sic hominem quidem recipiet, furem vero non recipiet.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. In direptione, & depopulatione agri, oppidi, urbis causa injusti belli, primo ad integram restitutionem tenentur in solidum Duces, Principes, qui direptionem vel mandant, vel permittunt; sicut etiam ipsi milites diripientes, & præsertim illi, in quorum manibus sunt prædæ violenter ereptæ. Verum respectu militum benigniores Theologi eos a restitutione, saltem in solidum, liberare conantur, sed absque solido rationis fundamento. Nam inquiunt, licet doctrina de onere restituendi totum damnum illatum sit speculative vera, practice tamen milites excusantur per accidens 1. Quia non possunt totum restituere. At hæc ratio vim habere potest quantum ad ipsam restitutionem in re & facto, non in jure & debito. 2. Quia dominorum voluntas non est, nec expectatio, ut plus restituant, quam partem suam. At unde hanc dominorum compertam voluntatem habent? immo non est potius præsumendum, dominos velle restitutionem quam justitia postulat, & sua, quantum fieri potest, recuperare? Similiter non expectant: at non quia, quod sibi ereptum est, liberaliter donent; sed quia rapientium iniquitatem agnoscentes, desperant de suorum damnorum reparatione. Præterea, ubinam gentium auditum est, nullam spem, vel omnimodam recuperandi desperationem in injuste spoliato rebus suis, ab onere restitutionis iniquos spoliatores liberare; maxime cum hæc disperatio totam basim habeat in ipsa spoliatoris iniquitate? 3. Dum milites castrum diri-

ripiunt, cum singuli ad totam directionem non sufficiant, sed omnium necessarius sit concursus, singuli sunt causa partialis damni partialitate causæ & quamquam singuli influant in totum damnum, tamen non influunt totaliter, idest damnum non habet totum suum esse a singulis, tanquam a causis seorsum sufficientibus ad ipsum totum ponendum: ergo non ad totum damnum reparandum tenentur. At hæc sunt mera sophismata, & verborum portenta, quæ mentem confundunt, veritatem obnubilant, iniquitatem defendunt. Nonne omnes, & singuli ad totum damnum concurrunt, & illud inferunt? Omnes ergo, & singuli ad totius damni reparationem obstringuntur. Hæc aperta, clara, manifesta sunt lumine ipso naturali. 4. Si singuli milites non moveant alios, & sublato singulorum concursu adhuc fieret totum damnum, singuli non tenentur ad totum, sed tantum ad partem; quia singuli non posuerunt, ne quidem moraliter, rem causativam totius damni, nec illud poterant, aut saltem non tenebantur impedire. At & hoc quoque sophisma est. Nam nonne facto, & opere omnes, & singuli consentiunt in totum damnum inferendum? Cur ergo ad totum damnum reparandum non obstringentur? Quia, inquiunt, singuli totum damnum non efficiunt. Fateor, si hoc intelligatur physice, idest singuli manu, & armis non totum inferunt damnum. At inficior, & pernego, si intelligatur moraliter: nam hoc pacto singuli ad totum damnum efficiendum concurrunt; cum singuli singulos adjuvent ad ipsum damnum totum, & totaliter efficiendum. Rejicienda est igitur ut improbabilis hæc doctrina, quæ ab integra damnorum reparatione hos milites liberat. Quod & intelligendum est de pluribus grassatoribus unum viatorem simul spoliantibus, cum par sit ratio.

Consectarium Septimum.

VII. Quando plures vineam, vel hortum ingressi, racemos, vel alia furantur, si non simul conspirent in furtum, sed alius alio ignorante fructuum partem surripiat, non singuli in solidum tenentur ad restitutionem, sed solum pro rata rei sublatæ. Ita docet S. Raymundus in Summa. *Si non iverunt simul, sed quilibet pro se separatim faciebat damnum quilibet tenetur pro eo quod fecit.* Et ratio confirmat: nam damnum illatum est non communi consensus conspiratione, vel participatione, sed seorsum a singulis; proinde non una communi morali actione, ad quam singuli concurrant: non sunt ergo singuli ad totum reparandum damnum obstricti, sed singuli pro portione illati detrimenti. Recolantur, quæ dicta sunt de septimo Decalogi Præcepto cap. 1. n. 14.

Consectarium Octavum.

VIII. Qui vineas, oliveta, agros custodiendos suscipiunt mercede conducti, ad restitutionem illati damni tenentur, cui non obstiterunt, cum ex justitia illud impedire teneantur; dummodo non majus ipsi subeant periculum in membris, vel vita: tunc enim satis est, si dominum de illato damno admoneant, ut satisfactionem sibi procuret: nemo enim tenetur, etiam pretio conductus cum suo majori damno alterius minus damnum impedire, sed solum pro publico bono teneri quis potest se periculo vel vitæ, vel mutilationis exponere,

ut

ut contingit in militibus. Pari pacto & de illis dicendum est, qui conducuntur ad impediendam venationem, piscationem, lignationem, & similia; cum pari obligatione ex justitia premantur. Quare si non obsistant, & impediant detrimentum dominorum, ad reparationem illati damni tenentur. Non vero tenentur ad mulctas pecuniarias, quas subirent rei, & in domini utilitatem redundassent; licet non desint Theologi, qui & hoc onus illis imponant: nam revera conducuntur ad res sibi commissas defendendas, custodiendas, & indemnes servandas, non vero ad dominos locupletandos lucro mulctarum, & pœnarum: ac si, ut mox innui, ipsi damno inferendo obsistere non possint, illudque impedire; tunc saltem tenentur domino reos illati detrimenti denunciare, ut ipse suæ consulat indemnitati. Possunt etiam aliquando se abscondere, & sinere, ut aliquod leve inferant damnifici damnum, ut in facinore deprehensi fortius a damno inferendo coerceantur, & corrigantur, maxime si assueti sint delinquere. A peccato tamen, non contra justitiam, sed contra caritatem illum non excusarem, qui sineret damnificatores agros, lucos, vineas ingredi, & grave damnum inferre, ut deprehensi graviores luant mulctas, & pœnas, de quorum lucro ipsi participarent vel ex conventione cum domino, vel etiam solum ex hujus liberalitate. Dixi, eos non peccare contra justitiam, nec respectu domini, qui de illato sibi damno & compensationem obtinet a damnificatore, & pœnam lucratur; nec respectu damnum inferentis, nam eum ad damnum inferendum non impellunt, vel hortantur, sed solum suæ malitiæ relinquunt, & furari permittunt. Caritatem tamen eos lædere puto, quia, cum possint muneri suo satisfacere, & damnum domini impedire sine Rei detrimento, id caritati conformius videtur. Sylvius tamen eos ab omni culpa liberat, præsertim si vel sint delinquendo assueti, vel id opportunum judicaverint ad damna coercenda, ut sint aliis exemplo.

Consectarium Nonum.

IX. Diximus cap. sup. n. 16. Lictores, & Satellites, & Custodes ex officio conductos ad impediendos vectigalium fraudatores, vel mercium vetitarum ingressum, & contra justitiam peccare, & esse restitutioni obnoxios: nunc, quid restituere debeant, inquirendum. Plerique Theologi putant, non nisi ad vectigalium fraudatorem restitutionem teneri, quo lucro vel vectigalium conductores, vel ipsi Principes injuste privantur; non vero ad mulctas pecuniarias, quas subire deberent præfati fraudatores ob rationem superius allatam. Alii vero distinguunt inter merces, quarum ingressus conceditur, sed vectigalium onere gravatur, & inter merces, quas supremus dominus, vel magistratus ab omni commercio semotas jubet, nec pro iis vectigalia exigit, sed fraudulenter invectas fisco attribuit. De prioribus quidem aliqui Theologi consentiunt, at de posterioribus dicunt, eos teneri ad pretium ipsarum mercium rependendum; & jure merito, cum hoc lucro supremum magistratum privent. Nec obstat solere plerumque magistratum has merces in propatulo comburere; vel si opportunæ sint, in eleemosynam vel Ecclesiis, vel Monasteriis mittere. Quandoquidem jus habet de re sua, prout sibi lubet, disponendi etiam sine suo lucro; quod jus semper violant, quando ingressum vo-

vetitis mercibus permittunt: ficut non licet domino rem furripere, quamvis fciam, dominum rem inutiliter confumpturam. Addendum & ad reftitutionem illos teneri pretii injufte accepti pro vectigalium fraude, vel harum mercium clandeftino ingreffu; cum non folum ipfum iniquum opus, pro quo pretium datur, fit a lege tum divina, tum humana vetitum; fed legibus Principis, & *ipfa datio* vetita eft: proinde, ut docet S. Thom. *ubi hujufmodi leges vigent, pretium nec recipi, nec retineri poteft, fed eft reftituendum, non danti, qui turpiter dedit, & meretur amittere, fed pauperibus, vel ad pium aliquod opus impendendum*.

Consectarium Decimum.

X. Impedientes miniftros, qui obfiftere debent ex officio damno alieno, ne obfiftant, reftitutioni illati damni obnoxii funt: nam hac vi, & violentia vera funt alterius damni caufa; immo, etiam fi nullam violentiam adhibeant, fed pecunia illos corrumpant, adhuc Principem, & fifcum & dominos fuo jufto lucro privant. Præterea reftitutioni obnoxii funt, qui etiam ex officio, & juftitia non obftrictos ad alterius damnum impediendum, fi tamen velint obfiftere ex caritate, dolo, vel fraude, aut violentia impediunt, cum quilibet jus habeat, ne illicitis mediis ipfius defenfionem, vel liberationem ab aliquo detrimento impediant, non vero fi precibus, confilio, hortationibus avocent; licet caritatem violent.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De ceteris modis cooperandi ad damnum proximi, nimirum confulendo, adulando, tacendo, & non manifeftando.

Doctrina.

I. *Male confulentes quinam, & quid reftituere debeant.*
II. *Num revocato confilio a reftitutione liberentur.*
III. *Palpo quando reftitutioni fubjaceat.*
IV. *Mutus quinam, & quando reftitutioni obnoxius.*
V. *Non manifeftans quomodo a muto diftinguatur.*
VI. *Quando famuli non manifeftantes fint reftitutioni obnoxii.*

I. De hifce alterius damni cooperandi modis pauca habet D. Th. qui hanc dumtaxat regulam tradit, fcilicet ad reftitutionem obftringi, *quando probabiliter æftimari poteft, quod ex hujufmodi caufis fuerit injufta acceptio fubfecuta*. Confulentes autem ii dicuntur, qui confulunt, perfuadent, hortantur, blanditiis alliciunt ad damnum proximo inferendum. Hi peccatum incurrunt, & ad reftitutionem obftringuntur 1. quando dolo, fraude, & malo animo aliquem confulunt ad vindictam fumendam, aut ad detrimentum inferendum: 2. Quando ex ignorantia, & imperitia pravum præbent confilium: & quidem fi confilium dent accepto pretio, tenentur etiam de levi culpa; nam tunc eft contractus qui in utriufque utilitatem cedit: fi vero fine mercede, fed ex officio, uti funt jurifperiti, medici, Confeffarii, non tenentur

tur nisi ex culpa lata, ideſt ſi culpabili ignorantia errent; tenentur enim ſcire, quæ ad proprium pertinent officium, cum ad illos, conſilio indigentes tanquam ad peritos confugiunt. Hinc & in jure cap. *ſi culpa* de injuriis, & damno dato ſtatuitur: *Si culpa tua datum eſt damnum . . . aut imperitia, & negligentia tua evenit, jure ſuper his te ſatisfacere oportet; nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veroſimiliter poſſe contingere, aut jacturam*. 3. Si vero qui conſilium præbet, ex amicitia id faciat, & ſimpliciter ſine dolo, & fraude, licet ex aliqua imprudentia damnum ſequatur, non ipſi erit imputandum, ſed conſilium acceptanti, & exequenti, & pro his tantum, ut etiam alibi diximus, valet regula juris: *Conſilii non fraudulenti nulla obligatio eſt*: ſicut, & alia, *nullus ex conſilio, dummodo fraudulentus non fuerit, obligatur*. Quod ſi hujuſmodi conſiliatores impediant conſilium ab ipſis petentem, ne alios peritiores, & cordatiores adeat, ut illorum ſequatur conſilium, erunt reſtitutioni obnoxii, ſi damnum vel ipſi conſulenti, vel tertio ſequatur; cum iniquum ſit alium impedire, ne conſulat peritos & cordatos viros in re, ex qua ipſi vel alteri detrimentum obvenire poteſt: eapropter in cauſa eſt ſubſequentis damni, quod non obrigiſſet, niſi illum ab adeündo meliori conſiliario impediviſſet, a quo ſalubrius, & melius obtinuiſſet conſilium, per quod damnum vitaſſet. Habenda tamen eſt ratio tum perſonæ dantis, tum perſonæ accipientis conſilium, tum materiæ, ſupra quam conſilium cadit, nec non circumſtantiarum.

II. Datum conſilium duplici inniti poteſt fundamento, nimirum facto aliquo, vel rationibus & argumentis. Primo, cum quis putans injuriam amico factam fuiſſe, ipſi conſilium præbet de vindicta ſumenda, & detrimento inferendo. 2. Cum quis pravum opus ſuadet, puta homicidium, furtum, vel quid ſimile, tanquam conveniens, utile, neceſſarium vel ad injuriam reparandam, vel ad ſuæ indigentiæ conſulendum. Quæ diſtinctio notanda eſt ad dignoſcendum, quando ex revocatione dati pravi conſilii onus ceſſet reſtitutionis. Si enim conſilium facto innitatur, quod verum putabat, quando conſilium dedit, & poſtea falſum deprehendit, ſi conſiliarius veritatem alteri detegat; & dehortetur a pravi conſilii in ea ſuppoſitione dati executione, integre ab onere reſtitutionis liberatur; licet alter datum pravum conſilium exequi velit: cum per hanc revocationem omnem tollat dato conſilio vim, & efficacitatem. At, quando argumentis ex utilitate, facilitate, neceſſitate, & ſecuritate deſumptis pravum ſuum, & pernicioſum conſilium confirmavit, plures Theologi cenſent, etiam revocato conſilio, adhuc ad reſtitutionem teneri, cum per eam revocationem non deſtruatur omnino, & tollatur cauſa efficax damni; adhuc enim in mente vigent, & perſeverant argumenta propoſita c. ex. ad vindictam ſumendam tanquam decoram, ad abortum procurandum tanquam neceſſarium ad infamiem vitandam, ad injuſtum contractum celebrandum tanquam unicum, & efficax, medium ad res ſuas reſtaurandas. Hinc inferunt, arctius reſtitutionis onere urgeri conſulentem, quam mandantem: hic enim revocato mandato liber eſt & a peccato, & a reſtitutione; at conſulens, etiam revocato conſilio, licet peccatum vitet, ab onere

onere tamen farciendi damnum suo consilio illatum non liberatur. Et re-revera ita sentiunt, & docent plures Theologi etiam ex benignioribus, ut Lessius. Oppositum tamen pluribus aliis placet, qui putant ab onere restitutionis liberari consiliarium, si sincero animo pravum datum consilium revocet, & rationibus ex divinæ legis præceptis, ex gravissimo animæ periculo, ex Dei offensa supra omne malum vitanda conetur perversum consilium destruere, & ex mente alterius delere: nam tunc licet materialiter, ut ita dicam, ac physice supersint in aliena mente pravi consilii argumenta; hæc tamen moraliter deleta, abolita, & abrasa novis rationibus, & meliori consilio reputari possunt: proinde liberum haberi censent ab onere restitutionis consiliarium; cui opinioni & ipse assentior.

III. Palpo, seu adulator juxta S. Th. hic q. 62. a. 7. ille est, qui alterum *laudat*, & extollit *quasi strenuum de hoc, quod aliena accepit*. De his loquitur Regius Psaltes, dum canit psal. 9. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur*. Hoc crimine coinquinantur juventutis, & adolescentiæ seductores, dum eos laudant, quod bona paterna surripiunt, quod lusibus vacant, comessationes, & ebrietatem sectantur, & similia; sicut & illi, qui magnatibus, & potentibus hujus sæculi adulantur, laudantes eorum excellentiam, generositatem, nobilitatem, potentiam, & vires, quibus abutuntur pauperes opprimendo, pares supplantando, de injuriis ulciscendo, & similia: atque ita, ut scribit S. Gregorius, *dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerant*. His accensendi sunt, qui irrisione, scommatibus, vituperatione, exprobrando ignaviam, vecordiam, pusillaminitatem efficaciter movent ad vindictam, vel ad damnum proximo inferendum excitant, & urgent. Et licet D. A. scribat, non semper adulationem esse causam efficacem rapinæ, subdit tamen. *Palpones, & adulatores ad restitutionem teneri, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causa fuerit injusta acceptio subsecuta*. In qua S. Tho. doctrina duo sunt notanda. 1. Non postulari evidentiam, & omnimodam certitudinem de damno per adulationem illato; sed sufficere probabilitatem, idest prudens, & fundatum judicium de detrimento per adulationem inducto, 2. Necesse non esse, ut adulatio sit sola, & unica damni illati causa; sed sat esse, si in damnum influxerit efficaciter. Nec a culpa excusantur, vel a restitutionis onere liberantur, quia non pravo animo, nec perversa mente se adulatos esse dicant; sed satis est, si ipsa sua adulatione in causa damni fuerint. Attendendæ tamen sunt circumstantiæ omnes, quæ adulationem comitantur: hæ enim sicut plurimum vel augere, vel minuere possunt culpam, ita & restitutionis debitum: cui tamen obnoxii dicendi non sunt palpones, qui de patrato iniquo opere etiam contra justitiam aliquem commendant: nisi forte sua adulatione ipsum in injustitia detineant, & a resarciendo illato damno efficaciter retrahant.

IV. Mutus in ordine ad restitutionem ille dicitur, qui cum possit, & debeat loqui contradicendo, dissuadendo, prohibendo, clamando, non monet, non præcipit, non clamat, non dehortatur ad impediendum damnum, quod alteri imminet. Dixi, *cum possit*, nimirum nisi vel vi impediatur, vel timore majoris mali, & detrimenti sibi provenien-

tis: nemo enim tenetur suo majori damno minus alterius damnum avertere. Addidi, *& debeat*, nimirum ex justitia, non ex sola caritate; alioquin peccabit quidem, at minime erit restitutioni obnoxius. Quicumque igitur ex officio, vel ex contractu tenentur aliorum damnum avertere, id omittentes inter mutos restitutioni obnoxios connumerantur: cujusmodi sunt parentes, domini, tutores, curatores, advocati, medici, chirurgi, & quidem respectu illorum, quorum curam habent, ne videlicet damnum incurrant, vel inferant, scilicet filiorum, servorum, minorum, curatorum, clientum, infirmorum &c.

V. Non manifestantes denique in hoc solum a mutis distingui possunt, nimirum quia illi tenentur loqui, & monere damnum præveniendo, ut impediatur; isti vero post illatum damnum, quod impedire vel non potuerunt, vel non tenebantur, ut reparetur. Quamobrem quod de prioribus diximus, & istis aptandum est.

VI. De servis, & famulis, num manifestare teneantur, & impedire damna, quæ dominis obveniunt, fures manifestando, vel illata detrimenta, hæc statuunt communiter Theologi. 1. Famulos, & ancillas, quibus cura, seu specialis custodia domus, vel cellarii commissa est, teneri ad restitutionem, si non impediant furta, & damna illata dominis, sive hæc ab extraneis fiant, sive a domesticis in rebus sibi commendatis, suæque curæ specialiter commissis. Quæ doctrina conformis est menti S. Thom. hic q. 62. art. 7. ad 3. docentis: *Non semper ille, qui non manifestat latronem, tenetur ad restitutionem, aut qui non obstat, vel qui non reprehendit, sed solum quando incumbit alicui ex officio*. 2. Docent præfatos famulos ex justitia teneri, & sub onere restitutionis manifestare extraneos invasores bonorum domini; quippe qui ratione famulatus ad eorum bona custodienda tenentur. 3. Quoad conservos vero, & domesticos, qui damnum inferunt domino in rebus domesticis, pro certo habent ex caritate teneri ad eum admonendum de damno imminenti, antequam inferatur, ut impedire possit, sive post illatum, ut sibi prospicere valeat. At eos ex justitia teneri, & cum onere restitutionis, nonnulli aperte inficiantur: quia, inquiunt, non conducuntur, ut res domini ab aliis conservis, & domesticis custodiant, cum ipse dominus sibi prospicere debeat, & attendere, quos servos in domum suam vel inducat, vel domesticos habeat. Præterea adjunt, nimis arduum esse, & difficile, quemlibet servorum suis propriis curis distentum teneri etiam aliis conservis invigilare, & illorum furta præcavere. Verum alii oppositum sentiunt, quibus & ipse adhæreo, qui censent ex justitia non posse servos vel mutire, dum norunt conservos, aut domesticos bona dominorum diripere, vel non manifestare illata detrimenta dominis, ut sibi prospiciant. Nam profecto arctius ad hoc obstringuntur hujusmodi famuli, quam quilibet alius domino extraneus: at quilibet etiam extraneus ex caritate tenetur proximi damna impedire: ergo famuli ex justitiæ vinculo. 2. Ex tacita conventione cum dominis, qui illos famulos certe in suam nollent domum inducere, nec in famulatum recipere, qui expresse protestarentur se nolle generali huic custodiæ subjicere. Nec obstant, quæ opponuntur, argumenta. Nam inter officia famulatus, ad quem conducuntur

tur servi, & illud est ut res dominorum custodiant, nec illis damnum inferri suo silentio permittant; & domini rebus suis se prospexisse arbitrantur, dum famulos fideles sibi adsciscunt, quos arbitrantur rerum suarum eam curam, & custodiam adhibituros, quas ab ipsis postulant, & justitia, & fidelitas. Nec nimium gravantur, dum hoc illi onus imponitur. Non enim coguntur vigilare, & perscrutari, num res domini ab aliis conservis, vel domesticis diripiantur, sed solum, si noverint, domino revelare, ut vel damnum impediat, vel suæ consulat indemnitati. Quamobrem hoc est discrimen inter servos, quibus aliqua peculiaris cura, puta cellarii, horrei, rei vestiariæ commissa est, & ceteros servos ad communia officia destinatos: illi videlicet tenentur vigilare, custodire, omnem adhibere curam, ne res ipsis commissæ dissipentur, pereant, pessundentur; unde tenentur etiam ex culpa levi: ceteris vero solum incumbit, si & quando noverint res domini a domesticis pessumdari; illum de damno vel imminenti, vel allato commonefacere; eapropter non nisi ex culpa lata tenentur.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Num ad restitutionem teneatur, qui minus damnum consulit parato ad majus inferendum?*

II. *Quando Confessarii non monentes teneantur ad restitutionem.*

III. *Refellitur laxa doctrina P. Pauli Segneri.*

IV. *Num qui veritatem in judicio tacet, vel declinat testimonium ferre, ad restitutionem teneatur.*

V. *Qui ex justitia clamare non tenetur peccat contra caritatem, non tamen fit restitutioni obnoxius.*

VI. *Impediens clamare volentem ex caritate ad impediendum alterius damnum aliquando onus subit restitutionis.*

VII. *Ordo servandus in restitutione ab iis, qui ad damnum inferendum aliquo modo concurrunt.*

VIII. *Quando plures in solidum ad restitutionem tenentur, ut ab ea liberentur, certi esse debent de restitutione ab aliis facta.*

Consectarium Primum.

I. QUI parato ad gravius damnum proximo inferendum, consilium dat de minori inferendo damno, peccat quidem, sed non ad restitutionem tenetur: ut, cum quis disposito ad furtum centum aureorum consulit, ut non nisi quinquaginta furetur, paratum ad occidendum inimicum suadet, ut solum verberet, vel mutilet. Et quidem hunc peccare ostendimus contra nonnullos Theologos, & præsertim Sotum in Tract. de Virt. Theol. cap. 19. Confect. 4. 5. & 6. ea meo videri validissima ratione, quia licet minus sit illud malum, quod suades, respectu majoris mali, semper tamen de se malum est, & divinæ legi contrarium; nec ulla tibi imponitur necessitas suadendi minus malum, ut majus evites: satis enim esse debet a majori malo absterrere, & a minori precibus, suasionibus, monitis dehortari, quin minus malum suadeas. Non teneri vero ad restitutionem manifestum est: quia non est suo consilio vera causa damni, nec in illud influit, nisi minuendo, & impediendo majus proximi detrimentum; dummodo tamen semper idem sit subjectum, sive persona, cui damnum est

est inferendum. Nam, si subjectum mutetur, injustitiæ crimen committitur, & restitutionis onus urget. Hinc si parato ud auferendam pecuniam a Paulo, suadeas, ut Petro furetur; vel determinato quidem ad furtum, at indeterminato, cui furetur, consilium des, vel furetur huic determinatæ personæ, puta Titio, teneris ad restitutionem; quia es vera causa damni illati determinatæ personæ. Quod verum puto, etiam si ancipiti, num damnum furto inferat Sempronio pauperi, an Francisco diviti, suadeas, ut huic potius, quam illi, pecuniam auferat; quia licet tuo consilio minuas peccati malitiam in fure, es tamen vera causa damni furto viro diviti illati. Quod si determinato ad furtum suadeas in genere, ut potius diviti noceat, quam pauperi, a restitutione excusant plures Theologi, cum consilii, & suasionis objectum sit solum, quod in se minus malum est, non vero damnum huic potius, quam illi, huic diviti potius, quam illi pauperi inferendum: proinde tui consilii efficientia nulli determinato noces. At restitutioni subjacebit, qui furi disposito post mensem ad gravius damnum inferendum proximo, consulit, ut hodie minus damnum inferat: hic enim vera est causa præsentis illati damni.

Consectarium Secundum.

II. Confessarius tenetur Pœnitentem restitutioni obnoxium monere, ut restituat: quod si facere omittat, ipse sit restitutioni obnoxius, sive hæc omissio sit ex malitia, sive ex ignorantia crassa, vel culpa lata, vel etiam ex ignorantia, & negligentia. Ad unum feruntur omnes etiam benigniores Theologi hunc Confessarium lethaliter peccare, quia ex officio tenetur Pœnitentem instruere; adeoque peccat omittendo necessariam instructionem. Pari pacto obnoxium censent restitutioni, quando vel ex malitia, vel ex ignorantia crassa, vel culpa lata Pœnitentem monere omittit. At nonnulli, ut Lessius, Bonacina, Layman, aliique putant, non esse huic oneri subjiciendum, si solum ex ignorantia, & negligentia monitionem omittat: quia, inquiunt, non tenetur vi officii sui alicujus tertii utilitatem procurare, aut ejus damnum cavere; cum Sacramentum Pœnitentiæ sit institutum ad salutem spiritualem pœnitentis, non ad utilitatem aliorum (qui rem habent cum Pœnitente) procurandam. Verum hæc doctrina mihi laxa videtur, & certe improbabilis. Nam juxta S. Thom. doctrinam hic a. 7. ad 3. *Non semper ille, qui non manifestat latronem, tenetur ad restitutionem, aut qui non obstat, aut qui non reprehendit; sed solum quando incumbit alicui ex officio; sicut Principibus terræ, quibus ex hoc non multum imminet periculum*. Porro quis inficiabitur, Confessarium præcipue ex officio Sacramentum ministrantem, ut Parochus, teneri ex debito sui ministerii monere damnificum, eumque ad restitutionem urgere? Quando ergo hoc suum rigorosum munus omittit, est vera causa damni illius, cui est restitutio facienda. Nec per negligentiam, vel ignorantiam excusatur, cum utraque sit in talibus vere culpabilis, nec levis, sed lata. Nam juxta S. Th. *Quilibet nosse tenetur, quæ ad proprium statum, & officium pertinent*. Quod confirmatur ex Jure Canonico: *Si culpa tua datum est damnum . . . satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere*. Atqui

qui Confessarius scire debebat, prætermissa admonitione damnifici, creditorem rem sibi ex justitia debitam minime recuperaturum. Est igitur vera causa illati damni. Quamobrem optime docet S. Bernardinus Senensis Ser. 25. in IV. Domin. Quadrag. *Si quis ex officio suo tenetur a damno alterum defensare, vel præservare, non tantum si ex malitia, verum etiam si ex negligentia, vel incuria, vel imperitia officio suo notabiliter indebita, contingit, illum damnificari; cui sic debetur, totum illud damnum restituere obligatur . . . . ut Medici corporum, & animarum, & maxime Confessores ignari, & negligentes*. Nec urget positum argumentum. Nam fatemur, Confessarium non teneri ad damnum tertii avertendum per se & directe, sed indirecte & per accidens, quando nimirum ad suum Tribunal defertur: tunc enim cum monere debeat damnificum de restitutione facienda, tenetur etiam alterius bonum procurare: quod si non præstet, injuriam infert: quilibet enim jus habet, ne imperitia, & negligentia ministri vel bonum impediatur sibi ex justitia debitum, vel damnum inferatur. Nam ut scribit I. S. Bernardinus Senensis l. cit. *Horum imperitia, & negligentia habent quandam efficacem causalitatem damnificationis illorum, juxta modum, quo privatio est causa privationis*. Si vero Confessarius bona fide, & absque culpa vel a restitutione liberum declaret suum Pœnitentem, licet eidem obnoxium, vel ad restitutionem adstringat, cui minime est subjiciendus, ad restitutionem non tenebitur: detecto tamen errore, & veritate comperta, debet ex justitia Pœnitentem monere: quod si præstet, etiam quando ex negligentia, & ignorantia de restitutione facienda Pœnitentem commonefacere omisit, ab onere restitutionis liber erit.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Falsa, & laxa est doctrina, circa onus Ministri Pœnitentiæ monendi Pœnitentem de restitutione facienda, quam tradit P. Paulus Segnerius in suo libello vere plumbeo, & stramineo, cui titulum facit *Confessarius Instructus* cap. 10. Hoc opusculum ante aliquot annos studiosus quidam Theologus nonnullis appositis notis emendandum curavit, adhuc tamen plura supersunt spongia, & emendatione digna. Sic itaque scribit „ (*) Quando Pœnitens „ bona fide putat, vel se nihil alteri „ debere, vel solum partem percepti „ lucri, licet revera in solidum teneatur, vel quia arbitratur se posse per „ plu-

(*) Quando il Penitente ritrovasi in buona fede, o perchè si creda di non dover niente, o perchè stimi di dover solo la sua rata parte, benchè egli per verità sia tenuto al tutto, come dicono *in solidum*, o perchè egli giudichi, che gli basti soddisfare in più paghe quello, che può in una sola, se la speranza di frutto non è probabile, lasciatelo in quell' ignoranza a lui salutare, purchè sia questa veramente invincibile, a cagione che egli non ha principio veruno di dubitare della sua obbligazione. Piacesse a Dio, che talvolta non si avesse da penar più a fare, che uno di questi ribui dall' ingorde fauci quella roba mal posseduta, che a non fare che un perseguitato Elefante si scuota alla fine dalla bocca il suo avorio, e lo getti via. Non gli date dunque imprudentemente la caccia, se prima non vi accorgete d' essere alquanto sicuro di farne preda. Perchè se l' ignoranza, in cui vivesi, non sarà quella, che scusi dinanzi a Dio molte trasgressioni di questa sorte, converrà certo, che una gran parte del nostro mondo Cristiano si danni. Ma come disse S. Agostino *in quibusdam* &c. E questo ci giova credere, che quì avvenga.

„ plures vices reddere, quod integre „ statim restituere tenetur, & potest, „ nisi spes probabilis adsit profuturam „ monitionem, est in sua salutari igno- „ rantia relinquendus; dummodo igno- „ rantia sit vere invincibilis: quia ni- „ mirum nullum ipsius menti occurrit „ dubium de restitutione facienda. Uti- „ nam aliquando non major esset exant- „ landus labor pro extrahenda ab imis „ avidis faucibus istorum re aliena in- „ juste ablata, vel possessa, quam ad „ cogendum elephantem, ut ex ore suo „ eburneos dentes excutiat, & a se „ abjiciat. Ne illos igitur imprudenter „ urgeas, nisi prius certo putes profu- „ turam monitionem, & casses tuas li- „ benter ingressurum. Nisi enim ob „ eam, in qua vivitur, ignorantiam „ plures ab hujusmodi omissæ restitu- „ tionis culpis excusentur, dicendum „ erit, maximam Christianorum par- „ tem in æternum perituram. At, ut „ scribit S. Augustinus, *in quibusdam* „ *homo fallitur magno malo*, *in aliis* „ *parvo*, *in aliis nullo*, *in aliis etiam* „ *utiliter*. Et hoc est, quod in re no- „ stra evenire credere lubet". Vix oculis meis credidi, cum hæc porten- ta legi, adeo mihi videntur falsa, ab- surda, & homine, nedum Theologo, sed & Christiano indigna. Nam 1. quis crederet, tam esse inter Christianos ignorantiam, & quidem invincibilem de onere restituendi injuste ablata, vel injuste possessa, ut, nisi ipsa excusa- ret, maxima pars Orbis Christiani in æternum periret? Quid igitur faciunt Pastores, Catechistæ, Concionatores, Magistri, Parochi? Sunt ne omnes ca- nes muti, vel idola sine voce, non do- centes gregem, non instruentes popu- lum? 2. Est ne dicendum, præceptum de restitutione facienda adeo esse ar- duum, difficile, sublime, in cælo po- situm, vel in inferioribus partibus ter- ræ abditum, ut illum novisse difficilli- mum sit, ignorare vero, & quidem invincibiliter, facillimum? Quis adeo hebes, & stupidus, qui nesciat rem alienam, vel perverse acquisitam, vel injuste possessam, esse restituendam, & peccatum non remitti, nisi restitua- tur ablatum? Fatebor quidem fieri posse, rudem aliquem rusticum, vel mulierculam ignorare c. ex. rem, a fure emptam, esse domino restituen- dam, non accepto pretio persoluto. At *majorem christiani orbis partem* in- vincibiliter ignorare præceptum resti- tutionis, res est plane incredibilis. Sed fingamus, hanc dari invincibilem ignorantiam, non in uno, vel altero, vel paucioribus, sed in majori chri- stiani orbis parte, est ne igitur foven- da, ac retinenda? Utique, inquit Se- gnerius; nam ea ignorantia est illis sa- lutaris. O portentum! Ignorantia, quæ teste ipso Patre Segnerio cap. 7. præ- fati libelli, est *virus mentem inficiens*, modo ipso docente facta est pharmacum salutare, non uni, vel alteri, sed ma- jori christiani orbis parti, quæ, si ve- ritatem agnosceres, ob talem cognitio- nem periret; dum per hanc salutarem ignorantiam pœnas devitat æternas. Frustra igitur Christus dixit, *Ego sum via, veritas, & vita, & nemo venio ad Patrem nisi per me*; cum ad Patrem pervenire possint, immo & perveniant in magno numero Christiani, non per Christum veritatem, sed per errorem, & ignorantiam invincibilem; & via, quæ ducit ad vitam, non est arcta via veritatis; sed latissima, & spatiosa ignorantiæ, & erroris. Præterea, quo- modo invincibilis ea ignorantia, quæ & est pravæ dispositionis effectus, quia

ad

ad rem alienam injuste retinendam inservit; & crimen subsequitur vel injustæ ablationis, vel injustæ detentionis? Quomodo invincibilis illa ignorantia, qua, dum debitum agnoscitur restitutionis faciendæ, tamen iniquus vel possessor, vel raptor rei alienæ sibi blanditur, non teneri nisi ex parte, cum ad totum teneatur, vel ad paulatim, & per partes reddendum, quod subito restituere & potest, & tenetur? Denique, quomodo invincibilis illa ignorantia, quæ facillime expelli potest per instructionem, & commonitionem Confessarii? At inquit, admonitus restitutionem detrectabit; & ita veritas erat illi perniciosa, cui antea salutaris erit ignorantia. Sit, ut lubet: at pernicies illi obveniet non ob Confessarii necessariam opportunam debitam instructionem, sed ex prava pœnitentis dispositione, qui restitutionem recusabit ex perversa illa avaritia, quæ, ut dicit Segnerius, efficit, ut facilius *compellatur elephas ad eburneos dentes excutiendos, & abjiciendos*, quam ut avari isti rerum alienarum detentores ab imis faucibus rem alienam evomant: & tamen certum est vel emovendam rem illam, vel subeundum æternum supplicium. Moneant igitur intrepidi Confessarii hos ignaros Pœnitentes, qui, si ex sua avaritia numerum augere volent reproborum Christianorum restitutionem omittendo, ipsi in numero non recensebuntur Confessariorum reproborum; sed cum Regio Psalte gloriosi poterunt dicere: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi*. Quod tamen summopere detestandum mihi videtur in P. Segnerio, illud est, veritum non esse, perversam hanc, & falsam doctrinam D. Augustino tribuere; & ejus auctoritate confirmare, aperta verborum ejus interpolatione, & sententiæ corruptione. In libro enim Enchiridii cap. 19. post verba a Segnerio laudata statim subdit S. Præsul: *Magno malo fallitur homo, cum hoc non credit, quod ad vitam ducit æternam, vel hoc credit, quod ad mortem ducit æternam*: quæ verba Segnerius qua mente prætermiserit, Deus judicavit. Certe si recitasset, omnes statim agnovissent ibi S. Doctorem non de errore, & ignorantia locutum in rebus ad salutem animæ pertinentibus; sed de errore, & ignorantia aliquando in humanis eventibus contingente: & de hac ignorantia, & errore dixit, aliquando hominem falli magno malo, aliquando parvo, aliquando nullo, aliquando etiam utiliter; quod sibi ipsi contigisse ostendit, quando per errorem viæ insidias Donatistarum vitavit. Sic enim scribit Augustinus: „Nam nobis ipsis accidit, „ut in quadam bivio falleremur, & „non iremus ad eum locum, ubi opperiens transitum nostrum Donatistarum armata manus subsederat; atque ita factum est, ut . . . cognitis „insidiis illorum gratularemur errasse, atque inde gratias ageremus Deo“. En igitur, de qua ignorantia, & de quo errore loquatur Augustinus, nimirum de illo, quo divina disponente providentia malum aliquod temporale vitatur, & *si*, ut ipse mentem suam explicans subdit, *per errorem evadat quisque perniciem, sicut superius dixi nobis in itinere contigisse, etiam boni aliquid homini errore confertur*. Porro quis patienter ferat tam enormem abusum doctrinæ, & auctoritatis S. Augustini ad Confessariorum non instructionem, sed seducationem

ductionem, qui putant sibi licere Pœnitentes suos in ignorantiæ, & erroris tenebris retinere, ne viam salutis amittant, dum S. Augustinus solum docet in humanis casibus, & eventibus errorem, & ignorantiam posse prodesse? Caveant igitur Confessarii ab hac laxa, & falsa Segnerii doctrina, immo totum illum libellum e suis manibus abjiciant; quippe qui laxitates omnes, & falsas doctrinas in Probabilistarum libris contentas, in virulentum fuceum contractas, & blando eloquio propinatas in animarum perniciem complectitur.

Consectarium Quartum.

IV. Non solum testis a Judice vocatus, & interrogatus scienter falsum testimonium dicens, ad reparationem damni illati tenetur; verum etiam si a Judice legitime citatus, & interrogatus fuga, silentio, tergiversatione veritatem in detrimentum innocentis celat. Primam consectarii partem nullus est qui inficietur: nimis enim aperta est, patens, & manifesta perversi hujus calumniatoris iniquitas, & injustitia, quæ causa est damni innocenti ob falsum testimonium obvenientis. At alteram partem non ita certam agnoscunt plures Doctores, inter quos Molina disp. 739. nu. 6. Lessius, Laymanus, Sporerius, aliique, qui fatentur quidem. tunc testem peccare lethaliter contra caritatem, obedientiam, & observantiam Judici, ac Superiori debitam, & contra etiam justitiam legalem, non vero contra justitiam commutativam; eapropter minime onere restitutionis gravandum; quia, inquiunt, pars læsa, vel innocens nullum habet jus hunc testem cogendi ad veritatem dicendam. Verum posita in consectario doctrina & probabilior mihi videtur, & unice vera. Nam testis legitime citatus, vel interrogatus a judice, eo ipso quodammodo publica persona efficitur, & officii speciem exercet, quo obstringitur ad ea promenda, quæ conferre possunt ad rectum pronuntiandum judicium, & æquam ferendam sententiam. Præterea, sicut falsum dicens testimonium, quamvis & tunc pars læsa, vel innocens nullum habeat jus cogendi ipsum ad exprimendam veritatem, proinde falsum dicens contra veritatem peccet contra obedientiam, & contra justitiam legalem, at non contra justitiam commutativam; tamen quia suo falso testimonio est vera causa damni, ad restitutionem obstringitur: ita qui veritatem dicere recusat, qui fugit, qui tergiversatur, est vera causa damni: ergo non minus erit restitutioni obnoxius. At nec satis capio, cur jus habeat pars innocens, ne testis in sui detrimentum falsum in judicio dicat, & jus non habeat pariter, ne in suam perniciem veritatem in judicio legitimo celet, & non manifestet. Nam in utroque casu jus consurgit & ex forma judicii, & ex damno, quod inde innocenti emergit. Porro sive falsum dicat, sive verum taceat, sive declinet, & formam judicii pervertit, & est vera damni causa: ergo in utroque eventu pari pacto & justitiam violat, & fit restitutioni obnoxius. Ita sentiunt Genettus, aliique Theologi, & aperte docuit S. Bernardinus l. c. dicens: *Negans in judicio testimonium perbibere in alterius detrimentum, ei ad restitutionem recepti damni obligatus est*.

Consectarium Quintum.

V. Qui ex justitia non tenetur alterius damnum impedire, peccat quidem contra caritatem tacendo, vel non manife-

nifeſtando; at minime ſit reſtitutioni obnoxius, niſi vel pecuniam recipiat, vel ſilentium polliceatur injuſto damnificatori. Prima pars confectarii patet: quia cum, juxta toties repetitam S. Thom. doctrinam, onus reſtitutionis non niſi ex violatione commutativæ juſtitiæ conſurgat, hæc violatio cum hic locum non habeat, nec reſtitutionis onus conſurgit. Quoad vero binas appoſitas in ſecundo membro exceptiones, non eas admittunt communiter Theologi. Nam nonnulli cenſent, mutos hujuſmodi, licet taceant ex accepta pecunia, vel ex facta promiſſione, non per hoc fieri reſtitutioni obnoxius; ſicut enim tacere poterant ſine violatione juſtitiæ ſine pretio, & nulla facta promiſſione; cur tacere non poterunt poſt acceptam pecuniam, vel datam fidem de ſilentio ſervando? Et ita ſentiunt Salmanticenſes. Alii diſtinguunt, vel pretium ſilentii eſt deſumptum ex re alterius furto ſurrepta, & tunc accipiens pretium ſit obnoxius reſtitutioni, quia de furto participat: ſi vero pretium eſt datum de re propria damnificatoris, non obſtringitur reſtitutioni. Verum noſtræ exceptioni favent plurimi Theologi, & præſertim Sylvius, Concina, & Cuniliati: quia acceptio pecuniæ, & fides data de ſilentio ſervando jam in ipſum influunt furtum; reddunt enim fures, & damnificatores animoſiores, & ſecuriores ad damnum inferendum, & quoddam velut invicem fœdus ineunt, ille quidem, ut ſit in ſuo facinore tutus, iſte vero, ut lucretur; quod, licet non tam aperte, at in ipſa gratuita ſilentii promiſſione contingit; hæc enim promiſſio ſecuritatem auget in latrone, & hujus ſilentio ſibi conciliat affectum, & benevolentiam.

Consectarium Sextum.

VI. Qui licet ex juſtitia non obſtrictum, ſed ex caritate reclamare volentem contra injuſtum raptorem, vel damnificatorem impedit, & ad ſilentium cogit, aliquando oneri ſubjicitur reſtitutionis. Et primo quidem juxta communem Theologorum doctrinam, ſi dolo, fraude, minis a clamando, vel manifeſtando impediat: quippe quia quilibet jus habet, ne illicitis, injuſtiſque modis a bono aliquo obtinendo, vel malo vitando impediatur. 2. Si ſolis precibus, hortationibus, conſiliis, ſed animo erga innocentem iniquo, ut ejus bonum impediat, tunc enim, ut in ſuperioribus diximus, duo iniqua conjunguntur, & animus ſcilicet damnum inferendi, & ipſa actio damnificativa. Si vero precibus, vel ſuaſionibus ad ſilentium impellat, non ex odio erga innocentem, ſed ex falſa miſericordia, & imprudenti clementia erga furem, & damnificatorem, ne deprehenſus mulctetur, & puniatur; peccabit quidem contra caritatem, at, cum juſtitiam non violet, reſtitutionis oneri non erit ſubjiciendus.

Consectarium Septimum.

VII. Ordo ſervandus in reſtitutione ab iis, qui ad damnum inferendum concurrunt, ſic communiter a Theologis præſtituitur. 1. Ille proximius ad reſtitutionem tenetur, qui rem alienam poſſidet, vel in ſe, vel in ſuo æquivalenti: hic enim duplici coarctatur titulo, nimirum & injuſtæ acceptionis, & rei acceptæ. Immo licet eſſet poſſeſſor bonæ fidei, ad reſtitutionem teneretur, etiam prævie ad alios ratione rei acceptæ, quæ ſemper domino ſuo clamat: ſi vero re conſumpta

 factus

factus esset ditior, hoc augmentum reddere teneretur, quippe quod pars esset rei alienæ superstes. 2. Post possessorem vero bonæ, vel malæ fidei, si res non existat, nec in se, nec in æquivalenti, ad restitutionem tenentur causæ principales illati damni, cujusmodi sunt mandantes, ut superius diximus, nec non qui dolis, fraudibus, minis, aliisque illicitis modis damni in causa fuere: & hi non solum damnum passo adstringuntur, sed etiam illis, qui eorum minis, dolis, fraudibus ad inferendum damnum fuere compulsi. Ita docet S. Thom. hic q. 62. art. 7. ad 2. scribens: „ Principaliter restituere tenetur ille, qui est principalis „ in facto; principaliter quidem *præcipiens*, secundario vero *exequens* .... „ illi, qui sunt principales in facto, „ & ad quos res pervenit, tenentur „ aliis restituere, qui restituerunt ". Si enim restituerint, resarciendi sunt a principali movente, & instigatore, qui damni principalis causa fuit, ut repetit a. 6. ad 3. dicens: „ Postquam „ restitutio sufficiens facta est per unum, „ alii non tenentur ei ulterius restitue„ re, sed magis refusionem facere ei. „ qui restituit; qui tamen potest con„ donare ". Huic tertio loco succedunt executores rapinæ, vel irrogati damni, quibus restituentibus, qui subsequuntur, a restitutione liberi sunt: quibus tamen, si restituerint, executor compensationem debet, ut mox ex D. T. didicimus. Si vero plures fuerint æqualiter principales causæ ad damnum concurrentes, singuli in solidum damnum passo restituere debent; sibi autem invicem (posito quod alter illorum integre restituerit) tenentur juxta vel reportatæ utilitatis, vel commodi quantitatem, vel pro rata parte juxta numerum causarum. His quarto loco subsequuntur causæ minus principales: & primo quidem quæ positivæ causæ fuerunt illati damni, nimirum consulentes, palpones, participantes, refugium præbentes &c. Quæ pariter si plures sint æque ad damnum concurrentes, sicut causæ principales, singulæ tenentur in solidum damnum passo; invicem vero sibi obstringuntur, ut mox diximus. Denique causæ mere negativæ in damnum influentes, quæ vel in solidum restituere tenentur, si ad totum detrimentum concurrerint, vel pro parte illati damni, si nullus fuerit concursus: hoc tamen ordine, ut primo teneantur, qui majori urgebantur debito impediendi proximi detrimentum; deinde qui minori onere premebantur. Quapropter 1. tenentur Principes, & Superiores, qui impedire omiserunt. 2. Rerum custodes, quia eas defendere, tueri, ac servare tenebantur. 3. Qui ex officio clamare, monere, vel manifestare illatum damnum obstringebantur. 4. Denique testes, qui juridice interrogati veritatem manifestare omiserunt, & sua testificatione damnum poterant impedire.

Consectarium Octavum.

VIII. Quando plures in solidum ad illatum damnum reparandum obstringuntur, nemo illorum ab integra restitutione liberatur, nisi certo noverit consocios pro sua parte restituisse. Huic doctrinæ obsistunt Salmanticenses, qui hanc statuunt distinctionem. Vel aliquis ex sociis certo novit, alios minime illatum damnum compensasse; & tunc fatentur ipsum ad integram compensationem teneri; vel ignorat, num causa principalis, vel alii criminis consocii resti-

restituerint; & tunc non teneri docent, nisi ad suam illati damni partem: nam, inquiunt, præsumere jure potest, factam ab illis compensationem; cum nullus non sit malus præsumendus, & injustus rei alienæ detentor, nisi constet: vel denique etiam post adhibitam ad inquirendam veritatem diligentiam, dubitat, num restituerint; & tunc quoque illum ab integra restitutione exonerant, quia durante hoc dubio incerta omnino est integræ restitutionis obligatio, & onus: porro, cum in materia justitiæ melior sit conditio possidentis, pro incerta obligatione non est ad certam solutionem obstringendus: satis itaque erit, si pro sua ratione restituat. Verum hæc doctrna in secundo, & tertio membro mihi probabilistica videtur, & falsa, utpote non solitis innixa argumentis, sed sophismatibus, & argutiolis. Nam licet ignoret, an principalis causa, vel alii consocii restituerint, certus tamen est, eos reos esse patrati criminis ad restitutionem obstringentis. Porro præsumptio, potius est, eos in injustitia perseverare; *semel enim malus semper præsumitur malus in eodem genere mali*, nisi oppositum certo constet: alioquin nunquam locum haberet onus solutionis in integrum, quando plures concurrerunt ad damnum inferendum: semper enim quilibet socius præsumere posset alios restituisse, & satisfecisse; & sic nonnisi pars damni, licet maximi, farciretur. Præterea, sicut certus est de damno illato simul cum sociis, ita, ut æqualitas in justitia commutante servetur, certus quoque esse debet de restitutione simul cum sociis facta: non enim certum debitum solvitur restitutione incerta, & præsumpta; & debitum certum, ac solutio incerta a nemine æqualia habentur. Similiter sophisma est ex illo principio, *melior est conditio possidentis*, inferre, hunc debitorem certum de damno illato cum sociis, & incertum de reparatione ab aliis inducta, ab onere restitutionis liberari. Nam omnia, quæ possidet injustus ille damnificator, cum sint obnoxia restitutioni, ea possidet dubia fide, num videlicet possit sibi retinere, vel consumere, vel num debeat damnum passo restituere. Porro certus est de damno illato; incertus, & anceps de restitutione facta: ne igitur se exponat periculo utendi re aliena tanquam sua, tenetur vel certam veritatem inquirere, vel in integrum datum damnum reparare. Ulterius illa, cui illatum est damnum, certum possidet jus & inconcussum ad accipiendam reparationem detrimenti, quod subdit. Ergo hoc jure certo, & inconcusso spoliandus non est per incertam, & dubiam reparationem. Denique certum est, omnes, & singulos damnificatores ad integram reparationem damni obstringi: dubium est, num satisfecerint: ergo illud certum tenendum est, & hoc incertum dimittendum; eapropter restitutio facienda. Nec objiciant, certus est de possessione suæ pecuniæ damnificator; incertus est de restitutione pro sua cujusque parte ab aliis facta: ergo non est certa suæ pecuniæ possessione privandus ob dubium de æqualitate non inducta, & restitutione ab aliis non facta. Non hoc, inquam, objiciant: nam & hoc sophisma est: etenim certus esse non potest de legitima suæ pecuniæ possessione, nisi certus sit eam non esse alteri obnoxiam. Porro certus est illam esse obnoxiam restitutioni ob illatum damnum. Ergo illam legitime possidere nequit, nisi vel certus de restitutione facta, vel ipse restituat.

tuat. Fateor hic contingere, quod superius ex P. Paulo Segnerio retulimus, scilicet facilius cogi elephantem ad eburneos suos excutiendos, abjiciendosque dentes, quam istis integram illati damni restitutionem suadere, cujus ipsi vel nullam, vel exiguam percepere utilitatem. At propterea est ne veritas deserenda, divina lex restitutionem jubens abolenda, furtis & rapinæ favendum? Absit hoc ab animo Theologi Christiani, & Deum timentis, ac ad animarum salutem studiose procurandam ratione sui muneris obstricti.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

De adjunctis, & circumstantiis Restitutionis. Nonnulla exponuntur, & explicantur.

Doctrina.

I. *Circumstantiæ Restitutionis enumerantur.*
II. *Prima, nimirum quis restituere debeat, explicatur.*
III. *Secunda, res scilicet restituenda declaratur.*
IV. *Si rei dominus sit ignotus, cui sit facienda restitutio.*
V. *Aliquorum Theologorum doctrina refellitur.*
VI. *Probabilior doctrina exponitur.*
VII. *Tempus restitutionis quando urgeat, explicatur.*
VIII. *Quando per injustam rei alienæ detentionem peccata multiplicentur.*

I. CIRCUMSTANTIÆ, quæ restitutionem ipsam partim constituunt, partim comitantur, hisce duobus continentur versiculis:

Quis, quid restituat, cui, quantum, quomodo, quando,
Quo ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquam.

Dixi, quæ partim restitutionem ipsam constituunt, quia sine ipsis nequit haberi restitutio, nimirum sine debitore, qui restituere debeat, sine creditore, cui sit facienda restitutio, denique sine re restituenda: quamobrem de his satis in superioribus diximus, & solum aliqua hic sunt ad uberiorem intelligentiam, & explicationem addenda.

II. Ille itaque ad restitutionem tenetur, qui rem alienam possidet, sive bona, sive mala fide, vel qui damnum quoquo modo injuste intulit, vel a boni assecutione alterum impedivit. Hinc restitutioni obnoxii sunt 1. qui rem alienam commodato, deposito, precario, vel mutuo obtinent, qui bona fide emerunt, vel donatione sunt consecuti: quia licet justo titulo sint eam consecuti, tamen res semper, juxta tamen diversas contractuum conditiones, domino suo clamat opportuno, vel statuto tempore restituenda. 2. Qui rem alienam sine justo titulo obtinent, puta furto, rapina, iniqua detentione, licet rem amplius non habeant, sed consumpserint, cum duplici premantur titulo & rei acceptæ, & injustæ acceptionis. 3. Damnificatores, & impedientes injuste alios a boni sperati consecutione, licet ipsi nullam inde perceperint utilitatem, vel emolumentum; cum injusta eorum actio eos restitutioni subjiciat. Sed de his satis ex superius dictis constat.

III. Res aliena, si extat, est in se restituenda: quare, ut superius diximus, non licet de se, & absolute pro libito

libito pretium reddere, nisi aliqua legitima adsit ratio, quæ excuset, puta, quia sine gravi restituentis damno, vel in fama, vel in bonis, fieri non possit identica restitutio. Eapropter falsam puto Navarri, & aliorum opinionem, qui censent a peccato lethali excusari, qui rem alienam in individuo possidens, & restituere valens sine incommodo, vel aliam æque bonam, vel justum pretium persolvit; licet noverit creditorem esse invitum, quia speciali affectu rem diligit: nam illi semper gravem irrogat injuriam, & ad vendendum cogit, vel permutandum, quod ille nec vendere vellet, nec permutare. Deinde non solum res in se, sed quanta est, restitui debet. Nam *cum*, ut inquit S. Thom. a. 5. *per restitutionem fiat reductio ad æqualitatem justitiæ commutativæ, quæ consistit in rerum adæquatione*; si res non restituatur, quanta est, hæc æqualitas non habetur, & ita violatur justitia commutativa. Quod pariter est intelligendum sive de damno illato, sive de boni consecutione impedita, quæ non quocumque modo sarcienda sunt, sed ad æqualitatem, juxta tamen regulas superius pro possessoribus tum bonæ, tum malæ fidei constitutas.

IV. Ad dignoscendum cui facienda sit restitutio, hæc sunt attendenda. 1. Illi est facienda restitutio, qui rem justo legitimoque titulo possidebat, licet dominus non esset: quamobrem si rem furatus sit apud Depositarium, Commodatarium, aut Administratorem, vel in pignus habentem, non domino, sed istis restituenda res est. Hinc egregie docet S. Thom. hic a. 5. *Per restitutionem fit reductio ad æqualitatem commutativæ justitiæ, quæ consistit in rerum adæquatione . . . hujusmodi autem adæquatio rerum fieri non potest, nisi ei qui minus habet, quam quod suum est, suppleretur quod deest. Et ad hanc suppletionem faciendam, necesse est, ut ei fiat restitutio, a quo acceptum est.* Nam justitia quodcumque jus ad alterum sancte custodit, & violari vetat. Porro licet ille, a quo res ablata fuit, jus non habeat dominii, habet tamen jus vel custodiæ, vel administrationis, vel alterius tituli; ac proinde nec istud violandum est: illi igitur res ablata restituenda. Solum duo excipiuntur casus: nimirum 1. si parum referat, num res vel possessori, vel domino restituatur, quia nulli fit injuria. 2. Si certo constet, rem in manu possessoris periclitari, & consumptioni injustæ esse obnoxiam; tunc enim non ipsi possessori, sed domino foret reddenda. In dubio vero possessor præferendus est: tum quia melior est conditio possidentis; tum quia nemo est malus præsumendus, nisi certo constet. 2. Si rem aliquam a possessore bonæ fidei titulo gratuito accepisti, puta donationis, vel commodati &c. rem domino restituere debes, non possessori: nam illi est facienda restitutio, qui jus aliquod in re habet: dominus jus habet dominii, possessor vero etiam bonæ fidei nullum obtinet jus, quippe qui & ipse ad restitutionem tenetur: ergo domino est restituenda. Si vero titulo oneroso accepisti, puta emptione, potes quidem rem possessori restituere, ut tuum recuperes pretium; dummodo tamen certo putes, rem domino ab ipso possessore reddendam: at si certo scias a possessore non restituendam, debes non ipsi, sed domino restituere; nam idem esset, ac si a fure accepisses: licet enim ille supponatur bonæ fidei possessor in acceptione, evadit tamen possessor ma-

læ

læ fidei in detentione; proinde rem illi restituendo injuriam irrogares domino, cujus rem in periculo poneres injustæ detentionis. Recolantur ea, quæ diximus cap. 4. confect. 6. 3. Quando restitutio futura sit domino perniciosa, non est tunc illi facienda, sed vel differenda, vel in aliena custodia deponenda. Ita docet S. Thom. hic a. 5. ad 1. dicens: „ Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, „ cui restitutio facienda est, vel alteri, „ non ei debet tunc restitui; quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus, „ cui restituitur. Omnia enim quæ possidentur, sub ratione utilis cadunt. „ Nec tamen debet ille, qui detinet „ rem alienam, sibi appropriare, sed „ vel reservare, ut congruo tempore „ restituat, vel etiam alii tradere conservandam “. Ita non licet gladium furioso restituere, vel poscenti ad occidendum inimicum, vel depositam pecuniam insumendam in patriæ perniciem.

V. Si vero rei dominus sit omnino ignotus, inquirunt Theologi, cui sit restitutio facienda. Et primo quidem hic de rebus inventis non loquimur; satis enim diximus in Tract. de Domin. cap. 8. n. 16. sed de rebus vel mala, vel bona fide occupatis. De his autem 1. statuunt Theologi, omnem esse diligentiam adhibendam, ut dominus reperiatur, qui si obiisse deprehendatur, ejus est hæredibus restituenda, ut docet S. Thom. hic q. 62. art. 4. *Si mortuus sit ille, cui est restitutio facienda, debet restitui hæredi ejus, qui computatur quasi una persona cum ipso*: hæredi scilicet vel ab intestato, vel ex testamento, non vero Legatariis. Si vero omni adhibita diligentia nec dominum, nec ejus hæredes reperire datum sit, tunc subdit S. Thom. *debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando eleemosynam pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive sit vivus, præmissa tamen diligenti inquisitione de persona, cui est restitutio facienda*. Huic tamen S. D. doctrinæ non omnes acquiescunt Theologi, qui aliam excitant quæstionem, nimirum num hæc restitutio facienda pauperibus ex ipso naturæ jure descendat, an solum ex jure positivo. Et quidem positivi juris esse contendunt cum Salmanticensibus plures Theologi, qui inquiunt: jus naturæ solum præscribit, ut bona dominis suis restituantur, quando id possibile est; at si fiat impossibile, minime præcipit, ut in pauperum dominium transferantur, & usum, quippe qui nec legitimi domini nec necessarii hæredes habentur. Cum igitur hæc bona dominum amiserint, ad pristinum illum revertuntur statum, in quo erant bona ante divisionem jure gentium inductam; proinde in potestate sunt Communitatis, Reipublicæ, Regum, & Summorum Pontificum, qui valent ea in commune bonum, & utilitatem convertere. Hinc Principes in civili jure, & Pontifices in Jure Canonico statuunt, bona per simoniam, & usuram acquisita esse in pauperum levamen distribuenda. Hinc inferunt jure positivo possessores malæ fidei teneri ad ea bona pauperibus distribuenda; at possessores bonæ fidei, si detegant se rem possidere, quam licet certo sciant ad se non pertinere, ignorant tamen, immo repetire non possunt ejus dominum, licet diligenter conquisitum, posse eam sibi vindicare: quia bona jure naturæ ad communem statum devoluta, fiunt primi apprehendentis.

VI. Verum aliter sentiunt, & quidem probabilius plures alii Theologi cum

cum Cajetano, Covarruvia, Tapia, aliisque, videlicet, hæc incerta bona a possessore tum bonæ, tum malæ fidei esse jure naturæ in pauperes distribuenda; quia hæc præsumitur voluntas dominorum, optantium semper, quod sibi temporaliter prodesse non potest, saltem in spirituale suum bonum converti; quod fit, quando in pauperes bona eorum distribuuntur. Accedit consuetudo, & communis pene omnium hominum consensus, qui hæc incerta bona pauperibus esse distribuenda censuerunt. Hujus autem communis consensus testes sunt S. Thom. & ceteri sui temporis Doctores, immo & Pontifices Summi, inter quos Alexander III. scribens Archiepiscopo Salernitano, ut patet Cap. *Cum tu*, *de usuris* & in 6. Cap. *Cum sit*, *de Judæis*: quibus in locis licet solum sermo habeatur de lucris per usuram, & simoniam obtentis; communiter tamen extenditur ad omnia incerta bona, quorum dominus ignoratur. Nec tamen, ut optime animadvertit Sotus lib. 4. qu. 7. laudatus Pontifex primus fuit hujus dispositionis auctor, sed *exemplo adductus est antiquorum Sanctorum, Augustini scilicet, ut ex locis juris canonici citatis constat, quia & naturali jure edoctus, & Evangelio; nam quod cuique superest, erogandum est in pauperes; ejusmodi autem bona redundare censentur in republica*. Et certe ipso naturali jure inspecto, licet hæc bona supponantur in communem usum venisse, ab eorum participatione non sunt pauperes excludendi, cum & ipsi in Republica sint: excluderentur autem omnino, si hæc vacantia bona ipsis possessoribus, licet illegitimis, libere concederentur. Fatemur quidem horum bonorum dominium in pauperes non transire, quasi creditorum hæredes essent; sed dum ipsis distribuuntur, ipsis quasi loco creditorum solvitur: sicut nec ita necessario transire arbitramur, ut supremæ Potestates, & præsertim Summi Pontifices non possint aliquando in alium pium usum, vel in commune bonum ea applicare; cum & ipsius communis boni cura ad jus naturale pertineat, & privatum etiam alicui bonum ipso jure naturæ debitum, possit in commune bonum transferri, quod privato est præferendum.

VII. Quoad tempus vero restitutionis, hoc semper quoad animi præparationem urget: quamobrem lethaliter peccat alienæ rei detentor, quotiescumque animum restituendi abjicit. Quoad executionem vero urget, statim ac potest restituere: si enim restituere valens non restituit, reus est injustæ detentionis, ut docet, & probat S. Thom. hic a. 8. scribens: *Sicut accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam, quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum de usu rei suæ, & sic ei facit injuriam. Manifestum est autem, quod nec per modicum tempus licet in peccato mortali morari, sed quilibet tenetur statim peccatum deserere, secundum illud Eccl.* Quasi a facie colubri fuge peccata. *Et ideo tenetur quilibet statim restituere, si potest, vel dilationem petere ab eo, qui usum rei potest concedere*. Quod luculentius confirmat in Suppl. q. 6. a. 5. ad 3. *Retentio rei alienæ invito domino contrariatur præcepto negativo, quod obligat semper, & ad semper; & ideo tenetur semper ad statim restituendum*.

VIII. Qui diutius in detentione injusta rei alienæ sordescit, est in statu damnationis; eoque gravius peccat, quo diutius in tali pravo animo perseverat; & hæc diuturni temporis cir-

cumstantia, cum peccatum aggravet, est in confessione aperienda. Quando vero peccata numero multiplicet, non facile est definire. Quæ mihi probabiliora videntur, promam. 1. Quoties propositum restituendi retractavit, & postea ad illud rediit, ut docent etiam Salmanticenses hic n. 264. 2. Quando res injuste detenta repetitur a domino, illique denegatur: hinc qui occulte detinet rem alienam, quam dominus repetere non valet, censetur interpellari a domino, quando a Confessario illi restitutio injungitur; ipse enim tunc pro domino interpellat. 3. Quando ex hujusmodi dilata restitutione grave damnum patitur dominus ob suæ rei privationem. 4. Quotiescumque rem alienam apud se existentem consumit; tunc enim ad eam restituendam ineptum se voluntarie reddit: nec excusatur, quia pretium restituet; nam nova injustitia est rem alienam ita distrahere, ut dominus non ipsam rem, sed ejus pretium cogatur recipere. 5. Denique quotiescumque rei suæ prodiga consumptione se ineptum reddit ad restituendum. Extra hos casus persistentia in injusta rei detentione peccatum augeri arbitror, non multiplicari.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Restitutio ad æqualitatem, quantum fieri potest, facienda.*

II. *Modi nonnulli restituendi res incertis dominis reddendas.*

III. *Res est domino restituenda, non ejus creditori.*

IV. *Num qui bonis cedunt, ab integra restitutione excusentur.*

V. *Depositum aliquando ex justitia, aliquando ex caritate tenetur Depositarius negare.*

VI. *Quando ad iterandam restitutionem semel factam quis teneatur.*

VII. *Quot modis quis peccare possit restitutionem differendo.*

VIII. *Differentibus restitutionem deneganda absolutio.*

IX. *Ad restitutionem non differendam tenetur aliquando injustus possessor ex proprio statu decidere.*

Consectarium Primum.

I. REI injuste ablatæ quantitas est ad æqualitatem restituenda; quia alioquin justitiæ debitum non impleretur. At quando ista quantitas ignoratur, ut contingit in illis, qui per plura minuta furta, vel etiam majora uni, aut pluribus pecuniam furantur, & in illis qui domum pluribus supellectilibus ornatam vel diripiunt, vel incendunt; tunc serio & Pœnitens, & Confessarius expendere, & excutere debent tempus, nimirum num per plures annos in tali rerum aliarum usurpatione perseveraverint, quantum singulis vicibus abstulerint, & serio examine rem ad calculum deducere, ut, quantum fieri possit, ad æqualem restitutionem accedat. Quod si rei pretium ignoratur, tunc qualitas rei, & tempus, quo ablata fuit, & quantum utilitatis percipiebat dominus, sunt expendenda, & coram Deo, quod justum est, decernendum.

Consectarium Secundum.

II. Dupliciter contingere potest, ut ignoretur rei restituendæ dominus, idest in communi, & in particulari. Quando dominus licet in particulari ignotus sit, in communi tamen noscitur, ut contingit in militibus injuste pagum, villam, oppidum, agros diripientibus, & in anco-

ænopolis, falsamentariis, aliisque panem, comestibilia, vel pannos vendentibus, qui in pondere, mensura, pretio emptores fraudarunt; tunc non recte fit restitutio, si pauperibus surrepta bona distribuantur, sed in priori casu restitutio facienda est illis oppidanis, rusticis, civibus, ubi damnum illatum est, ut vel ipsi, vel saltem eorum hæredes restitutionis sentiant beneficium, qui injustæ deprædationis detrimentum persensere. In altero vero casu restitutio est facienda incolis illius loci, ubi præfatæ fraudes habitæ sunt, vel vilius merces vendendo, vel mensuram, & pondus augendo. Quod si injustus iste rei alienæ possessor artem illam non amplius exerceat, in hoc eventu, sicut & in alio militum prædantium, puto locum habere S. Thom. doctrinam in IV. Sent. dist. 15. q. 1. a. 5. docentis: *Illos debere pauperibus illius villæ restituere, vel in alios usus communitatis illius civitatis expendere secundum arbitrium Episcopi, vel illorum, ad quos pertinet cura illius civitatis*. Ubi, ut vides, S. D. liberum non relinquit istis injustis detentoribus restitutionem quibuscumque faciendam, sed eam arbitrio Episcopi, vel Magistratus remittit; utpote qui & melius uniuscujusque jacturam cognoscere possunt, & tutius debitam restitutionem servare, vel saltem ita disponere, ut restitutio in commune bonum redundet. Quando vero dominus tum in particulari, tum in generali ignoratur, restitutio est facienda pauperibus ad libitum etiam restituentis: qui si consanguineos, vel affines habeat vere pauperes, poterit & illis auxiliari: nam alios pauperes, vel inter ipsos pauperiores eligere caritatis est, non necessitatis. Quoad Bullam compositionis, quam suggerunt plerique Canonistæ, ipsius impetrationem minime ipse concederem possessoribus malæ fidei, ne ex sua iniquitate lucrum reportent. Unde si sunt in bonis, & restituere possunt, ad integram restitutionem obstringerem: si vero pauperes essent, & ad integram restitutionem inepti, quod possunt, restituere deberent, &, quod superest, orationibus, & aliis piis operibus compensare, eo tamen semper animo, ut, si quando re, & facto restituere valeant, restituant. Quoad possessores vero bonæ fidei, qui nimirum in hæreditate sibi relicta plura detegunt illicite acquisita, & incertis dominis restituenda, permitterem, ut compositionem impetrarent sincere, procul ab omni fraude, & dolo veritatem exponendo, & magis pro conscientiæ quiete, quam pro temporali utilitate, & proprii commodi gratia, & sine pauperum detrimento. At hæc in particularibus occurrentibus casibus sunt a prudente, docto, & studioso ministro attente, & accurate tractanda. Quando res ad alterutrum ex duobus pertinere dignoscitur, sed, quinam sit verus dominus, ignoratur, inter utrosque est dividenda pro rata dubii.

Consectarium Tertium.

III. Non licet, quod uni debetur, alteri restituere, licet hic ab ullo tantumdem recipere debeat. Obsistunt huic doctrinæ nonnulli Theologi, putantes licere debitori Petri restituere Paulo ejusdem Petri creditori: quia, inquiunt, mere materialis est subjecti mutatio; nam dare Paulo, qui centum debet a Petro recipere, idem omnino est ac ipsi Paulo centum restituere; liberatur enim ab onere solvendi præfatum debitum, Et revera ita invicem absque ulla injuria debita compensantur: si enim tibi

 cen-

tcentum debeo ratione mutui, & ut centum mihi causa venditionis, a sot lutione abstinendo justa initur compensatio. Verum non puto a præfata doctrina recedendum. Nam justitia non solum servanda est, sed & justitiæ ordo custodiendus; quem pervertere semper iniquum est. Si ergo Petro debes, illi suum æs solve: si nihil Paulo debes, nihil illi ex re aliena reddere potes, sed solum, quod tuum est, donare. Præterea, sicut non licet tibi bona alterius surripere, ut debita ejus solvas; ita nec quod uni debes, alteri dare, ut eum ab ære alieno liberes. Hinc in omni sive civili, sive ecclesiastico judicio hæc perturbata solutio, seu restitutio reprobatur. Denique jus violas creditoris tui, qui a te accipere suam pecuniam debet, & de illa disponere, prout sibi lubet, magisque utile est, qui fortassis præsenti pecunia carere sine detrimento non potest; differre autem solutionem creditori suo potest sine illius damno. Nec urget paritas mutuæ compensationis: tunc enim nec ordo justitiæ pervertitur, nec jus alterius violatur: si enim debes Petro centum ratione mutui, & ille tibi totidem causa venditionis, & utriusque solutionis tempus urgeat, mutui restitutionem denegando tibi centum retines, quæ Petrus tibi debet ex venditione, nec potest denegare, & sic, cum æqualia sint jura, & reciproca, & cum iidem sint vicissim & debitor, & creditor, justitiæ ordo minime violatur in mutua compensatione.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Qui bonis cedere coguntur, non ideo ab integra restitutione excusantur. Ad hujus doctrinæ intelligentiam animadvertendum, duplici ex causa posse contingere, ut quis cogatur bonis cedere. 1. Ex infortunio aliquo, & sine sua culpa, quia vel naufragium passus est, vel ministros infideles habuit, aut alieni infortunii particeps ratione societatis effectus est. 2. Ex sua culpa, aut gravi negligentia, quia nimirum splendide vivendo, ludendo, comessationibus indulgendo, non lucrum solum, sed & capitale consumpsit; vel quia necessarium non adhibuit in suis negotiis studium, sed lucri aviditate rebus alienis se oneravit. In priori casu legum, & juris beneficio, in Cap. *Qui bonis* Cod. poss. & ff. & lege *qui bonis* eodem titulo, uti potest, bona omnia creditoribus cedendo, reservatis dumtaxat necessariis ac honestam, & frugi viro convenientem sustentationem: quibus legibus, & ipsi creditores subesse debent, utpote quæ sunt æquitati, & bono communi conformes, & pati aliquam suorum bonorum jacturam, ne proximus ex infortunio ad egestatem, & mendicitatem cogatur, & ut tempus illi concedatur, quo rebus suis compositis etiam integram perficere valeat restitutionem. Si vero bonorum cessio ex alio capite, idest ex culpa, vel gravi negligentia oriatur, nihil sibi tenere debet, nisi quod cuique licet habere in extrema necessitate, ne fame pereat; sed omnia bona sunt plene, & fideliter creditoribus & manifestanda, & tradenda: tum quia ad eos pertinent justitiæ titulo, tum quia ipse in culpa est suæ decoctionis, unde furi æquiparatur, vel saltem infideli ministro, qui ex sua iniquitate lucrum minime reportare debet. Hinc tum in conscientia minime sunt hujusmodi decoctores, sicut nec priores, qui ex infortunio bonis cedunt, si bonorum partem occultent, ut commode vivant,

vel

vel creditores cogant suorum bonorum majorem partem cedere, ut saltem minorem recuperent: fraude enim utuntur, & dolo, quæ nulli debet patrocinari; quare ad integram restitutionem sunt cogendi. Num vero, qui bonis cesserunt, si forte ad pinguiorem pervenerint fortunam, teneantur in foro conscientiæ restituere, dubitant nonnulli Theologi, qui censent per eam ignominiam, quam patiuntur, & quam in aliquibus regionibus cujusdam signi gestatione ostentare coguntur, legi, & creditoribus satisfecisse. Sed oppositum & superius innuimus, & nunc constanter affirmamus. Nam leges solum illis suffragantur, ne carceribus mancipentur: ceterum declarant, semper ad satisfaciendum integre creditoribus illos teneri, ut habetur L. 1. cit. in Cod. *Qui bonis* jubente, *qui bonis cesserint, nisi creditor receperit, non sunt liberi*. Et L. *Cum filii* eod. tit. statuitur: *Si quid pinguius postea eis accesserit, hoc iterum usque ad modum debiti, potest a creditoribus legitimo modo avelli.*

Consectarium Quintum.

V. Qui gladium penes se depositum latroni, vel furioso deponenti restituit, quando illum petunt vel ad se, vel ad alium interficiendum, peccat & contra justitiam, & contra caritatem; quod pariter est dicendum de pecunia ratione mutui, vel alterius titulo debita, si restituatur creditori petenti ad opus contra justitiam: si vero petat in aliquem abusum ab injustitia sejunctum, puta ad comessationes, scortationes, ludos &c. solum ex caritate tenetur debitor vel declinare, vel differre restitutionem. Et quidem depositum in positis casibus non esse reddendum aperte docet S. Th. & hic q. 62. a. 5. dum scribit: *Quando res restituenda est graviter nociva, cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet tunc restitui.* Et 2. 2. q. 37. a. 2. *Quia quandoque contingit, quod voluntas hominis depravatur, est aliquis casus, in quo depositum non est reddendum, ne homo perversam voluntatem habens male eo utatur; ut puta, si furiosus, vel hostis reipublicæ arma deposita deposcat.* Reddentem vero in hoc casu contra justitiam peccare manifestum est, cum, ut inquit Sotus lib. 4. q. 7. *reddendo causam det injuriæ*, & in damnum proximi influit ejus occisioni cooperando: & sicut reus est justitiæ latro occidens, ita qui illi arma ad occisionem suppeditat, ejusdem sceleris particeps efficitur. Num vero excusari possit a culpa, si restitutionem gladii denegando de vita periclitetur, quia latro, vel furiosus idem illi minatur, dissentiunt Theologi. Soto lo. cit. Sylvius, & novissime Juveninus a culpa excusant, his permoti argumentis. 1. *Quia nemo tenetur cum proprio gravi damno vitare alienum, quod non est ipse causaturus, sed quispiam alius.* 2. Quia occisio illa a latrone, aut furioso committenda, nec directe, nec indirecte est volita a reddente gladium, & arma: non directe, quia minime vult hujusmodi homicidium, immo illud detestatur; non indirecte, quia, ut aliquid sit indirecte volitum, non satis est, ut possit impediri, sed ulterius, ut debeat impediri. Porro in præfatis casibus impedire non tenetur: ergo nec indirecte volitum homicidium dici poterit. Ad hæc mihi sophismata potius videntur, quam solida argumenta. Nam 1. certum est ex D. Th. gladium in positis casibus non esse reddendum. At cur? quia tunc redditio esset intrinsece mala: quod autem intrin-

trinsece malum est, nullo metu mortis vel etiam majoris mali licitum fieri potest: alioquin liceret famulo scalam tenere domino conscendere volenti ad furandum, vel adulterandum, si illi mortem comminaretur, quod falsum esse ex damnata propositione patet, & tamen certo certius minus, & remotius domini sceleri cooperatur famulus scalam tenens, quam præbens gladium latroni, vel furioso. Nec urget 1. argumentum: nam hic non agitur de impediendo alieno damno, sed de cooperando alieno crimini: impedire alienum damnum proprio detrimento non semper homo vel ex caritate, vel ex justitia tenetur; at alieno sceleri cooperari omnino non licet. Latro occidere volens viatorem non solum damnum infert proximo, quod tu pari tuo damno fortassis in alio casu impedire non teneris, sed & injuriam maximam Deo irrogat: propterea hic non tam proximi detrimementum est attendendum, quam injuria Creatoris. Qui igitur gladium præbet, vel restituit ad occisionem, huic injuriæ Deo irrogatæ cooperatur, illiusque particeps efficitur. Ergo illi hoc præstare nec metu mortis unquam licebit. Alterum vero argumentum vitiosum est, apertam involvens petitionem principii, probat siquidem homicidium illud reddenti gladium nec directe, nec indirecte esse volitum: non directe (quod concedimus) quia homicidium non vult, sed detestatur; non indirecte (quod negamus) quia impedire non tenetur. At hoc est, quod quæritur, nimirum utrum teneatur homicidium impedire gladium depositum denegando. Et hoc est probandum, non ut verum supponendum: alioquin licebit argumentum detorquere, dicendo, est indirecte voluntarium, quia tenetur impedire. Et revera quod impedire teneatur, patet manifeste, quia nunquam licet alieno sceleri cooperari: præbere vero, dare, reddere gladium, vel arma etiam deposita latroni viatorem interficere volenti, vel furioso ad se, vel alium occidendum petenti, est illorum crimini cooperari, & quidem proxime criminis instrumentum præbendo. Hujus argumenti vim persensit ipse Juveninus, qui cum in interrogatione quæstionem movisset, num liceat gladium reddere latroni volenti viatorem occidere, vel furioso volenti interficere, in responsione vi verborum mutata, & lenita asperitate quæstionis, dicit, licitum esse depositario, si ipsi mortem minitentur, nisi reddat depositum gladium, *sinere*, *permittere*, *ut sibi suum gladium accipiant*; reddere autem horruit affirmare: quare minus fideliter ejus doctrinam reddidit latinus interpres. Altera vero pars est manifesta, quia tunc nulli fit injuria: quamobrem justitia non violatur, læditur tamen caritas, jubens, ut, quantum possumus, aliena peccata impediamus, & alieno sceleri ne communicemus, quæ communicatio, & cooperatio ab hac restitutione abesse omnino potest. Nam cum pecunia sit de se indifferens ad plures usus licitos, & redditio pecuniæ mutuo acceptæ honesta, & justa, quod recipiens ea ad comessationes, ebrietatem, scortationes, abutatur, ejus videtur malitiæ tribuendum, non reddenti pecuniam. Quare doctrinæ inhæremus S. Th. mox citatæ, non esse restitutionem faciendam; *quando restitutio est nociva accipienti, quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui restituitur*. Diximus tamen ex caritate solum posse vel declinare, vel differre

restitutionem, ut subdit idem Angelicus dicens: *Non debet tamen ille, qui detinet rem alienam, sibi appropriare, sed reservare, ut congruo tempore restituat, vel etiam alii tradere tutius conservandam.*

Consectarium Sextum.

VI. Non semper, qui rem alienam domino aliena manu restituit, si res ad dominum non perveniat, ab iteranda restitutione liberatur. Explicatur. Non semper res aliena immediate reddi potest a debitore creditori suo, sed interdum aliena manu uti debet, & per delatorem transmittere; quamobrem quandoque contingit rem restituendam perire: merito proinde quæritur, num sit iteranda a debitore restitutio. Pro cujus quæstionis solutione 1. distinguendum est, num restitutio sit facienda a possessore bonæ fidei, vel malæ. Et primo, si ab utroque fiat per personam ab ipso creditore ad recipiendum electam, vel facultate ab ipso accepta mittendi per aliquem ex suo arbitrio deligendum; si ministrum fidelem eligat, ab omni onere restitutionis liberatur, licet res pereat; cum tunc domino suo pereat, a quo tanquam accepta habetur: quod pariter verum est, si designatio delatoris a judice determinetur. Si vero debitore ipso deligatur delator, tunc distinguendum inter possessorem bonæ fidei, & malæ fidei. Possessor bonæ fidei, qui rem apud se habet, quia vel inventam, vel forte domi suæ relictam, si per virum probum transmittat, & qualem adhibere solet etiam ad sua vel custodienda, vel transmittenda, si forte pereat, non tenetur iterum restituere; quippe qui ad restitutionem faciendam usus est diligentia, quam adhibere solent communiter homines cordati, & solertes: proinde si perit, cum absque sua culpa pereat, liber est ab onere restitutionis, ad quam non tenetur nec ratione rei acceptæ, quam apud se non amplius habet, nec ratione acceptionis, quæ injusta non fuit. Si vero rem alienam penes se habeat ratione contractus, expendendum, num sit per contractum, qui dominium transferat, vel solum usum. Si primum, quandiu res non sit in domini manum reddita, tenetur debitor ad restitutionem; quia res domino suo perit si perit. Si vero sit ad usum concessa, vel ratione depositi, si per fidelem nuntium mittatur, & omnis absit in debitore culpa, juxta contractum legis ipsi creditori perit, cum ad ejus dominium pertineat. Hinc si quis alteri anulum mittat sibi commodatum, & simul pecuniam mutuo acceptam, & hæc per viam vel famulus amittat, vel illis spolietur, vel fuga secum auferat, pecuniam restituere tenetur, secus anulum; illam quidem, quia sibi domino perit, illam vero creditori, in cujus erat dominio. Si vero, qui restituere debet, sit malæ fidei possessor ob injustam acceptionem, vel ob injustam detentionem, nunquam ab onere restitutionis liberatur, donec per restitutionem sit æqualitas inducta: nam possessor malæ fidei tenetur etiam de eventu fortuito; cum ratione suæ injustitiæ semper læsum indemnem servare teneatur. Non acquiescunt huic doctrinæ Soto, & Ledesma, aliique censentes, semel facta ab injusto possessore restitutione per Confessarium, si forte iste ab assumpto munere deficiat, sibique pecuniam usurpet, non teneri ad restitutionem iterandam. Nam inquiunt, Pœnitens seipsum prodere non tenetur, sed eo meliori modo, quo fieri potest, salva

salva ejus fama, restituere debet. At tutissimus, & consuetus restituendi modus est per Confessarium, quem creditor excludere non potest. Ergo per hunc facta restitutione, muneri suo ipsum satisfecisse censendum est; & onus restitutionis in Confessarium redundabit. Verum hæc argumenta non plene convincunt. Nam tenetur quidem Pœnitens suæ famæ consulere, ita tamen, ut alter, quod ipsi ex justitia debetur, certo recipiat, & æqualitas ex justitia debita inducatur. Consentit quidem dominus restitutioni per Confessarium faciendæ, salvo tamen semper jure suo, idest ut res certo in suas manus perveniat, & interim periculo stet debitoris, qui semper ratione suæ injustæ rationis, etiam fortuitis, & inexcogitatis casibus subjacere debet. Idcirco egregie monet S. Antoninus p. 2. tit. 2. cap. 4. „ Si vitium usuræ, vel furti, vel alterius damni est occultum, & restitutio occulto modo per se, vel per alium facienda est, ut non detegatur persona, caveat etiam diligenter, quod, cum per alium facit, ita faciat caute, quod is recipiat, cui debet, & non ille sibi retineat, quia non esset propter hoc liberatus: nec confidat de Prædicatoribus, & Confessariis, & quæstuariis, qui quærunt pecunias, non animarum salutem ". Sapientissime autem monet Navarrus, tum ad Confessarii tutelam, si aliquando onus restitutionis assumere cogatur, tum ad debitoris quietem, & securitatem, ut restituens chirographum habitæ restitutionis a creditore exigere, & accipere non negligat.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Pluribus modis crimen committitur restitutionem differendo. Et primo quidem peccant, qui, cum possint statim restituere, differunt restitutionem, ut superius ex D. Th. ostendimus. Nec excusantur, quia creditor ex dilatione nullum patitur detrimentum. Nam semper ejus jus violatur, cum privetur usu rei suæ, & divina lex infringitur jubens, ne aliena, domino invito, retineantur. 2. Qui, cum possint totum restituere, solum partem reddunt, ut minus incommodam experiantur restitutionem, non attendentes se interim rem alienam injuste retinere, & dominum integro rei suæ usu privare: & hæc dimidiata restitutio non minus incommoda est, & damnosa creditoribus, præsertim si mercenarii sint, opifices, negotiatores, qui sua pecunia indigent, vel ad sui, familiæque sustentationem, vel ad sua promovenda negotia. 3. Qui vel ære alieno gravati, vel res alienas possidentes de die in diem solutionem, vel restitutionem differunt, licet interim sibi blandiantur de proposito firmo aliquando solvendi vel restituendi; sicut & illi, qui restitutiones, vel solutiones reservant mandandas hæredibus in suo testamento: hi enim in statu damnationis versantur, & si forte improvisa occupentur morte, in æternum pereunt; cum non satis sit propositum, & animus restituendi, sed ipsa restitutio statim facienda sit in præcepto. 4. Qui in fine vitæ constituti, cum possint per se restitutionem facere, recusant, obtendentes hoc ab eis in suo testamento mandatum, & quidem strictissime. Siquidem, ut optime observat Sotus lib. 4. q. 7. art. 4. *isti non habent sincerum, & candidum animum restituendi. Nam qui nunc non restituunt, judicium apertum perhibent, quod neque si vixerint, restituent, atque adeo restituendi intentio illis non nisi conditionalis est, si moriantur, quæ profecto ad pœnitentiam non sufficit. Atque periculum*

istud

istud potissimum magnatibus imminet, quorum testamenta nunquam, aut fere nunquam hæredes complent, se satis se fecisse arbitrantur, ut quam restitutionem avus patris, & pater sibi testamento præcepit, eamdem ipse aliis recentibus debitis onustam, filio jubeat, quam ipse postea committit nepoti. Nescio, an hic sit legitimus illius verbi Evangelici sensus, impossibile est divitem intrare in Regnum Cœlorum. 5. Qui cum revera statim, vel proxime restituere non possint, pollicentur restitutionem faciendam, cum ad uberiorem statum venerint, quem potius possibilem credunt, quam sperent futurum; interim tamen nihil curant de sollicitudine, studioque adhibendo, ut fiant ad restituendum idonei, omittendo expensas supervacaneas, a ludis abstinendo, a comessationibus, a recreationibus, aliisque tum naturæ, tum statui suo superfluis. Et heu, quot sunt, qui ad hoc non attendentes, nec a Confessariis admoniti, sordent in peccato detentionis alienæ rei, & licet fortassis Sacramenta frequentent, æternum pereunt!

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Præfatis omnibus deneganda est absolutio, nisi resipiscant, & juxta cujusque modum restituant; præsertim si semel, & pluries moniti non paruerint. Ita docent Patres, Concilia, Pontifices, & ipsa ratio evidenter ostendit. S. Augustinus ep. ad Macedonium scribit: *Nolentes reddere, quos novimus & male abstulisse, & unde reddere possint, habere arguimus, increpamus, & detestamur, quosdam clam, quosdam palam, sicut diversitas personarum diversam videtur posse recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad majorem insaniam concitare. Aliquando etiam, si res magis vitanda non impedit, sancti altaris communione privamus*. S. Thomas de Villanova Conc. Fer. 6. post 4. Dom. Quadrag. *Prius vadat .... pecuniam alienam restituat, contractus usurarios rumpat ... & tunc ad Confessarium redeat, ut absolvatur*. Synodus Neapolitana anni 1576. a Greg. XIII. confirmata statuit: *Caveant Sacerdotes, ne ante debitam vel famæ, vel pecuniæ satisfactionem, cui restituendi facultas fuerit, aliquem absolvant, præcipue ubi Pœnitens datum in superiori confessione præceptum neglexerit*. Concordiensis anni 1587. Par. 3. de Pœnit. *Si Pœnitens proximo damnum dederit, vel aliquid furto abstulerit ... illum ante satisfactionem ne absolvat Sacerdos, nisi justa de causa satisfactionem ei Parochus, ad aliquod tempus distulerit*. Idem repetit Anagnina Synodus anni 1569. cap. 20. de Pœnit. *Caveant, ne ante debitam satisfactionem quempiam absolvant, cui sit facultas restituendi aliena, vel pia legata adimplendi*. Denique hæc universalis regula tanquam omnino certa præstituitur in Rituali Romano de Sacram. Pœnit. his verbis: *Nec absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt, cui sit facultas restituendi aliena, vel pia legata adimplendi*: Ab hac regula non recedendum docent Theologi, inter quos Cajetanus scribens: *Iis, qui semel admoniti, ut vel debita solvant, vel aliena restituant, mandatis non paruere cum possint, sed sancte pollicentur hac vice restituturos, respondendum vobis quidem credo, sed ite hoc passu, & firmum, quod geritis, consilium executioni mandate, ut postea absolvamini*. Et revera quomodo prudens, & studiosus Confessarius sibi persuadere poterit, hos toto corde, tota anima, totis viribus ad Deum converti, ut oportet ad beneficium absolutio-

tionis obtinendum, qui admoniti semel, & fortassis pluries, ut debita solvant, & aliena restituant, nunquam paruere, vel nullam adhibuere diligentiam, qua se ostenderent animo ad restitutionem sibi possibili modo faciendam paratos?

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Ad restitutionem re faciendam, quandoque necesse est etiam a proprio statu decidere. Huic doctrinæ adversati sunt nonnulli benigniores casuistæ, quos false deridet Montaltius ep. 8. scribens ex Escobario. *Rogo, an cedens bonis tuta conscientia possit sibi; & familiæ suæ, ne indecore vivat, necessaria retinere? Cum Lessio assero posse: quod quidem est verum, licet debita, pro quibus cedit, sint ex injustitia, & notorio delicto contracta; quamvis tunc non possit tantum, quantum alius, sibi retinere.* Verum hæc doctrina, utpote falsa, improbabilis, & laxa, ab omnibus Theologis rejicitur, qui cum Sylvio 2. 2. q. 62. a. 8. Concl. 2. sentiunt: *Non excusat a restitutione statim facienda detrimentum etiam magnum bonorum, vel status, si illa bona, & status sint inique parta. Quod adeo verum est, ut quamvis ad laborem manuum, vel etiam ad mendicitatem, in qua prius fuerat, redigendus sit talis alienorum bonorum occupator, nihilominus debeat statim restituere, sive dominus ex restitutione damnum patiatur, sive non; quia nihil est quod hujusmodi occupantem queat excusare ab accelerata restitutione; nullum enim damnum patitur in suis bonis, cum ponantur omnia esse aliena.* Addit tamen, nisi forte, qui omnia restituens, & ad deteriorem statum redactus, famam, & bonum nomen amitteret. Quod & confirmat S. Antoninus p. 2. tit. 2. cap. 8. dicens: *In certis casibus non tenetur quis ad statim restituendum actualiter, etiamsi habeat modum ad restituendum, ut.... dum ex subita restitutione ille, qui restitueret rem ablatam, per furtum, vel aliud vitium detegeretur, & inde infamaretur; cum fama sit quid notabilius, quam substantia corporalis. Cum ergo quilibet debeat providere conservationi famæ suæ, potest differre restitutionem usque ad tempus, quo non deprehendatur in crimine, & diffametur, si aliter provideri non potest.* Quod quidem verum esse censeo, quando agitur de sola dilatione restitutionis: nam, si ageretur de omissione totali restitutionis, aliter sentiendum esset, ut post pauca dicemus. At si statum, quem obtinet, juste possideat, tunc optime docet Sylvius lo. cit. *Si quis non potest statim restituere sine notabili detrimento suarum rerum, vel sui status juste acquisiti, potest restitutionem, sive solutionem differre, donec sine tali detrimento id possit; modo tamen ipse creditor non patiatur ejusmodi damnum. Quæ clausula ideo additur, quia debitor etiam cum magno suo damno tenetur statim restituere, vel debita solvere, si alioquin creditor pateretur gravem jacturam. Extra casum enim extremæ, vel quasi extremæ necessitatis, in pari casu damni, potior esse debet conditio creditoris.* Sed de his iterum redibit sermo in sequentibus capitibus.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De aliis restitutionis circumstantiis, nimirum ordine, loco, & modo.

DOCTRINA.

I. *Quando omnibus satisfit creditoribus, parum interest ordinem servare.*

II.

I. DE ordine, quo qui damnum intulerunt communi consensu, vel conspiratione, restituere teneantur, diximus in superiori capite: nunc dicendum de ordine in restitutione facienda injuste læsis servando. Et primo quidem, si debitor sit solvendo omnibus suis creditoribus, parum interest, utrum uni prius, quam alteri restituat; dummodo & justa fiat restitutio, & nulla intersit respectu aliquorum injusta dilatio. At difficultas est, quando debitor non omnibus suis creditoribus satisfacere valeat, quos præferre teneatur. Pro cujus quæstionis solutione nonnulla sunt præmittenda.

II. Et primo quidem variæ sunt tum debitorum, tum rerum reddendarum distinguendæ classes. 1. Debita alia sunt plane certa, alia incerta, vel quia ignoras creditorem, vel quia dubitas, num solvere tenearis. 2. Alia sunt realia, alia tantum personalia. Priora dicuntur illa, pro quorum solutione bona debitoris vel generali, vel speciali hypotheca obligata sunt. Posteriora vero, quando creditor in personam quidem debitoris actionem habet immediate, non vero immediate in ejus bona. 3. Alia sunt debita, quæ privilegiata dicuntur, quia eorum creditores ex legum favore, & privilegio aliis sunt præferendi: alia simplicia, sive ordinaria, pro quibus non est creditoribus speciale privilegium concessum. 4. Alia debita sunt ex delicto, ut ex furto, rapina, injusta rei alterius detentione: alia ex legitimo contractu, vel onerofo, puta emptione, locatione &c. aut gratuito, & liberali, puta promissione, legato, donatione &c. Denique res aliis debitæ vel in possidentis transierunt dominium, sive extent, sive non extent, ut pecunia mutuo accepta, domus empta, & similia; vel non sunt in ejus dominio, ut res in pignus acceptæ, vel in depositum, vel titulo commodati, & similia. His prænotatis sequentes statuuntur regulæ.

REGULA PRIMA.

III. Leges tum civiles, tum canonicæ, quæ aliquem servandum præstituunt ordinem inter creditores, ut alius scilicet alii præferatur, obligant in conscientiæ foro, & sunt custodiendæ. Nam hujusmodi leges & justæ sunt, & institutæ ad pacem inter cives conservandam, & ad commerciorum æquitatem fovendam. Præterea ad Supremas Potestates pertinet regulas, & leges statuere pro legitima possessione, translatione, alienatione rerum temporalium, ut alibi ostendimus. Id docet S. Th. 1. 2. q. 96. a. 9. scribens: „ Leges „ positæ hominibus, si justæ sint, ha„ bent vim obligandi in foro conscien„ tiæ a lege æterna, a qua derivan„ tur,

„ tur, secundum illud Proverb. cap. „ 8. *Per me reges regnant, & legum* „ *conditores justa decernunt* ". Non licet propterea creditoribus sibi debita præoccupare cum aliorum detrimento, sed juris ordine servato, quod suum est, recuperare debent. Nec solum hæ leges sunt attendendæ, sed, ut optime animadvertit S. Antoninus p. 2. tit. 2. cap. 7. etiam servandæ leges municipales, & vigentes consuetudines. *Verum* (scribit I. Doctor) *ubi lex municipalis, seu statutum civitatis aliter disponeret, illi est standum, etiam in foro conscientiæ, si non sit expresse contra Deum*.

REGULA SECUNDA.

IV. Debita ex delicto, vel titulo onerofo præferenda sunt in solutione debitis ex solo gratuito titulo. Veritas, & æquitas hujus Regulæ est de se manifesta: nam in omni gratuita promissione, donatione, vel legato hæc subintelligitur annexa conditio, si nullum fit tertii detrimentum, & res immutatæ permaneant; alioquin injusta foret præfata largitio, quæ vergeret in damnum alterius, & ipsum largientem ineptum redderet ad justitiæ officium implendum, solvendo quod alteri debet. Non licebit igitur acceptare legata, vel donationes, si donator hujusmodi largitionibus impos fieret ad æs alienum titulo oneroso dissolvendum.

REGULA TERTIA.

V. Res, quæ sunt in debitoris quidem possessione, at non in ejus dominio, sunt dominis suis restituendæ. Ratio aperta est: nam hujusmodi res clamant domino suo, nec inter bona debitoris sunt connumeranda, proinde non possunt in ejus cedere utilitatem, & ad ejus æs alienum solvendum inservire. Eapropter depositum, pignus, commodatum sunt restituenda, sicut & res furto, aut rapina ablatæ, si in sua specie existant; secus, si sint vel rebus domini permixtæ, ut pecunia, vel consumptæ, tunc enim censentur in debitoris transisse dominium onere restitutionis gravatum.

REGULA QUARTA.

VI. Debita certa prius solvi debent, quam debita incerta, sive de quibus dubitatur, num revera debeantur; sive, licet sciatur certo deberi, ignoratur tamen, cui debeantur. Prima pars hujus Regulæ est certa, & pene unanimi gaudet Theologorum consensu. Nam certi creditores non sunt re sua sibi certo debita privandi, pro servando incerto jure alieno. Accedit consensus pene omnium Regnorum, & populorum, qui satis indicat quodammodo inter se convenisse, ut prius certa solvantur debita, quam incerta. Altera vero pars non ita communiter recipitur, immo a multis, & quidem merito oppugnatur; suis enim premitur difficultatibus: nihilo tamen secius esse probabiliorem censeo tum auctoritate, tum ratione. S. Antoninus l. sup. c. n. 3. scribit: *Restitutio certorum praponenda est restitutioni incertorum. Sciendum igitur, quod certa omnia obligata restitutioni, idest cum sciantur personæ, quibus facienda est, prius integraliter solvenda sunt, quam restituantur incerta, quando scilicet scitur, vel dubitatur bona restituentis non sufficere ad utrumque.* Quam doctrinam hac ratione confirmat: *Non enim succedit in pauperibus ipse Christus, nisi quando non reperiuntur personæ certæ, quibus restitui debeant certa .... Præterea pauperibus non tenentur*,

tur hæredes dare pro reſtitutione incertorum, niſi unica ratione, ſcilicet in foro Dei; ſed creditoribus certis tenentur duplici ratione, ſcilicet in foro Dei, & in foro mundi, quia poſſunt a creditoribus in judicio conveniri. Conſentit S. Bernardinus Senenſis ſer. 39. Fer. 6. poſt Dom. 4. Quad. art. 3. cap. 1. *Quod reſtitui debet certis perſonis, dum etiam aliis incognitis debetur, non poteſt pauperibus diſpenſari; alioquin hæc nova rapina eſt, & eſt quodammodo facere raptorem Chriſtum in pauperibus ſuis*. Ita ſentiunt Cajet. Sylveſt. Leſſ. Lugo, Genetus, Beſombes; & noviſſime Tournelius, ac Juveninus cum aliis pluribus. Rationes autem hæ proferuntur. Debita certa magis proprie, & ſpecifice ſunt debita, quam incerta; nam creditores jus certum habent in bona debitoris, unde eorum ratio eſt ſpecifica, naturalis, & civilis. Debita vero incerta, cum ad pauperes pertineant, vel ad Eccleſiam, vel ad Communitatem, iſtorum actio non eſt nec ſpecifica, nec civilis, quippe quæ in judicio non admittitur: & ſi dentur Eccleſiæ, nulla fit pauperibus injuria; ſicut nec Eccleſiæ, ſi pauperibus diſtribuantur; nec utriſque, ſi ab habente poteſtate in bonum communitatis expendantur: quod indicat iſtorum jus non eſſe ſpecificum, & rigoroſum. Præterea præſumi poteſt, incertorum bonorum dominos conſentire, ut prius certa ſolvantur debita, quam ſua incerta. 1. Quia hoc pium eſt, dum conſentiunt opem ferri debitoribus ære alieno gravatis, & a creditoribus preſſis; & eſt quædam eleemoſynæ ſpecies Deo gratæ. 2. Quia ipſis utile, nam ſolutis debitis certis, integre manet eorum jus, & quod eis eſt debitum: quod, ſi debitor ad pinguiorem devenerit fortunam, integre ſolvere poterit, in pauperes diſtribuendo, vel in pium opus impendendo. Hoc tamen intelligendum, quando res furtis, & rapinis partæ in ſe non exiſtunt, ſi enim exiſtant, ſunt omnino a bonis debitoris ſegregandæ, qui debet de rebus ſuis, non de alienis æs alienum ſolvere. Si quis itaque rapina domum alienam uſurpaverit, licet ignoretur ejus dominus, non eſt pro certis debitis danda, ſed in pauperes diſtribuenda, cum nunquam in debitoris dominium tranſierit: at, ſi domus illa pecunia furto acquiſita, empta fuerit, cum in debitoris dominium tranſierit, licet gravatum onere reſtitutionis, inter ejus bona connumerata, creditoribus certis fit obnoxia, proinde in eorum ſolutionem eroganda. At qui contra ſentiunt, hæc opponunt argumenta. 1. Ignotus, & incertus dominus æquale omnino jus habet in bona debitoris, ac creditor notus: non minus igitur ipſi ſolvendum, quam alteri. Et revera, ſi mitteret perſonam, quæ ejus nomine debitum peteret, eſſet ipſi æqualiter reſtituendum, ac ceteris creditoribus. Porro perſonas ab hoc creditore miſſas gerunt pauperes, Eccleſia Communitas. Ergo æqualiter eſt illis reſtituendum, ac ceteris creditoribus. 2. Subdit Concina: „ *Tutum non videtur, ut creditor ditari* „ *debeat ex bonis furtis, ſpoliis, rapiniſque ſublatis*. Fac bona debitoris, quæ „ ſuperſunt, uſuris, furtiſque parta „ eſſe majori ex parte, idque certo „ conſtare, ut debita certa in integrum „ ſolvantur, præfata bona turpi quæ„ ſtu quæſita ingredi ſolutionem debent. „ Quis vero Chriſtianorum, qui ſincere „ ſuæ æternæ ſalutis amore flagrat, „ vellet in ſolutionem ſui debiti talia „ recipere bona „? Fateor hæc argumen-

tá non esse omnino contemnenda: at non sunt tantæ efficacitatis, ut rem omnino evincat, & nostrarum rationum vim enervent. Nam ad 1. dici potest, jus ignoti creditoris esse quidem æquale juri aliorum creditorum, si in abstracto spectetur, & præcisum a circumstantiis; secus vero, si, ut ita dicam, in concreto & in se considerentur. Nam creditorum, qui noti sunt, credita in his circumstantiis & liquida sunt, & certa; ignoti vero solum præsumpta, quia nimirum præsumitur velle, quod sibi debetur, & reddi non potest, ut in pauperes distribuatur. Quæ præsumptio alia eluditur præsumptione, nimirum velle huic pauperi debitori potius subvenire in solutione æris alieni certi, & jus sibi reservare, ad quod suum est recipiendum per pauperes, si debitor ad meliorem statum devenerit. Ad 2. Paupeperes, Ecclesia, Communitas non vere substituuntur ab ignoto creditore, sicut substitueretur aliqua determinata persona, ad quod suum est exigendum; sed fictione juris præsumitur missa, ac proinde totum illius jus in præsumptione fundatur: quæ num locum habeat in his circumstantiis, merito dubitatur, ut mox diximus ob aliam oppositam præsumptionem. Ad argumentum vero ex P. Concina desumptum resp. 1. invidiam conflari oppositæ nostræ opinioni per verbum *ditari*, dum dicit Concina „ quod „ debeat creditor *ditari* ex bonis furtis, „ rapinisque sublatis, tutum in con„ scientia non videtur “. Nam hic nullo pacto creditor *ditescit*: non enim ille dives fit, qui tantum accipit, quantum dedit; sed qui supra id, quod erogavit, lucratur. Quamobrem si verbi auferatur invidia, jam nulla superest ratio probans, sed mera controversiæ expositio. Itaque corrigatur Concinæ propositio hoc pacto, quod creditor *sibi debitum ex justitia recipiat ex bonis debitoris, etiam furto, spoliis, rapinis sublatis, tutum non est in conscientia*: at nunc ejus falsitas non adeo luculenter, & clare apparet, immo est id, quod in controversia ponitur; maxime si addatur, hæc bona furtis, rapinisque parta esse incertis, ignotisque dominis restituenda. 2. Dum addit „ nullum Chri„ stianorum suæ æternæ salutis amore „ flagrantem fore, qui velit in solutio„ nem sui debiti talia bona recipere “, rem iterum nimis exaggerat. Nam nec Ecclesia, nec pauperes deberent velle, accipiendo hujusmodi bona ditescere bonis usuris, rapinis, furtisque partis, sed ea rejicere, & dominis suis restituenda mandare. At inquies, non est huic restitutioni locus. Si ergo legitimis dominis reddi non possunt; cur non inservire poterunt ad æs alienum ex justitia debitum dissolvendum, quod hic & nunc urget debitorem, qui semper, si meliorem statum nanciscatur, restituere poterit ignotis dominis eleemosynas largiendo? Flagraret quidem sincero suæ salutis amore creditor, qui, sicut ei consulit Concina, pauperes in partem suæ solutionis admitteret, de salute autem non periclitaretur, quis, quod sibi certo debetur, ex bonis debitoris reciperet sibi obnoxiis. At inquiet forrassis aliquis. Unde tibi tanta scientia, ut in plane ambigua, & difficili quæstione definire audeas, quod doctissimus, & sapientissimus Theologus in suspenso reliquit, & Theologi Christiani esse dixit, quæ ignorat, indefinita relinquere? Resp. Me a Pyrrhonismo, sicut & a Probabilismo in re Morali abhorrere; & potius male, quid ipse sentiam, quidque probabilius mihi videtur, libere promere, quam Lectores meos, præfer-

tim Tyrones, in incerto relinquere. Quæstionem non definio, quid mihi probabilius videatur, profero, a sapientioribus corrigendus, si erravero.

Regula Quinta.

VII. Debita ex delicto, puta rapina, furto &c. non sunt prius solvenda, quam debita ex contractu oneroso, nisi tempore præcederent. Huic regulæ non omnes consentiunt Theologi. Sunt enim, qui putant, debita ex delicto esse debitis ex oneroso contractu præferenda, quippe quæ duplicem secum afferunt obligationem, nimirum tollendi injuriam Deo irrogatam per opus iniquum, & inducendi æqualitatem erga proximum; dum ex contractu oneroso debita non nisi posteriorem inferunt obligationem. Et huic sententiæ favere videtur Auctor Opusculi 73. de usuris D. Thom. tributi. Qui hanc tuentur sententiam, hunc ordinem inter debita ex delicto statuunt, nimirum. 1. Solvendum, quod ex rapina debetur. 2. Quod ex furto. 3. Quod ex usuris: postea subsequuntur debita ex titulo oneroso, semper præferenda debitis ex contractu gratuito, promissione, donatione, legatione. Alii vero ex opposito præferenda docent debita ex contractu debitis ex delicto, & certe debitis ex usura. Pro qua sententia citatur Natalis Alex. qui tamen potius adhærere videtur priori sententiæ, quam postea regulæ a nobis traditæ subjicit, ut mox videbimus. Denique alii putant, nullam esse ordinis servandi obligationem, sed omnibus pro rata solvendum; cum nulla sit lex, quæ hanc prælationem vel statuat, vel concedat. Inter has opiniones, quam præstitui regulam, puto probabiliorem, & æquitati magis respondentem: nam bona debitoris fiunt obnoxia danti, quando est solvendo; & tunc creditor jus certum obtinet in ea bona, quo jure expoliari non potest per posteriora debita, quibus non fiunt obnoxia bona debitoris jam alteri creditori obligata. Hinc, si debita ex delicto præcesserunt debita ex contractu, illa sunt præferenda; secus si hæc illa præcesserint. Id optime docet S. Antoninus P. II. Tit. 2. cap. 7. *Sicut enim si acciperetur ab aliquo divite, ut daretur eleemosyna pauperi, ut dicitur 14. quæst. 5. Canon. forte: Ita & injustum videtur de eo, quod juste debetur alteri, puta titulo honesti mutui, vel emptionis, vel alicujus liciti contractus, restituere alienum, & non sunt facienda, mala, ut eveniant bona... Indecens videtur usuram restitui de re juste alteri obligata. Nam per hoc non tollitur injuria facta proximo, & Deo, sed additur nova, quia alienum aufertur; nec enim tenetur Deo: aut proximo ratione usuræ perpetratæ, vel alterius mali oblati, nisi inquantum potest de jure. Nemo enim ad impossibile obligatur. Si igitur non potest restituere usuram, nisi subtrahendo jus alterius, pro tunc excusatur a restitutione.* Hinc patet, quid respondendum sit argumento in favorem primæ sententiæ, nimirum in furto duplicem reperiri injuriam Deo, & proximo irrogatam, dum in contractu oneroso nonnisi injuria habetur proximi; respondendum; inquam, injuriam Deo irrogatam tolli per pœnitentiam, & restitutionem debito, & justo ordine peractam, scilicet ut prius restituatur, quod prius est alteri obnoxium, & debita ex delicto solvantur ex re propria debitoris, non ex re aliena, illa scilicet, quæ jam est creditori per onerosum contractum obnoxia. Auctor autem

Opusculi 73. D. Th. tributi, licet in favorem primæ sententiæ proponat argumentum mox solutum, tamen non illi absolute adhæret: nam postquam dixit, *secundum hoc videntur prius restituenda ablata, quam solvenda debita*, statim subdit, *sed contrarium fit ut in pluribus, quod tamen habere potest rationem ex duobus* &c. At si ignoretur, quænam sint priora, an debita ex delicto, an ex contractu, vel ita invicem mixta, ut discerni non possint; tunc tertiæ est adhærendum sententiæ, nullum in solutione servandum ordinem, sed ex bonis debitoris omnibus creditoribus tum ex contractu, tum ex delicto esse pro rata satisfaciendum. Quod verum puto, etiam quando debita ex delicto præcedunt illa ex contractu, si leges humanæ spectentur, quæ inter hujusmodi debita non distinguunt; & in foro exteriori non major habetur ratio debiti ex delicto, quam ex contractu: quamobrem judicis legitimi sententiæ standum esset in restitutione facienda.

Regula Sexta.

VIII. Privilegia quibusdam creditoribus concessa a legibus, sunt & in foro conscientiæ observanda. Nam hujusmodi privilegia sunt a legitima potestate concessa, & etiam in naturali æquitate fundata. Sunt itaque locorum leges, & consuetudines servandæ circa hujusmodi privilegia, quæ jure Romano inspecto in tres dividuntur classes. 1. illos complectitur, qui tali gaudent privilegio, ut omnibus etiam hypothecam habentibus præferantur. Hi sunt, qui pecuniam crediderunt ad domum, vel turrim sive ædificandam, sive reparandam, & his similia, qui præferuntur ceteris creditoribus hypothecam non solum generalem, sed & specialem habentibus in re. Æquitas hujus prælationis in eo sita est, quia sine tali subsidio res non extitisset, vel periisset; atque ita primus creditor nihil, vel parum commodi ex re sibi obnoxia percepisset. 2. Pari pacto privilegio tali gaudet, qui pecuniam mutuo dedit, ut alter rem immobilem, & frugiferam emeret, nam æquitati consonum est, ut in eam rem jus habet hypothecæ supra alios creditores, qui suo mutuo effecit, ut debitor rem talem possideret. 3. Illi, qui pro mercium vectura domino mutuum dedere, sicut & qui domum locaverunt: quibus in illis mercibus, & supellectilibus a jure tribuitur hypotheca, per quam aliis præferuntur creditoribus specialem, vel generalem hypothecam habentibus.

IX. Inter creditores vero hypothecarios hic ordo servandus. 1. Præferendi sunt illi, qui specialem, vel generalem hypothecam habent in rebus debitoris, respectu illorum qui creditores personales dicuntur: & merito, quia illi jus habent non solum in personam, sed & in bona debitoris sibi obnoxia. Inter hypothecarios vero privilegio prælationis gaudet hypotheca dotalis, per quam omnia bona mariti obnoxia sunt pro dote uxoris, sed solum respectu illorum, qui habent hypothecam generalem: nam communiter tum Juristæ, tum Theologi aliquibus solum reclamantibus, hoc privilegium doti non concedunt contra illos, qui specialem habent hypothecam. Hinc doctus Jurisperitus Bossius tract. de Dote cap. 18. num. 45. constanter affirmat, *ita in praxi servari, & ab hac consuetudine nec in consulendo, nec in judicando esse recedendum*. Et revera asperum nimis, & minus æquum videtur, creditores superveniente matri-

trimonio anteriores suo jure jam acquisito per expressam hypothecam in bona mariti spoliari. Si qua tamen foret Provincia, vel Regnum, ubi contraria lex, vel consuetudo vigeret, illi standum esset; cum omnes contractus, ut non semel diximus, sed præcipue dotes juxta leges celebrari debeant, & effectum sortiri. 2. Ante alios creditores habentes hypothecam solvenda est pecunia data a Tutore nomine pupilli, seu impuberis ad emptionem domus, prædii oliveti, & hujusmodi, licet de hypotheca nulla fiat mentio in contractu; & hoc ex speciali privilegio statui pupillari concesso. 3. Privilegio prælationis gaudet etiam Fiscus respectu illorum, qui anteriorem habent hypothecam generalem, non vero illorum, qui speciali tenentur hypotheca: quamobrem si concurrant & dos uxoris, & jus fisci, præfertur, quod prius est tempore. 4. Præfertur etiam aliis anterioribus creditis jus illius, qui pecuniam causa militiæ dedit, nempe pro sustentatione in castris, pro armorum, vel equorum emptione. Sunt & nonnullæ hypothecæ privilegiatæ apud Juristas legendæ, & in peculiaribus casibus examinandæ. Inter illos vero, qui hypotheca privilegiata non gaudent, sola est servanda prioritas temporis juxta regulam 54. juris in 6. *Qui prior est tempore, potior est jure*. Et jure merito, nam quando res hypothecæ subjicitur, quodammodo alienatur in favorem creditoris: quapropter æquum non est, ut contra ipsius creditoris voluntatem ad posteriora dissolvenda debita vel adhibeatur, vel rursum obligetur. Hinc communiter docent Theologi, vim obtinere præfatam regulam, etiamsi hypotheca prior tacita sit, & posterior expressa: cum enim hypotheca tacita ea sit, quæ licet in contractu non expressa, ex favore tamen legum inducitur, & expressa, quæ in contrahendo exprimitur; non minus priori, quam posteriori hypotheca res facta est creditori obnoxia; quapropter contra voluntatem primi creditoris distrahi non potest: sicut sive prior generalis sit, & posterior specialis pari ratione, quia & ipsa pars rei, quæ speciali hypothecæ subjicitur, jam generaliter priori creditori erat obnoxia. Hinc l. 6. ff. *Qui potior in pignore* statuitur: *Si generaliter bona sunt obligata, & postea res alii specialiter pignori detur; quoniam ex generali obligatione potior habetur creditor, qui antea contraxit, si ab illo priore tempore te comparasti, non oportet te ab eo, qui postea credidit, inquietari.*

X. Inter creditores vero mere personales, & simplices nullo privilegio donatos, vel hypotheca munitos, si naturale jus spectetur, procul dubio, ut optime docet Concina, sunt priores in tempore posterioribus præferendi: quia illi primi jus adipiscuntur directe quidem in personam debitoris, indirecte vero in ejus bona, quæ obnoxia fiunt, Creditori pro solutione; cum non ipsa persona debitoris væneat, sed ad solutionem per sua bona præstandam obligetur. At fallitur, ut puto, laudatus Auctor, dum scribit, nihil expresse in jure de hoc esse statutum. Nam 1. certum est, ut omnes testantur Theologi Galli, quod lex est, & consuetudo viget in Galliis, quæ nullam concedit his creditoribus prælationem, sed omnibus chirographarios, & simplices creditores æquales omnino facit, &, si debitoris bona ad omnibus satisfaciendum minime sufficiant, jubet, ut debitores bona

bona pro rata crediti inter creditores dividantur, ut testantur Habert, Juveninus, & ceteri omnes. Immo & in ipso jure civili ita esse statutum, affirmat S. Antoninus P. II. tit. 2. cap. 7. §. 3. qui legem pro debito 6. Cod. ff. *de rebus auctoritate judicis possidendis* ita statuentem allegat: *æquali portione pro rata debiti quantitate omnibus creditoribus consuli potest*. Cui additur & alia lex *Privilegia* 32. *Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa, & si ejusdem tituli fuerunt, concurrunt* (idest æqualis ratio habenda est) *licet diversitates temporis in his fuerint*. Deinde laudatus S. Præsul consuetudinem affert Florentinam, per quam creditoribus omnibus pro rata satisfit, quando non omnibus integre, quod ipsis debetur, reddi potest. Denique concludit: *Sexto, & ultimo veniunt chirographarii pro rata, non attenta prioritate contractuum, quia licitum est debitori pro cumulo creditorum facere deteriorem causam creditorum piorum* (minus scilicet solvendo, quam ipsis debeat) *nec dominium, nec hypothecam, nec privilegium habentium*. Quapropter nonnulli Theologi, qui juri naturali standum contendunt, dicunt has leges Juris civilis fuisse a Jure canonico correctas illa generali regula, *Qui prior est tempore, potior est jure*: cum tamen illa regula nonnisi pro creditoribus hypothecariis data sit. Immo hoc idem fateri videtur Concina, dum quæstionem movens n. 22. num possit debitor uni ex creditoribus solvere integrum debitum, si impotens hinc evadat ad solvenda cetera debita; positis quibusdam limitationibus, & exceptionibus concludit, *non posse*, hac quidem validissima ratione: *Quandoquidem, cum jure naturæ omnes creditores sint æquales in jure exigendi, necessario consequitur, ut sint quoque æquales in solutione, & ut pro rata singulis solvatur, quod ex bonis debitoris competit*. Quæ responsio profecto locum non haberet, si prioritas temporis esset spectanda: tunc enim prioribus satisfacere deberet etiam cum detrimento posteriorum; & supponere omnes esse æquales, nedum in jure, sed & in tempore, ridiculum foret, cum impossibile sit, ut uno, & eodem tempore plures, & plane diversi celebrentur contractus, ex quibus plurima emergant debita. Dicendum est igitur, & ex civili lege, & ex pene universali consuetudine creditores mere personales, & chirographarios, & simplices nullum inter se jus habere prælationis, sed omnibus pro rata tum crediti, tum facultatis debitoris esse tribuendum.

XI. Sunt tamen & inter istos, qui privilegio prælationis donantur. Nimirum 1. præferuntur sumptus funeris, quo nomine comprehenditur quidquid ratione corporis erogandum est; qui præferuntur etiam tacitæ hypothecæ anteriori, immo juxta nonnullos etiam hypothecæ anteriori expressæ; dummodo tamen sumptus consueti fierent, & moderati. 2. Debita tempore ultimæ infirmitatis apud Pharmacopæos, Medicos, Chirurgos contracta, ne scilicet infirmi omni auxilio destituantur, & ex deficientia medicinæ mortem oppetere cogantur: nisi enim hujusmodi creditores hoc privilegio donarentur, infirmis remedia denegarent, cum scirent, vel suspicarentur se fructum mercium, vel operum, vel laborum pretium, & mercedem non fore consecuturos. 3. Sponsa, quæ ante matrimonium dotem tradit sponso, matrimonio minime secuto, privilegio gaudet prælationis ceteris creditoribus nec tacitam, nec expressam hypo-

hypothacam habentibus. 4. Qui pecuniam deposuit apud publicum depositarium, vel nummularium aliis ejusdem creditoribus personalibus præfertur; si tamen usuram non perceperit: tunc enim non depositarius, sed mutuator foret, & aliis creditoribus æquiparandus. 5. Qui primi in judicio creditum suum postulant, obtinentque sententiam in sui favorem; quia lex vigilantibus favet: quamobrem nonnulli sentiunt; quod si aliquis creditor ante executionem sententiæ in favorem alterius creditoris latæ, ipse & parem obtineat sententiam, & executionem opere compleat, esset alteri præferendus, nec re occupata privandus. In quo tamen fori leges, Principum statuta, & legitimæ consuetudines sunt attendendæ. Falso tamen nonnulli Theologi hoc privilegium concedunt creditori, etiam privatim a suo debitore solutionem petenti: nam, ut in Consectariis dicemus, non licet debitori alterum ex suis creditoribus præferre cum aliorum detrimento.

XII. De loco vero, ubi facienda est restitutio, & de expensis ad eam perficiendam subeundis loquentes, nonnulla distinguamus, oportet. 1. Est, num qui restituere debet, sit bonæ fidei possessor, vel malæ: aliter enim de illo sentiendum, ac de altero. Possessor itaque bonæ fidei solum tenetur rem restituere in loco, ubi eam possidet; nec ullas subire tenetur expensas, sed solum dominum monere de re sua apud se manente, & illi restituenda. Hujus doctrinæ ratio est manifesta: quandoquidem, cum bonæ fidei possessor nullam irrogaverit domino injuriam, nec ullum detrimentum sentire debet; quapropter si rem domino transmittat, expensas repetere poterit. Excipiendum tamen, nisi forte possessor bonæ fidei, negligens dominum rei inquirere, rem secum alio transtulerit; tunc enim teneretur rem propriis expensis ad dominum traducere, illis dumtaxat detractis, quas dominus pro re sua transferenda subiisset. Dixi, si ex possessoris culpabili negligentia translatio fiat; nam si vel bona fide adhuc ignorans rem esse alienam, vel causam domini agens, & in ejus utilitatem rem alio transtulisset, tunc restitutio non ipsius, sed domini expensis esset facienda. Si vero dominus longissime absens, vel commonefieri non possit, vel sine magnis expensis mitti non possit; tunc possessor rem penes se conservare poterit, donec opportunum vel monitionis, vel transmissionis tempus occurrat: poterit etiam juxta varias circumstantias rem in tuto loco deponere, ut docet S. Thom. hic qu. 62. art. 5. ad 3. scribens: *Si vero sit multum distans, debet sibi transmitti, quod ei debetur; & præcipue si sit res magni valoris, & possit commode transmitti: alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conservetur, & domino significari, vel consanguineis, & propinquis domini tradere, vel denique si res sit exigui momenti, & valoris, in subsidium pauperum distribuere.*

XIII. Si vero res sit alteri debita a possessore malæ fidei ex delicto vel injustæ ablationis, vel detentionis, vel illati damni; tunc restitutio facienda est, non in loco, ubi res extaret, si ablata non fuisset, sed ubi dominus eam haberet, nisi injuste ablata, detenta, vel destructa fuisset: & quidem ratione clarissima: nam ex delicto obstrictus rem domino restituere, ita tenetur reddere, ut dominum omnino servet indemnem; iniquum enim esset, si innocens ex alterius culpa damnum sen-

ſentire deberet, ut confirmat etiam Regula 22. de Regulis juris in 6. *Non debet aliquis alterius odio prægravari*: gravaretur autem dominus, & indemnis non ſervaretur, ſi rem ſuam eo in loco non haberet, ad quem eam vel nullis, vel exiguis impenſis tranſtuliſſet, niſi eo invito ablata, vel detenta fuiſſet. Tenetur igitur injuſtus poſſeſſor ſuis expenſis rem ad locum transferre, ubi dominus eſt, ut ei reddatur.

XIV. At inquiebas, quibus, & quantis impenſis? Num magnis etiam, & graviſſimis, puta, ut expendat centum pro reſtituendis decem? Diſſentiunt hac de re Theologi, & in tres diſpertiuntur ſententias. 1. Nonnulli ſentiunt, debitorem ex delicto teneri rem alienam reſtituere quantiſcumque ſuis expenſis, etiam rei valorem longius ſuperantibus: quia inquiunt, cum dominus jus habeat in re ſua, quæ domino ſuo ſemper clamat, æquum non eſt ipſum alterius culpa, & nequitia re ſua carere; & debitor ſuæ debet imputare malitiæ, quod ſine tantis expenſis, & gravi ſuo detrimento nequeat reſtituere. Immo non raro contingit, ut quis ad reparationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis ad quadruplum, & ultra reſtituendum teneatur. Proinde mirum eſſe non debet, ſi æquales, vel majores expenſas ſubire debeat ad rem ſuam creditori reſtituendam. Ita ſentiunt Cajet. 2. 2. q. 62. art. 5. & Pontaſius V. Reſtitutio caſu 189. 2. Alii vero benigniores docent, non teneri ad reſtitutionem, ſi expenſæ faciendæ ipſius rei valorem ſuperent; ſed tunc differre poſſe reſtitutionem, donec opportuna occurrat occaſio reſtituendi ſine tanto onere; quod ſi nulla ſuperſit ſpes commodæ occaſionis, eſt res reſtituenda vel proximis conſanguineis, vel hæredibus, & his deficientibus, in pauperes eroganda. 3. Alii media via incedentes docent, debitorem teneri ſubire eas expenſas in re tranſmittenda, quæ non ſuperant duplo damnum creditoris: quia inquiunt cum creditor ſit innocens, debitor vero nocens, duplo major eſt ratio, ut damnum ſubeat debitor nocens, quam re ſua careat creditor innocens; quamobrem, ſi ille pro reſtitutione facienda vel æquale damnum, vel etiam duplo majus ſubire debeat, quam creditor ex carentia rei ſuæ, tenetur cum tanto onere reſtituere. Ex his opinionibus primam nimis rigidam puto, quæ, dum juſtitiæ favere videtur, caritatem lædit, quæ & eſt finis omnium virtutum, & omnes regit, & ſibi ſubordinat, non enim præſumendum eſt, dominum velle debitorem ſuum, etiam culpabilem, reſtitutionem facere cum maximo ſuo detrimento; adeo ut pro uno aureo reſtituendo centum expendere teneatur, ſi tot ſint neceſſaria ad reſtitutionem faciendam. Quamobrem & ipſa Cajetanus ad quadruplum onus reſtitutionis extendit: at nemo, puto, erit, qui ad decuplum, vel centumplum onus dilatare auderet. Secunda vero ſententia & nimium benigna eſt, & nullo ſolido fulcitur fundamento, dum limitat non ad majores teneri expenſas, quam ipſa res in ſe valeat, cum fieri poſſit, ut damnum, quod patitur creditor ex carentia rei ſuæ, ſit ipſi gravius, quam debitori reſtitutio etiam duplicatis expenſis. Quamobrem tertiæ ſententiæ tanquam mihi veroſimiliori aſſentior; dummodo tamen quantitas damni a debitore ſubeundi non materialiter, & arithmetice comparetur cum quantitate damni creditoris, ſed geometrice, & moraliter. Nam fieri poteſt, ut pauper creditor majus patia-

tur

tur damnum ex carentia decem aureorum, quam debitor ex carentia viginti; proinde tenentur ad pauperis damnum reparandum, etiam cum damno suo viginti aureorum. Sunt itaque expendenda damna, & detrimenta utriusque creditoris, & debitoris: & quando æquale, & paulo majus est damnum creditoris ob carentiam rei suæ, & debitoris ob expensas faciendas ad restitutionem, tunc reus debitor eas subire tenetur, ut alterum servet indemnem; si vero damnum debitotis longius excedat detrimentum creditoris, tunc posset differre restitutionem opportunius faciendam ex præsumpta creditoris voluntate, qui ex caritate velle nec debet, nec potest, ut debitor cum tanto suo detrimento restituat. Rem exemplo illustro. Quis ex furto centum restituere debet, & reddere non potest, nisi centum expendat, cum æquale sit damnum & creditoris carentis sua pecunia, & debitoris in solvendis expensis, debitor tenetur cum tali damno restituere: non enim æquum est, ut damnum subeat innocens creditor ad liberandum nocentem debitorem a pari damno. Si vero pauper a divite centum furatus sit, & restituere non possit, nisi centum, vel etiam quinquaginta expendat, quod ipsi maximum affert detrimentum, & quidem longe majus, quam diviti carentia centum, differre poterit restitutionem, vel in tuto pecuniam collocare, donec opportuna sibi occurrat occasio restituendi sine tanto detrimento. E contra, si dives pauperi rustico damnum intulerit decem aureorum, quod compensari non possit, nisi per expensas viginti, vel etiam triginta aureorum, cum hoc onere restituere debebit; nam longe majus detrimentum patitur pauper rusticus carentia decem aureorum, quam dives carentia viginti, vel triginta: in qua tamen comparatione non est pecunia debita computanda, cum per ejus simplam restitutionem nullum debitor patiatur damnum, cum ad ejus bona non pertineat. Hoc pacto puto, & justitiæ jura servari, & caritatis leges temperari.

XV. Denique quoad modum, restitutio ita est facienda, ut res perveniat ad manus creditoris. Hinc possessor malæ fidei nunquam ab onere liberatur restitutionis, nisi res tuto, & certo ad manus pervenerit creditoris: hoc enim solum modo inducitur æqualitas in justitia præcepta. Recolantur ea, quæ diximus cap. 16. consect. sexto.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Doctrina omnino improbabilis a Salmanticensibus prolata refellitur.*

II. *Num res credito vendita sit reddenda venditori.*

III. *Qui bonis cedunt, non semper ab onere integræ restitutionis liberantur.*

IV. *Quid recipere possint privilegiati creditores.*

V. *Non licet debitori alium creditorem alteri præferre, quando non omnibus est solvendo.*

VI. *Debita ex contractu ubi, & quomodo solvi debeant.*

Consectarium Primum.

I. FALSA habenda est, & laxa Salmanticensium doctrinam, qua affirmant, non improbabilem esse illorum sententiam, qui asserunt, leges præcipientes servandum ordinem in creditorem prælatione esse mere pœnales, & in conscientia non obligare. Fateor qui-

quidem laudatos Theologos contrariam opinionem, ut veram, & probabiliorem defendere, & docere: at dum hæc addunt, & a veritate animos lectorum avertunt, & ad fabulas eos convertunt. Nam cur non est improbabilis prædicta assertio? quia a nonnullis Casuistis defenditur? At paucorum Theologorum, & quidem Probabilistarum auctoritas valet ne veritatem mutare, & tutum reddere in conscientia operantem? Præterea, si concederemus eam doctrinam non esse improbabilem, quid inde sequeretur, nisi adhuc esse omnino rejiciendam? Nam si damnata est propositio 3. quæ asserebat: *Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus*: quanto magis falsa erit, & damnanda propositio, quæ docet, licere sequi sententiam *non improbabilem*, & hoc pacto innovare damnatas propositiones, & eas defendere, quod a Summis Pontificibus sub anathematis pœna vetitum est? Quænam denique ratio movere potuit Salmanticenses, ceteroquin sanam doctrinam tenentes, & propugnantes, ut hujus laxæ doctrinæ meminerint, eamque proposuerint? Hoc ipsi ultro fatentur, nimirum ut faveant creditorum cupiditati, & injustitiæ, dum non servato ordine juris sibi debita præoccupant. Scribunt enim: *in gratiam eorum, qui sibi debita præoccupant, non servato ordine juris, non desinam hic adnotare, non esse improbabilem sententiam illorum, qui asserunt tales leges in conscientia non obligare*. Sed hoc quid aliud est, nisi pulvillos ponere sub omni cubito manus, & cervicalia sub capite, ut mollius in iniquitate quiescatur?

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Res vendita credito, cujus pretium solutum non est, reddi debet venditori, si extet in specie, non vero, si cum alia emptor permutavit. Huic doctrinæ non omnes consentiunt Theologi, qui eam veram esse solum agnoscunt, quando agitur de rebus Ecclesiæ, Minorum, & Fisci, qui privilegio prælationis super alios creditores gaudent; cum in jure statutum sit talium rerum dominium non transferri per solam venditionem solutione pretii non secuta; at quoad alios negant hoc argumento. Res vendita non est amplius in dominio venditoris, quod in emptorem translatum est: quamobrem venditor repetendi suam mercem jus non habet, sed solum pactum pretium exigendi. Et revera nos quoque docuimus, venditione transferri dominium. Sunt igitur res venditæ cum ceteris debitoris bonis confundendæ, & inter alios creditores dividendæ pro rata, ut eis satisfiat. Ita sentiunt Covarruvias, Molina, Henricus a S. Ignatio, aliique plures. Sed oppositam, quam statui, opinionem probabiliorem puto. Nam licet venditione transferatur dominium; tamen, ut alibi ostendimus, non plene integreque transfertur, sed diminute: quia donec pretium solutum sit, si res existit in se, obnoxia est hypothecæ pro solvendo pretio. Et revera quicumque vendit, eo animo vendit, ut, nisi ei pactum persolvatur pretium, rem suam possit recuperare; sicut qui credito emit, eo animo emere debet, nisi injustus esse velit, ut, si pretium solvere non valeat, rem extantem restituat. Et revera ita Leges ipsæ statuunt. Nam in Institutionibus lib. 2. tit. 1. de rerum

rum divis. dicitur: *Vendita vero res, & traditæ non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori pretium solverit*. In Galliis quoque, ut fatentur illius Gentis Theologi, venditor rei immobilis, si pretium non recepit, non solum aliis creditoribus præfertur, sed jure donatur rem suam persequendi, in quorumcumque manus transierit; si vero res sit mobilis, solum occupare potest, & sibi vendicare, quandiu est in manu debitoris. Et revera æquitas ipsa naturalis postulare videtur, ut quandiu res vendita in propria specie existit, & penes emptorem, non aliis tradatur in solutione, ipso invito venditore, ad quem semper clamare videtur. Ita docent Cajetanus, Navarrus, Medina, Sylvius, & novissime Juveninus tract. 11. de Restit. cap. 5. qu. 9. aliique plures. Dixi tamen, restituendam rem venditori, si in se existit; si enim vel consumpta sit, vel in aliam permutata, vel alteri vendita, cessat jus venditoris; quia, ut animadvertit Sylvius, *res, vel pecunia, quæ in rei venditæ locum subrogatæ sunt, non subsunt hypothecæ in favorem venditoris*. Cum autem variæ hac de re sint in Regnis, & Provinciis leges, & consuetudines, illæ sunt expendendæ, & observandæ. Sic, ut notat Continuator Tournelii, in Galliis viget consuetudo, quæ concedit creditori, qui sperans se proxime pretium recepturum, rem vendidit sine præfixione diei, & termini, jus repetendi, & insequendi rem etiam mobilem. Nostram quoque doctrinam nonnulli, & quidem, ut mihi videtur, non irrationabiliter, nec injuste limitant, nisi pro pretio non soluto dati sint vel fidejussores, vel pignora; quia hæc loco pretii stare videntur. Et revera his munitus venditor, cum de recuperando pretio tutus sit, non videtur æquum, ut rem suam cum detrimento, & damno aliorum creditorum valeat repetere, quam repetendi, quando pretium obtinere potest, omnino jus amisit.

Consectarium Tertium.

III. Cum quis certo novit, rem penes se extantem alienam esse, sed ejus verum dominum ignorat, nec potest tuta conscientia sibi retinere, nec ad certa debita extinguenda expendere. Nam cum & certo sciat alienam esse, & in se res existat, ad dominum suum clamat, cui omnino est reservanda. Si itaque omni adhibita diligentia dominum invenire non possit, rem debet tuto in loco collocare, ut domino reservetur, si forte spes sit, ut aliquando comperiatur: si vero nulla sit spes, vel res servando servari non possit, est in bonum pauperum, vel Ecclesiæ applicanda. Si vero sciatur rem ad duas, vel tres personas pertinere, & ignoretur: cujus illarum fuerit, tunc vel inter illos est dividenda pro rata dubii, vel forte, earum præhabito consensu, cui danda sit, definiendum.

Consectarium Quartum.

IV. Creditores privilegiati ita prælatione gaudent, ut integre sit solvendum, quod illis debetur, licet posterioribus creditoribus nihil supersit. In hoc enim situm est prælationis privilegium ob commune bonum aliquibus personarum cœtibus concessum: frustraneum enim alioquin esset hujusmodi privilegium, si cum aliis debitoribus concurrerent & æqualiter cum illis pro rata debitoris bona partiri deberent. Inter hos vero privilegio prælationis donatos illi præferuntur, qui nobiliore gaudent privilegio, licet posteriores sint tem-

tempore. *Privilegia* enim (ut habetur L. 32. ff.) *non tempore æstimantur, sed causa*. In pari vero privilegii gradu prioritas temporis attenditur; & hic locum habet juris regula, *qui prior est tempore, potior est jure*. Inter creditores vero simplices & non privilegiatos paupertas unius creditoris justa causa non est prælationis supra divitem creditorem; quia nec lege positiva, nec naturali illi conceditur prælatio; non enim paupertas, & opulentia naturæ leges valent commutare, quippe quæ justitiæ omnino extraneæ sunt. Nec movet, quod creditor pauper majus patiatur detrimentum ex carentia rei suæ, quam dives, ad quod detrimentum sarciendum tendere videtur justitia. Nam illa eadem justitia, quæ jubet damnum illatum sarciendum, mandat etiam & certum ordinem in reparatione servandum; & solum caritas urgere potest opulentos creditores ad concedendum, ut illis pauperes creditores præferantur. Ita sentiunt Natal. Alex. de just. reg. 41. num. 11. Concina, aliique. Oppositum quidem legitur in Opusc. 73. D. Thom. tributo cap. 18. verum cum certum pene sit, illud non esse D. Thom. genuinum opus, ab ejus sententia recedere minime religioni ducimus.

Consectarium Quintum.

V. Non licet debitori inter simplices creditores ita uni integrum debitum solvere, ut impotens fiat ad satisfaciendum aliis creditoribus: qui vero hanc solutionem reciperet, teneretur ad restitutionem. Prima pars hujus consectarii certa est apud omnes, qui fatentur, hunc lethaliter peccare contra justitiam cum ita uni faveat, ut alios defraudet; obnoxius proinde restitutioni etiam hoc titulo, si forte ad meliorem conditionem, & statum assurgat. Verum secundæ parti non acquiescunt plures Theologi, Diana, Lessius, Dicastillus qui putant, creditorem posse tuta conscientia sibi retinere integrum persolutum pretium, licet debitor solvendo peccaverit. Nam inquiunt, hoc persolutum pretium, sive bona loco pretii concessa nulli erant hypothecæ, ut supponimus, obnoxia: non magis ergo alteri creditori, quam accipienti obnoxia, & tradenda. Præterea creditor nihil ultra recipit, quam sibi debebatur: poterit igitur sibi retinere, præsertim cum durum admodum sit, & difficile ab isto creditore extorquere pecuniam jam receptam, quam sibi certo debitam noverit, & jam possidet. Verum omnino rejicienda est hæc doctrina vix probabilis. Nam cum omnes creditores jus æquale habeant ad bona debitoris; sicut huic non licet in aliorum detrimentum uni integrum debitum solvere; ita nec uni licet cum aliorum damno recipere. Cur enim ille peccat? Profecto quia justitiam violat, dando uni, quod in plures est dividendum. Ergo eum pariter hic integre recipiat, quod pluribus est distribuendum, violatæ justitiæ reus est habendus. Et licet bona illa nulli sint speciali hypothecæ subjecta, sunt tamen obnoxia generali hypothecæ omnibus creditoribus pro rata crediti. Qui igitur integram recipit solutionem, alterum fraudat jure, quod pro sua parte habet in illa bona: & quamvis nihil recipiat ultra id, quod sibi absolute debetur, recipit tamen ultra id, quod in hoc casu respective ad alios creditores sibi debetur: nec licet debitori alterum ex suis creditoribus alteri præferre; & in judicio hujusmodi solutiones, ut-

utpote dolosæ, minime probarentur. Verum quidem est, durum esse, & difficile ab hujusmodi creditoribus acceptam vel pecuniam, vel bona extorquere. At per hoc non sunt justitiæ jura violanda, nec avaritiæ, & humanæ cupiditati indulgendum. Ita docent Bannezius, Azorius, Juveninus, aliique plures, quibus adhærent novissime Concina, & Cuniliati.

Salmanticenses licet hanc nostram sententiam tanquam probabiliorem tueantur; tamen putant licere debitori integre pretium solvere suo creditori primo petenti, sive in judicio, sive privatim extra judicium: quibus & nos consensum præbuimus cap. sup. n. 10. si agatur de creditore in judicio petente, & sententiam in sui favorem obtinente. At acquiescere non possumus eorum sententiæ, dum hoc privilegium dilatant ad primo privatim petentem, licet ipsis assentiat Natal. Alex. quandoquidem cum æquale jus habeat, ac alii creditores, prioritas petitionis non majus jus addit, nec taliter urget, ut ad integram cogat solutionem, nec diligentia in petendo melioris illum efficit conditionis; cum hæc solum in foro judiciali privilegio donetur, non extra ipsum dilatanda, ut optime docent Molina, & Vasquezius. Immo nec licitum arbitror debitori monere creditorem sibi amicum, ut prior petat in judicio, & ita aliis præferatur: hoc enim beneficium in alienum detrimentum redundat, & fraude ac dolo non caret. Nam, ut prudentissime animadvertit Concina, creditores frequenter conqueruntur id contingere in decoctoribus, qui amicis, & patronis, a quibus futura subsidia sperant, integra debita solvunt, licet posteriores sint, cum gravissimo aliorum creditorum, qui sunt anteriores, detrimento.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Debita ex contractu reddi, vel solvi debent in loco, de quo vel tacite vel expresse fuit inter contrahentes conventum. Si vero nulla fuerit conventio, standum est legibus, & consuetudinibus Regnorum, & Provinciarum. Communiter debita ex oneroso contractu, sive plenum dominium, ut in venditione & emptione, transferatur, sive diminutum, ut in locatione & conductione, nisi aliter pacti sint contrahentes, solvi debent in loco, ubi res tradita fuit, & accepta: siquidem attentis & justitia contractus, & contrahentium voluntate convenientior assignari nequit locus illo, in quo celebratus est contractus; si enim alium intendissent locum, profecto aperte in contractu indicassent. Similiter debita ex contractu gratuito, donatione, Testamento, Legato solvenda sunt in loco, ubi res erant, quando donatæ fuerunt vel legatæ; & ratio est manifesta: dum enim quis alicui rem gratis largitur, aut legat, præsumitur nolle vel se, vel hæredem suum alio onere gravare, quam ad rem donatam, vel legatam tradendam, nisi aliter inveniatur a voluntate donantis, vel legantis statutum. Quamobrem si res ex contractu vel gratuito, vel oneroso debitæ alio transferendæ sint, expensæ ab eo sunt subeundæ, in cujus commodum, & utilitatem initus est contractus. Hinc in donationibus, & legatis expensæ sunt faciendæ a donatariis, & legatariis; in deposito autem ab ipso deponente, in cujus utilitatem cedit depositum, & sic de ceteris, procul tamen semper omni fraude, & dolo, ut contingere potest in mutuo, in quo pecunia accepta, est in loco, ubi data fuit, restituenda; nec

nec onus addendum mutuatario pecuniam alio solvendi, nisi fortè mutuum datum sit in itinere; tunc enim & manifeste apparet tam accipientis, quam dantis mentem non esse, ut restitutio fiat in loco, sed ubi mutuans se transfert; illuc enim, nisi mutuum dedisset, pecuniam suam transtulisset.

CAPUT DECIMUMNONUM.

De Causis excusantibus a mora restitutionis, & ab ipsa restitutione.

DOCTRINA.

I. *A prompta restitutione excusat impotentia physica.*

II. *Immo & moralis, quæ ex pluribus capitibus oriri potest.*

III. *Num, ut quis restituat, teneatur a suo statu cadere.*

IV. *Quando timor infamiæ a prompta restitutione excusat.*

V. *Quando ratione scandali differri possit restitutio.*

VI. *Quænam causæ a totali liberant restitutione.*

VII. *Condonatio a restitutione liberat, si legitima sit.*

I. QUANDO justitiam violent, qui restitutionem differunt, jam superius pluribus in locis exposuimus: superest igitur, ut explicemus, quando mora restitutionis inculpata sit, & innoxia. Certum siquidem est ex S. Thom. hic q. 62. art. 8. ad 2. *Quando aliquis non potest statim restituere, ipsa impotentia absolvit eum ab instanti restitutione facienda; sicut etiam totaliter a restitutione absolvitur, si omnino sit impotens.* Prima igitur causa excusans a restitutione statim facienda juxta S. Th. est impotentia, quæ duplex est, physica, & moralis. Et de physica quidem scribit S. Augustinus: *Plerumque ille, qui aufert, amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse male vivendo, nec aliud habet, unde restituat. Huic certe non possumus dicere, redde quod abstulisti, nisi cum eum habere credimus, & negare.* Et juste quidem, nam ad impossibile nemo tenetur; quamvis teneatur satagere, ut parsimonia, diligentia & labore, quod sibi nunc impossibile est, fiat aliquando possibile.

II. Alia vero impotentia moralis ex pluribus capitibus oriri potest, quos enumerat, & exponit S. Antoninus P. II. tit. 2. cap. 8. Et primo quidem evenit, *quando ex restituendo* (verba sunt Sanctissimi Præsulis) *statim, sequeretur evidens, vel probabile damnum spirituale, vel temporale notabile ipsius restituentis, vel aliorum, quod præponderaret damno ejus, quod debet habere ex carentia illius rei.* Quod damnum (subdit) *triplex esse potest, mortis, infamiæ gravis, & scandali notabilis mortalis culpæ.* Hinc ex capite mortis, in quo comprehenditur grave damnum, excusantur a prompta restitutione, qui restituendo periculum vitæ subirent. Nam, ut optime docet Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. *Cum nemo sit dominus vitæ suæ, neque ob ullum delictum teneatur se morti offerre, aut mortem, ad quam condemnatus est, adsciscere, consequens esse apparet, ut cum ejus periculo ad restitutionem non teneatur.* Pari pacto, qui prævident, vel creditorem re sua accepta abusurum, vel in suam, vel in proximi, vel in boni communis perniciem. Tertio si prompta restitutio in grave, & majus detrimentum cedat restituentis, quam ipsius acceptantis, ut scribit laudatus Præsul: „ Si immineat ex restitutione „ subita periculum damni incompara- „ bi-

„ biliter prævalentis damno, quod inde „ habet creditor ex carentia rei suæ: „ quia creditor magis debet velle in „ hujusmodi casibus, ut maximum in- „ commodum, seu damnum ejus, qui „ debet restituere, evitetur in modica „ restitutionis dilatione, quam suum „ incomodum modicum, vel damnum „ ex carentia ad tempus rei suæ . . . „ Nec dicas, dominus rei hoc agit in- „ vite, quia non vult, quod per quan- „ tumcumque tempus, suum retinea- „ tur. Nam dicendum, quod domino „ inordinate volente statim rehabere „ suum, & per consequens contra re- „ ctam rationem nolente proximum re- „ tinere suum, tunc tenens non est de- „ tentor injustus ". Sicut nec injustus detentor est dicendus, qui restitutionem differt, ne incurrat vel vitæ, vel sanitatis notabile detrimentum; quia statim restituendo vel esset fame periturus, vel in gravem morbum lapsurus, vel ex deficientia comparandæ medicinæ, & accersendi Medici in infirmitate permansurus.

III. Immo a prompta restitutione excusatur & ille, qui restituere non valet, nisi a suo statu juste acquisito decidendo; ut si nobilis deberet vel mendicare, vel artem mechanicam exercere: nequit enim creditor rationabiliter velle restitutionem sibi fieri cum tanta proximi jactura; quandoquidem hujusmodi status juste, & honeste acquisiti amissio contingere nequit sine infamia, & gravi dedecore tum debitoris, tum familiæ: nisi tamen res aliena in se, & in individuo extet; tunc enim absolute facienda est restitutio. Tenetur tamen hujusmodi debitor nobilis in epulis lautitiam tollere, in vestibus, famulis, quadrigis, equis superfluitatem resecare, & ad mediocrem, immo infimum sui status gradum se reducere. Debet pariter a ludis, conviviis, itineribus voluptuosis, aliisque supervacaneis expensis abstinere, statusque sui splendorem, & pompam, quantum fieri potest, imminuere, & moderari. Quod si præstare recuset, minime est absolutione dignandus; cum iniquum sit hujusmodi debitores ex mercatorum, & opificum creditorum sudore, sanguine, & pecunia luxuriari, opipare vivere, sumptuose vestiri. Ita docet Sylvius 2. 2. q. 62. art. 2. conc. 3. scribens: „ Si quis non potest statim restituere, „ aut debita solvere sine notabili detri- „ mento rerum suarum, vel sui status „ juste acquisiti, potest restitutionem „ seu solutionem differre, donec sine „ tali detrimento id possit; modo tamen „ ipse creditor non patiatur ejusmodi „ damnum: quæ clausula ideo additur, „ quia debitor etiam cum suo magno „ damno tenetur statim restituere, vel „ debita solvere, si alioquin creditor „ pateretur gravem jacturam ". Et S. Antoninus P. II. tit. 2. cap. 8. docet de nobilibus, & opulentis „ qui resti- „ tutioni obnoxii sunt. Et si retineant „ sibi quodammodo necessaria pro su- „ stentatione sui, & familiæ ad vitan- „ da multa pericula animæ, & corpo- „ ris, quæ verosimiliter sequi possunt „ bonis suis cedendo, omnibus se spo- „ liando pro restitutione facienda (quod „ forte tutius esset, & in Deo confide- „ re, etiamsi oporteret mendicare se- „ cundum Raymundum) ad hoc tamen „ non teneri de necessitate salutis. Non „ teneri, inquam, ad cessionem om- „ nium bonorum, & spoliandum se om- „ nibus, relicta sibi dumtaxat veste, „ & baculo. Non debent tamen tales „ laute vivere, & pompose vestiri cum „ familiis suis, & filias suas cum ma-

 gnis

„ gnis dotibus nuptui tradere, ficut „ fi non essent obligati ad restituendum; „ sed parce vivere, & parvas dotes „ tradere, & fi non possunt nobili, vel „ mercatori nuptui dare, artifici & „ plebejo debent tradere, & alia fu„ perflua resecare ".

IV. Ex capite vero infamiæ a prompta excusantur restitutione, qui fi statim restituant, de bono nomine, & fama juste sibi comparata periclitarentur. Ita docet S. Antoninus l. l. „Idem „ dicendum videtur, dum ex subita „ restitutione, ille, qui restitueret rem „ ablatam per furtum, vel aliud cri„ men, detegeretur, & inde infamare„ tur; cum fama fit quid notabilius, „ quam substantia corporalis. Cum er„ go quilibet debeat providere conser„ vationi famæ suæ, potest diferre re„ stitutionem usque ad tempus, quo „ non deprehendantur in crimine, & „ diffametur, si aliter provideri non „ potest ". Præ oculis tamen habenda prudentissima Soti de just. & ju. lib. 4. q. 6. art. 3. animadversio scribentis. „ Profecto non est, quod ambigi possit, „ quin pecunia debeat nonnunquam cum „ detrimento famæ restitui. Primum „ enim nemini fas est cum detrimento, „ & injuria alterius suum protegere ho„ norem, & famam; neque alter, qui „ læsus est, tenetur juri suo etiam pe„ cuniario cedere, ut, qui injuriam „ intulit suam protegat famam. Suffu„ ratus es verbi gratia amplam pecu„ niam; haud dubium, quin debeas „ omnem adhibere diligentiam, ut se„ creto restituas. Si tamen neutiquam „ fine famæ, & honoris periculo potes, „ non jam debet alter sua denudari „ substantia, maxime cum damnum „ illius grave est. Haud enim negamus „ quin debeat respectus haberi famæ, „ & pecuniæ, sed tamen ceteris pari„ bus majus est jus innocentis, qui a „ te læsus est. Secundo quamvis meta„ physicam rationem inire velimus, etsi „ fama suo genero præstantior fit, quam „ pecunia; tamen tantum potest æris ac„ cumulari, ut cumulus ille multo pre„ tiosior fit fama tua. Est quidem au„ rum suo genere pretiosius, sed ta„ men tantum esse potest argenti pon„ dus, ut multo æstimetur pluris, „ quam minus auri ".

V. Differtur etiam licite restitutio ratione scandali, nimirum si ex prompta restitutione sequatur spiritualis ruina in accipiente, qui re sua tunc accepta abuteretur in suæ salutis perniciem, ut superius diximus; in dante vero, si in periculo peccandi constitueretur. Id docet S. Antoninus l. sæpius laud. scribens: „ Quando ex hujusmodi restitu„ tione subita sequi posset mors spiri„ tualis, seu peccatum mortale proba„ biliter in restituente, vel familia ejus, „ puta restituendo, quæ habet aliena, „ ad tantam venit paupertatem, vel „ miseriam, quod non potest vivere, „ vel providere filiis de victu, & ve„ stitu, & cum fint alicujus nobilis „ conditionis mendicare nimis erubes„ cunt, ab amicis ad sufficientiam non „ inveniunt, laborare nesciunt, vel „ non possunt, quia parvuli, vel in„ firmi, & sic restituendo exponitur „ periculo cum familia sua furandi, „ vel prostituendi filias, vel despera„ tionis, ubi retinendo aliquid, cum „ ipso ex industria sua providet, & par „ est sibi, & familiæ, & disponitur ad „ satisfaciendum paulatim; Hoc senti„ re videtur Scotus ".

VI. Hæ sunt causæ, quæ sicut a prompta excusant restitutione, ita etiam ab omnimoda, si perpetuæ sint: quod ta-

tamen raro aut nunquam contingit. Sed perpendenda sunt S. Thom. verba docentis: *Eum, qui non potest vel statim, vel absolute restituere, teneri dilationem, vel remissionem petere ab eo, cui debet, vel per se, vel per alium*. Et quidem hoc videtur de necessitate salutis, quotiescumque hujusmodi petitione speret se vel remissionem obtenturum, vel dilationem; & grave damnum non timeat præter ruborem illum, quem pati debet, vel suam fatendo inopiam, vel injustitiam. Quid enim æquius, ut saltem hæc modo per sola verba, & preces suo satisfaciat creditori, cui pecuniam solvere debet? præsertim cum Doctor Angelicus concedat hoc fieri posse etiam *per alium*, quo modo & ruboris sensus delinitur, & fieri potest etiam injusti debitoris nomen reticendo, & misericordiam, ac condonationem pro ipso petendo. Circumstantiæ tamen sunt attendendæ: nam si debitor vel remissionem, aut dilationem petendo de fama, nomine, vel honore, & dignitate periclitetur, poterit ab hujusmodi postulatione cessare, ut diximus n. 4.

VII. A restitutione facienda liberat creditoris libera condonatio: sicut enim quilibet, quod suum est, donare libere potest, poterit & quod sibi debetur, plene condonare, & elargiri; ita debitor legitime accipere, & retinere. Sed ut hæc condonatio legitima sit, tribus muniri debet conditionibus: nimirum 1. Ut fiat ab habente potestatem condonandi. 2. Ut non prohibeatur a legibus. 3. Ut voluntaria plane sit, & libera, non fraude, non dolo, non minis extorta. Primæ conditionis æquitatem adstruit S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 6. ad 3. dicens: *Ille solum condonare potest, qui potest donare*; quia scilicet dominium, & liberam habet potestatem rei suæ: quamobrem nec filiusfamilias condonare potest, quod est patri debitum, licet sit omnium paternorum bonorum hæres futurus; nec Regularis sine Superiorum licentia condonare, quod Monasterio, vel sibi etiam specialiter debetur, cum omne dominium a se abjecerit. Secunda vero conditio ex Jure canonico pendet, in quo nonnullæ condonationes interdicuntur. Prohibetur enim Cap. statutum de Rescriptis in 6. Judici delegato aliquid a litigantibus accipere præter necessarias expensas ob recessum a proprio domicilio subeundas: *Quod si quid ultra reciperet, ad restitutionem compellitur omni spe condonationis præcisa*. Sic enim statuit Greg. IX. inducens: *Si quid contra Constitutionem præsentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur, nulla eorum, quibus restitutio facienda fuerit, remissione ullatenus profutura eidem*. 2. In Concilio Trid. sess. 24. cap. 12. de Refor. præcipitur Canonicis restitutio distributionum perceptarum in absentia; nec suffragari illis aliorum Canonicorum, in quorum utilitatem redundant, condonationem. Sic enim statuit S. Synodus: *Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant*. 3. Ad restitutionem tenentur Visitatores, qui in visitatione præter necessarias, & consuetas procurationes aliquod munus etiam gratis oblatum quovis prætextu, vel quæsito colore receperint, quin illis prodesse possit ulla condonatio, ut decernitur loc. cit. de Rescriptis in 6. Tertia vero conditio, quæ ad jus naturale spectat, ad legitimam condonationem & est necessaria, & attendenda: nam cum condonatio sit quædam gratuitæ, &

& liberalis donationis species, sit oportet immunis ab omni fraude, dolo, vi, & violentia; alioquin illegitima fiet, nec condonatario prodesse poterit. Hinc irrita, & invalida est condonatio obtenta a debitore præpotente creditori comminante, quod, nisi partem debiti remittat, totum perdet; vel extorquente condonationem per viros potentes, quos creditores timent, vel verentur; sicut & a debitore simulante se impotentem, pauperem, & obtendente se vel nullum lucrum reportasse, vel damnum grave passum esse, cum revera & possint restituere, & in paupertate, vel detrimentis exaggerandis mentiantur. Mercatores pariter, qui ad asylum confugientes vel sacrum, vel profanum, cum suis creditoribus transigunt, fraudes adhibendo, & dolos in rebus suis occultandis; & licet creditores transactioni, vel compositioni assentiantur, minime tamen ab onere restitutionis liberantur; cum hujusmodi condonatio libera non sit, sed vi extorta, in quam coacti creditores consentiunt, ne totum creditum amittant. Quamobrem fraudis, & doli rei sunt etiam mercatores illi decocti, qui uni, vel alteri creditori secreto integram sui crediti solutionem pollicentur; dummodo publice simulent se partem condonare, ut ad similem remissionem ceteros pertrahant creditores: hoc enim non est liberam condonationem obtinere, sed furtis, & latrociniis creditores re sua spoliare. Ita docet S. Antoninus P. II. tit. 2. cap. 4. §. 1. scribens: „ Ubi certum, & clarum debitum . . . . nisi creditor liberaliter remittat illud quod promittit . . . si hoc facit, quia putat se aliter non posse residuum habere, nihil valet illa remissio facta ex publico pacto quoad animam. Unde cum mercator infortunia passus fallit, & occultans multa de bonis suis mobilibus, ut non perveniant ad manus creditorum, quærit compositionem cum eis de minori quantitate, quam debeat, puta promittit respondere singulis creditoribus ad rationem quindecim solidorum pro libra, cum tamen possit totum dare, vel cedere bonis, cui compositioni assentiunt creditores, & ita recipientes liberant eum de residuo, certum est, quia quoad Deum adhuc tenetur de residuo. Cum illi non sponte, sed coacte fecerint illam remissionem, volentes illa potius parte carere, quam toto “.

CAPUT VIGESIMUM.

Consectaria Praecedentis Doctrinæ.

I. *Debitor ab onere restitutionis aliquando liberatur præscriptione.*

II. *Nemo tenetur vitæ discrimen subire, vel se in servum vendere, ut restituat.*

III. *Num ære alieno gravatus possit religiosum statum amplecti?*

IV. *Num ob speratum lucrum liceat restitutionem differre.*

V. *Quando condonatio debiti, uni facta, aliis debitoribus prosit.*

VI. *Num ad debiti extinctionem sufficiat condonatio tacita.*

VII. *Num debita extinguuntur per donationem liberaliter factam.*

VIII. *Num per compositionem a Summo Pontifice concessam.*

Reflexio.

Con-

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. AB onere restitutionis debitor liberatur etiam titulo præscriptionis. Hujus consectarii veritas ex superius dictis in Tract. de Dominio apparet, ubi ostendimus præscriptionem justis munitam titulis dominium conferre, inter quos præcipue enumeratur bona fides: quamobrem præscriptionis titulus nunquam prodesse poterit furibus, raptoribus, aliisque malæ fidei possessoribus.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Nemo tenetur vel vitæ manifestum discrimen subire, vel se in servum vendere, ut, quod debet, restituat. Nam cum vita sit bonum longe superioris ordinis, quam pecunia, & bona fortunæ, non tenetur alterius detrimentum cum suo longe majori detrimento sarcire; nec creditor id juste potest exigere. Potest tamen debitor militiæ operam navare, ut, quod alteri debet, solvat; quia licet in militia de vita milites periclitentur, hoc tamen discrimen vitæ vel ut remotum spectatur, vel ut adnexum arti, & muneri per se licito: si enim licet militare, ut quis vel vitam sustentet, vel divitias, honores, & dignitates sibi indipiscatur; cur non licebit, immo & tenebitur, si ejus conditio, & circumstantiæ personæ non impediant militiam agere, ut, quod alteri debet, ex justitia persolvat? Pari pacto nec tenetur se in servum vendere; quia, ut optime docet S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3. *Propter pecuniam persona liberi hominis secundum jura civilia non obligatur, sed solum res; quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ*. Et quamvis olim contrarium in usu fuerit, ut habetur 4. Reg. cap. 4. Matth. 18. modo tamen locum amplius non obtinet illa consuetudo, immo lege contraria sublata est. Nam in Codice Justinian. L. *Ob æs* de act. lib. refertur Syntagma juris lib. 14. cap. 3. n. 12. *Ne personæ liberæ ob æs alienum servæ fiant*. Nec obstat, debitores aliquando carceri mancipari, ibique detineri, donec æs alienum solvant. Nam, præterquamquod carcer non est servitus, id solum fit ad coercendos pravos homines, ne debita contrahant, quæ solvere se non posse agnoscunt. Denique cum pene apud omnes Christianos Principes abolita sit servitus, & in aliquibus Regnis etiam omnino vetita, locum habere non potest nec quando necessaria est ad vitam sustentandam, multo minus ad æs alienum solvendum. Ita communiter docent Theologi.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Qui ære alieno gravatur, a quo se liberare intra breve tempus non potest, non impeditur ab ingressu Religionis. Priusquam hujus Consectarii veritatem ostendam, nonnulla præmittenda sunt. Et primo quidem quoad praxim, omnium ferme Religiosorum Ordinum lex est, ut nullus ad habitum recipiatur, qui sit vel obnoxius rationi reddendæ, vel ære alieno obstrictus: & ideo exigitur, ut publico Instrumento, & per testes etiam sacramento adstrictos constet, candidatum nec ære alieno gravari, nec esse ratiociniis adstrictum. 2. Qui ingredi Religionem cupit, & debitis premitur, quæ vel statim, vel infra breve tempus dissolvere potest, nonnisi illis persolutis amplecti poterit Religiosum statum. 3. De illis loquimur, qui vera vocatione, & sincero animo ad æternam salutem suam procu-

ran-

randam, de qua periclitari merito timent in seculo, non de illis qui humano tantum affectu, vel alio temporali motivo Religionem ingredi statuunt. De his itaque dicimus liberum illis, ac licitum esse, omnibus suis bonis creditoribus obrenuntiatis, Religiosum statum amplecti. Huic nostræ assertioni consentiunt pene omnes Theologi; sed solum quando vel debitori impossibile omnino sit, etiam permanendo in seculo, quod debet, reddere, vel certus sit de æterna sua salute periclitari, nisi in Religionis portum se recipiat: quæ duæ conditiones cum aliquibus Theologis videantur raro admodum reperiri, censent absolute, & generatim pronunciandum, non licere debitori Religiosum statum amplecti, nisi omnibus persolutis debitis, vel obtenta a creditoribus condonatione. Hæc est autem illorum unica ratio. Præceptum æs alienum solvendi licite, & multo magis illicite contractum, est naturale, & divinum; Religiosi vero status electio est solum consilii, non præcepti: nequit igitur debitor naturale, ac divinum præceptum omittere, ut perfectionis consilia sequatur. Et licet fortassis vel statim, vel brevi tempore noverit se non esse solvendo, sperare tamen merito potest, in seculo manendo, sua opera, industria, negotiatione, aliisque licitis mediis ita posse ditescere, ut creditoribus, quod debet, ad æqualitatem reddat, qua spe se, & creditores omnino privat, & quidem injuste, ad claustra confugiendo. Verum, quam in principio statui opinionem, & veriorem puto, & probabiliorem, quam docet etiam aperte S. Th. 2. 2. q. 199. a. 6. ad 3. scribens: *Si debeat* (quis) *aliquam pecuniam, & non habet, unde reddat, tenetur facere, quod potest, ut scilicet cedat bonis suis creditori. Propter pecuniam autem persona liberi hominis secundum jura civilia non obligatur, sed solum res: quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ; unde licite potest exhibitis rebus suis religionem intrare, nec tenetur in seculo remanere, ut procuret, unde debitum reddat.* Prius autem docuerat, illum, qui reddere potest certum debitum, non posse Religionem ingredi, nisi eo persoluto. Unde dicit: *Ille, qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud licite prætermittere, facultate existente: & ideo si aliquis sit obligatus, ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non potest hoc licite prætermittere, ut Religionem ingrediatur.* Distinguit igitur S. Thom. inter illum, qui potest debita solvere, & de hoc pronuntiat non posse ipsum ingredi Religionem, nisi rationibus redditis, persolutisque debitis; & illum, qui facultatem non habet vel statim, vel brevi tempore restituendi, sed qui remanendo in seculo procurare potest, ut debita reddat. Hunc aperte docet, posse Religionem ingredi, nec teneri in seculo remanere, ut procuret (profecto negotiando, agendo, laborando) unde debitum reddat; sed sat esse, ut omnia sua creditoribus relinquat. *Unde* (verba sunt S. D.) *licite potest exhibitis rebus suis Religionem intrare, nec tenetur in seculo remanere, ut procuret, unde debitum reddat.* Rationem vero reddit: quia nimirum propter pecuniam persona liberi hominis non obligatur; & libertas superat omnem æstimationem pecuniæ. Et revera, spes illa probabilis, quam debitor potest concipere reddendi debita, si omisso statu Religioso in seculo remaneat, non tanti est facienda, ut eum privet ea libertate, qua quisque

gau-

gaudet eligendi perfectiorem statum, & se divino servitio perpetua oblatione nuncupandi; cum æque probabile sit, ut manens in seculo non tantum lucretur, ut debitoribus satisfaciat, immo forsassis majora contrahat debita; & interea certe & sua libertate, & summo spirituali bono privatur. Nec obstat oppositum argumentum de præcepto naturali solvendi debita; quippe quod non obligat, quando ejus impletio est moraliter impossibilis: hujusmodi autem reputatur, quando quis nonnisi & propriæ libertatis jactura, & spirituali animæ detrimento (quod merito timere potest, qui sincera sunt donati vocatione ad Religiosum statum) æs alienum potest solvere: & sicut debitor potest artem deserere animæ suæ perniciosam, licet necessariam ad restituendum; ita potest seculum relinquere, cum remansio in eo sit saluti æternæ periculosa: immo & ipsi creditores rationabiliter inviti esse non possunt, cum ex caritate teneantur pro salute proximi propria fortunæ bona exponere. Ita sentiunt Cajetanus, Salmanticenses, Concina, & alii.

Quandiu autem differre teneatur Religionis ingressum, qui sperat se posse aliena restituere, non est facile definire; sed juxta circumstantias tum debitoris, tum creditorum, tum summæ restituendæ pensandum est; & sicut dilatio duorum, vel trium annorum, quam observandam tenent plures Theologi, mihi nimis diuturna, & prolixa videtur: ita satis convenientem puto opinionem illam, quæ statuit teneri per annum differre, si intra illud spatium prudenter præsumere valeat debitor, se suis posse creditoribus satisfacere.

Opponunt Decretum Sixti V. qui statuit, ne ære alieno gravati ad professionem Religiosam admittantur, quam etiam invalidam pronuntiat. Et licet Clemens VIII. illud revocaverit quoad invaliditatem professionis, quoad interdictum vero hujusmodi debitores recipiendi ratum habuit, & confirmavit. Ex quo inferunt, illicitum esse debitoribus alieno ære non persoluto religiosum statum amplecti. Verum resp. præfatos Pontifices non omnes debitores ab ingressu Religionis exclusisse: nam & excipiuntur Moniales, & qui bona habent, queis licet statim solvere non possint, possunt tamen successive per relictos census, vel reditus; sicut nec qui omnino impotes sunt ad solvendum; sed illo dumtaxat, qui dilapidando bona sua ludis, crapulis, libidinibus, licet sint de præsenti ad solvendum inepti, possunt parsimonia, & industria suis creditoribus satisfacere, ut ipsemet Pontifex declarat his verbis: *Multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, & contractam vim æris alieni, religiosum statum amplectuntur.*

Hinc colligitur, illum multo magis licite posse Religionem ingredi, qui solum debita contraxit ex gratuitis contractibus, puta liberali promissione: hic enim satis est, si relictis bonis suis promissariis, & donatariis, reservando sibi, quod ad Religionis ingressum oportet, & sufficit, Religionem amplectatur; cum in hujusmodi gratuitis contractibus ea semper habeatur implicita conditio, nisi meliorem statum elegero, & res in eodem permaneant statu. Sicut etiam qui gravatur debitis omnino incertis, unde restitutio esset facienda pauperibus: tunc enim cum obligatio non tam ex justitia, quam ex pietate consurgat, nec illi, qui damnum passus est, fiat resti-

restitutio ; ideo coram Deo satisfacere intelligitur , qui se ipsum totum Divino servitio emancipat , & omnia , quæ habet , bona in pauperes dispergit .

Num vero Religionem ingressus tenatur manualibus operibus vacare, vel alio modo lucrum quærere , quo possit suis creditoribus satisfacere , affirmant quidem nonnulli Theologi , præsertim antiquiores , quos citat S. Antoninus , Sylvester , Tabiena , & alii . Immo nonnulli addunt , & Prælatum teneri ad hanc veniam illi dandam , quam si deneget , adhuc potest subditus sibi usurpare , ea perficiendo opera , quæ suum statum minime dedeceant , & quibus lucrari possit , unde sua debita extinguat . Verum magis adductis rationibus conforme videtur , nec Religiosum ultra teneri ad restitutionem procurandam , nec Superiorem ad facultatem lucrandi concedendam . Ille quidem , quia jam per solemnem professionem alieni juris est effectus , & omnia sua , personam , opera , labores , industria Deo , & Religioni dicavit ; quamobrem quod adipiscitur , si quid adipiscitur , Monasterio , non sibi acquirit . Iste vero , quia in Religioso acceptando cum ejus creditoribus pactus non est de ejus dissolvendis debitis , nihil creditoribus debet , nulloque pacto est illis obnoxius ; & præterea , cum bonorum Monasterii non dominus sit , sed merus administrator , non tenetur concedere Religioso, ut operetur, & laboret , unde lucrum percipiat ad æs alienum in seculo contractum dissolvendum . Puto tamen Religiosum teneri , & posse , si quid habet suo concessum usui , sibi aliquid subtrahere , ut inde eo , quo potest , modo suis creditoribus satisfaciat , & quod debet restituat .

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Non excusat a prompta restitutione spes magni lucri ex dilata restitutione percipiendi ; licet creditori dilatio non noceat . Nam spes illa lucri, cum sit ex injusta rei alienæ detentione , non est inter bona debitoris annumeranda ; proinde , ut egregie animadvertit Nanarrus in Manuali cap. 17. hoc lucrum perdere *non est amittere suum , sed relinquere alienum, & non uti re aliena* ; quilibet autem nec momento temporis rem alienam detinere potest , quæ incessanter clamat ad dominum suum ; ergo restituere statim debet , nulla habita lucri sperati ratione . Nec obstat ex hujusmodi dilatione nullum obvenire creditori detrimentum : nam , ut diximus cap. 16. Consect. 7. ea injusta detentione jus proximi violatur , qui privatur usu , & possessione rei suæ . Fateor tamen , si dilatio esset brevissima , nullumque detrimentum domino afferret , & spes lucri magna esset , & proxima ; per quod lucrum detentor rei alienæ & rebus suis consulere posset , & creditoribus satisfacere , præsumendum esse creditorem hujusmodi brevem dilationem concedere velle , juxta illud naturale principium , quod tibi non nocet , & alteri prodest , est concedendum . Verum , ut sapienter notat P. Concina : „ Spes lucrandi frequenter debitores decipit . Hac hallucinatione illud debitores solutionem „ differunt , ut & sibi providere valeant , & debita solvere absque incommodo ; & frequentissime nec debita solvunt , nec lucra comparant ; aut , si lucra assequuntur , tunc avaritiæ præstigiis infatuati , tenaciores fiunt , & inhumani , & solutionem longius differunt “ .

CON-

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Condonatio uni facta ex pluribus debitoribus ob illatum damnum non semper omnes liberat a restitutione. Distinguendum est enim inter hos debitores. Qui damnum reparare tenentur, tanquam illius principalis causa, ut mandans, & consulens, si condonationem obtineant, hæc & aliis prodest, qui a restitutione liberantur; cum ad restitutionem non obstringantur nisi ob alterius deficientiam. At si qui damnum intulerunt, sunt causæ vel æque principales, vel æque secundariæ, cum omnes per se ad restitutionem teneantur, putat Concina condonationem uni factam alios non liberare. Verum & hic quoque distinctione opus est. Nam si omnes in solidum, & integre tenentur ad illati damni reparationem; tunc puto condonationem uni factam omnibus prodesse. Hæc etenim condonatio locum habet, & vicem supplet restitutionis. Porro si ille, cui fit condonatio, revera damnum reparasset, profecto ceteri omnes a restitutione forent immunes: non enim duplum accipere debet, qui damnum passus est, & solum indemnem servare deberent, qui restituit. Ita igitur pari pacto, quando condonatio integra debiti est uni concessa, jam sublatum est omnino onus restitutionis, non solum respectu petentis condonationem, sed & aliorum, cum nemo amplius teneatur restituere. At si restitutio fit non integre ab omnibus, sed per partes facienda, tunc condonatio uni facta alios non liberat; cum possit damnum passus uni quidem remittere, alteri vero nolle condonare.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Condonatio virtualis non est de facili admittenda. Plures Theologi censent debitorem ab alieno ære liberari, non solum expressa creditoris condonatione, sed quandoque virtuali & tacita, quæ tunc habetur; quando prudenter præsumitur, creditorem rogatum libenter condonaturum debitum; vel quando debiti sibi alias comperti solutionem non urget, quam facile exigere posset, & obtinere, si vellet. Sic parentes virtualiter condonare censentur restitutionem rerum domesticarum, quas clam filii-familias abstulerunt; sicut & domini condonant famulis lucra ex furtis esculentorum, vel poculentorum, quæ sibi usurpant. Similiter, si dominus servi detecta infidelitate in levioribus furtis, a suo expellit servitio, nullam exigens restitutionem, censetur illa tacite remittere, cum facile posset exigere. At, licet hæc fortassis aliquando vera sint, caute tamen est hæc adhibenda doctrina, quæ aleæ plena est, & periculi, & satis dubia. Quamobrem, quod tutius est amplectendo, vel petenda est condonatio, vel illatum damnum farciendum. Multo minus nimium dilatanda, præsertim ad militiæ duces, qui cum statutum militum numerum non habeant completum, tamen omnia stipendia accipiunt, arbitrantes ea, quæ superabundant, a Principe, vel Republica sibi condonari; quod certe falsissimum est, & iniquum, nulloque modo a Sacramenti Pœnitentiæ ministro tolerandum.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. A restitutione non liberatur debitor, qui vel restitutionis faciendæ immemor, vel ad eam minime attendens,

dens, æqualem debito summam creditori suo liberaliter elargitur. Veritas hujus doctrinæ ex eo manifeste patet, quia confundenda non sunt officia liberalitatis, & justitiæ. Porro, qui gratuito donat, liberalitatem exercet, non justitiæ implet munia. Adhuc igitur gravatur onere restitutionis faciendæ, cum justitiæ præceptum urgeat adhuc, quod profecto per gratuitam donationem minime implevit. Quamobrem donatarius adhuc solutionem sui crediti urgere posset, & ab omni æquo judice debitor ad solvendum cogeretur. Nec obstat, quod si vel debiti sui meminisset, vel illud animadvertisset, minime liberaliter donasset. Nam hoc licet fortasse verum sit, pendet enim a voluntate donantis; non tamen attendendum est, quid eo in casu præstitisset, sed quid revera fecerit. Porro non debitum solvit, sed liberaliter donavit. Adhuc igitur ad restitutionem obstringitur: a qua tamen liber censendus esset, si ea mente, & animo præstitisset largitionem, ut per eam, si quid ex justitia deberet, pro soluto haberetur; vel si in conscientiæ foro occultæ obnoxius restitutioni, & famæ suæ consulens, largiri simularet, quod ex justitia reddere teneretur.

Consectarium Octavum.

VIII. Debita incerta extingui etiam possunt per compositionem concessam a Summo Pontifice, vel per Bullam Cruciatæ, vel alio legitimo, & æquivalenti modo. Et quidem sermo est de debitis incertis, nimirum quorum creditores facta per debitorem pro ratione debiti solerti diligentia inveniri non possunt: quamobrem restitutio esset vel pauperibus, vel in publicam utilitatem facienda. Porro hæc debita quomodo per compositionem extingui possint, egregie docet Sotus noster de just.& jure ju. quæst.4.cujus verba, & doctrinam libenter exscribo, utpote a sapiente, & prudentissima mente productam. Sic itaque scribit ille: „ Nulla videtur esse „ ambigendi ratio, quin, si legitima „ adsit causa, possit Summus Pontifex „ ejusmodi compositiones facere; quan- „ doquidem jure naturæ, ut dictum „ est, illa bona sunt Reipublicæ, quæ „ tunc in tali casu illis indiget. Quia „ vero, ut proxime insinuabam, quan- „ do Reipublicæ necessitas esset aper- „ tissima, Rex quoque forte posset id „ facere; tametsi quia Summus Pon- „ tifex justior est eleemosynarum judex, „ neque causa ita semper est evidens, „ ille adeundus est, cujus auctoritate „ id fiat. Quod si quis urgeat, ignotos „ creditores forsitan non consentire, „ id negatur: immo consentire viden- „ tur, quia illa habent pro amissis, „ & liberius quisque, ac gratantius „ contribuet centum, quæ pro perditis „ omnino ducit, quam quatuor quæ „ habet in crumena; & quamvis non „ consentirent, Respublica id potest „ facere. Sed rursum arguis, quamvis „ illa Papa colligere possit, qui tamen „ habet facultatem remittendi partem? „ Respondetur, quod tanquam legiti- „ mus jam tunc bonorum administra- „ tor propter ingentem instantemque „ publicam necessitatem, ut facilius „ expeditiusque fiat collectio, potest „ partem condonare, ut reliquum sol- „ vatur. Hactenus de jure. De facto „ enim, & executionis modo nihil lo- „ quimur. Æquitas tamen juris hujus „ hæc est, ut per hujusmodi composi- „ tiones tanta conficeretur pecunia pu- „ blica, quæ vel alia tributa, vel bo- „ nam eorum partem posset excusare;

„ idque

„ idque sic fieret, ut non offerretur „ iniquis suæ iniquitatis ansa; & tamen „ ex centum & quinquaginta argenteis, „ quæ Reipublicæ, & pauperibus debentur, tantum colligere duo, ac „ remittere reliqua plus detrimenti affert pauperibus, quorum Papa est „ Pater, Rexque Patronus, quam „ emolumenti in bonum publicum conferat. Præterea præsentissimum creatur periculum istis coemptoribus, & „ raptoribus, ut hujus fiducia nihili „ faciant quoscumque passim defraudare; atque idem periculum sit inde „ præsentius, quod certi sunt tertio „ quoque anno ejusmodi indulgentias „ proventuras . . . . Sed tamen, postquam jus probavimus, admonere subinde cogimur fraudatores illos publicos, coemptores, inquam, & negotiatores, ne fiducia hujusmodi immodicæ remissionis freti contrahere „ pergant fraudibus æs alienum, quod „ si fecerint, restituere non tardent. „ Nam qui propositum non habet restituendi, quousque veniat indulgentia, in peccato mortali se sciat persistere; quoniam habita restituendi „ opportunitate per nullum tempus licet alienum retinere “. Hactenus doctissimus Theologus.

REFLEXIO.

Heu quanta abundant in mundo furta, rapinæ, injustitiæ, alienarum rerum direptiones, usurpationes, fraudes, doli! & heu quam paucæ, quam nullæ restitutiones! Quot sunt Zachæi peccatoris imitatores, qui fraudibus, & iniquitatibus divitias sibi comparant, & divites fiunt! at quam pauci Zachæi pœnitentis sectatores, qui reddant illis, quos fraudarunt, non quadruplum sed simplum! Conqueruntur pene omnes, nullam in negotiatoribus fidem, sed lucri studium, & quidem non quod justitia regat, sed quod vafrities, doli, fraudes agglomerant; a tribunalibus, & judicibus æquitatem exulare, ubi regina sedere deberet, & solum aurum dominari, & judicia extorquere, & ad eam lancis partem pendere sententiam, quam pecunia, & munera premunt, & inclinant. Quot usurarum pallia in contractibus! quanta pecuniarum copia mutuo accepta! quot fidejussores precibus, lacrymis, & promissis ad fidejubendum moti pecuniam solvere coguntur! & tamen ubi sunt mercatores, Zachæi pœnitentis vestigia sequentes, qui male parta restituant, judices, qui munera reddant, & damna resarciant, fœneratores, qui usurarum lucrum evomant, mutuatariis mutuum reddentes, principales debitores fidejussoribus solutam pro eis pecuniam restituentes? Nulli profecto, aut admodum pauci sunt sicut racemi, qui supersunt finita vindemia, & paucæ olivæ relictæ in cacumine oleæ. Lata proinde, & spatiosa via, quæ ducit ad mortem, & angusta, quæ ducit ad vitam. Hi divites illi sunt, de quibus Christus Dominus ajebat in Evangelio, facilius esse Camelum ingredi per foramen acus, quam illos introire in Regnum Dei: nisi enim a se sarcinam projiciant rapinarum, & rerum alienarum, quibus onerantur, per angustam portam ingredi nequaquam poterunt. Unde apposite de Zachæo scripsit Beda: *Ecce Camelus deposita sarcina per foramen acus transit, idest relicto divitiarum amore benedictionem dominicæ susceptionis accepit. Hæc est enim sapiens illa stultitia, quam de sycomoro Publicanus quasi fructum vitæ legeret, rapta red-*

reddere, *propria relinquere*, *visibilia contemnere*.

At amabo, quænam est in istis avaris hominibus tanta dementiæ causa, ut propter vilem pecuniam, quam injuste detinent, in æternum perire velint, nec attendant ad Christi verba: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Profecto non diffitebor, hoc pessimo avaritiæ vitio tribuendum, quod ita animæ inhæret, ita illi dominatur, ut ab ea divelli vix possit. *Insatiabilis* (inquit Ecclef. 4. v. 9.) *oculus cupidi in parte iniquitatis non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam*. Verum dissimulandum non est, Morales Theologos, & Sacros Pœnitentiæ Ministros in causa esse, quandoquidem priores facile a restitutione istos excusant; ut videre est & in propositionibus damnatis, & apud Segnerium in sua Confessarii Instructione, cujus doctrinam & paulo superius, & alibi oppugnavimus, & detestati sumus. Posteriores vero non satis urgent suis pœnitentibus restitutionis necessitatem; sed vel facile promissis, quæ nunquam implentur, credunt, vel avaris hominibus impotentiam restituendi obtendentibus fidem præstant. Oportet igitur, ut Ministri Domini, quasi tuba, vocem suam exaltent, & hisce avaris hominibus inclament, *vel restituendum, vel in æternum ardendum, vel restitutio, vel gehenna*. Ostendant, nullam sibi a Christo datam facultatem rei alienæ condonandæ. Nihil non restituentibus vel Sacramenta prodesse, vel plenarias Indulgentias, vel Jubileum, vel Anni Sancti plenitudinem remissionis. Nullam esse in Ecclesia potestatem concessam a Christo vel Episcopis, vel Patriarchis, vel ipsi Summo suo Vicario Romano Pontifici, debitum restitutionis relaxandi. Non illis acceptas in aliis confessionibus absolutionem, & remissionem prodesse, si sincera defuit rei alienæ restituendæ voluntas, & animus. Dicant cum S. Gregorio Nazianzeno Or. 40. „ Quid tibi proderit, ita peccati veniam impetrasse, ut tamen, „ in quem læseris, damnum non sarciatur, cum tu duplici scelere constrictus tenearis, altero quia sceleratis artibus facultates tuas auxisti; „ altero quia male partas opes retines? Non credant, non acquiescant, cum restitutionis allegant impotentiam: sed eorum conscientiam excutiant, opera perpendant, & facile invenient non parvam pecuniam consumi in ludis, comessationibus, ebrietatibus, voluptatibus, commodisque minus necessariis; illisque ostendant hæc omnia resecanda omnino, &, quod in illis insumitur, esse creditoribus reddendum. Si vero adhuc impotentiam urgeant, eos terreant divino judicio, in quo suæ impotentiæ veritatem sustinere cogentur, & ingerant illud Proverbiorum 24. v. 12. *Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelliget*. Repetant denique, inculcent, infarciant, *aut restitutio, aut gehenna, aut restitutio, aut sempiterna combustio*. Quod si invenient post non semel factam restitutionis promissionem adhuc non eam implevisse, omnino denegata absolutione dimittant, & non nisi post peractam reipsa restitutionem impertiantur. Si profecto ita se gerent Ministri Pœnitentiæ, & saluti consulent suæ, & Pœnitentium.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE RESTITUTIONE IN PARTICULARI.

BONA, quibus homo ornari potest, & ab alio spoliari, ad tres classes reduci possunt; alia enim sunt bona animæ, alia corporis, alia plane utrique externa, facultates scilicet, quæ extrinsece possidentur; & denique media, ut honor, fama, & existimatio. Verum cum de rebus externis restituendis dixerimus superiori dissertatione, de famæ, ac honoris redintegratione fuse tractaverimus in octavo Decalogi præcepto; hic solum superest, ut de restitutione ob illata damna in rebus vel animæ, vel corporis disputemus.

CAPUT PRIMUM.

De restitutione ob damnum alteri illatum in bonis spiritualibus, & stupri causa.

DOCTRINA.

I. *Num damna in bonis superioris ordinis sint compensanda pro bona ordinis inferioris.*

II. *Argumenta oppositæ doctrinæ solvuntur.*

III. *Damnum in bonis supernaturalibus quomodo sarciendum.*

IV. *Quomodo in bonis spiritualibus ordinis naturalis damna reparanda.*

V. *Ad quid teneatur, qui proximum a Religioso statu amplectendo impedivit.*

VI. *Qui Virginem leviter consentientem, vel ultro se tradentem ad stuprum, violat, quid teneatur ipsi restituere.*

VII. *Quid Parentibus, vel tutoribus.*

VIII. *Quid qui Virginem repetitis precibus, blanditiis, & munusculis seduxit.*

IX. *Quid si vi, dolo, fraude constupraverit.*

X. *A quo alendus filius ex stupro natus.*

I. DAMNA illata in bonis superioris ordinis aliquando & possunt, & debent sarciri per bona ordinis inferioris. Hæc generalis doctrina præmittenda est, in qua illud adnotandum, non absolute dici, semper bona superioris ordinis posse sarciri, & esse ex justitia sarcienda, sed solum aliquando; ut excludantur bona spiritualia animæ, quæ nec sarciri possunt, nec qui damnum intulit, ad ea sarcienda, bona inferioris ordinis pro eis tribuendo, ex justitia tenetur: quia, ut inferius suo loco dicemus, bona mere spiritualia non solum sunt superioris ordinis, sed plane disparati, & diversi; proinde nulla inter illa, & temporalia bona proportio. Nostra autem assertio, quæ a pluribus, & quidem magni nominis Theologis defenditur, Cajetano, Soto, Tapia, Molina, aliisque, ostenditur & auctoritate, & ratione. Exodi 21. v. 22. statuitur: *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem,*

tem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum damno, quartum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint. Et v. 26. *Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit*. Et v. 27. *Dentem quoque si excusserit servi, vel ancillæ suæ, dimittet eos liberos*. En satisfactio imperata pro damno illato & in abortivo, & in oculi privatione, & quidem per bona inferioris ordinis, cujusmodi sunt pecunia, & libertas. Accedit & D. Th. qui aperte doctrinam nostram sua auctoritate, & ratione confirmat 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. scribens. *In quibus non potest recompensari æquivalens, sufficit, ut ibi recompensetur, quod possibile est . . . Et ideo, quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquod æquale, debet fieri compensatio, qualis possibilis est; puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata utriusque personæ conditione secundum arbitrium boni viri*. Et revera per ablationem bonorum superioris ordinis puta vitæ, membrorum, vel famæ violetur justitia, & quidem commutativa, cur eam reparare non tenebitur iniquus violator?

II. Contrariæ tamen sententiæ Patroni opponunt: Bona superioris ordinis non esse pretio, & fortunæ bonis æstimabilia; ideo in lege decernitur: *Cum liberi hominis corpus læsum fuerit, judex computet mercedes præstitas medicis, ceteraque impendia, quæ in curatione facta sunt. Præterea operarum, quibus caruit, vel cariturus est ob id, quod inutilis factus est: cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem*. Immo & in ipsa Dei lege Exod. cap. 21. v. 18. *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lecto, si surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit, ita tamen ut operas ejus, & impensas in medicos restituat*. Verum hæc argumenta rem omnino non evincunt, nec a sua probabilioritate nostram sententiam dejiciunt. Nam ad 1. resp. ideo bona superioris ordinis dici non esse pretio æstimabilia, quia nunquam nec in se ipsis reddi possunt, nec ad æqualitatem compensari; cum tamen sint intra genus bonorum temporalium, aliquam merentur. & accipere debent compensationem; &, ut docet S. Th. *ab eo, qui damnum intulit, fieri debet compensatio, qualis possibilis est*. Quod & docuerat in IV. sent. dist. 15. art. 5. quæstiuncula 2. scribens: *In his quæ non possunt ad simile bonum restitui, debet fieri restitutio, qualis possibilis est, secundum arbitrium bonorum*: sicut Deo, & parentibus, quia justum reddere non valemus, sufficit eis reddere, quantum possumus. Nec obsistunt leges, quæ vel solum exteriora judicia respiciunt, vel de justa æstimatione loquuntur, quam membra, & liberum corpus non recipiunt. Hoc enim non impedit, ne aliqualis detur compensatio. In Exodo vero innocens dicitur, non quia nihil revera reddere debeat pro illato damno, sed respectu homicidii, ut explicat hunc locum Jansenius dicens: *Innocens erit, idest immunis a pœna talionis, quia censebitur mors ex negligentia curationis, vel alia causa contigisse*.

III. Damna in bonis mere spiritualibus supernaturalis, cujusmodi sunt salus animæ, gratia sanctificans, virtutes infusæ, Sacramenta &c. illata, non sunt bonis inferioris ordinis compensanda

da ex justitia, sed ex caritate vel emendanda, vel impedienda. Prima pars positæ doctrinæ aperta est; quia hujusmodi bona, cum sint ordinis plane superioris, nec ullo pretio æstimabilia, objectum non sunt justitiæ, nec cum bonis inferioris ordinis ullo modo comparanda. Præterea qui temporalia bona surripiunt, id præstant contra voluntatem Domini, eoque invito, & nolente; proinde illi vere injuriam inferunt. At qui alium allicit, vel pertrahit in peccatum, nullam vim illi infert, nullam imponit necessitatem, cum semper, si velit, possit obsistere; proinde proprie nullam infert injuriam, quæ sit ex justitia compensanda bonis temporalibus. Et revera, ut optime advertit ex Sylvestro Sotus noster, *cum D. Th. solertissimus omnium scrutator de hoc genere restitutionis nuspiam meminerit*, *nullatenus judicavit esse necessarium*. Immo oppositum insinuare videtur 1. 2. q. 73. a. 8. ad 3. ubi dicit: *Spiritualis mortis nullus potest esse alteri causa per se, & sufficiens; quia nullus spiritualiter moritur, nisi propria voluntate peccando*. Altera vero pars est etiam aperta; nam damna spiritualia illata ex caritatis præcepto eo meliori, quo fieri potest, modo sunt reparanda. Hinc qui alterum ad peccatum impulit vi, aut fraude, tenetur veritatem docere, & liberum relinquere, ut resipiscat, & ad bonam redeat mentem. Ideo si quis errores in fide docuit, tenetur palinodiam canere, &, quantum poterit, semina iniquitatis sparsa convellere, & præfocare. Pari pacto qui inimicitias exercens cum proximo, alium in eodem crimine sibi sociavit, qui propterea illius causa & ipse inimicitias gerit, tenetur illum liberum relinquere, & ad pacem hortari: & quidem duplici titulo, nimirum & quia est causa mali, & quia in causa est, cur alter in malo inimicitiæ perseveret. Si quis vero alium sine fraude, & dolo licet consulto, & ex animo in peccatum compulit, quo alter optime novit se coinquinari, & libere se emendare potest, si velit, tenetur generali præcepto correctionis fraternæ, & scandali tollendi eum a peccato revocare salutaribus monitis, & bonis exemplis. Quisquis vero alios pravo suo exemplo ad peccatum impulit, non tenetur singulos corripere, nec singulos monere; sed satis est, si bonis exemplis, & Christiana vita datum scandalum reparare conetur, & aliquando etiam publica pœnitentia, sine qua Ecclesia notos, & publicos peccatores ad reconciliationem recipere non consuevit. Denique probabilissimam puto Paludani, Adriani, aliorumque antiquorum Theologorum sententiam, qua docent, omnem, qui alium in peccatum induxit, præsertim verbis, suasionibus, blanditiis, teneri eo, quo potest, convenienti modo in Dei gratiam revocare, illum ad resipiscentiam hortando, emendationem suadendo, orationibus adjuvando, & pro posse ad bonam frugem reducendo; dummodo tamen & spes fructus appareat; & ipse nullum subeat damni spiritualis periculum: non enim prudentis Confessarii esset pœnitentem, qui cum meretrice, vel alia perversa muliere in sordibus jacente crimen libidinosum commisit, hortari, ut eam adeat correctionis gratia, & emendationem suadeat; nam præsens periculum adesset, ne rursum laberetur in crimen.

IV. Sunt & alia bona spiritualia, sed ordinis naturalis, ut sunt intellectus, artes, studia litterarum, & similia; & dam-

damna in his illata ex justitia commutante, eo, quo possunt, modo sunt compensanda. Ratio aperta est: quia licet spiritualia sint, quia in potentia spirituali resident; sunt tamen simpliciter temporalia, & per restitutionem reparanda. Ita si quis proximum virulentis pharmacis a sana mente dimovit, vel debilitavit, tenetur ad expensas pro ejus curatione, & ad damna inde secuta sarcienda, & illatam injuriam compensare. Pari pacto, qui alium per vim, & fraudem vel a litterarum studio, vel a suæ artis etiam liberalis exercitio avocavit, tenetur damnum ad arbitrium prudentum resarcire; & qui maleficio aliquem infecit, & ad sibi noxia facienda induxit, nedum maleficium tollere tenetur, sed & mala ex eodem progenita omnino compensare. Si vero alium in errorem induxit practicum, puta docendo aliquem contractum non esse usurarium, qui revera usurarius est, si hoc bona præstita fide, & ipse errans, putans licere contractum, vel actionem non esse malam, ad restitutionem non tenebitur, sed solum ad datum consilium revocandum juxta ea, quæ diximus cap. 13. ad quod Lectores remitto: si vero ex dolo, & fraude, non solum errorem corrigere, & veritatem docere, sed & damna illata reparare.

V. Hinc inquirunt Theologi, num ad restitutionem teneatur, qui aliquem a Religioso statu amplectendo est dehortatus, vel impedivit. Et primo quidem omnes communiter docent, nec illum peccare, nec esse restitutioni obnoxium, qui justa de causa alium a Religioso statu amplectendo vel dehortatur, vel impedit; puta quia sinceram, & legitimam non esse novit ejus vocationem; vel quia ineptum ad Religionem putat; vel quia in Cœnobio, aut Religione, quam amplecti statuit, nec regularis viget observantia, nec vita communis, nec claustralis disciplina servatur. Nam hoc pacto non solum nullum infert proximo damnum, vel Religioni, sed immo beneficium confert, & quod utile, justum, honestum est, suadet. 2. Qui pravo animo, sed solum suasionibus, adhortationibus, precibus a proposito Religionis amplectendæ revocat, vel impedit, licet graviter peccet, non tamen est restitutioni obnoxius, vel personæ, vel Religioni faciendæ ex justitiæ commutativæ rigore, sed ex caritatis lege, & correctionis fraternæ tenetur ab impedimento cessare. Et quidem illum gravissime peccare manifestum est; nam spirituale bonum proximi impedit, & quidem ex pravo animo, vel inordinato affectu. Quamobrem, si de virgine, & muliere agatur, anathemate per Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularibus, & Monialibus cap. 18. feritur his verbis: *Anathemati subjicit Sancta Synodus eos, qui sanctarum virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint*. At nulli esse obnoxium restitutioni hæc argumenta suadent. Non ipsi candidato, cui nullam vim infert, nulla fraude, nullo dolo decipit, sed solum suadet, quod ille libere rejicere potest; proinde nullam ei irrogat injuriam, cum semper possit, si velit, contemptis precibus, & suasionibus religiosum statum amplecti, a quo sua sponte, & voluntate recedit. Non Religioni, quia, ut docet Sylvius 2. 2. q. 62. art. 1. ante legitimam votorum emissionem Religio non habet jus ad personas, etiamsi ipsæ voto simplici se obstrinxissent: & præterea,

terea, si quod jus illi tribuitur, semper tamen omnino dependet a libera voluntate personæ, quæ potest pro libito a suo proposito recedere; quæ proinde cum alienis precibus, & suasionibus jam mentem mutaverit, omne cessat in Religione jus ad illam. Tenetur tamen ex caritate & pravum animum deponere, & impedimenta removere, & ipsum contrariis abhortationibus suadere, ut Religionem amplectatur, & adjuvare etiam, non quidem pecunia, sed precibus, & commendatione, ut ad Religionem recipiatur. 3. Si vero dolo, fraude, minis violenter aliquem idoneum, & legitime vocatum a Religioso statu amplectendo impedit, ad aliquam tum ipsi, tum Religioni restitutionem teneri probabilius puto contra Sotum nostrum sic lib. 4. de just. & jur. scribentem q. 6. *Si quis alium vel minis, vel fraudibus seu retraxerit, seu extraxerit a vita Monastica, utpote dicendo, non esse bonam, ille, quia contra justitiam fecit, involuntarium hominem permovendo tenetur, fateor, detecta fraude veritatem docere, & vim amovere, ut libere possit redire, teneturque forsitan propter illam injuriam procurare, ut iterum in Conventum recipiatur. Si tamen non redit, nullum superest restituendi ligamen.* Hoc tamen ligamen superesse, hæc mihi validissima suadere argumenta videntur. Et primo quidem erga personam, cui fatente ipso Soto, *injuriam intulit*, quæ profecto sarcienda est, præsertim si temporali bono privavit, puta quia impedivit Religionem ingredi, quando a benefactore ea suppeditabantur, quæ ad ingressum necessaria sunt, quæ modo illi cessant, licet velit ingredi: in hocce enim casu non solum veritatem docere, & vim illatam removere debet, sed & ea suppeditare, quæ illi sunt ad ingressum in Religionem necessaria, & quæ ne illo opportuno tempore haberet, injuste, & vi, seu violentia impedivit; & sine tali restitutione nunquam verum erit, personam fraude, aut dolo deceptam, vel vi impeditam in pristinum statum restitui. Respectu vero Religionis ad aliquam restitutionem teneri puto; quia licet Religio jus non habeat in personas ante votorum emissionem; jus tamen habet, ne fraude, & dolo impediantur personæ ad Religiosum statum capessendum, vel in eo perseverandum, si amplexæ sint: sicut qui fraude, & dolo impedit, ne alius per testamentum, vel donationem bonum aliquod illi ex alterius voluntate designatum consequatur, ad reparandum damnum tenetur. Dixi tamen ad aliquam restitutionem teneri; tum quia quantum utrique damnum illatum sit, cognosci certo non potest; tum quia hic locum habet duplex S. Th. doctrina. Alia generalis hic q. 62. a. 4. qua docet: *Qui damnificat aliquem impediendo, ne adipiscatur quod erat in via habendi, & tale damnum non oportet recompensare ex æquo . . . tenetur tamen ad aliquam recompensationem secundum conditionem personarum, & negotiorum.* Alia particularis de Beneficiato a. 2. ad 4. scribens: *Qui impedit, ne prebenda detur digno, antequam sit firmatum, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam compensationem pensatis circumstantiis personarum, & negotii secundum arbitrium sapientis, non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri.* 4. Denique qui Religiosum jam per professionem Religioni addictum, & ipsi utilem, & frugi ab ipsa abstraxit, & quodammodo eripuit, tenetur de dam-

no illato, non quidem ad integrum, sed prudentum arbitrio: ut si quis alicujus cathedræ moderatorem vel fraude dementaret, vel vi descendere cogeret, & illi abrenuntiare, de damno illato, & lucro illi cessante teneretur. Pari igitur pacto & hic Plagiarius Religioni, ac ipsi Religioso restituere teneretur. Hæc sunt, quæ mihi ha: de re & probabiliora videntur. & magis justitiæ, & rationi consona.

VI. Ad animi ornamenta, sicut & ad corporis integritatem spectat in mulieribus ipsa virginitas, quæ licet inter spiritualia bona connumerari merito possit, tamen exploratum certumque est, & inter temporalia esse annumerandam, quæ proinde, & sarcienda sit, & etiam ad æqualitatem solum in humano judicio sarciri potest. Inquirendum igitur est, ad quid reddendum teneatur stuprator, qui virginem defloravit. Et primo quidem, si virgo nec vi, nec fraude, nec importunis precibus, aut alio modo sollicitata, sed vel petenti consentiat, vel multo magis se ultro stupratori exhibeat (non enim ratæ sunt nostris hisce temporibus virgines adeo fatuæ, & impudentes, quibus virginitas ipsa sit oneri) ad nullam restitutionem tenetur: nam volenti, & consentienti nulla fit injuria; & si quod damnum sive in fama, sive in marito difficilius inveniendo incurrant, suæ tribuant vel levitati, vel impudentiæ. Veritatem hujus doctrinæ & agnoscit, & admittit P. Concina. Verum eam caritate temperare nititur, admonens Confessarios, *ut cauti sint, & ne hujusmodi defloratores absolvant, nisi prius virginibus defloratis providerint*. Quod consilium quidem caritati consentaneum agnosco, & scandalo averruncando idoneum, at minime a justitia progrediens, & non semper a caritate sub lethali præcepto impositum. Dum vero asserit, *raro virginem reperiri, quæ suam prodigat virginitatem nulla spe illecta, nullis blanditiis, vel munusculis seducta*, a præsenti controversia longe abest, ubi agimus de virgine, vel sponte consentiente, vel etiam stupratorem invitante. Præterquamquod virgo, quæ levibus blanditiis, quæ tenui munusculo cedit, jam statim ostendit se virginitatem flocci facere, & pro vili habere. Dum vero subdit: *Si qua est tanta percita libidine, & dementia, ut ipsa virum aggrediatur, tunc vir illius stultitia commoveri, & a tanto naufragio eam subducere debet*. Debet utique, at quo titulo? justitiæ? minime: solum igitur caritatis, & quidem in tanto tentationis anfractu eximiæ, & heroicæ, quæ proinde debitum restitutionis ex justitia inferre non debet. Addit, *si ambo eodem furore abriperentur, & pereant, ambo se adjuvare tenentur, ut in tuto se collocent, aut matrimonii vinculo, aut pecuniæ beneficio*. Utique admitto, ambos se adjuvare teneri; at non video, cur ad alium portum confugere nequeant vel matrimonii, vel solutionis. Sibi enim invicem satis consulent, si ab invicem descedant, si abrupto pravo commercio de admisso scelere pœnitentiam agant; quin alter ex justitia pecuniam rependere debeat. Quæ quidem a me dicta sunt, non ut tanto viro quod optimum, quod utrique salutare est, suadenti obsistam; sed solum ut limites justitiæ a finibus caritatis disjunctos ostendam, & quid justitia in his circumstantiis imperet, & quid caritas suggerat, & consulet, ob oculos tyronum ponam.

VII. Quod si ipsi virgini stupro violatæ, & sponte consentienti, vel se offe-

se offerenti nihil ex justitia debet stuprator, num saltem parentibus, & tutoribus virginis restituere debeat, inquirendum est. Et quidem ad satisfactionem aliquem exhibendam illis teneri non ambigo, & libenter cum S. Antonino concedo, ex *justitia teneri patri* (ut ipse scribit par. 1. tit. 1. cap. 6. §. 1. *quia injuriosus est ei, unde in aliquo satisfaciat, vel saltem eum placet*: at propter hoc vel pecuniam solvere, vel dotem augere, non semper ex justitia teneri puto; nisi forte crimen occultum per ipsum stupratorem publicum fiat cum ignominia, & infamia tum virginis, tum parentum, ut in Consectariis dicemus. At, si crimen publicum fiat alio pacto vel imprudentia parentum, aut tutoris, vel prægnatione, vel partu, non video, cur totum onus resarciendi damna exinde fortassis consurgentia, nimirum quod puella vel nubere non possit, vel dos sit augenda, in stupratorem rejici debeat. Nam hocce detrimentum non minus ex ipsa virgine vel consentiente, vel sollicitante provenit; quæ proinde sibi debet suum imputare detrimentum, quod prævidere poterat, & tenebatur. Injuria quoque parentibus illata major est in ipsa puella, quæ non solum honestatem, sed & pietatem erga parentes violavit, & quæ tamen ex sua iniquitate lucrum reportat, scilicet abundantiorem dotem, ut isti Theologi volunt. Jus denique custodiæ, quod parentibus competit, ab ipsa virgine violatum fuit, & quidem vel sponte, vel ob levem impulsum. At quænam, amabo, dicenda est adhibita puellæ custodia, quæ tam facile vel se corrumpi passa est, vel corruptorem ipsa ascivit? Frequentius itaque puto officiis, & beneficiis, non pecuniæ solutione hujusmodi injuriis satisfieri, ut docet S. Antoninus.

VIII. Qui virginem seduxit, & ad stuprum pertraxit vel repetitis precibus, vel multiplicatis munusculis, vel promissis alicujus momenti, licet matrimonii ineundi pollicitationem non continerent, ei restituere tenetur, vel in uxorem ducendo, vel dotando. Sunt, qui hanc doctrinam limitant ad preces importunas, & molestas blanditias, præsertim ab homine idoneo ad reverentialem metum incutiendum. Verum probabilius puto, hanc non admittendam limitationem, & onus restitutionis urgere, si preces repetitæ sint, licet non nimium molestæ, & a viro potente emissæ, & blanditiæ quoque, licet repetitæ non sint: tamen adeo importunæ, & assiduæ, ut violentiæ æquivaleant. Et revera nihil aptum magis ad virginem seducendam, quam repetitæ preces, quæ animos flectunt, & assiduæ blanditiæ, quæ alliciunt, & munera, quæ rapiunt animum, & de quibus dicitur Exodi 23. v. 8. *Quæ excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum*. Quamobrem hisce tractus funiculis, & dementatus præstigiis, difficile admodum est, ut obsistat debilis infirmusque sexus: proinde ab onere restitutionis hujusmodi deceptorem liberare non ausim. Restitutionem vero esse faciendam vel matrimonio cum puella, vel dando dotem, probat S. Thom. ex Scriptura scribens 2. 2. q. 154. a. 1. ad 3. „ Stuprum habet duplicem annexam injuriam, unam quidem ex parte virginis, quam etsi non vi corrumpat, tamen eam seducit, & sic tenetur ei satisfacere. Unde dicitur Exod. 22. v. 16. *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem. Si autem*

„ *pater*

" *pater virginis dare noluerit*, *reddet* " *pecuniam juxta modum dotis*, *quam* " *virgines accipere consueverunt*. Aliam " vero injuriam facit patri puellæ; un- " de & ei secundum legem tenetur ad " pœnam. Dicitur enim Deuter. 22. " v. 28. *Si invenerit vir puellam virgi-* " *nem*, *quæ non habet sponsum*, *&* *ap-* " *prebendens concubuerit cum illa*, *&* *res* " *ad judicem venerit* : *dabit*, *qui dor-* " *mivit cum ea*, *patri puellæ quinqua-* " *ginta siclos argenti*, *&* *habebit eam* " *uxorem*, *quia humiliavit illam* : *non* " *poterit dimittere eam cunctis diebus* " *vitæ suæ*, & ideo ne videatur ludi- " brium fecisse, ut Augustinus dicit ". Et quidem in uxorem ducere tenebitur, quando per dotem non satisfit decori puellæ; & qui eam humiliavit, nullum majus patitur damnum præter necessitatem talis conjugii. Si vero & satisfit decori, & famæ puellæ eam dotando, vel deflorator magnum damnum subire debeat, eam sibi matrimonio copulando, satis erit dotem augere, & parentibus satisfacere, vel veniam petendo, vel beneficiis honestando, vel etiam pecunia, præsertim si pauperes sint. Sunt itaque attendendæ circumstantiæ puellæ stupratæ, & stupratoris, ut inferius dicemus.

IX. Qui virginem vero vel vi, vel minis oppressit, vel uxorem ducere debet, etiam sine dote, & licet ipse detrimentum aliquod patiatur, quia conditione superior, mulier vero inferiori, cum hoc postulet gravitas injuriæ virgini illatæ: vel eam ita abunde dotare, ut æqualem omnino nanciscatur gradum, conditionem, & statum, ac si talem ignominiam passa non fuisset. Hinc alere, & de necessariis providere tenetur, si forte parentes, vel qui illius curam habent, domo pellant, vel a se abjiciant, vel illatam violentiam non credentes, vel dedecori sibi vertentes eam penes se retinere recusent; cum hujus detrimenti, quod illa innocens subit, violentus stuprator in causa sit. Denique ipsis Parentibus, Tutoribus, vel Curatoribus satisfacere, & eos omni meliori modo pro gravi injuria illata placare tenetur.

X. Si vero dolo, & matrimonii promissione virginem seductam violet, fidem matrimonii, sive vere, sive ficte dederit, eam in uxorem accipiendo, tenetur implere, si sponsor sit vel æqualis, vel melioris conditionis; nec sufficit eam dotare. Ita docet S. Thom. in IV. dist. 28. q. 1. art. 2. ad 4. scribens: " Qui virginem defloravit sub " specie matrimonii, tenetur eam du- " cere, si sint æqualis conditionis, vel " si sponsa sit melioris conditionis ". Et ratio ipsa satis veritatem hujus doctrinæ ostendit. Quandoquidem justitia commutativa postulat, non solum ut reddatur æquale, sed illud idem, quod promissum est: qui enim furatus est equum, non equi pretium, sed ipsum equum, si potest, restituat oportet, non enim alterum pro altero creditore invito reddi potest. Porro seductor non dotem, sed matrimonium promisit: hoc igitur reddere debet, nec sufficiet dotare. Quod profecto verum est, licet non vere, sed ficte promiserit; non solum quia fraus, & dolus nemini favere debet; sed etiam quia hoc postulat ipsa ficti consensus deceptio: nam licet violatæ virginitatis damnum pecunia, & dote sarciri possit etiam, si lubet, ad æqualitatem; injuria tamen, & deceptio ficti consensus nunquam æque compensabitur, nisi ablatione injusti doli, & appositione veri consensus. Tenetur igitur & verum consen-

ſum apponere, & pactum matrimonium celebrare.

XI. Si ex ſtupro naſcatur proles, 1. certum eſt utrumque parentem teneri ad eam alendam, altero vel nolente, vel non valente; cum jus naturæ parentes ad alendam prolem ſimul & in ſolidum obſtringat. 2. Si vir vi, dolo, fraude puellam, vel viduam ad copulam induxit, tenetur ad expenſas partus ſolvendas, damnorum reparationem præſtandam, & puerum alendum, quandiu ineptus eſt ad alimenta ſibi comparanda. 3. Si vero virgine, vel vidua conſentiente crimen admittatur, mater illegitimæ prolis ad eam alendam tenetur ſolum uſque in annum tertium completum, deinceps vero pater, & quidem donec proles ſibi proſpicere valeat, & victum comparare. Quod ſi hoſpitali alenda tradatur proles, tenentur, ſi in bonis ſint, & paupertate non premantur, pium locum ab impenſis indemnem ſervare, & tantum ſolvere, quantum expenditur in ejus alimoniam, ut alibi diximus de 4. Decalogi Præcepto cap. 7.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Quid reſtituere debent artium Magiſtri.*
II. *Non tenetur Religionem ingredi, qui alium ab ingreſſu dimovit.*
III. & IV. *Quando ſtuprator teneatur ſeductam virginem ſibi ducere in uxorem.*
V. *Quando obſequendum ſententiæ judicis ad matrimonium, vel dotationem ſtupratorem damnantis.*
VI. *Quando ſtuprator liber ſit ab onere matrimonii promiſſi.*
VII. *Quando teneatur, licet nullum interceſſerit ſtuprum.*
VIII. *Quod de virgine dictum eſt, etiam honeſtæ mulieri aptandum.*

Consectarium Primum.

I. RESTITUTIONI obnoxii ſunt, qui vel ex officio etiam gratis aſſumpto, vel ſtipendio, & mercede conducti ad ſcientias, vel artem aliquam edocendam, negligenter onus ſuum implent, & diſcipulorum profectum impediunt; multoque magis, ſi prave, & perverſe erudiant. Et quidem ex juſtitia illos ad reſtitutionem teneri manifeſtum eſt; quia licet ſcientiæ, & artes ad animum perficiendum ordinentur, inſerviunt tamen & ad bona temporalia obtinenda. Quamobrem qui vel negligenter, vel perverſe docet, damnum injuſte infert proximo, ad quod reparandum tenetur; &, ſi male docuit, ad ſuam corrigendam doctrinam, vel inſtructionem; alioquin non ſolum ad ſarciendum damnum, quod diſcipulo intulit, tenebitur; ſed & ad illa omnia, quæ diſcipulus ex perverſa doctrina aliis inferret. Suæ itaque ſaluti proſpiciant Magiſtri, & Præceptores puerorum, & adoleſcentium, qui legere, ſcribere, Grammaticam, Arithmeticam, Rhetoricam docent; ſicut & artium mechanicarum inſtructores, ſi forte in ſuis implendis officiis, & muneribus negligentes fuerint: tenentur enim eam ſtipendii partem reſtituere ſuæ pigritiæ, negligentiæque reſpondentem; &, ſi quod inde conſecutum eſt, damnum reparare.

Consectarium Secundum.

II. Qui alium a Religioſo amplectendo ſtatu impedivit, licet id dolo, & fraude fecerit, ad damnum reparandum ipſe Religionem ingredi non adſtringitur. Non defuerunt præſertim inter

ter antiquiores Theologi, qui hunc criminosum obstringunt vel alterum loco ejus quem a Religionis ingressu impedivit, subrogare, suadendo illi Religionis ingressum, vel eamdem ipsum intrare. Et ita quidem sentiunt Paludanus dist. 4. art. 4. q. 2. S. Antoninus II. P. tit. 2. cap. 2. Adrianus, *Major*, aliique: licet suam limitent doctrinam, solum quando aliquis odio, vel malo animo contra Ordinem illum, quem alius ingredi volebat, ab eo abducat; secus vero, si solum ex amicitia, vel inordinato amore erga amicum, vel ex commiseratione erga parentes moveatur. Verum nunquam ipsum obstringi vel ad alteri suadendum ingressum, vel ad ingrediendum, quæ sequuntur, momenta mihi luculenter suadere videntur. 1. Consilium de Religioso statu amplectendo nemo amplecti tenetur, nisi libera omnino voluntate, & lubenti animo: nullo itaque metu, vel in patrati delicti pœnam cogi potes ingredi Religionem, dicente Christo: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & da pauperibus, & sequere me*. Solum igitur perfectionis desiderium, & ardens caritas impellere potest ad perfectionis statum amplectendum. 2. Nec solum ingredi Religionem teneretur, sed & in ea profiteri. At si Religionem ingressus, eam sibi non congruere deprehenderit, nunquid adhuc invitus, & nolens profiteri compelletur? Minime. Statutis enim Ecclesiæ cautum est, ut nemo professionem emittat, nisi post annum probationis, in quo experiatur, quid valeat animus, & quid ferre recuset. 3. Canonicæ leges aliquando hæresiarchas, seditiosos, schismaticos, adulteros in arctissimum Cœnobium detruserunt, verum ad professionem emittendam minime coegerunt: quod invicte ostendit ad Religiosum statum amplectendum nullum, ne quidem ex gravissimo delicto, cogi posse. Nec urgent, quæ opponunt argumenta. Nimirum 1. in Jure Canonico cap. *Si servus* 1. juberi Episcopo ordinanti servum, vel nesciente, vel invito ejus domino, duplum reddere. 2. Hac obligatione se teneri putavit S. Raymundus, qui ea de causa Ordinem nostrum ingressus dicitur. Nam non est idem judicium ferendum, & de servo, & de Monacho, nam mancipium in ipsius domini utilitatem, sicut ceteræ res ab ipso possidentur, & est veluti pars temporalium bonorum quæ possidet; at Religiosi, qui divino se mancipant obsequio, licet Religioni arctissimis votorum vinculis obligentur, minime tamen possidentur, ut servi, ob temporale Superiorum, vel Communitatis commodum, sed ob suum spirituale bonum & in animæ suæ salutem. Si vero Raymundus non ad quid teneretur, attendens, sed quid Deo gratum, sibique utilissimum esset, prospiciens, consilium Evangelii secutus, Religiosum statum amplexus est, in quo divino favente auxilio adeo profecit, ut inter Sanctos coli promeruerit.

Consectarium Tertium.

III. Si puella spe matrimonii seducta stupratorem admiserit, & postea matrimonium respuat, eam dotare non tenetur stuprator, secus vero, si parentes, & quidem juste dare recusent. Et quidem primæ partis veritas ex eo manifesta est, quia contrahens ad contractus statutas conditiones solum cogi potest, non vero ad alias. Porro pactum fuit de matrimonio contrahendo, ad quod implendum destolator paratus est.

Ad

Ad hoc igitur solum tenetur. Quod si sponsa matrimonium respuat, sibi imputare debet, non defloratori: nec ab ipso dotem poterit extorquere. Altera vero pars, licet contradictione non careat, mihi tamen probabilior apparet hisce momentis. Puella vere injuriam passa est, quæ ex justitiæ debito est farcienda. Porro licet de matrimonio convenerit, cum tamen per ipsam non stet, ut non fiat, sed a parentibus impediatur, & fortassis juste, quia nimirum vel ftuprator homo est vitiis coinquinatus, vel vilioris conditionis; non per hoc ipsa damni reparatione privari debet, quæ omni modo possibili facienda est. Ergo cum fieri non possit matrimonii celebratione, per dotem præstanda est. Ita Juveninus de Restit. cap. 4. §. 6. Quod omnino certum habendum est, etiam respectu puellæ matrimonium respuentis, si stuprator se finxerit vel nobilem, vel divitem, cum talis revera non sit; unde jure puella accipere, vel ejus parentes in matrimonium dare recusent, nam tunc etiam ex dolo dotare tenetur.

Consectarium Quartum.

IV. Si puella importunis precibus, largis muneribus, fraude, & dolo seducta fuerit, non tamen apposita fide de matrimonio contrahendo, non tenetur stuprator absolute eam ducere in uxorem; sed satis est ita dotare, ut æque bene nubat, ac si violata non fuisset. Verum, si ipsa, ejusque parentes omnem respuant compensationem præter matrimonium; & in illud consentire tenetur, si paris sint omnino conditionis, nullumque aliud patiatur stuprator damnum præter ipsum matrimonium. Primæ partis hujus consectarii, in qua pene omnes consentiunt Doctores, veritas ex eo constat, 1. quia injuria illata puellæ, & parentibus, & damnum inde subsequens sarciri æquivalenter possunt pecunia, & tanto dotis incremento quantum sufficit, ut matrimonium sibi conveniens puella talis conditionis inire possit. At si parentes, & ipsa puella omnem aliam respuant compensationem præter matrimonium, probabiliorem judico, quam statui, doctrinam, cui tamen plures adversantur Theologi, qui, cum matrimonium promissum non sit, putant jure non posse a parentibus, & puella extorqueri ab invito, qui jam alio modo paratus est & ad injuriam illatam, & damnum subsequens sarciendum ad æqualitatem. Nam, qui oppositum sustinent cum Azorio, optime animadvertunt, injuriam illatam, & honorem ac honestatem puellæ non æque compensari pecunia: & nunquam tam integre reddi dotatione, quam matrimonio. Et revera in judicio semper hujusmodi stupratores ad puellam ab eis vitiatam in uxorem accipere coguntur, & solum dotationem præcipiunt Judices quando haberi non potest matrimonium. Immo in ipsa Scriptura tum Exod. 22. tum Deuter. 22. semper matrimonium indicitur cum puella deflorata, & quidem indissolubile per libellum repudii; & dos tunc sola conceditur quando pater virginis eam dare nolit in matrimonium. Utriusque loci verba recensuimus cap. præced. n. 8. Præterea & parentes, & puella satis honesta de causa omnem aliam respuunt satisfactionem præter matrimonium, ne videantur virginitatem, & honestatem pretio vendidisse, quod & in puellæ, & in familiæ dedecus non leve redundat. Duæ tamen sunt apponendæ limitationes. Nimirum 1. si crimen præsertim cul-

culpa ſtupratoris factum ſit publicum: nam ſi violatio puellæ ſit omnino occulta, cum ceſſet publicum dedecus, ceſſare videtur & onus ipſam ducendi in uxorem; proinde in judicio ſemper matrimonium indicitur, quia publica jam eſt infamia & familiæ, & puellæ, quam integre non tolli cenſent judices, niſi per matrimonium. 2. Si, ut dixi, æqualis ambo ſint conditionis, nec majus ſubſit detrimentnm defloratori in matrimonio ineundo; tunc enim plus redderet, quam abſtuliſſet. Et revera, ſi ab hoc onere liberantur ſtupratores, etiam quando ſub ſpe matrimonii virginem ſeduxerunt, ut inferius dicemus; multo magis ad hoc opus obſtringi non debent, qui ſine tali promiſſione virginem violarunt. Si vero iniquus ſtuprator vi, & violentia, vel metu mortis intentato virginem omnino reluctantem oppreſſit, cum hujuſmodi crimen capitale ſit, nulla ſatis idonea videtur tantæ injuriæ ſatisfactio, eam proinde ſi expoſcat ſibi matrimonio copulare tenebitur etiam cum aliquo ſuo detrimento.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Licet per Judicem cogatur ſtuprator ad ducendam in uxorem puellam, vel ad eam dotandam, ſi tamen puella probe noverit ſe vel ſponte petenti conſenſiſſe, vel ipſum in crimen pertraxiſſe, tenetur & matrimonium reſpuere, & dotem non accipere, nam hujuſmodi ſententia præſumptione nititur, per quam judices præſumunt & puellam ſeductam & virginitate ſpoliatam, quæ cum locum non habeat injuſtam conſtituit ſententiam judicis, quamobrem favere puellæ non debet, quæ etiam & litis injuſtæ intentatæ expenſas ſarcire debet, & cætera damna reparare. Si vero ſtupratæ puellæ volentis, & conſentientis ſtuprator crimen divulget, & infamiam illi creet, quæ proinde nubere amplius non poſſit juxta ſuæ conditionis ſtatum ad famam puellæ reparandam, & dotem dandam tenetur, non quidem ratione injuriæ ſtupro illatæ, quam nullam eſſe ſupponimus, ſed ob injuriam in criminis vulgatione illatam, quæ puellæ adeo eſt pernicioſa.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Qui fide data ineundi matrimonii virginem violavit, non ſemper tamen datam fidem ſolvere tenetur; ſed ſatis erit, ſi vel dote vel alio modo illatum damnum reparet. Hujus exceptionis a communi regula ſuperius conſtituta caſus plures a Theologis enumerantur. Et quidem duo a D. Thom. afferuntur in Suppl. q. 46. a. 2. ad 3. & 4. Nimirum primo, ſi deflorator longe nobilioris conditionis ſit, quam virgo deflorata; puta ſi vir ſit eximiæ nobilitatis, vel in dignitate conſtitutus, puella vero abjecta, plebeja, vilis, fabri, vel agricolæ filia. Sic enim ſcribit D. A. *Ducere in uxorem non tenetur, ſi ſponſus ſit multum diſtantis conditionis*, non ſolum in generis nobilitate, ſed & in divitiis; ſubdit enim, *vel quantum ad nobilitatem, vel quantum ad fortunam*. Hujus autem exceptionis plures aſſignant rationes Theologi. 1. Quia cum comperta ſit puellæ nobilior ſponſi conditio, merito ſuſpicari poterat, & credere ipſum ficte promittere, & ad eam ſeducendam. Et hanc rationem ipſe S. Thom. adoptat ſcribens: *Quia præſumi probabiliter poteſt; quod ſponſa non fuerit decepta, ſed decipi ſe finxerit*. 2. Quia hujuſmodi matrimonia in dedecus redundant familiæ. 3. Quia plerumque ex talibus matrimoniis diſſidia oriuntur

inter consanguineos, & non levia etiam scandala. 4. Quia majus esset detrimentum, quod pateretur vir in tali matrimonio, quam damnum amissæ virginitatis in puella: quod incremento dotis sarciri potest. Si vero vir nobilitatem suam occuluisset, & se parem virgini traduxisset ad eam seducendam, adhuc ad eam ducendam minime teneretur; quia puella viri nobilitatem eximiam ignorans non tam eximium matrimonium in pactum deduxit, sed suæ conditioni æquale; quod cum obtinere non possit sine detrimento sponsi, & familiæ dedecore, dote, vel alia justa compensatione contenta esse debet. Quid, si vir, licet eximiæ nobilitatis, non valeat tamen ob bonorum inopiam virginem dotare, & læsæ virginitatis damnum sarcire, tenebitur ne tunc saltem sibi matrimonio copulare? Utique: nam cum una ex parte damnum illatum sit, & injuria irrogata, & utrumque sit ex justitia reparandum; ex altera vero, cum nonnisi per matrimonium, licet conditionem puellæ excedens, reparari possit, hujusmodi excessus debitus videtur ad illud præstandum, quo se obstrinxit, quando stuprum admisit, cujus damnum, & injuriam non alio modo se reparare posse probe noverat, nisi dispari matrimonio. Quod certe verum est, quando hujusmodi matrimonio non nisi sibi facit injuriam, nec timenda sunt inter consanguineos dissidia, vel magnum inferatur familiæ dedecus.

Altera vero exceptio ex D. Thom, si in matrimonii promissione aliquod signum fraudis evidens fuerit, unde credi possit, sponsam non fuisse deceptam; sed decipi se finxisse. Quænam autem sint hæc fraudis evidentia signa, haud facile est designare; sed ex circumstantiis personarum sunt a prudente, & cordato viro dignoscenda. Hæc tamen recenseri possunt: si sponsus promissionem suam scripto, vel juramento confirmare recuset; si nullum externum datæ fidei pignus dare velit; si inconstans sit, & aliis puellis promiserit, vel sponsalia cum alia muliere injerit, quæ abrumpere pollicetur; si in promittendo vel ambiguis utatur verbis, vel promissioni plures addat exceptiones, & limitationes; si non nisi post longum vel indeterminatum tempus matrimonium promittat, &, ut quidam ajebat puellæ quam seducere conabatur promissione matrimonii, ad hoc celebrandum *nec metas rerum*, *nec tempora pono*, & alia hujusmodi.

Addunt tertio loco Theologi, si puella se pro virgine venditasset, vel sponsus putasset virginem, cum foret corrupta, non tenetur in matrimonium ducere; nam in priori casu illa virum decepit; in posteriori vero justa adest causa rejiciendi matrimonium, tenetur tamen eam dotare, ut illatam injuriam resarciat: immo si noverit corruptam, & adhuc copulam extorserit promissione matrimonii, tenetur eam ducere; quia jam juri suo cessit, & volenti nulla fit injuria. Ita si post deflorationem sub fide matrimonii puella cum alio fornicetur, liber est sponsus ab ea ducenda; at non a dote danda, cum adhuc vere ipsi injuriam per stuprum intulerit. De viro autem vel voto castitatis obstricto, vel cum consanguinea stuprum committente promissione matrimonii, num teneatur dispensationem petere, dicemus in Tract. de Matrimonio.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Qui ab honesta puella sub spe futuri matrimonii actiones impudicas, oscula &c. extorsit, si sit æqualis conditionis, nec ea occurrant impedimenta, quæ a matrimonio celebrando stupratorem absolvant, tenetur fidem datam liberare, eam sibi in matrimonio copulando. Si enim sola celebrata sponsalia ad conjugium urgent, & adstringunt; multo magis si eo obtentu sponsa injuriam passa sit. Si vero justa de causa a data fide liberanda excusetur, eam solum compensationem puellæ dare debet, quæ illius damna, si quæ passa est, compenset: si vero nullum sit omnino illarum damnum, quia crimen occultum est, & fama virginis integra, non pecuniariam compensationem dare debet, quæ solis convenit meretricibus, nec perceptæ voluptates sunt pretio æstimabiles, sed de dato scandalo veniam petendo, de illa bene loquendo, beneficentiæ officia aliqua præstando, & solum, si vere pauper, sit, non in pretium impudicarum actionum, sed titulo eleemosynæ aliquod temporale subsidium elargiendo. Si vero quis cum honesta puella, quæ sibi de matrimonio fortassis blandiebatur, frequentes habeat confabulationes, visitationes, colloquia, familiaritates, quæ illius famam minuere, vel denigrare possunt, videndum, num in his habendis fraus aliqua, dolusque sit adhibitus, num mendaciis, & blanditiis illexerit, vanaque spe matrimonii allectaverit; tunc enim ita famæ, & honoris læsionem reparare debet, ut nullum in matrimonio sibi conveniente reperiundo discrimen subeat: si vero sine ulla fraude, mendaciis, blanditiis, sed sola juvenili levitate colloquia, & familiaritates habuerit, licet sit puellæ fama imminuta, nulla erit onerandus compensandi obligatione; ipsa enim puella suæ imputare debet fatuitati, & imprudentiæ in hujusmodi colloquiis, visitationibusque admittendis, & in vana spe concipienda; quæ omnia, ut honestas decet puellas, a se amovere tenebatur, & amasium a se repellere, quod facile consequi poterat, si voluisset.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Quæ de puella virgine sunt dicta, & ad honestam viduam sunt aptanda. Qui itaque copulam ab honesta vidua sub spe matrimonii sive ficte, sive vere data extorserit; eam ducere tenetur: si autem a matrimonio celebrando justa causa excusatur, damna læsæ famæ reparare debet, & ita illi consulere, ut vel conveniens matrimonium inveniat, vel a via meretricandi avocet. Quod si nullum sit inde exortum damnum, & mulier honeste vivere possit, non pecuniariam mercedem, sicut meretrici, dare debet, nec nefarii operis pretium pendere, sed pro illata injuria, & fraudulenta deceptione veniam petere, patrocinium ejus suscipere (procul ab omni peccandi occasione) illam in opportunitatibus, auxiliis, beneficiis, atque officiis, prout occasio tulerit, prosequi & honestare.

CAPUT TERTIUM.

De restitutione adulterii Causa.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Adulterium non solum castitati, sed & justitiæ adversatur.*

II.

II. *Quando non afferat onus restitutionis.*
III. *Quid præstare debeant adultera, & mœchus circa natam prolem.*
IV. *Quid restituere marito.*
V. *Quid filiis, & hæredibus.*
VI. *Quid restituendum, si dubium sit, num proles sit adulteri.*
VII. *Si ex duobus mœchis nascatur proles, ad quid teneantur.*
VIII. *Si alter deceptus ab adultera prolem suscipiat alendam, ad quid alter teneatur.*
IX. *Quænam damna ab adultera sint compensanda.*
X. *Si dubitetur, num ex adulterio natus sit filius, quid debeat præstare.*
XI. *Num teneatur crimen suum manifestare.*
XII. *Quid, si mulier non esset integræ famæ, & vilioris conditionis.*
XIII. *Quid, si splendidæ, & nobilissimæ dignitatis.*
XIV. *Num saltem spurio teneatur manifestare.*
XV. *Quomodo adultera possit illata damna sarcire.*
XVI. *Modus quidam sarciendi damna non adhibendus.*
XVII. *Num filius spurius teneatur credere matri, illius illegitimitatem testanti.*

I. ADULTERUM, & adulteram reos esse violatæ non solum castitatis, sed & justitiæ, manifeste patet, tum quia gravem irrogant injuriam marito, cujus uxori corporis possessionem alter sibi usurpat, altera alii viro concedit, & præterea damnum inferunt si forte adulterinum filium in familiam obtrudant; ad restitutionem igitur & reparationem tenentur. Verum quænam esse debeat, modo est inquirendum. Et primo quidem, si crimen omnino occultum fit, nullumque inde secutum damnum, nullum quoque consurgit restitutionis onus; nec tenetur adulter occultæ injuriæ ullam compensationem marito reddere, nec adulteræ pretium dare pro nefario crimine, quod solum licitum est meretricibus, & quidem non ut merces iniquitatis, quæ nullo est pretio æstimabilis, sed, ut alibi in Tract. de Contractibus ostendimus, tanquam pecuniaria pœna fornicatoribus imposita. Immo etsi maritus pro injuriæ compensatione pecuniam petere non erubesceret, non teneretur adulter dare; quia talis conventio in jure reprobatur, ne maritus videatur uxori suæ lenocinium præstare, ut habetur C. *transigere* cap. de transact. lege miles ff. ad Legem Juliam: si tamen pauper esset, nec peteret, titulo eleemosynæ pecuniam illi suppeditare posset in solatium injuriæ; immo Confessarius talem pecuniariam satisfactionem adultero posset imponere secreto dandam.

II. Si vero crimen innotescat, tunc tenetur adulter injuriam marito irrogatam compensare, veniam vel per se, vel per mediatores petendo, ipsum beneficiis prosequendo, illius protectionem suscipiendo, & peculiari, quo potest, modo in suis necessitatibus adjuvando; pecuniam tamen absolute solvere non tenetur, potest tamen dare, si petat, vel pauper sit, & vere pecuniario subsidio indigeat.

III. Si vero ex adulterio certa proles nata fit, dispiciendum primum, quid præstare debeat adulter respectu enatæ prolis, mariti, & aliorum filiorum, si forte ex marito habiti fuerint ab adultera. Primo igitur quoad filium, si adulter fœminam blanditiis, repetitis precibus, munusculis, multoque magis dolo

dolo, fraude, violentia in crimen pellexerit, ipse solus ad omnes ventris expensas, nec non ad alimoniam filii, usque dum sibi victum comparet, tenebitur. Si vero mulier sponte in adulterium consenserit, vel virum provocaverit, adulter solum post triennium ad alimenta filio suppeditanda obstringitur: & si femina vel nolit, vel non valeat etiam primo triennio filium alere, tenetur adhuc adulter, cum hoc onus ambobus commune sit, & jure naturæ filiis alimenta a parentibus debeantur.

IV. Respectu vero mariti tenetur adulter, saltem post triennium: vel etiam pro ipso triennio, si mater vel nolit, vel non valeat, omnia damna sarcire, quæ illi obvenerunt in alendo, vestiendo, nutriendo alieno filio. Non desunt tamen Theologi, inter quos Sotus noster, ceteroquin sapientissimus Theologus, qui ab hac restitutione adulterum liberant; præsertim quando ipse mulieri non suasit, ut maritum decipiat, illi filium supponendo. Sic enim scribit: „ Enim vero, etsi fuerit „ causa remota, quia adulterium com- „ misit, ipsa (adultera) sibi vidisset, „ quid sibi esset de suscepto filio dis- „ ponendum; quocirca si domi nu- „ trit, sibi imputetur. Revera non pla- „ ne video, cur adulter ad aliquam de „ justitia teneatur restitutionem “. Sed urgente interno conscientiæ stimulo hæc subdit: „ Nihilominus adjecerim, quod „ dum certissimum est filium genuisse, „ potensque est aliquam facere marito „ . . . compensationem, aut filium ci- „ tra periculum, atque scandalum nu- „ trire, tenetur id ob honestatem & de- „ centiam facere “. Verum tanti viri pace dixerim, hanc ejus doctrinam falsam esse, improbabilem, & rejiciendam. Nam revera adulter est causa saltem æque prima, & principalis, ac adultera damni, quod marito consequitur, qui injuriam gravem passus, tenetur filium non suum alere, & de omnibus sibi necessariis providere. Nec excusatur, quia adulteræ vel non suasit, vel non consensit, ut filium supponeret. Quandoquidem hæc suppositio necessario consequitur ex ipso adulterio: certo enim scit adulter non posse adulteram hanc suppositionem prætermittere, nisi seipsam infamando, & vitæ etiam discrimen incurrendo. Nec dicendum, adulteram teneri ad hanc compensationem. Hoc enim utique verum est, sed & in solidum tenetur adulter; proinde altero non satisfaciente, alter obstringitur, cum ambo sint æquales causæ damni marito obvenientis, licet adulter supponatur in adulterium a muliere pertractum: quamobrem, nisi adultera præfata compenset damna, tenebitur adulter. Non est igitur a communi sententia recedendum, quam docet S. Antoninus in Sum. P. II. tit. 2. cap. 7. §. 7. scribens: „ De adul- „ tero autem, cujus est filius, dicen- „ dum videtur, quod si scit, vel cre- „ dit verosimiliter illum esse suum, ubi „ mater ipsa satisfacere non valet, vi- „ detur quod teneatur de expensis edu- „ cationis patri putativo, quia causam „ efficacem tali damno dedit “. Immo hæc doctrina & continetur, & colligitur ex generali regula a Greg. IX. constituta cap. *Si culpa* de injuriis, & damno dato sic statuente: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, sive aliis irrogantibus opem forte tulisti, jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere, vel jacturam.*

V.

V. Idem est omnino dicendum de damnis illatis filiis legitimis; ceterisque necessariis hæredibus; quippe qui ob intrusionem illegitimi filii legitima hæreditate paternorum bonorum vel ex parte, vel in toto privantur: quæ proinde damna adulter compensare tenetur, nisi adultera satisfaciat. Quamobrem subdit l. l. Sanctus Antoninus: *De hæreditate, vel dote, si dotaretur a putativo, tenetur ad arbitrium boni viri, attenta sua facultate.*

VI. Si vero dubium sit, num filius sit legitimi parentis, vel adulteri, tunc res expendenda & juxta externum forum, & internum. In externo foro statuitur, *illum esse filium, quem nuptiæ demonstrant*: quapropter filius pro legitimo habetur, nec a possessione sui status ob dubium est dejiciendus; cum semper *melior sit conditio possidentis*. Hinc Salmaticenses, aliique Theologi censent, adulterum ad nihil solvendum teneri, nec in foro conscientiæ, cum nec ipse spoliari debeat possessione suorum bonorum ob damnum alteri incerte datum. Verum probabiliorem puto plurium Theologorum, inter quos est Molina, doctrinam, qui censent ad restitutionem teneri pro rata dubii: nam quando dubium est, num sit totum restituendum, vel pars, restitutio est facienda proportione servata ad dubium. Porro qui incertus est, num filium spurium in alienam familiam intruserit, procul dubio merito anceps est, num totum damnum sarcire debeat, si intrusit, vel nihil, si non obtrusit: tenetur itaque pro rata suæ dubitationis. Nec obstat, possessionem propriorum bonorum prævalere debere. Nam hic non dubitatur de legitima possessione bonorum, in quibus possessio prævalere debet; sed utrum ex bonis, quæ legitime, & certo possides, debeas partem erogare pro reparando alieno damno, quod prudenter dubitas a te alteri injuste illatum. Sicut si quis alterius equum vulneret, & dubiter, num ex vulnere inflicto mortuus sit, vel ex superveniente intraneo morbo, ad damna reparanda juxta proportionem dubii tenetur, & ad partem pretii pro equo solvendam, non quia dubium sit, num suam pecuniam legitime possideat, sed quia dubium est, num damnum sarcire debeat sua pecunia, quam certo, & legitime possidet. Præterea, nonne regula illa juris, *melior est conditio possidentis*, favet & marito innocenti, quem æquum non est certa suorum bonorum possessione privari, ut filium, de quo dubium est, num ejus sit, an adulteri, alat, nutriat, & servet? Cur igitur in hoc dubio est innocens maritus spoliandus, ut iniquus adulter indemnis servetur? Quare regula illa locum habet, quando omnia sint paria; non quando certum est actionem positam, esse causam damni, licet incertum sit, num damnum intulerit. Nec judicium externi fori ab hac restitutione in foro conscientiæ liberat. Quandoquidem illud & præsumptionibus innititur, & id statuit, quod communi bono, & paci familiarum conducit: eapropter non valet ad conscientiæ quietem in eo, qui dubitat, num revera familiæ grave damnum intulerit. Hæc sunt, quæ mihi hanc opinionem probabiliorem, & unice in praxi servandam suadent. Eo vel maxime, quod impune passim committerentur adulteria: nam fere semper communis est congressus marito, & adultero; & raro admodum uxor adulterum admittit, quando ex ortu prolis facile est adulterium detegi: proinde

de nunquam damna reparare tenerentur adulteri, qui tamen non infrequenter genealogias confundunt, & in alienis familiis filios illegitimos intrudunt. Hinc S. Antoninus l. sup. n. 4. laud. onus restitutionis imponit mœcho, non solum quando scit filium esse suum, sed & quando *credit verosimiliter esse suum*. Fateor tamen gravia esse debere indicia, quæ dubium prudens inducere valeant, & a prudenti Confessario expendenda, priusquam adulterum ad solutionem damnet, & urgeat.

VII. Si duo cum muliere adulterium committant, ex quo certo proles nascatur, uterque pro rata dubii damnum sarcire tenetur, & filio sustentationem, ac alimenta præbere. Huic doctrinæ adversantur Salmanticenses, qui docent probabilius esse, neminem teneri vel prolem alere, vel damna reparare. Horum doctrinam sequitur & Cardinalis Gotti, qui etiam omnia argumenta, & rationes ab ipsis adductas pene de verbo ad verbum exscribit, Salmanticensibus, quorum pannis se vestit, nec laudatis. Satis itaque erit priora argumenta afferre. 1. Uterque dubius est, num sit enati filii parens: neuter ergo suorum bonorum est possessione certo spoliandus: & licet mala fide ad alterius uxorem accesserint; certi tamen non sunt filium ad se pertinere. 2. In foro externo re non probata reus absolvitur: ergo a pari in casu nostro paternitate non probata neuter obstringi potest ad alimenta puero suppeditanda. 3. Si quis occisus reperiatur in via, & ignoretur, an a Francisco, vel Paulo sit occisus, uterque absolvendus est, ne periculum sit, ut innocens puniatur; vel si uterque puniatur, certo innocens pœnam subibit; a pari igitur neuter est obstringendus ad damna reparanda, ne vel innocens gravetur, vel utrumque gravando certo innocenti injuria fiat. 4. Nec ulla misericordia est habenda filio innocenti, qui hoc modo parente caret, a quo subsidia, & alimenta requirat; sed suo debet imputare infortunio, quia ob incertitudinem patrem suum agnoscere non potest. Verum merito hanc sententiam Concina nedum probabiliorem non putat, sed falsam omnino, & rejiciendam. Nam certe constat, alterutrum natum filium genuisse, & ambo per patratum adulterium onus paternitatis, scilicet alendæ prolis, subiisse: cur igitur immunes ab ea alenda dici debeant? Incertitudo solum efficit, ut neutri totum onus attribui possit, non vero, ut ambo liberi sint. Nec ullum est periculum innocentem gravandi. Nam nullus innocens est, immo uterque reus patrati delicti, ex quo oritur filius alendus, nutriendus, sustentandus. Et licet certe filius non sit nisi ab uno progenitus; certum tamen est utrumque reum esse, cum causam præbuerit secuti damni, & enatæ prolis. Tenetur itaque uterque ad ea pensanda, & filio providendum pro rata, idest ad dimidium alimentorum & sustentationis. Nec argumenta proposita urgent, immo nec movent cum sint mera sophismata falso innixa supposito de alterutrius innocentia; cum immo uterque reus sit, & causa consecuti damni per iniquam positam actionem: nam ad 1. de possessione satis responsum est num. præcedenti. Ad 2. dicimus etiam in externo foro, licet certo non constet de patrato delicto, si constet tamen de iniqua actione posita, licet reus statuta pœna non puniatur, punitur tamen juxta prudentem judicis existimationem. 3. Vero argumentum

con-

contrarium omnino probat: nam si occisus reperiatur in via, & certo constet Petrum, & Franciscum simul breve tormentum bellicum in ejus corpus explosisse, licet non nisi unico vulnere interfectus sit, uterque tamen reus homicidii habetur, & pœna mortis punitur: cum enim certum esset de morte intentata ab utroque, & certum de morte subsecuta, uterque homicidii reus haberetur; licet ignoraretur, cujus fuerit glans plumbea, quæ mortem intulit. Nec quis putet me hæc gratis dicere. Nam præter communem sensum, qui de veritate convincit, audiat Lucium Ferrarium V. *Adulter* pari exemplo rem confirmantem. Sic enim scribit: „ Si duo sagittam projiciunt in „ equum Petri, quorum una ipsum in„ terficit, licet nesciatur, cujus sagit„ ta interfectus sit, tenentur singuli „ compensare illud damnum pro pro„ portione dubii; cum constet utrum„ que causam injustam illius damni ap„ posuisse, & ab illis vere damnum „ provenisse". Quare nobiscum sentiens concludit: „ Sic a pari cum in nostro ca„ su singuli suo adulterio generationis „ causam dederint, & constet ex illis „ vere prolem genitam esse, licet ne„ sciatur, a quo determinate, debent „ singuli pro proportione dubii damna „ illa compensare". Hanc sententiam docet non solum rigidiores Theologi, sed & ipsi laxiores, ut Diana, Castropalao, Bonacina, La Croix, & alii ab ipso Ferrario citati. Qui etiam subdit, illorum aliquos, nimirum Dianam, Castropalao, Salas, Oviedum docere, quod si unus ex adulteris sit alio nobilior, & ditior, debet plus contribuere, quam minus nobilis, minusque dives; quia ex se ditiores, & nobiliores filiis præstantiora alimenta suppeditare debent. Hoc tamen minus verum existimo: nam huic spurio filio, & ex damnato coitu nato, non alimenta juxta conditionem parentis sunt præstanda, sed juxta conditionem suæ nativitatis, quæ infima est, & abjecta; quamobrem, si in potestate patris esset hunc enutrire, solum alimenta plebejorum suppeditare teneretur. Non itaque hic filius infortunio suo debet tribuere, si parente careat, a quo sustentetur, sed Theologorum crudeli, falsæ, & ab humano sensu abhorrenti doctrinæ, per quam tanquam probabiliorem divenditam, sed falsis ratiunculis, & apertis sophismatibus, ipsum debito privant subsidio.

VIII. Sed quid dicendum, si hæc adultera ex duobus præfatis adulteris unum eligat, cui filium supponat, asserens ex illius concubitu conceptum, tenetur ne alter conscius ejusdem criminis pro rata alterius expensas in eo alendo sarcire? Soto noster aperte pronunciat non teneri licet fortassis & ipse patet esse suum, non alterius: quia inquit „ ipse in causa non est alterius „ deceptionis, sed vel ex sua levitate, „ vel ex mulieris impostura est decep„ tus". Immo ex hac doctrina arguit in favorem suæ sententiæ, quam n. 4. confutavimus, nec adulterum teneri damna mariti resarcire; cum ipse in causa non sit deceptionis mariti, sed fraus, & dolus totus sit ex parte adulteræ. At data etiam veritate prioris sententiæ, non adhuc sequeretur, quod infert Soto: nam, ut diximus superius, licet ipse non decipiat directe maritum illi supponendo filium, hujus tamen suppositionis in causa est: quippe probe novit uxorem nunquam crimen suum marito aperituram, sed necessitate urgeri ad simulandum esse mariti

riti filium. Quod non contingit in casu nostro, in quo mulier nec ab alio adultero movetur ad supponendum filium alteri, nec ipsa necessitate admissi criminis ad hoc adigitur; cum ambobus dubium suum aperire possit, & ingenue veritatem fateri, & ita neutrum plus justo gravare. At directe ad propositi casus solutionem progrediens, non abhorreo a sententia Soti, quam puto probabiliorem, & veram: quia revera tota causa damni in altero alente, & nutriente filium, de quo dubius est parens, non ab adultero progreditur, sed ab adultera, quæ adulterum decipit illi supponendo filium dubium; proinde non videtur alter cogendus ad reparandum damnum, cujus revera in causa non est nec directè, nec indirectè, non priori modo, quia ipse non suadet suppositionem, non indirecte, quia ex patrato adulterio non necessario sequitur suppositio pueri dubio parenti, sed tota ex adulteræ malitia progreditur.

IX. Hactenus de adultero, modo de adultera dicendum. Et primo quidem & ipsa filium alere debet, & de necessariis providere, quotiescumque id vel nolit, vel nequeat præstare mœchus, &, si ipsa sponte in adulterium, non seducta consensit, expensas ventris & alimenta usque ad triennium tenetur suppeditare. Deinde tenetur vel præcavere, vel compensare damna, quæ marito, & filiis legitimis obveniunt ob spurium filium in familiam intrusum. Ad quonam pacto hoc præstare possit, & teneatur, inquirendum est.

X. Et primo quidem, si dubium prudens illi in mentem veniat, num ex admisso adultero prolem susceperit, non tenetur nec filio, nec marito, nec aliis suam suspicionem, & dubium aperire: nam cum filius sit in possessione sui status, ab ea non est ob dubium ullo modo perturbandus. Tenetur tamen ipsa pro rata sui dubii de suis rebus, de quibus disponere libere potest, partem aliquam marito relinquere pro rata dubii de damno ipsi dato, & abundantius dare ceteris filiis, minus relinquendo ipsi filio, de cujus legitimitate prudenter dubitat. Ratio hujus doctrinæ est manifesta: nam una ex parte cum libere de bonis suis disponere possit, nisi irrogat injuriam, si plus uni, quam alteri distribuat; ex altera vero parte suæ satisfacit conscientiæ, damnum, si forte illatum sit, marito, & filiis sarciendo.

XI. Pro universali, & communi regula puto statuendum, uxorem honestæ fœminæ fama gaudentem non teneri ad damnum mariti, & filiorum evitandum suum crimen manifestare cum periculo vitæ, & boni nominis jactura. Ita docet S. Raymundus in Summa lib. 1. tit. de raptoribus cap. 10. *Mulier, quæ de adulterio suscipit filium . . . . debet laborare quibuscumque modis, ut legitimi hæredes non fraudentur hæreditate, caute tamen. Revelare enim simpliciter marito, vel etiam ipsi spurio non expedit, tum quia guerræ, homicidia, & adulteria fierent, cum maritus forte dimittat eam, & non valentes forsitan continere, utrique adulterarentur, & alia multa pericula possent oriri, quia forte non crederent sibi.* Innocentius III. in sua Decret. C. officii Extr. de Pœnit. & Remiss. hanc regulam confirmasse videtur, dum statuit, non cogendam mulierem adulteram per absolutionis denegationem ad suum crimen fatendum, licet ex ea legitimis hæredibus consequatur detrimentum, scribens:

bens : *Mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda*. Ad quæ verba hæc addit Glossa : *Mirum est, quod durante suppositione, per quam fraudantur consanguinei debita successione, hæc mulier pœnitere potest . . . Sed ipsa non potest detegere suppositionem, quia ei non crederetur, obstante præsumptione, quæ habetur ex matrimonio, quod filius natus sit ex nuptiis . . . & etiam periculosum esset mulieri illi detegere*. Ab aliquibus Theologis laudatur etiam in hac doctrina S. Thom. verum nihil a S. D. dictum invenitur de hoc peculiari casu; sed solum 2. 2. q. 62. a. 6. ad 2. inquirit, quid sit faciendum ab eo, qui per occultum crimen vel rem sibi usurpavit alienam, vel alteri damnum intulit, & num se prodere teneatur : & respondet, quod tunc *crimen esset Confessario revelandum, & per ipsum restituendum*. Si vero restitutio fieri non possit secreto modo, quid tum faciendum supersit, nihil dicit S. D. Ita tamen sentiunt communiter Theologi, quibusdam tantum appositis limitationibus, quas mox expendemus. Ratio quoque confirmat: nam vel adultera nullam spem habet damna reparandi ex sua publica confessione, & delicti manifestatione; & tunc non tenetur manifestare, quoniam esset temeraria, inutilis, & scandali plena hæc manifestatio : vel dubitat, num sit profutura manifestatio, & tunc quoque abstinere debet; certa enim essent subsecutura mala, nimirum ipsius infamia, & bona incerta, proinde imprudenter famam suam, & bonum nomen prodigeret; vel spem concipit per manifestationem obviandi emergentibus detrimentis; & tunc cum vita, & fama periclitetur, non est cum tanto onere cogenda ad confessionem, cum bona inferioris ordinis non sint semper per superiorum amissionem longe majorem reparanda.

XII. Sed si mulier sit exiguæ famæ, quia levioris conditionis, & fortassis etiam non integræ, quia ejus bonum nomen alias diminutum est, & agatur de pingui, & eximia hæreditate legitimis filiis, vel hæredibus arripienda; tunc censent plures Theologi teneri, etiam cum dispendio famæ, suum crimen manifestare, & nos quoque superius docuimus, non semper posse suam famam quempiam tueri cum gravi detrimento alterius, & teneri aliquando eam perdere, ut innocentem servet indemnem. Verum adhuc puto non obstringendam; nam quo vilior est mulier, quo magis suspectæ famæ, minus illi fides esset adhibenda; & sic criminis manifestatio & illi noceret, & alteri non prodesset. Præterea imprudentis esset consilii de statu, & hæreditate pinguissima filii ob dictum talis mulieris vilioris, & non integræ famæ, & infamiam suam manifestantis, judicare, & decernere.

XIII. Quid, si hæreditas non solum ingens foret, sed splendidissima, & regalis, quæ spurio, & ex adulterio nato cederet cum detrimento legitimi filii, teneretur ne mater regalis adultera crimen suum fateri? Minime. Nam tunc in pari gradu essent & fama mulieris, quæ excellentissima foret, & clarissima, & prædicta hæreditas; atque cum superet fama, utpote superioris ordinis, bona fortunæ, cum ejus dispendio revelare non teneretur. Præterquamquod quis crederet Reginæ, & Principi adulteræ? Quot bella, quot cædes inde exorirentur? Quid, si spurius filius regni hæres foret pessime indolis, catho-

licæ fidei infensus, ex quo bono communi magna exorirentur detrimenta, teneretur ne tunc adultera, etiam cum vitæ, & famæ periculo, crimen confiteri, ut, illo a solio rejecto, legitimus succederet filius optimæ spei, & ad Principatum aptissimus? Procul dubio, quia tunc ageretur de bono communi, cui cedere debet quodcumque bonum particulare, & privatum. Sed casus iste adeo rarus est, ut eum expendere relinquamus Principum Confessariis, & Theologis, qui profecto nostra non egent instructione, & magisterio.

XIV. At saltem spurio, illegitimoque filio tenebitur crimen suum aperire mater adultera, ipsumque hortari, ut hæreditati cedens vel Religiosum statum amplectatur, vel ita suis rebus consulat, ut nullum afferat legitimis filiis, & hæredibus detrimentum. Teneri plures Theologi docent, cum nulla pene sit in muliere famæ jactura: non enim bonum nomen amittit, & famam perdit, qui crimen suum alteri ob bonum finem secreto communicat; & præsertim, si spes probabilis sit, filium probum, & docilem consilium matris amplexurum. Verum, quam caute in hocce negotio agendum sit, docet S. Raymundus, a cujus sapienti consilio recedere non debent prudentes Confessarii. Sic itaque ille scribit lo. sup. laud. „ Revelet in pœnitentia factum suo Sacerdoti Parochiali, vel de „ licentia ipsius alii magis perito, & „ postea eum ipso, vel etiam sine ipso „ si vult, revelet Episcopo suo similiter in pœnitentia; & tunc Episcopus, „ vel etiam Sacerdos, vel, quod tutius est, ambo simul inquirant diligenter, & caute, si ille spurius sit „ homo spiritualis, & timens Deum, quo „ invenio, vocent eum secreto, & coram muliere, si videbitur expedire, „ recepto prius Sacramento ab ipsa, „ quod calumniose non procedat, & „ etiam ab illo, quod factum secretum „ teneat, poterunt revelare sibi, & „ inde consulere, quod ingrediatur „ Religionem, vel transferat se ad „ longinquam regionem, ut sic nihil „ percipiat de bonis illius, quem credebat esse patrem suum. Si vero illi spurio non potest revelari sine periculo, vel etiam facto sibi revelato „ secundum formam prædictam non „ vult acquiescere consilio, tunc etiam „ injungatur mulieri, quod de sponsalitio suo, vel aliis rebus, quas habet, „ satisfaciat juxta posse “.

XV. Si itaque adultera nequit et iminis manifestatione illata marito damna, & filiorum consecutura detrimenta reparare, quænam illi supersit via ad salutem suæ consulendum, indicandum est. Plura suggerunt Theologi media. S. Raymundus lo. laud. postquam dixit generatim, *laborare debet, quibuscumque modis potest, ut legitimi hæredes non fraudentur hæreditate paterna, caute tamen*, specialiter postea suggerit Confessario, ut injungat mulieri, *ut de bonis suis dotalibus, si de illis potest disponere, vel de paraphernalibus, si habeat vel de aliis, quæ in futurum habere potest, satisfaciat juxta posse, dolens semper de peccato; & quia non potest plene satisfacere, proponat firmiter in animo, quod satisfaciet, quam cito poterit, & si poterit. Hoc tamen fiat per medicum pœnitentialem, vel per personam religiosam secreto, & caute*. Tenetur præterea de suo sumptu, & mundo muliebri, quantum potest, minuere, & etiam pro sui status conditione labori manuum operam dare, ut inde uberius lucrum

crum redundet marito, & legitimis filiis. Si spurium idoneum agnoscat religioso statui, illi caute, & prudenter, & sine ulla vi, præsertim si fœmina foret, suadeat, ut eum amplectatur, & ita hæreditas in commune bonum aliorum filiorum redundet; & alii si qui occurrant modi reparandi damna, & detrimenta, sunt illi injungendi, & ab ipsa adhibendi, qui prudentiæ relinquuntur Ministri Sacramenti Pœnitentiæ.

XVI. Inter hos tamen modos legitimos non est ille admittendus, quam fortassis adinvenit aliquis Theologus, & matri suggessit, & ut narrat Alciatus lib. 3. cap. 12. contingit Avenione, nimirum matrem adulteram in confinio vitæ constitutam omnes ad se filios congregasse, illisque aperte fassam esse, illorum unum non esse legitimo complexu natum: quamobrem ipsis optionem dabat, num vellent illum suo nomine designari, an omnes consentirent occultum, & innominatum ea communi hæreditate participem fieri; & filios omnes consensisse, ut ignotus remaneret, sibi invicem damnum condonando. Hunc itaque modum pene omnes tanquam illicitum, & illegitimum rejiciunt, & præsertim Juveninus his argumentis, quæ tamen omnia vim suadendi non habent. 1. Scribit, quia non videtur opportunum, ut hæc mater suam prodigat famam, & filiis crimen suum pandat. Verum hoc probat ad summum, adstringi non posse reluctantem per denegationem absolutionis a rigido Confessario indictam; sed non evincit, volenti, & consentienti in articulo mortis suam prodigere famam, ut meliori, quo putat, modo detrimentis legitimorum filiorum consulat, permitti non posse, & concedi. 2. Quia, inquit, consensus præstitus filiorum liber non esset, utpote vi, & metu extortus; quilibet enim sibi de infamia, & privatione hæreditatis metueret. 3. Quia iniquum est per metum gravem legitimos filios adigere ad abrenuntiandum juri suo, & dividendam hæreditatem cum extraneo. Et denique 4. quia hoc modo detrimenta non præcaveret; semper enim verum esset, legitimos filios parte hæreditatis spurio condonata privari. Et hæc argumenta efficaciora videntur ad veritatem positæ doctrinæ stabiliendam, & confirmandam.

XVII. Denique, ne quid desit Tyronum instructioni, examinandum superest, num, si mater minus prudens, & cordata filio spurio crimen suum pandat, illique illegitimum esse denuntiet, num hic matri fidem adhibere teneatur, & dictis ejus acquiescere. Mox laudatus Auctor, doctissimus Theologus, & sanioris doctrinæ Magister, Tract. de Restit. cap. 4. §. 4. nu. 4. q. 18. docet, teneri quidem in foro conscientiæ matri fidem adhibere, si evidenti argumento illi ostendat per integrum annum ante ejus ortum, & toto tempore prægnationis absentem maritum fuisse. Verum tunc non acquiesceret dicto matris, sed evidentia facti convinceretur. Quamobrem, quando agitur de solo testimonio matris, absolute pronuntiat non teneri dictis matris, ne quidem sacramento testimonium suum in articulo mortis confirmantis credere, vel acquiescere in foro conscientiæ. Exproprer non teneri abrenuntiare hæreditari sibi obtingenti hisce probat argumentis. 1. Quia de matre, quæ sponte fatetur datam marito fidem turpiter se violasse, præsumi merito potest, posse etiam calumnia filio

filio sibi minus dilecto nocere velle. 2. Timendum etiam esset de fraude in hoc testimonio, per quod vellet alium filium quem magis diligit, & deperit, prodesse, eumque ditare. 3. Quia cum filius in domo paterna natus, educatus, semperque legitimus habitus ab omnibus, sit in possessione certa sui status, pati non debet se spoliari, nisi contrarium manifestis, & evidentibus argumentis ipsi probetur, & ostendatur. At, ne huic opinioni, & doctrinæ prompte acquiescam, me movet Sancti Raymundi auctoritas, qui, ut supra vidimus, docet, teneri mulierem crimen suum Parocho in Confessione manifestare, Episcopum cum eo adire, & ambos simul filium ad se vocare (si spes sit, ut quiescat) & illi sub juramento secreti statum suum pandere, ut renuntiet hæreditati. Porro, si filius nec matri juranti credere teneretur, non solum frustra, sed & importune hæc omnia fierent. Existimavit igitur S. Doctor, filium teneri acquiescere matri sub juramento crimen suum testanti. Nec dicas, hoc dictum a S. Raymundo per modum consilii, non præcepti: nam quis prudens, & cordatus arbitrabitur, filium fidem habiturum matri, ut sponte donet hæreditatem, quam non credens matri, jam tuta conscientia potest vel adire, vel retinere, licet sit pius, & Deum timens? Agnovit igitur S. Raymundus in filio debitum, & onus credendi matri. Nec adducta argumenta rem omnino suadent. Nam commisso adulterio, præsumptio non sequitur calumniæ, & odii in filium: etenim juxta juris regulam *semel malus semper præsumitur malus*, *sed in eodem genere mali*, non in plane diverso, cujusmodi est adulterium & odium, crimen luxuriæ, & scelus calumniæ. Præterea crimen adulterii ex humana fragilitate, & sexus infirmitate, ab exteriori impulsu proficiscitur, proinde facile locum habere potest in infirmiori vasculo; at crimen odii, calumniæ, & damni intentati non nisi ex pura & quidem pertinaci malitia ac violenta passione oriri potest; proinde ex uno alterum prudenti judicio non præsumitur. Denique hæc qualiscumque præsumptio omnino abolita esse potest, si mulier post patratum crimen sancte, pieque vixit, sacramenta frequentavit, ergá filium illegitimum signa odii non exibuit, & in extremo vitæ discrimine Sacramentis munita in conscientiæ suæ levamen crimen suum filio detexit; tunc enim nulla esse potest prudens suspicio odii, vel calumniæ adversus filium illegitimum, & amoris eximii, & singularis erga alium, vel, alios. Quod autem dicitur tertio loco, verum est, si præsumptio externi tantum fori attendatur; at hic de foro conscientiæ loquimur, in quo constat possessionem status, quem obtinet filius, falsa omnino niti præsumptione; & confessio matris suppeditat in interno foro sufficiens argumentum præsertim in illis circumstantiis de falsitate tituli suæ possessionis. Quamobrem libentius acquiesco Concinæ dicenti: *Si probus, doctusque Confessarius mulieris testimonium confirmaret, non video, cur filius fidem denegare matri posset*. Et P. Cuniliati idem confirmat his verbis. *Si adultera filio spurio revelaret crimen . . . in articulo mortis constituta, & Sacramentis munita cum juramento affirmaret, teneretur sub mortali filius eidem credere, & conscientiæ suæ providere, tanquam possessor bonæ fidei hæreditatem paternam non consuptam relinquendo*. Nec locum habere in hoc casu potest præsumptio etiam diuturna; cum

cum ea præscribi non possint, quæ nec vendi, nec alienari possunt. Porro jus legitimitatis inalienabile est, propterea nec præscriptioni subjectum.

CAPUT QUARTUM.

De restitutione ob mutilationem, & homicidium.

DOCTRINA.

I. *Quid mutilationis nomine designetur.*
II. *Pro injuria personali facienda est restitutio.*
III. *Quænam sint realia detrimenta ob mutilationem sarcienda.*
IV. *Homicida quoque pro personali injuria restituere debet.*
V. *Quomodo sit personalis injuria reparanda.*
VI. *Quomodo damna realia compensanda offenso.*
VII. *Quomodo detrimenta illata familiæ.*
VIII. *Num & illis satisfacere, qui non ex justitia beneficium aliquod percipiebant.*
IX. *Num & creditoribus occisi satisfacere.*

I. MUTILATIONIS nomine non sola intelligitur alicujus membri injuriosa obtruncatio, sed etiam & illius debilitatio, per quam membri usus vel omnimode, vel graviter impediatur; sicut etiam quodcumque aliud vulnus, quod, licet membrorum usum non eripiat, deformem tamen personam reddit, præsertim si fœmina sit, ut vulnus in facie, vel alio loco oculis omnium exposito. Homicidium vero designat cædem injustam proximi. In utroque crimine duplex damnum solet inferri, nimirum personale, & naturale, quod in membri, vel vitæ privatione, aut insigni deformitate consistit; & reale scilicet in bonis fortunæ, cujusmodi sunt expensæ in curatione faciendæ, lucra cessantia, & emergentia damna sive ipsi vulnerato, vel occiso, sive aliis cum ipso arcte conjunctis, cujus detrimenti participes sunt. De horum omnium compensatione, seu restitutione est agendum.

II. Et a personali detrimento incipientes per mutilationem allato, dicimus injustum mutilatorem teneri satisfacere, & restituere pro ipsa personali injuria; licet fortassis nullum sit inde vel damnum, vel lucrum cessans consecutum. Veritas hujus doctrinæ patet tum ex iis, quæ diximus cap. 2. n. 1. ubi ostendimus bona superioris ordinis compensari posse, & esse compensanda per bona inferioris ordinis; tum ex iis, quæ late disputavimus in VIII. Præc. Decal. cap. 8. & 9. hic recolenda, & legenda. Præterea eam confirmat S. Th. sua auctoritate, & doctrina hic q. 62. a. 2. ubi, postquam ostendit, restitutionem esse semper in præcepto, sibi objicit primo loco, *aliquando impossibile esse restituere id quod est ablatum; puta cum aliquis abstulit alicui membrum, vel vitam*. Et objectionem solvens respondit, *quod in quibus non potest recompensari æquivalenter, sufficit, quod ibi recompensetur, quod possibile est.... Et ideo quando id, quod ablatum est, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est, puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri*.

III. Detrimenta vero realia injustus mutilator ad æqualitatem sarcire tenetur. Quamobrem 1. expensas omnes solvere ob-

obstringitur, quæ in curatione factæ sunt, & lucra cessantia, si artifex sit, & operarius, qui suorum membrorum usu aliquid lucretur. Ita statuitur & in lege divina Exodi 21. ubi de viro proximum percutiente dicitur, *ut operas ejus, & impensas in medicos restituat*. Et in lege civili ff. de his qui effunderint, vel dejecerint l. ult. indicitur: *Cum liberi hominis corpus læsum fuerit, judex computet mercedes medicis præstitas, ceteraque impendia, quæ in curatione facta sunt*. Et jure meritoque: nam quandoque ex injusta actione mutilatione hæc omnia necessario profluunt damna, quæ injusto mutilatori imputantur, & ab eo sunt sarcienda.

IV. Quæ de injusto mutilatore dicta sunt, & de interfectore iniquo sunt dicenda. Nam 1. pro injuria illata personæ vitam illi eripiendo tenetur aliquid restituere ipsi interfecto, eleemosynas, sacrificia, aliaque pia opera pro ipsius animæ requie exhibendo. 2. Et familiæ defuncti, uxori, parentibus, filiis, fratribus veniam, & pacem petendo, eorum curam gerendo, beneficiis & officiis prosequendo, quod non est omittendum, licet ab eis condonationem injuriæ, & offensæ obtinuerit; cum hoc in ejus utilitatem redundet, quippe qui mitius a judicibus puniretur, & commissum facinus, quod vita expiare deberet, aliquando sola pecunia, vel brevi carcere condonaretur. Quamobrem ex collato beneficio damnum sentire non debent, nisi forte in condonatione injuriæ, & in danda pace de aliqua determinata satisfactione, vel compensatione convenerint; tunc enim pactis utraque pars stare debet, & conventa servare.

V. Quantum vero restituendum sit pro injuria personali in mutilatione, vel occisione patrata, non alia est statuenda regula ab ea, quam tradit S. Th. l. l. nimirum satisfactionem, & restitutionem esse faciendam *considerata conditione utriusque personæ* (mutilantis & mutilatæ, occidentis & occisæ) *secundum arbitrium boni viri*. Quamobrem egregie animadvertit Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. „In hoc arbitramento habenda est ratio personarum „tam occisi, quam occidentis, quin „etiam hæredum ... Quapropter hæc „est regula, quæ prudentibus habetur „in usu, atque adeo plus huc conducit prudentum sententia, quam „Theologorum scientia, vel juris consultorum. Quando enim homicida „est divitiis præpotens, major est ei „restitutio injungenda, quam si egeret; & si occisus inutilis erat suis, „minor, quam si erat frugi. Et præterea in hisce injuriis considerandum, „quod qualitas defuncti non tam pensari debet ex utilitate ipsius, indigentiaque suorum, verum etiam ex „valore, & dignitate personæ. Nam „qui virum ingenuum, litterisve, aut „alia ratione insignem occidit, ad majorem multo restitutionem tenetur, „quam si personam inferioris classis „trucidaret. Falluntur ergo, qui arbitrantur ob id, quod non reliquit „familiam inopem, non esse restitutionem necessariam; quoniam talis „persona multo pluris erat, quam „alia. Quin vero & occidendi modus, si per insidias, aut fraudem, „aut per insignem atrocitatem homicidium perpetratum est. Hæc, inquam, omnia venire debent in consilium, ut restitutio legitime fiat". Et de mutilatore quoque scribit S. Antoninus; *Quod debet respondere non solum damno, quod quis intulit per mutila-*

lationem pro toto tempore futuro, & expensis appositis pro curatione. sed ultra hoc tenetur ad placationem læsi, quantum in ipso est, & consolationem ipsius afflicti, quæ afflictio perpetua est.

VI. Quoad damna vero realia per homicidium, & mutilationem inducta 1. occurrunt expensæ, si forte factæ sint pro curatione vulneris, ex quo postea mortuus est, & pro ipsius vulnerati sustentatione, & ceteris expensis in ejus conservationem necessariis, iis tamen deductis, quæ ipse sanus, vel vivens necessario fecisset. 2. Expensæ pro funere, & sepultura ab interfectore non sunt sarciendæ, cum eas hæredes subjissent; nisi forte occisus extra propriam patriam esset alio transferendus, ut in suorum majorum sepulcro tumularetur, tunc enim expensarum excessus esset ab occisore sarciendus. 3. Mutilator tenetur mutilato compensare totum illud, quod lucratus fuisset sua arte, industria, labore cum ipso conveniendo juxta arbitrium prudentum, & sapientum virorum, in qua conventione nulla est habenda ratio laboris, molestiæ, & incommodi, quæ in suæ artis exercitio subire debet; tunc enim nihil foret restituendum, cum lucrum operi, & industriæ respondeat: sed cum per injustam actionem ipsum a suo opere, industria, labore adhibendis impedierit, totum lucrum, quod per illa acquisivisset, rependere debet. Habenda tamen est ratio incertitudinis: nam, quod est in spe, æquipollere non potest ei, quod est in re; cum, ut inquit S. Th. *pluribus modis possit impediri*. Et revera posset mutilatus cito mori, vel alio morbo languere, unde nec sua arte posset uti, nec sua industria lucrari.

VII. Homicida vero damna realia, quæ familiæ obvenirent, sarcire tenetur. Hinc, si nulla sequantur familiæ detrimenta, ex hoc capite a restitutionis onere liberabitur. Sic inter nobiles, qui reditibus, & prædiis vivunt, nulla compensatio, restitutio nulla fieri solet; licet fortassis interfectus ex aliquo officio, ministeriove publico stipendium, & lucrum perciperet, quia tale lucrum solummodo in ipsius utilitatem redundare solet. At si nobilis iste vel mercator ex officio, vel negotiatione sua in augmentum, & utilitatem familiæ congerebat, licet hæredes necessarii non egeant, & aliunde habeant unde vivant, a restitutione tamen non liberatur homicida: nam, ut optime advertit Sotus; *Si commutativam justitiam consideres, nihil interest, sint ne hæredes divites, an pauperes, sed præcipit, ut quantum ablatum est, reddatur.* Si vero sequantur detrimenta, ea omnia certe sunt sarcienda emolumenta, quæ cæsus ex justitia præstare tenebatur. Quamobrem si cæsus sit paterfamilias, qui parentes, uxorem, filias, nepotes habet, tenetur interfector illis alimenta præbere, filiis providere, filiabus dotem suppeditare juxta illorum statum, & conditionem: quod enim istis careant, ipse sua injusta actione in causa est, proinde ad reparationem tenetur.

VIII. Si vero fratres, aliosque consanguineos, vel affines alebat, ad istis quoque consulendum cogendus non videtur homicida; licet sperare possent ab interfecto beneficia alimentorum, hæreditatis & similia; quippe quia hæc illis non debebantur ex justitia, sed ex mera concedentis beneficentia, proinde ad illa nullum jus obtinebant. Nec obstat, quod alio loco diximus nimirum licet quis non habeat jus ad aliquod donum, largitionem, & beneficium ab alio

alio præstandum, jus tamen habere, ne ab illius consecutione injuste præpediatur, ut contingere videtur in nostro casu, ubi per injustam occisionem beneficia consanguineis a cæso præstita omnino, & injuste tolluntur. Nam respondemus, hoc quidem verum esse, si interfector in cæde illa animum habeat nocendi consanguineis, & ad hoc suum ordinet homicidium: at si cœdes non nisi ex ira, rixa, odio progrediatur, & solum ultio quæratur, quæ sequuntur consanguineorum damna, per accidens, non ex occidentis intentione sequuntur, proinde ab illo minime ex justitia sarcienda. Animadvertendum tamen, cum ex ista cæde & ipsis consanguineis sit irrogata injuria, qui propterea persequi in judicio possunt injustum interfectorem, est illis aliqua debita satisfactio, vel per judicem taxanda, vel mutua conventione statuenda.

IX. Num autem teneatur debita ab interfecto relicta creditoribus solvere, quando prudenter judicare potest a debitore vivente fore solvenda, disputant Theologi. Et primo quidem ab omni onere solutionis liberant, quotiescumque hæredes & de cessante lucro, & de emergente damno homicida compensavit; tunc enim ab ipsis hæredibus debitorum solutionem expetere possunt. At, si interfector aliquo modo, sed non integre hæredibus occisi satisfecerit, sed solum pro injuria illis illata, & pro detrimentis, quæ ipsi passi sunt, nonnulli censent ad debitorum solutionem teneri. 1. Quia occisor in causa fuit, ne creditores id consequerentur, quod sibi ex justitia debitum erat, & quod vivente debitore recuperassent. 2. Jus habent creditores, ne debitor injuste in eo statu ponatur, in quo nequeat debita ex justitia solvere; quod tamen præstat occisor debitorem interficiens. Verum alii censent ad restitutionem non teneri, inter quos, præter antiquiores, novissime Concina, & Juveninus, quorum sententiæ utpote communiori, & probabiliori adhæreo his argumentis. 1. Quia nec in foro externo ulla ratio creditorum habetur; nec illi actio datur in occisorem, dum e contra in judicio externi fori adigitur occisor ad damna familiæ reparanda. 2. Quia creditores jus quidem habent in personam, & bona creditoris; ita tamen, ut, sublata persona, obnoxia remaneant ipsius bona: quamobrem si supersint bona creditoris occisi, hæc subjacent restitutioni, & hæredes ex illis debita solvere tenentur; quippe qui hæreditatem adire non valent, nisi ære alieno soluto: si autem nulla supersint bona, & debitor periit, nihil superest, unde solutionem accipiant creditores. At urget Molina argumentum primo aspectu prævalidum, scilicet occisor tenetur damna sarcire, quæ subeunt hæredes necessarii: at istis non debetur hæreditas, nisi soluto ære alieno: ergo prius, & multo magis debet occisor debita occisi solvere, quam hæredibus satisfacere. Verum respondeo, hoc potius contrarium evincere. Nam vel supersunt bona occisi, quæ hæredes consequantur & tunc ex illis prius debent debita solvere, & postea hæreditatem adire; cum æque exsolvissent ex hæreditate, si cæsus naturali morte obiisset. Vel nulla supersunt bona, & tunc hæredes (nisi & ipsi debitores sint aliquo titulo) ad debita solvenda non tenentur. Si vero hæredes necessarii, filii uxor parentes, occisi labore, arte, industria alebantur, vel beneficium aliquod sibi debitum consequebantur, cum hæc emolumenta sint illis sublata ab iniquo occisore, sunt quoque & ab illo sarcien-

farcienda; non solum quia debita ex titulo justitiæ, sed etiam quia, ut dicemus ex Salmaticensibus, sunt adeo cum cæso conjuncti, ut moraliter una persona censeantur cum illo, quod de creditoribus dici non potest. Si vero hæredes omnimodam consequantur ob occisore compensationem, tunc si totum beneficium sentiunt hæreditatis, quod ab occiso sperare poterant, ita debent & onus sentire solvendi æs alienum, quo ille premebatur. Non ergo, quia occisor tenetur damna hæredum farcire, sequitur statim multo magis teneri ejus æs alienum dissolvere. Opposita vero Theologorum aliter sentientium argumenta sic solvuntur: erant quidem debita ex justitia solvenda a debitore, sed quod ex ejus occisione insoluta maneant, hoc per accidens sequitur ad homicidium: non enim occidit, ut creditores suis creditis privet; sed morte secuta debitoris, & nullis existentibus ipsius facultatibus, de se cadunt creditorum jura. Nec urgeas, hoc dici posse etiam de alimentis præstandis filiis, & familiæ, nimirum pereunte patre-familias, & nullis existentibus facultatibus cadere jus alimentorum. Quandoquidem non solum occisus tenebatur ex justitia filios, & familiam alere; sed filii, & familia censentur una persona, &, ut inquiunt Salmanticenses, *qui occidit Patrem-familias, uxori, filiis, & parenti damnum infert, & eos damnificat in re sua, & veluti abscindit partem sibi strictissimo nexu conjunctam, & a qua sibi utilitas proveniebat*. Ad secundum vero respondeo jus habere creditores, ut data opera, & directa intentione debitor a facultate solvendi non dejiciatur; non vero, ut alius in quacumque sua actione attendat, ne per accidens, & præter suam mentem alterius damnum sequatur; ut contingit in illo, qui ex ira, vel odio alium interficit.

CAPUT QUINTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui alterum dehonestat, & injuriam, damna sarcire debet.*

II. *Aliquando damna, etiam non necessariis hæredibus provenientia, sunt sarcienda ab injusto occisore.*

III. *Non ad restitutionem teneatur, qui injustum invasorem occidit.*

IV. *Quando, & quomodo condonatio occisi ab onere restitutionis occisorem liberet.*

V. *In homicidio casuali non semper occisor liber est a reparatione damnorum.*

VI. *Quando innocens ob homicidium vexatur, num reus teneatur ejus damna sarcire.*

VII. *Num homicida pœna capitis multato, ejus hæredes ad restitutionem teneantur.*

Reflexio.

Consectarium Primum.

I. QUI vulnere in facie, vel alia parte corporis proximum dehonestat, non solum pro injuria satisfacere debet, sed & damna inde emergentia, vel lucra cessantia reparare; ut si quis servum, vel puellam ita vulnere defœdet, ut nec ille dominum inveniat, qui illum in servum conducat, nec ista maritum, tenetur illi alimenta subministrare, & huic dotem augere, quantum sufficiat ad suæ conditionis æquale matrimonium reperiendum. Huic tamen doctrinæ adversatur Natalis Alexander

de homicidio reg. 27. non alia ratione innixus, nisi lege civili, quam superius attulimus, statuente: *Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem*. Verum, præter quam quod hæc lex locum habet in foro externo, ubi vel jubetur restitutio ad æqualitatem, vel pœna infligitur, solum loquitur de ipsa deformitate, inquantum est personalis injuria, non vero quando etiam transit in realem, damna inferendo in re temporali; ut contingit in duobus positis casibus juxta aliam comunionem legem statuentem, *qui occasionem, seu causam damni dat, damnum dedisse videtur*.

Consectarium Secundum.

II. Licet cap. super. n. 8. dixerimus, non teneri interfectorem ad damna compensanda, quæ ex homicidio proveniunt hæredibus non necessariis, puta fratribus, sororibus, aliisque consanguineis; tamen si aliqua emolumenta sint illis debita ex justitia, quia per judicis sententiam ad ea præstanda addictus fuerit, quippe qui fortassis eorum patrimonium dissipavit, tunc homicida ad restitutionem obstringitur; cum jam de familia facti sint occisi, & ejus personam represententent. Sicut si quis eo pravo animo interficiat alium, ut consanguineos non necessarios, vel alios etiam pauperes liberalitate defuncti eleemosynis sustentatos, hoc beneficio spoliet, ad restitutionem tenebitur: alia autem emolumenta, quæ ex liberalitate defuncti aliquibus proveniebant, non sunt ab interfectore compensanda, cum nullus ad ea jus habuerit, sed gratuita omnino fuerint. Ita Sotus, Navarrus, aliique.

Consectarium Tertium.

III. Qui occidit, vel mutilat injustum invasorem, servato moderamine inculpatæ tutelæ, ad nullam est adigendus compensationem; quia injuste aggrediendo sibi imputare debet, quæ illi consequuntur damna; & occisor jus habet se, & propriam vitam tuendi, id præstando, quod necessariam absolute est ad se indemnem, illæsumque servandum. Si vero limites excedat moderatæ, & inculpatæ tutelæ, adhuc nulli obnoxium restitutioni declarant Sporerius, & Tamburinus saltem probabiliter: quia, inquiunt, moderamen inculpatæ tutelæ excedendo peccat qui contra caritatem, at justitiæ jura non violat, cum injustus invasor censeatur totam remittere ex sui occisione exorientem obligationem, voluntarie enim tanto periculo se objecit, immo sua invasione sibi accersivit. Verum hæc doctrina falsa omnino mihi est, & improbabilis. Nam onus restituendi ex homicidio injusto ex ipsa divina lege oritur, quæ in sui defensione moderamen inculpatæ tutelæ servandum jubet, nec plus nocendum proximo, quam sit necessarium ad sui defensionem. Nec censendum est, invasorem cedere juri suo in compensatione damnorum; sicut non plus jus tribuit adversario in sua bona, & vitam, quam ipsi ex divina lege concedatur. Hinc si fuga potest injusti invasoris, & suam mortem declinare, tenetur fugere, reus alioquin homicidii, & restitutioni obnoxius, si provocatus ad pugnam, eam acceptet, ne notam timidi, ignavi, & vilis hominis incurrat; & si provocantem occidat, ad restitutionem & compensationem obstringitur. Nam humanum honorem contemnere tenetur, nec ob illius

lius tutelam suam, vel proximi vitam periculo exponere. Quamobrem jure merito laxam appellat P. Concina Vivæ doctrinam, asserentis: *Quamvis aliquando non fugiendo peccet contra caritatem, si scilicet sine dispendio honoris fugere poterat; at non peccat contra justitiam, ergo non tenetur ad restitutionem.*

Hinc alii distinguunt, si moderamen inculpatæ tutelæ non nihil, & leviter excedat, ad restitutionem ex homicidio non obstringetur; cum admodum difficile sit in tanto discrimine nec leviter excedere: si vero graviter excedat, erit reparationi obnoxius; tunc enim injuste occidit. Animadvertunt tamen minus teneri restituere, quam si non provocatus occidisset: quod certe verum puto respectu personalis injuriæ occiso illatæ; sed non respectu damnorum ex injusta occisione hæredibus provenientium, quippe qui & provocationis innocentes sunt, nec illius causa; secus vero, si ad vindictam interfectorem impulerint.

Consectarium Quartum.

IV. Quando occisus ante mortem suo occisori pacem concedit, & offensam remittit, non censetur & damna inde sibi, vel suis provenientia condonare. Nam injuriæ condonatio condonationem non infert damnorum: illam enim lege evangelica concedere sincero corde, & animo tenetur, ista non condonare sine culpa potest. Quid si & damna condonet, & omnes expensas remittat? Liberum hunc ab omni restitutionis onere decernit Concina; quia, inquit, plano jure potitur ille præfata omnia remittendi: & solum addit, ipsum contra caritatem peccare, si cum gravi præjudicio filiorum, uxoris, nepotum, qui ad gravem redigantur inopiam, præfata debita remittat; subdens tamen validam esse condonationem. At non satis perspicio, cur valida sit hæc condonatio, & quomodo occisus pleno jure gaudeat præfata omnia detrimenta condonandi. Nam uxor ob datam dotem, quam fortassis maritus consumpsit, jus habet ad alimenta, æquali jure gaudent & filii titulo nativitatis: quomodo igitur occisus potest istis juribus hos innocentes spoliare, & ad mendicitatem reducere? Puto igitur nec jure potiri hæc condonandi, nec validam esse condonationem; sed probabiliorem censeo doctrinam Juvenini, & Cuniliati, adhuc respectu filiorum uxoris, parentum teneri interfectorem ad eorum detrimenta reparanda. Quod & dicendum puto de illis, qui mutuo se se provocant ad duellum, vel pugnam, tunc enim Concina putat nihil esse restituendum, quia uterque cessit juri suo. Juri quidem *suo*, sive *personali*, sive *reali* cedere illicite quidem, sed valide, facile perspicio: at juribus realibus uxoris, filiorum, & aliorum qui ab occiso necessario fuissent alendi, omnino non perspicio, nisi forte uterque in pugna moriatur; tunc enim mutua sit forsitan damnorum compensatio. Nec dicas, superius a nobis statutum, filios, uxorem, parentes unam constituere moraliter personam cum occiso, proinde eis ab occisore emolumenta, & damnorum reparationem deberi: ex quo sequitur, & factam ab occiso condonationem validam esse habendam, & ab onere compensationis erga illos liberari occisorem. Nam respondeo hanc moralem conjunctionem non tollere privata jura, quæ unicuique conveniunt, sed semper sarta tecta permanere: quorum proinde violatio sine eorum consensu sarcienda est, nec ab alio, quam ab ipsis remitti

ri potest. Sic pater, & filius pro una habentur moraliter persona; & tamen pater filium legitima spoliare non potest, nec alimenta denegare; quamvis filius habens bona castrensia, vel quasi castrensia, possit & legitimæ, & alimentis renuntiare. Pari pacto licet maritus, & uxor in jure una persona habeantur, non potest tamen maritus uxorem dote sua spoliare; quamvis uxor, si aliunde habeat, possit eam in utilitatem familiæ, vel mariti in aliquo saltem casu donare. Quamobrem & ita sentiendum arbitror in casu nostro, cum uxori dos, filiis alimenta ex justitia debeantur, ea præstare debet injustus homicida: cumque jura ad dotem, & alimenta sint in filiis, non potest maritus, vel parens occisus ea condonare occisori valide, cum nequeat illos hoc stricto jure privare.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. In homicidio casuali non semper occisor liber est ab onere damni reparandi. Nam tunc solum hoc non premitur onere, quando omnem adhibuerit diligentiam, & cautelam, ne homicidium sequeretur, licet fortassis dederit operam rei illicitæ; ut in Clerico vetitam venationem exercente: tunc enim homicidium est prorsus involuntarium; secus vero, si debitam cautelam omisisset, & diligentiam. Et idem dicendum de ebrio, qui alterum occidit, qui ad restitutionem non tenetur, si vel non prævidit secuturum homicidium; vel, si prævidit, cavit diligenter, ne sequeretur; secus vero, si prævidit, & non cavit. Pari pacto onere non premitur restitutionis, qui alium vulnerat dumtaxat vulnere de se non lethali, si forte imperitia medici, vel chirurgi vulneratus decedat; tunc enim ipse vulnerans non est causa mortis, damna proinde ex solo vulnere reparare tenetur: aliter tamen dicendum, si ex vulnere, licet de se non lethali, alter obeat ex deficientia medici, vel chirurgi, qui vulneri medeatur; tunc enim vulnus est tota, & sola causa mortis. Non liberatur vero ab onere restitutionis, qui volens occidere hostem suum, alium loco ejus per errorem occidit: nam est causa vere voluntaria hujus homicidii, quippe qui voluit vere hominem occidere, licet in persona erraverit. Ita statuunt & ipsæ civiles leges in L. *eum qui nocentem* 18. §. 3. *Si injuria mihi fit ab eo, cui sim ignotus, aut si quis putat me Lucium Titium esse, cum sim Cajus Sejus, prævalet, quod principale est, injuriam eum mihi facere velle: nam certus ego sum, licet ille putet me alium esse, quam sim, & ideo injuriarum habeo actionem*. Si quis hostem aggrediatur non armis, sed verbis contumeliosis, & valde dehonestantibus, & ab isto injuriam repellente occidatur, non pauci recentiores illum ab onere restitutionis liberant: quippe qui injusta sua actione alterum provocavit, & suæ neci causam præbuit. Verum falsa habenda est, & improbabilis hæc doctrina, quia illata verbalis injuria, licet gravis & gravissima, non ad vindictam armis capiendam jus præbet, sed petendi coram judice, vel alio plane moderato modo justam satisfactionem. Sed quid, si non verbis, sed armis aggrediatur hostem, a quo postea, ut se defendat, illum occidit, licet in occisione moderamen non excedat inculpatæ tutelæ? Adhuc reus est homicidii, & restitutioni obnoxius, quia injusta sua aggressione se in necessitatem voluntariam conjecit vel occidendi, vel moriendi. Quod si rixantibus duobus, & armis pugnantibus,

bus, alii sponte sua accurrant, vel causa alterutri auxilium ferendi, vel eos dividendi, & horum unus alterum enecet, principales rixantes ad restitutionem non tenentur, nec rei habendi sunt illius homicidii: nam solum remota causa sunt occisionis, cum ipsi sua voluntate, & sponte accesserint. At si alter rixantium amicum, vel transeuntem in suum auxilium vocet, qui accurrens opem laturus ab alio rixante occiditur, qui auxilium imploravit, ad restitutionem teneri nonnulli etiam benigniores Casuistæ sentiunt; quippe qui in causa fuit illius necis, eum ad pugnam vocando, movendo, excitando. Verum cum hic nec fraude, nec dolo, nec vi usus sit, sed solis precibus, & suasionibus, quibus ipse occisus se moveri consentit, justitiam non violasse videtur, licet fortassis in caritatem peccaverit; proinde obnoxium restitutioni non censeo. Qui latronibus, vel mandatariis domum Petri, vel ipsum Petrum ad necem quærentibus ostendit, quem revera enecant, reum homicidii habent plures Theologi, & compensationi obnoxium, si sine ulla coactione, vel metu mortis id egerit; at secus, si gravi metu coactus ob intentatam a latronibus, vel mandatariis mortem, domum, vel personam Petri ad necem quæsiti, & interfecti pandat; quia, inquiunt, non tenetur sua morte alterius mortem vitare, vel alterius vitam suæ vitæ dispendio servare. Sed hoc verum puto, quando quis sine culpa potest se morti subducere alterius mortem permittendo, puta auxilium non ferendo cum propriæ vitæ discrimine. At hic non agitur de sola alterius mortis permissione, sed de vera, reali, & efficaci ad ejus necem cooperatione: nam non minus Petrum interficiunt latrones, & mandatarii gladiis vulnerando, quam ipse gladio linguæ manifestando; & est vera causa necis magis, quam sit causa stupri, qui scalam tenet domino volenti fenestram conscendere ad virginem constuprandam: & sicut hic famulus nec metu mortis potest domino obsequi; ita nec iste latronibus & mandatariis interrogantibus respondere; reus proinde patrati homicidii. Num vero & restitutioni obnoxius? proculdubio, sed secundo loco, non restituentibus scilicet latrone, & mandatario; quippe qui ejusdem sceleris, idest homicidii reus est, quod debitum infert restitutionis. Durus, inquies, est hic sermo. Utique. Sed hic locum habet monitum Ecclesf. 33. *Agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia.*

Consectarium Sextum.

VI. Qui alterum occulte interficit, cujus mors innocenti injuste imputatur, præter, immo contra ejus voluntatem, quæ huic innocenti sequuntur damna, compensare minime tenetur. Nam illius damni, & detrimenti non ipse est in causa, nec directa, cum innocentis damna nolit; nec indirecta, cum ex homicidio non sequatur, huic innocenti potius quam alteri adscribi debere. Quamobrem quæ sequuntur detrimenta, judicis vel Testium, vel accusatorum ignorantiæ seu malitiæ sunt tribuenda. Causa tamen directa damnorum fiet, si homicida aliquod opus fecerit, quod efficaciter influat in alterius innocentis imputationem; puta si se, eo inscio, vel invito, ejus vestibus amicierit; si ejus gladio usus sit, quem cruentatum in ejus vagina postea reposuit, vel prope cadaver reliquit; si

si occisi corpus sepeliat, vel abscondat in horto innocentis: hæc enim argumenta validiora sunt, quæ innocentem in suspicionem criminis adducunt; propterea quæ sequuntur damna, sunt ab hoc doloso, & fraudulento homicida resarcienda. Si vero occisum hominis cadaver e domo sua asportet, & penes alterius domum reponat, non ea quidem mente, & voluntate, ut alteri homicidium imputetur, sed solum ut a se suspicionem patrati criminis amoveat; si forte propter hoc innocens vexetur, non videtur immunis ab omnimoda damnorum compensatione, ut plures docent Theologi: quia licet inventio cadaveris hominis occisi prope alicujus domum non sit prudens causa, sed solum levis occasio innocentem vexandi, cum frequenter contingat hominem in uno loco vulneratum, in altero cadere, & mori; inficiari tamen non potest id aliquo modo in causa esse detrimenti, & vexationis, quam innocens subit: propterea dixi, non esse ab omnimoda damnorum compensatione immunem, sed solum pro rata modi, & efficacitatis, quo in detrimentum, alterius influit ad arbitrium prudentis viri.

Consectarium Septimum.

VII. Si homicida, vel fur a justitia capite plectatur, num ejus hæredes ad damnorum reparationem teneantur inquirunt Theologi. Plerique de juris rigore docent teneri, cum per apitalem, quam subit, pœnam justitiæ quidem vindicativæ, quæ publicum bonum respicit, satisfaciat at non commutativæ, quæ privata detrimenta reparanda jubet. Hunc tamen rigorem per contrariam consuetudinem emollitum dicunt, per quam, pœna mortis inflicta, censentur omnia damna remissa, & condonata. At ipse censeo distinctione opus esse. Nam si a læsa parte vindicta urgeatur, & pœna postuletur, ea a judice inflicta, & a reo persoluta, tunc omnia jura læsæ partis cessant; cum quod exquisierat, punitionem scilicet rei, sit consecuta: & hæc est consuetudo, quæ inter nobiles viros, & præpotentes viget, qui sive justitiæ zelo, quod rarum est, sive vindictæ studio punitionem Rei urgeant, hanc ubi sint consecuti, reliqua negligunt, & condonant. At si reus capitali sententia puniatur a judice ex officio suo, non urgente læsa parte, multoque magis injuriam condonante, non puto hæredes rei habendos immunes ab onere sarciendi damna, præsertim si divites sint, & bona occisi habeant, læsi vero pauperes & egentes, quippe quia pœna mortis crimen quidem expiat, at aliena damna non reparat, quæ innocentes patiuntur. Quod si mors ob furtum sit inflicta, & res furto ablatæ existant, non video, cur non sint restituendæ, & quo titulo hæredes sibi usurpare valeant, licitumque dominium nancisci. Dices forte liberali concessione partis læsæ. At hæc de facili non est præsumenda, præsertim si rei punitionem non postulavit, & injuriam personalem condonavit. Et revera, fingamus latronem, & spoliatorem alicujus templi, cujus pretiosa vasa aurea, & argentea abstulit, suspendio puniri, quis dicere audeat, licere hæredibus, ea vasa, & supellectilia sibi retinere, & ab Ecclesiæ ministris illis condonari? Tenetur igitur hæres non obstante rei sacrilegi punitione ea restituere. Hinc locum solum habere puto hanc condonationem, quando agitur de peculatu; tunc enim si Princeps, punito per mortem reo, publicam pecuniam ab hæredibus non exposcit,

quod

quod ipsi facile est & in promptu, censetur morte rei contentum cetera condonare.

REFLEXIO.

I. Gravissima profecto sunt in se, & specie sua crimina stuprum, adulterium, homicidium, & quæ non nisi Sacramento Pœnitentiæ expiari possunt. Sed quod in ipsis magis timendum illud est, ne inutilis sit & ipsa Pœnitentia: cum enim præter detestationem criminis expostulent & damnorum reparationem, plures quidem Pœnitentiam amplectuntur crimina confitentur, de iis etiam, si lubet, dolent, sed ad restitutionem usque, & reparationem damnorum pauci perveniunt, de quibus merito dici potest, quod alio plane sensu dixit Isaias: *venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi*. Sed quid istis proderit Pœnitentia, quæ nec plena est, nec sincera? Non plena quidem, & perfecta, quia non totum præstat, quod debet; non sincera, quia adhuc in injustitia perseverant, quod alteri debitum est, retinendo.

II. Et revera, quomodo vere pœnitentes habendi sunt stupratores illi, qui postquam precibus blanditiis, promissionibus, additis etiam osculis, amplexibus, aliisque illecebrarum præstigiis virginis constantiam oppugnarunt, ad libidinem provocarunt, & ad stuprum vel reluctantem propulerunt, illico deserunt, despiciunt, vel virginitatis carentiam in ea mentientes, vel se ficte promisisse jactantes, vel sponte consentienti potius annuisse, quam reluctantem petraxisse; proinde vel Matrimonio, vel justa dote defraudant, atque ita illis meretricandi viam aperiunt, & aliquando etiam necessitatem imponunt? Quam sperare possunt a Deo veniam, quam sibi polliceri misericordiam, quam consequi salutem, qui virgunculam innocentem in libidinis baratrum præcipitem dederunt, & a virtutis tramite abductam in semitas iniquitatis deduxerunt? Metuere merito sibi possunt, nisi lacrymis, pænitentia, & bonis operibus se redimant, ne in illam labantur captivitatem, de qua ingemiscit Propheta Jeremias: *Virgines meæ, & juvenes mei abjerunt in captivitatem. Vera enim* (subdit S. Ambrosius lib. de virgine lapsa) *hæc est captivitas, ubi animæ a peccato captivæ ducuntur ad mortem, & a diaboli dominatione possidentur*.

III. Sed durius objurgare debent sacri Pœnitentiæ ministri stultas illas virgines, & columbas non habentes cor, quæ se decipi sinunt ab amasiis, & virginitatem prodigunt; ipsæ enim sunt suæ deflorationis præcipua causa. Si enim se solitudine, pudore, modestia tanquam fortissimis armis munirent, inexpugnabiles profecto forent; immo nullus esset procax adeo, & infrunitus adolescens, qui eas tentare, & aggredi auderet. Si dum in publicum solius titulo necessitatis, vel justa causa prodeunt, modestiam in vultu, in oculis verecundiam, in incessu gravitatem, in vestitu decentiam præseferrent, quis eas non veneraretur potius tanquam virginitatis, & pudicitiæ templa, quam perverse concupisceret ceu libidinis objecta. At ipsæ sunt, quæ sibi ruinam accersunt oculorum petulantia, incessu procaci, gestu libero, & ad inverecundiam composito: ipsæ quæ, dum venustatem ostentant, fucis adaugent, pectoris nuditatem offerunt contemplandam, ostendunt etiam pudicis se velle vendere, quod in propatulo ponunt, & quærere suæ mercis emptores, quos

etiam ad prædam invitant, alliciunt, & pene dixerim trahunt; & postea æstu libidinis percitos ementita repugnantia, simulata honestate, miro artificio, & dolosa vafritie in rete promissi Matrimonii implicant, & illaqueant: qui postea, quod mirum non est, pari dolo, & vafritie, perceptam voluptatem odientes potius, quam fastidientes, fallunt, & a promissione resiliunt, non sine insanæ virginis & coram Deo, & coram hominibus infamia, familiæ dedecore, & civitatis scandalo. Ad tam igitur immane facinus pœnitentia delendum has stultas virgines hortentur verbis Ambrosii de lapsu virginis: „ Pœnitentia „ non verbis agenda est, sed facto. „ Hæc autem sic agitur, si tibi ante „ oculos ponas, de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen „ tuum deletum sit, & si te jam credas „ prope ipsas positam tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum, & „ stridor dentium sine fine . . . Lugubris tibi accipienda est vestis, mens „ ac membra singula digna castigatione „ punienda. Amputentur crines, qui „ per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lacrymis, qui masculum non simpliciter aspexerunt. Pallescat facies, quæ „ quondam irrubuit impudice. Denique „ totum corpus injuriis, & jejuniis maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat, quod male „ sibi de pulcritudine placuit. Cor vero „ sit liquescens tamquam cera jejuniis, „ inquietans se ipsum, & cogitationibus „ vetilans, quare sit ab inimico subversum. Sensus etiam crucietur, qui „ in membra corporis cum haberet dominationem, malo cessit imperio. „ Talis vita, talis actio pœnitentiæ, si „ fuerit perseverans, audebit sperare, „ etsi non gloriam (amissæ virginitatis) „ certe pœnæ vacationem.

IV. Adulteris vero in memoriam revocet, exponat, inculcet studiosus Pœnitentiæ minister terribilia illa, & immania Apostoli ad Heb. potius tonitrua, quam verba. *Adulteros judicavit Deus*. Et oh quam terribili judicio! Nam, ut dicitur Proverb. 6. v. 30. *Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim, ut esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam: turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium ejus non delebitur*. Et quænam illa cordis inopia, per quam perdet animam suam? Profecto non alia, nisi damna compensandi incuria, & negligentia. Nunquam adduci possunt, ut credant, se ad mariti, & familiæ detrimenta reparanda teneri, & innumeras prætexunt causas, & excusationes, ut hoc onus declinent. At illis non parcant Sacerdotes ministri Domini, &, quantum possunt, omnibus bene perpensis vel absolute, & integre, vel pro rata prudentis dubitationis ad restitutionem, & compensationem urgeant. Mulieribus vero adulteris verba Ecclesiastici explicent, dicentis cap. 23. v. 32. *Dedecus erit omnibus mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno Matrimonio: primo enim in lege Altissimi incredibilis fuit: secundo in virum suum deliquit: tertio in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi . . . dedecus illius non delebitur*. Quibus verbis tota explicatur tanti facinoris gravitas, & injustitia, ob quam merito mortis pœna afficiebantur in veteri lege statuta Levit. cap. 20. *Si mœchatus fuerit quis cum uxore al-*

alterius, & adulterium perpetravit cum conjuge proximi sui, morte moriantur mœchus, & adultera. Ostenditur enim gravitas adulterii ex injuria in Deum, cujus minas; & pœnas non timent; & in Christum, cujus Sacramenta profanant; in maritum, cujus jura violant, cui turpitudinem afferunt, quem ignominia aspergunt; in familiam, quam confundunt, perturbant, commiscent alienos obtrudendo; in Rempublicam, cujus cives dehonestant, jura perturbant, dignitates, & bona indignis communicant; in Ecclesiam denique, quam scandalis defœdant. Mirum igitur non sit opprobrium adulteræ non deleri, nec in hoc mundo, ubi raro admodum condignis pœnitentiæ fructibus crimen suum detergunt, neque in altero, ubi sine vera peracta in vivis pœnitentia locum non obtinet misericordia.

V. Homicidas vero terreant, ut ad pœnitentiam revocent, sui sceleris immanitatem ob oculos exponentes verbis Catechismi Concilii Tridentini, sic Parochos, & Pœnitentiæ ministros instruentis. „ Sunt homicidæ humani generis hostes, atque adeo naturæ hostes acerbissimi, qui, quantum in eis est, universum Dei opus evertunt, cum hominem tollant, cujus causa is omnia, quæcumque procreata sunt, se fecisse testatur: immo vero in Genesi cum prohibitum sit hominem occidi, quia illum Deus ad imaginem suam, & similitudinem creavit, insignem Deo injuriam is facit, & quasi violentas illi manus videtur inferre, qui ejus imaginem e medio tollit. Hinc lex Mosaica morti addicit homicidas Ex. 21. *Qui percusserit hominem*, inquiens, *volens occidere, morte moriatur . . . Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias ab altari meo avelles eum, ut morte moriatur* “. Veteris Ecclesiæ severissimam in homicidas disciplinam exponat, quæ eos statuto Ancyrani Concilii can. 22. perpetuæ per totam vitam adjecit pœnitentiæ; & postea benignissime cum illis agendum putavit, cum quam per totam vitam agere debebant, pœnitentiam ad magnum annorum spatium limitavit: Quinimmo nec ipsos involuntarios humicidas, qui scilicet non ex pravo animo, sed per imprudentiam proximum enecassent, sine magna quinque, & etiam septem annorum pœnitentia ad Sacram Communionem admittebat. Ad damna etiam omnia, & detrimenta sarcienda, quantum possunt, urgeant, & impellant. Hoc tribus modis fieri posse suggerant, nimirum 1. vel per sententiam æquam judicis, qui modum, & quantitatem compensationis decernat. 2. Vel arbitrio proborum, & sapientum virorum, qui omnibus bene perpensis, quod justum est, determinent, 3. Vel denique conventione, & pacto cum parte læsa, quæ non minis territa, nec dolo decepta justæ consentiat satisfactioni.

TRACTATUS IX.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

EXPOSITIS quæ ad Divina tum naturalia tum positiva spectant Præcepta, ad ea progredimur, quæ ab Ecclesia lata sunt mandata, non quidem temere, & pro arbitrio imposita, sed summa sapientia & studiosa providentia, ut fideles facilius divinis obtemperent præceptis: quamobrem non novæ leges dici possunt, sed pro legis divinæ jam constitutæ observantia nova & faciliora præstituta media & validiora excitamenta. Porro non de omnibus Ecclesiæ præceptis hic agendum sumimus, sed de illis dumtaxat, quæ ad omnes pertinent fideles, non vero ad peculiarem aliquem vel Personarum, vel Religiosorum cœtum. Hi sex enumerantur nimirum 1. Missæ auditio diebus festis. 2. Abstinentia a carnibus in omnibus sextis feriis & sabbatis, nec non jejunium in quadragesima, aliisque diebus designatis. 3. Annua sacramentalis Confessio. 4. Communio sive pia sumptio Eucharistiæ in Paschate. 5. Decimarum solutio. 6. Nuptiarum solemnitas certis anni temporibus interdicta. De his omnibus, postremo excepto, de quo agemus ubi de Sacramento Matrimonii tractandum erit, disputabimus, & totum Tractatum in plures partiemur disputationes singulis præceptis explicandis ordinatas.

DISSERTATIO I.

DE PRIMO ECCLESIÆ PRÆCEPTO

Sacrum Missæ Officium in diebus Festis reverenter audito.

I. HOCCE primum Ecclesiæ Præceptum Theologi communius extendunt & dilatant, ita ut Missæ auditio pars sit præcepti, non totum integrumque præceptum, unde sic illud indicunt: *statutos Ecclesiæ dies festos celebrato*. Nec immerito, nam licet præceptum de Festorum sanctificatione & naturale sit, & Divinum, Ecclesiasticum tamen est quoad dierum festorum designationem; nam præterquam quod loco Sabbati in veteri lege pro Dei cultu exhibendo designati, Apostolica traditione dies Dominica subrogata fuit, sunt & alia plura Festa ab Ecclesia universali de præcepto constituta. Verum cum nos de Festorum omnium sanctificatione fuse tractaverimus in III. Præcepti Decal. explicatione, hic solum de peculiari hujus præcepti parte agendum assumimus. Quatuor igitur expendemus. 1. Hujus præcepti subjectum, videlicet quinam teneantur Missæ in die festo interesse. 2. Modum illud pie implendi. 3. Locum, & tempus. 4. Denique causas ab hujus præcepti

cepti impletione excusantes expendemus.

II. Antequam tamen tabulæ manum admoveam, illud generale principium statuendum est, omnia scilicet hæc Ecclesiæ præcepta sub mortali culpa fideles omnes obligare; quamobrem quicumque absque legitima causa illa transgreditur, etsi semel faciat & ex fragilitate, peccat tamen mortaliter, contra aliquorum Theologorum doctrinam affirmantium tunc solum lethalis peccati reatum incurri quando quis hæc præcepta vel ex contemptu, vel cum scandalo violat, quæ doctrina damnata est ab Innoc. XI. n. 52. quæ ajebat: *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali seposito scandalo, & si absit contemptus*. Et ab Alex. VII. n. 22. *Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur non peccat mortaliter nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto*. Et licet hæ propositiones solum duo respiciant Ecclesiæ præcepta observanda, scilicet Festorum & Ecclasiastici jejunii, palam tamen est ad cætera etiam extendi, cum eadem sit ratio legislativa, scilicet potestas Ecclesiæ filios suos ad aliqua observanda obligandi. Hæc doctrina jam communis est apud omnes non solum Theologos, sed & Christianos, proinde in ea adstruenda diutius non est immorandum, præsertim cum fuse hac de re egerimus Tract. de Leg. Diss. 3. cap. 5.

CAPUT PRIMUM.

De Subjecto præcepti audiendi Missam, scilicet quinam hoc præcepto obstringantur.

DOCTRINA.

I. *Præceptum audiendi Missam antiquissimum in Catholica Ecclesia.*

II. *Obstringuntur omnes fideles ubi ad annos discretionis perveniunt.*

III. *Et quidem integram audire tenentur.*

IV. *Peccant qui notabilem partem omittunt.*

V. *Notabiles partes Missæ quænam sint.*

VI. *Quænam sit pars levis, cujus omissio nonnisi veniale sit.*

I. PRÆCEPTUM de Missa diebus festis & præcipue Dominicis audienda non recens est & ab aliquibus tantum sæculis in Ecclesia constitutum, sed antiquissimum sanæ, & ad primordia Ecclesiæ revocandum. Nam S. Justinus, qui circa medium secundi sæculi floruit, aperte docet, omnes fideles etiam qui in villis vel oppidis morabantur consuevisse omnibus diebus Dominicis Missæ sacrificio interesse, sic enim scribit in Apologetico: *Solis qui dicitur dies omnium, qui in oppido, vel rari degunt conventus fit peractis precibus, panis offertur, vinum, & aqua*. Quam consuetudinem non ut noviter invectam adstruit S. Martyr, sed tanquam longe ante apud Christianos constitutam, & jam in more positam; quamobrem dicendum est juxta regulam a S. Augustino in Epist. ad Januarium 54. statutam: *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis,* quo-

quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta, retineri. Hanc autem consuetudinem non liberam esse, sed in præcepto jam positam, & a primis sæculis jam vigentem declaravit Sardicense Concilium habitum medio IV. sæculo, in quo Osius Episcopus dixit: *Memini superiore Concilio Fratres nostros constituisse, ut si quis Laicus in ea, in qua moratur Civitate reperiatur tres Dominicos dies, idest per tres septimanas, non celebrasse conventum, communione privetur*. Porro nomine Conventus, cui interesse debent Laici, designari sacram Synaxim, in qua populus cum suo Pastore ad sacra celebranda mysteria conveniebat, adnotant Canonistæ & rerum Liturgicarum Expositores. Sardicensem Canonem vero renovavit, & ad memoriam revocavit Concilium Quinisextum sæculo septimo desinente celebratum can. 80. statuens: *Si quis in civitate agens, tribus diebus Dominicis, in tribus septimanis, una non conveniat, si sit quidam Clericus, deponatur, si vero Laicus, segregetur*. Et denique hoc præceptum insertum habetur in Jure Canon. *Missam* de Consecrat. dist. 1. & Can. *Omnes Fideles* de Consecr. & licet in iis soli laici designentur certum tamen est ex communi interpretatione ab consuetudine etiam Clericos & Sacerdotes non celebrantes comprehendi, cum enim celebrant, excellentius, & perfectius sacro assistunt.

II. Huic itaque præcepto Missam audiendi die festo parere debent omnes fideles tum mares tum feminæ, cum ad annos discretionis pervenerint. Immo & ipsi pueri, cum septennium compleverint, tenentur sacro interesse, licet fortassis nondum tanti mysterii sublimitatem agnoscant, quod si & ante septennium in illis plenus rationis usus illuxerit, tenentur Missæ adesse. Sacerdotes quoque non celebrantes tenentur Missam audire, ut mox diximus, adeoque si in die festo alium non habeant Sacerdotem, cujus sacrificio assistant, ipsi celebrare Missam obstringuntur, ut huic præcepto satisfaciant. Hæretici & Excommunicati, quando ipsis liberum est solutionem a suo vinculo obtinere, peccant, quando Missæ non intersunt in die festo, cum hæc omissio sit ipsis voluntaria in sua causa; qui enim aliquo præcepto obstringitur, tenetur omnia voluntaria removere obstacula, quæ ipsum a præcepti impletione impediunt. Si vero per ipsum non stet, ne absolutionem obtineat, sed hæc illi, disciplinæ justo rigore differtur, tunc & potest & debet ab auditione Missæ abstinere, & se humiliter Ecclesiæ subjicere, quæ illum fidelium communione privat, & a sacris arcet. Non tenentur vero nec Infideles qui legibus Ecclesiæ non subjiciuntur, sicut nec Catechumeni, cum nondum per baptisma membra & subditi Ecclesiæ effecti sint, nec ad eam Missæ partem tenentur, cui adesse ipsis permittitur.

III. Ad integram Missam audiendam obligat fideles omnes hoc primum Ecclesiæ mandatum, ut in pluribus statuitur Conciliis in Jure canonico recitatis: in Concilio siquidem Agathensi celebrato anno 506. indicitur. *Missas die Dominico totas audiri speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat, quod si fecerint, ab Episcopo confundantur*. Et in alio Aurelianensi ann. 511. decernitur can. 26. *Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat, quam Missæ solemniter compleantur, & ubi Episcopus non fuerit, benedictio*

ctionem accipiant Sacerdotis. In omnibus ferme Catechismis ad plebem erudiendam institutis, cum Ecclesiæ præcepta numerantur, semper sic hoc præceptum effertur, Missa *integra* audiatur in Dominicis & aliis festis. Et quidem integra & tota ab uno Sacerdote celebrante: quamobrem præcepto non satisfacit qui plures Missæ partes uno tempore a plane diversis Sacerdotibus audit, ut evincit damnatio propositionis 53. ab Innoc. XI. asserentis. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebratas, audit*. Nec pariter implet præceptum, qui duas Missæ partes, inverso præsertim ordine, audit, ut si quis Ecclesiam ingrediens Sacerdotem invenit consecrantem, cujus Missæ assistit usque in finem, deinde ab alio Sacerdote succedente Missam audit a principio usque ad consecrationem, quia licet hæc doctrina non contineatur in damnata propositione, ea tamen ex damnata propositione consequitur, ut advertit benignissimus Tamburinus scribens lib. 4. cap. 11. n. 1. „ In rigore verum autumo contrariam sententiam, „ quia ex illis duobus partibus nequaquam conflatur unum sacrificium, cui „ interesse jubet Ecclesia. Adde & absurdum, quod ex priore opinione consequitur, nam sic posset quis simul „ ab uno Sacerdote dimidiam Missam „ audire, & ab alio celebrante eadem „ hora in vicino Altari aliam dimidiam „ & hoc pacto satisfacere; cum ad „ utrumque Sacerdotem moralis præsentia haberi possit “. Sed quidquid sit de hoc duarum opinionum nexu, certum est falsam esse hanc doctrinam ratione quam innuit laudatus Tamburinus, quia nimirum Missa est actio & sacrificium suis partibus sibi invicem succedentibus, & debito ordine dispositis constans, & hujus Missæ auditionem præcepit Ecclesia; porro præfatæ dimidiæ partes unum integrumque sacrificium minime constituunt, proinde Missæ præceptum minime implet, qui hoc pacto Missam audit. Quamobrem audiendi non sunt Salmanticenses docentes, probabile esse, hoc facere sine justa causa esse solum peccatum veniale, cum revera sit transgressio præcepti Ecclesiæ, quod sub mortali obligat. Sicut nec audiendi sunt cum docent, audientem Missam ab uno Sacerdote a principio usque ad consecrationem, & quod superest ab alio Sacerdote, non peccare nisi venialiter, quia „ esto illæ partes „ indipendentes sint, neque unum Sacrificium constituere possint, ideoque „ illis assistens nequaquam integro sacrificio proprie & in rigore assistat, attamen ex benigna interpretatione Ecclesiæ communi doctorum judicio approbata, reputandæ sunt partes unum „ Sacrificium componentes quoad effectum audiendi sacrum & satisfaciendi „ Ecclesiæ præcepto “. Nam si, ut illi fatentur, ex illis duabus partibus unum Sacrificium constitui non potest, ergo sacrificio nullo modo assistit qui tali pacto Missam audit, quapropter præceptum Ecclesiæ non implet. Nec locum hic habere potest benigna interpretatio Ecclesiæ, quandoquidem hæc Missæ partitio non nisi vel ex necessitate progredi potest, puta si Sacerdos post consecrationem moriatur, & tunc adesse eidem Missæ ab altero Sacerdote supplente celebratæ nihil esset quod reprehendi posset, quia unum & integrum immo idem Sacrificium esset; vel ex libito & mero audientis arbitrio, & quis credere potest, Ecclesiam velle legem suam, suum præceptum voluntati, & te-

temeratio audientis arbitrio accomodare, & in ejus favorem laxare? Nemo certe prudens & cordatus putabit, præsertim cum agatur de præcepto obstringente ad assistendum Sacrificio omnium sanctissimo, & summa veneratione habendo. Nec prodest jactatum Doctorum judicium, quippe qui, & nimis recentes sunt, & Probabilismi sequaces ac patroni, & plures etiam damnatæ propositionis assertores & defensores. E contra vero hæc doctrina, ut refert Juveninus de Sacram. Euchar. cap. 16, qu. 6. reprobata fuit a Facultate Theologica Lovaniensi, & a pluribus Belgiis Episcopis, quorum auctoritas laudatis Theologis est merito præferenda.

IV. Non satisfacit præcepto qui notabilem Missæ partem audire omittit. Nam revera tunc integram Missam non audit. At quænam sit hæc pars notabilis, non conveniunt Theologi. Illorum tamen mihi arridet sententia, qui hanc notabilem partem non tam ex materiæ quantitate quam ex partis dignitate & præstantia metiuntur. Quapropter qui a Sacrificio abesset vel tempore consecrationis vel assumptionis, profecto Missam integram non audiret, licet aliis partibus interesset, quia tametsi præfatæ actiones breviori tempore expleantur quam ceteræ, tamen sunt partes sacrificii essentiales, intrinsecæ, præcipuæ, & quæ ipsum sacrificium constituunt: jure itaque Juveninus l. l. ut falsam rejicit recentioris Theologi opinionem docentis: „ satisfacere præcepto Ecclesiæ, qui negligeret Missæ interesse tempore consecrationis, si adesset tempore assumptionis, quippe qui adhæreret opinioni probabili docenti, essentiam Sacrificii non in consecratione sitam esse, sed in assumptione a Sacerdote peracta, cum „ longe probabilior sit opinio docens, Sacrificium haberi, *quando*, ut scribit S. Cæsarius Hom. 19. *munera offeruntur, vel & Corpus & Sanguis Domini consecrantur* “, & nos suo loco fusius ostendemus. Assumptio quoque sive communio Sacerdotis pars est, quæ ut docet S. Thom. 3. p. q. 82. a. 4. est complementum Sacrificii. Immo & Salmanticensium doctrinæ libenter subscribo, asserentium tract. 5. cap. 6. punct. 1. n. 2. non satisfacere præcepto, qui a peracta consecratione usque ad Pater noster exclusive non assisteret, quia est pars gravis & notabilis in dignitate, orta ex propinquitate ad substantiam Sacrificii.

V. Quoad reliquas vero partes non integre Missam audit, nec præceptum implet, qui illi non adest a principio usque ad Evangelium inclusive, quia pars illa Missæ, quæ Catechumenorum dicitur, est pars notabilis, proinde scandalosam appellat Juveninus illorum doctrinam, qui docent, implere præceptum qui Missam ab Offertorio audire incipit. Pari pacto qui a Missa discedit peracta communione Sacerdotis usque ad finem Missæ, cum & illa pars sit Missæ notabilis, & ut vidimus ex Concilio Agathensi, illi sint ab Episcopo confundendi, scilicet acriter objurgandi, qui ab Ecclesia ante Sacerdotis benedictionem discedunt, & Episcopi ac Synodi Gallicanæ Ecclesiæ, ut refert Juveninus, insurrexerint contra falsam nonnullorum doctrinam affirmantium, satisfacere Ecclesiæ præcepto qui Missæ intersunt solum usque ad consumptionem Sacrificii inclusive. Multoque magis rei sunt violati præcepti, qui ambas, scilicet primam Missæ partem usque ad Offertorium, & postremam a consumptione usque ad finem audire omittunt, cum

cum hoc sit tertiam partem Missæ omittere, quod lethale esse peccatum etiam laxiores Casuistæ affirmant.

VI. Levem vero absolute materiam puto, omittere auditionem Missæ ab initio usque ad Epistolam exclusive, sicut & negligere Evangelium in fine Missæ, licet nonnulli Juris Canonici Doctores, inter quos Pax Jordanus censeant, & priorem omissionem a lethali peccato excusari non posse. Duo tamen a sacro Pœnitentiæ Ministro notanda cupio: 1. Levitatem vel gravitatem omissionis etiam ex ipsa ommittentis dispositione esse pensandam, siquidem si quis in more haberet ex accidia, desidia, & rerum spiritualium fastidio accedere ad Missam audiendam vel ante vel post Epistolam, vel ante benedictionem recedere, cum ceteroquin liberum illi foret & opportune accedere, vel aliam Missam integre audire, quod omittit ut ludis, voluptatibus, solatiis, vel etiam negotiis in die festo non vetitis vacet, multo magis vetitis, esset in tali prava animi dispositione, ut vix illum a lethali peccato excusarem, & certe absolutione non dignarer nisi serio, & firmiter mihi polliceretur a tali prava consuetudine se recessurum, & Missam imposterum integre auditurum. Alterum qui vel justa de causa impeditus, vel etiam ex negligentia ac desidia Missæ interesse inciperet ea jam cepta, & longius progressa, teneretur, si aliam Missam habere ea die non valeret, totam reliquam partem Missæ usque ad finem audire, & sic eo quo posset modo Ecclesiæ præceptum implere.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Aliquo sensu destituti Missæ adesse tenentur.*

II. *Missam quocumque legitimo modo celebratam audire sufficit.*

III. *Qui integræ Missæ adesse non potest, partem quam potest audire debet.*

IV. *Ex præcepto Ecclesiæ nonnisi ad unius Missæ auditionem fideles obstringuntur.*

Consectarium Primum.

I. QUI aliquo destituuntur sensu, puta visu, vel auditu, licet sacrificantem Sacerdotem & Sacrificii ordinem vel non videant, vel non audiant, Missæ tamen interesse tenentur, cum adhuc possint pie & devote implere præceptum, & sacro adesse. Quid si cæcus quis simul sit & surdus, & consequenter mutus, tenetur hic Missæ interesse? Negant plures Theologi, quippe qui putant quidem esse materialiter & physice sacrificio assistentem, at non moraliter & religiose, cum nulla quæ per sensus adveniunt Religionis excitamenta percipiat. Verum cum & hic quoque interiori sensu pietatis moveri possit, & aliquo modo devote assistere, tenetur præcepto Ecclesiæ satisfacere, & Missæ interesse. Sicut & pueri qui licet etiam completo septennio Mysterii dignitatem & sacram actionem non percipiant, tamen probe nosse possint se Deo cultum reddere, & rei sacræ interesse, & aliqua tum exteriore tum interiore devotione moveri. Infantes vero nec obstringuntur præcepto, nec expedit eos ad Ecclesiam Missæ tempore de-

deferre, cum facile admodum fit ut clamoribus, ejulatu, risu & per Ecclesiam discursu Sacerdotem celebrantem & fideles audientes distrahant & conturbent, nisi forte indolis fint placidæ adeo & pacatæ, ut quietos omnino consistere merito præsumi possit. Catechumeni cum nondum per baptisma fint in Ecclesiæ gremium recepti, ejusque legibus nondum obstringantur, nec integræ Missæ, nec ei parti, quæ Catechumenorum Missa dicitur, interesse tenentur, multoque magis ab ejus auditione Infideles arcentur.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Præceptum hoc implent qui Missam audiunt five solemnem & cum cantu, five privatam & sine cantu, five propriam alicujus Sancti, five de tempore, five votivam, & quocumque idiomate, & ritu catholico ab Ecclesia adprobato celebretur, cum præceptum absolute solam Missæ auditionem jubeat, non vero ritum & officium Missæ. Pari pacto implet præceptum qui Missam audit celebratam a Sacerdote catholico, qui tamen nec excommunicatus denuntiatus sit, vel degradatus, vel notorius Clerici percussor, ideoque deficiente alio Sacerdote potius est Missæ auditio omittenda, quam in divinis cum hujusmodi Sacerdote communicare. Si vero excommunicatus sit, sed toleratus, licebit ejus Missæ Sacrificio interesse, cum vetitum non sit cum excommunicatis toleratis etiam in divinis communicare. Hinc optime docet S. Thom. 3. p. q. 72. art. 9. „ Hæretici schismatici & excommunicati „ sunt per sententiam Ecclesiæ executione consecrandi privati, & ideo „ peccat quicumque eorum Missam audit, aut ab illis recipit Sacramentum, „ Sed non omnes peccatores sunt per „ sententiam Ecclesiæ executione hujus „ potestatis privati, & sic quamvis sint „ suspensi quantum ad se ex sententia „ divina, non tamen quantum ad „ alios ex sententia Ecclesiæ, & „ ideo usque ad sententiam Ecclesiæ „ licet ab eis communionem accipere, „ & eorum Missam audire ". Nemo tamen debet hujusmodi Sacerdotes ad celebrationem impellere, vel hortari, immo si alii sint Sacerdotes, istorum Missæ interesse, & ab eis Sacramenta percipere tenetur, ne aliorum peccatis particeps efficiatur, ut pariter docet S. Thom. Quodl. 11. q. 8. art. 1. scribens: „ Aliud quantum ad jus naturale est per se malum, & aliquod malum est quantum ad jus positivum. „ Quicumque enim Sacerdos in peccato „ mortali existens celebrat, peccat „ mortaliter, unde si constaret mihi „ eum esse in peccato mortali, & inducerem eum ad celebrandum, peccarem mortaliter, & hoc est secundum jus naturale, quia hoc est eum „ provocare ad peccatum mortale. Jus „ autem positivum addit plus, quod „ non solum non debeam inducere eum „ ad celebrandum, sed etiam si audiam „ ejus Missam, pecco mortaliter; „ quod quidem institutum est in pœnam Sacerdotis fornicarii ". Attendum tamen est, quod hoc non intelligitur de quolibet Sacerdote fornicario, sed de publicis fornicatoribus, quando judicio & sententia Ecclesiæ habentur publici fornicarii.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Qui integram Missam audire non potest, ei saltem parti interesse debet quæ superest, nisi minima pars sit. Huic doctrinæ adversantur cum Joanne San-

Sanchio nonnulli Theologi, qui docent, probabile esse accendentem ad audiendum sacrum tempore quo Præfatio dicitur, & non extet aliud celebrandum, minime teneri reliquis illius Missæ interesse; sed audiendi non sunt, cum improbabilis sit & falsa hæc opinio, quandoquidem quæ Præfationem sequuntur Missæ partes substantialia Sacrificii complectuntur, consecrationem scilicet & communionem, respectu quorum præcedentes partes præparatoriæ sunt, & accidentales. Immo nec verum puto & tutum in conscientia qui accedens jam peracta consecratione reliquum Missæ omitteret, nam licet actioni Sacrificii non adsit quod consecratione perficitur, tamen quandiu adest Corpus Christi & in Sacramento præsens est, a fidelibus Deo cum Sacerdote offerri potest, & propterea pars Missæ quæ superest adhuc notabilis est, nec omitti debet, at peracta jam communione cum reliqua accidentalia sint, & sacrificium peractum consummatumque supponatur, ea omittere veniale tantum peccatum erit.

Consectarium Quartum.

IV. Ex præcepto Ecclesiæ fideles non nisi uni Missæ interesse tenentur, at sola Missæ auditione præceptum sanctificandi dies festos omnino non implent. Et quidem nonnisi unicam audiendam Missam ex præcepto esse, certum est, & ad unum omnes Theologi fatentur, adeoque & in ipso die Natalis Domini, licet quilibet Sacerdos tres Missas celebret, vel celebrare possit, unam tamen audire tenentur fideles. Verum hac sola Missæ auditione diem festum minime sanctificari, idest divino cultui dedicari late ostendimus in III. Decalog. Præc. cap. 3. & 4. ubi fuse de hac re disputavimus. Hic solum adnotare & addere lubet, ideo de hac sola Missæ auditione ex Ecclesiæ præcepto mentionem fieri, quia ipsa Missa usque ad duodecimum sæculum plura complectebatur pia opera, quæ non breve spatium sesqui horæ occupabant, sed per longum tempus fideles in divino servitio detinebant. Nam præter longiorem forsassis Liturgiam Fideles Sacrificio ab Episcopo vel proprio Parocho celebrato adesse tenebantur, in quo post Evangelium sacra Concio, Instructio, vel Catechismus habebatur, sacra Communio saltem pluribus ex adstantibus distribuebatur, collectæ fiebant, & eleemosynæ in pauperum subsidium & levamen, populus vel ante Missæ initium, vel post peractum Sacrificium Psalmos, aliasque orationes decantabat. Porro cum post duodecimum seculum & refrigescente caritate, & crescente celebrantium numero hæc omnia pia exercitia, quæ Missæ Sacrificio jungebantur, non omissa quidem, sed ad alias diei horas translata sint, solum in Missa ritus Liturgiæ servatus est; quamobrem censendum est, non sublatum Fidelibus onus diem festum sanctificandi per pia opera & spiritualia exercitia juxta cujuscumque devotionem, & opportuno tempore exercenda ad Deo debitum cultum in festis diebus præstandum, quem cultum certe Deo non integre exhibet, qui una contentus breviori Missa aliis piis operibus eo die non vacat. Illud etiam animadvertendum, posse fideles peccare, licet Missæ intersint, si illud omittendi se gravi periculo exponant, licet postea fortuito potius quam ex mente & intentione Missæ tardius fortassis celebratæ intersint; sicut e contra fieri potest, ut omnis sit culpæ expers, qui sedulo stu-

dens Missæ adesse, reperit tamen vel citius celebratam, vel Sacerdotem defuisse qui eam celebraret. Quamobrem non tam ex facto sive omisso sive præstito de culpa pœnitentis judicandum, sed ejus piæ voluntatis, intentionis & operæ præstitæ ad Missam audiendam, & Ecclesiæ præceptum implendum ratio est præsertim habenda.

CAPUT TERTIUM.

De modo audiendi Missam.

DOCTRINA.

I. *Præsentia exterior Missæ qualis esse debeat.*
II. *Non sufficit physica & corporalis, sed requiritur pia & religiosa.*
III. *Intentio quomodo requiratur.*
IV. *Attentio mentis & cordis necessaria.*

I. CUM Missæ assistentia & auditio actus sit religionis & pietatis in Deum, oportet ut fiat modo plene pio & religioso tum exterius tum interius, & debita reverentia tum exterior tum interior adhibeatur. Et quidem quoad exteriorem reverentiam primo requiritur præsentia in loco ubi Sacrificium offertur, & licet absolute necessarium minime sit, ut Sacerdos celebrans vel videatur, vel audiatur, alioquin cæci & surdi Missæ non interessent, requiritur tamen ut sit in loco ubi Sacrificium offertur, & ita ceteris audientibus associetur, ut cum illis unam moraliter societatem censeatur constituere, & sensu aliquo percipiat quid in Missa agat Sacerdos, saltem ex signis illorum qui sunt in conspectu Altaris, adeo ut cum illis surgentibus surgat, se signantibus, se quoque signet, pectus tundat, genuflectat, surgat &c. Hinc præsentes moraliter censentur qui Missam audiunt in Oratoriolis a lateribus Altaris positis, in Choro, in Sacristia, quæ tamen vel ostium patens in Ecclesia, vel fenestras habeat apertas & in Ecclesia prospicientes, sicut qui consistunt in exteriori Atrio Ecclesiæ, vel extra Ecclesiam, in platea, campo, si Templum audientium multitudinem nequeat continere, dummodo tamen cum aliis ita associentur, ut unum moraliter constituere existimentur. Sicut e contra moraliter præsens non habetur qui in alicujus Cathedralis magno Templo existens, sed in loco & angulo ab Altari dissito, & a multitudine sejuncto Missam in aliquo Altari celebratam audire intendit, quia nec est moraliter præsens Sacerdoti celebranti, nec cum ipso moraliter jungitur aliorum fidelium societate, a quibus omnino est disjunctus; quamobrem non tam physica quam moralis præsentia ad præcepti impletionem est spectanda.

II. Porro hæc præsentia non solum materialis esse debet, sed & pia & religiosa etiam exterius, ut statuit Tridentina Synodus sess. 22. Decreto de observandis & vitandis in Missa, jubens Episcopis, ne patiantur Sacrificium peragi, nisi prius qui intersunt decenter composito corporis habitu declaraverint se mente etiam ac devoto affectu cordis, non solum corpore adesse; „ eapropter statuit, ut ab Ecclesiis musici concentus, in quibus „ sive sono sive cantu lascivum aut impurum aliquod miscetur, item secu„ lares omnes actiones, vana atque adeo „ prophana colloquia, deambulationes, „ strepitus, clamores omnino removean„ tur & prohibeantur“. Quamobrem qui solemni Missæ assistunt, debent se ritibus Ecclesiæ conformare stando, genuflectendo, sedendo, quando Ministri & Cho-

Chorus sedent, stant, genuflectunt. Qui vero privatæ Missæ interest, nisi infirmitate excusetur, non sedere debet, sed aperto capite, & genibus flexis, vel stando si multitudo genuflexionem impediat, ut etiam exterius ostendat se peccatorem Deo propitiatorium Sacrificium cum Sacerdote ad placationem offerre. Et jure merito, nam ut docet S. Th. „ Religio, quæ „ auditionem Missæ dirigit, habet qui„ dem actus interiores quasi principa„ les per se ad Religionem pertinen„ tes, & exteriores etiam actus & ad „ actus interiores ordinatos.

III. Pietas vero & Religio præsertim in interno animi affectu residere debet, & explicatur per intentionem & attentionem mentis sacro operi. Intentio sita est in voluntate deliberata implendi præceptum Ecclesiæ, & exercendi actum Religionis & divini cultus, quæ tamen intentio necesse non est ut directa sit, & per reflexum actum prodat, sed sufficit virtualis in ipsa pii & religiosi operis executione, quotiescumque enim quis ad Ecclesiam pergit, Missam expectat, ipsi assistit pie, devote, & reverenter; censetur velle Ecclesiæ præceptum implere; quamobrem hæc intentio directe non excluditur, nisi vel contraria vel alia prava intentione, ut si quis vel solius curiositatis gratia, vel etiam irridendi animo Missæ adesset, præceptum non impleret, quemadmodum & ille qui coactus ad Templum raperetur, illique Missæ tempore detineretur, nisi mutata voluntate vel necessitati se accomodans serio & ex animo Missæ assisteret. Nec illæ Missæ esset auditor, qui Templum ingrediens Missam auditurus, eo minime advertente egreditur Sacerdos qui Missam celebrat usque ad Præfationem, & tunc ex campanulæ tinnitu excitatus auditor advertit Missam celebrari, nam licet & fuerit præsens corpore, & voluntatem habuerit Missam audiendi, revera tamen moraliter Sacrificio non adfuit, cum illud offerri non adverterit, nec se Sacerdoti offerenti conjunxerit.

IV. Intentioni conjungenda est & attentio tum externa tum interna: prior illa est, quæ omnem excludit occupationem sive opus animi attentionem impediens; hinc qui Missæ tempore scriberet, luderet, prophanos libros legeret, de negotiis cum alio tractaret, confabularetur, profecto nec externe se Mysterio attendere aperte demonstraret; quod & de illis dicendum, qui per Templum deambularent, ingredientes egredientesque conspicerent, amicos per Ecclesiam quærerent, salutationes perpetuas & urbanitatis officia cum astantibus exercerent & similia, hæc enim nec cum exteriori attentione conjungi possunt. Attentio vero interna est mentis applicatio ad divina, & ad sacrum quod peragitur Mysterium, quod tripliciter fieri potest, nimirum primo attendendo ad Mysterium & sacrificium quod in Missa offertur, & ad memoriam cruenti Sacrificii in cruce consummati, cujus Missa est repetitio, & iterata commemoratio, & hæc attentio est optima, quam habere debent fideles cum Missæ assistunt, & inculcare ac docere debent Pastores ovibus suis eos monendo, ut præsertim dum consecratio perficitur, ab omni vocali oratione cessent, & Christum adorent præsentem, & Patri offerant, actus fidei spei & caritatis eliciendo. 2. Attendendo ad exteriores Missæ ceremonias, orationes & ritus ad Deum colendum ordinata, quibus & ipse sua mentis attentione conjungat, ut debitum

tam Deo cultum exhibeat. 3. Attendendo solum generaliter ad Deum colendum & laudandum oblati Sacrificii tempore, quod proinde insumit in piis precationibus & orationibus fortassis etiam alias debitis, & hæc est minima attentio, quæ necessaria est ad præceptum implendum, quam attentionem habere censentur qui in Missa ministrant, non solum munera Diaconi, Subdiaconi, Acolyti exercendo, sed vel privatæ Missæ inserviendo, & reliqua præstando ad Dei cultum, quæ mentem ab ejus adoratione non impediant. Hinc Præcepto minime satisfaciunt, nec Missam devote audire censendi sunt, qui Missæ tempore de negotiis tractant, de rebus sive seriis sive lubricis confabulantur, qui prophanos libros, epistolas legunt, qui dormiunt, aliis corrident, annuunt oculis, eosque quaquaversum in introeuntes & exeuntes convertunt, picturas, imagines, epitaphia, inscriptiones contemplantur. Multoque minus qui mentem vagari sinunt in vanas, inutiles, liberasque cogitationes, nec eam ad rem sacram revocant. Itaque ut falsa & omnino laxa rejicienda est illorum doctrina, qui docent satisfacere præcepto per reverentiam exteriorem tantum, animo licet voluntarie in aliena, vana, & prava cogitatione defixo, quam propositionem merito Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1700. scandalosam, erroneam, præceptis Ecclesiæ illudentem declaravit. Non enim Ecclesia solam externam & corporalem Missæ præsentiam postulat, sed internam, religiosam, & piam, quæ in Dei cultum cedat, qualis certe ea non est, quæ solo corpore, non vero mente præstatur. Legantur ea quæ Tract. 1. de Legib. cap. 5. n. 7. dicta sunt.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui pravo fine Missæ intersunt, præceptum non implent.*

II. *Qui Missam audit ignorans esse diem festum num præcepto satisfaciat.*

III. *Quando quis præsens Missæ reputetur, licet recedat.*

IV. *Quænam piæ actiones haberi possint tempore Missæ.*

V. *Num canentes, & pulsantes instrumenta Missæ præceptum impleant.*

VI. *Nonnullorum laxa sententia exponitur & rejicitur.*

VII. *Qui cum affectu habituali ad peccatum Missæ intersunt, præcepto non satisfaciunt ut oportet.*

Consectarium Primum.

I. DEBITAM non afferunt Missæ audiendæ intentionem, qui ad Ecclesiam accedunt, & Missæ intersunt ob finem pravum impudice adspiciendi feminas, vel determinatam mulierem, vel qui ut alios honoris gratia comitentur, vel ut Ecclesiasticam functionem sua præsentia honestent. Hujus consectarii veritatem ostendimus Tract. 1. de Legib. Diss. III. cap. 9. reg. 11. ubi quæ ibi dicta sunt relegantur, & hic confirmamus. Nam dum Ecclesia Missæ auditionem præcipit, in die festo actionem [illegible] piam, devotam, & quæ in Dei cultum, & in salutem agentis cedat; porro qui præfato animo & mente ad Missam audiendam accedit, quam longissime abest a cultu Deo præstando, & ad saluti suæ consulendum, quia in primo casu Deum in ipsa Sacrificii assistentia offendit, & sibi æternam perditio-

tionem parit; in aliis autem casibus, licet finis, quem sibi præfigit, criminosus non sit, non est tamen pius & religiosus, qualis ab Ecclesia suo præcepto exposcitur. Nec est admittenda aliquorum Theologorum distinctio inter substantiam præcepti, & modum præcepti, adeoque qui præceptum implet prava intentioni peccet quidem ex modo, at non omittat substantiam actus; quandoquidem hæc distinctio damnata videtur & reprobata in propositione 55. ab Innoc. XI. asserente. *Præcepto annuæ Communionis satisfieri per sacrilegam Domini manducationem*; quandoquidem & hujus pravæ doctrinæ patroni affirmabant quidem sacrilegium committi in modo suscipiendi annuam communionem, at præcepti substantiam impleri. Testis est ipse Suarezius in 3. p. disp. 70. sect. 5. scribentis: „ Qui voluntarie suscipit Sacramentum Eucharistiæ „ etiamsi indigne sumat, implet præ„ceptum communicandi, etiamsi alias „ peccet mortaliter per sacrilegium „ divinæ sumptionis . . . nam præce„pta tum in Sacramentis, tum in „ aliis materiis impleri possunt per „ actionem peccaminosam, ut patet si „ quis Missam audiat prava intentione". Et paulo post subdit: „ Quamvis quis „ eat ad Ecclesiam ex libidinosa inten„tione videndi feminam, vel etiam si „ officio Missæ cum eadem intentione „ assistat, tamen si non excludat volun„tatem implendi hoc præceptum ec„clesiasticum, & sufficienter sit atten„tus, illud implet . . . . ut in simili „ superius dictum est tractando de præ„cepto communionis, est enim eadem „ ratio, quia scilicet ille implet sub„stantiam actus præcepti ". En igitur quomodo corruat falsa & laxa distinctio horum Theologorum, quæ sicut damnata est in præcepto annuæ communionis, ita & pro damnata habenda est in illis Ecclesiæ præceptis, quæ sine pietate, devotione, & pia intentione impleri non possunt. Si vero quis ad Missam quidem accedat vel præfato pravo animo, vel inani alia & prophana intentione, sed pœnitens & voluntatem mutans postea devoto & attento animo Missæ intersit, præceptum implevisse nemo inficiabitur.

Consectarium Secundum.

II. Qui Missæ in die festo, quem tamen ipse profestum putat, devote assistit, quando postea advertit præceptum audiendæ Missæ, ad quod ante non attenderat, non tenetur iterum Sacrificio adesse, sicut ille qui statuit primo ex devotione audire, aliam subinde auditurus ut satisfaciat præcepto, si mutet voluntatem, ea auditione præcepto, satisfacit. Utriusque consectarii veritas est repetenda ex iis quæ diximus Tract. 1. de Legib. Disser. 3. cap. 9. reg. 10. & in Tract. de II. Decal. Præc. disser. 2. cap. 7. consect. ult. Et primum quidem, quia ut docet S. Thom. 2. 2. qu. 104. art. 3. ad 2. „ Licet actus virtutis cadat sub præ„cepto, potest tamen aliquis implere „ actum virtutis non attendens ad ra„tionem præcepti ". Cum itaque ille, qui Missæ interest, attente & devote actum ponat lege præceptum, Ecclesiæ optemperat, quæ talis actus positionem imperat, non reflexam attentionem & animum illud ponendi tanquam præceptum. Qui vero ex devotione Missam se audire profitetur, animo aliam audiendi ut præceptum impleat, vel etiam animo non audiendi, peccabit quidem hic posterior ex prava animi dis-

dispositione, at mente mutata, neuter iterum Missam audire cogendus est, cum uterque & actum præcepto impositum impleverit, & voluntatem implendi, quam antea non habuit, postea sibi assumit, & sic omnia quæ Ecclesia jubet plene ponit. Præterquamquod, ut advertimus locis sup. citatis, qui ita agunt vel stulti sunt vel scrupulosi; stulti utique, dum quod præceptum est exacte ponunt & implent, & simul non ponendi animum habent & voluntatem; scrupulosi quia timentes & anxii ne debito modo audiant Missam, ad anxietatem tollendam, pellendumque timorem propositum concipiunt aliam Missam audiendi, quod onus postea sibi ob scrupulos grave detrectant. Et quis non videat, cum hisce imbecillibus mitius esse agendum?

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Præsentes moraliter censentur Missæ sacrificio, qui eidem inservientes coguntur ab Altari recedere, ut aliqua ad Missam necessaria deferant, puta vinum, aquam, thus, vel ad campanas pulsandas, proinde ab Ecclesia ad sacrarium, vel ad campanariam turrim discurrunt & divertunt, quia licet corpore & physica præsentia absint, adsunt tamen moraliter, & ipsi Sacrificio absentes etiam inserviunt. Tres tamen sunt attendendæ conditiones; 1. ut bona fide procedant, idest nec sine necessitate recedant, nec plus morentur quam opus sit, nec quæ desunt parare ex industria omiserint, ut ipsis liceret ab Altari recedere. 2. Ut sacrarium, vel turris campanarum sint Ecclesiæ conjuncta. 3. Demum ut modicum sit tempus recessus, si enim diutius immorandum esset, & interim Sacerdos in celebratione Missæ progrederetur, profecto Missam aliam audire tenerentur, ut contingit mihi ruri moranti videre in Clerico, qui cum Missæ Parochi inserviret cum alio Clerico, vix peracta consecratione domum Parochi adiit, Thuribulum & thus accepturus adhibenda pro sepoltura defuncti post Missam peragenda & sic tandiu moratus est, ut nonnisi post communionem redierit; & tamen se Missæ præcepto satisfecisse pertinaciter tuebatur, qui tamen ad aliam audiendam Missam a Parocho merito coactus fuit.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Attente Missam audiunt, qui Sacrificii tempore actus fidei, spei, caritatis, contritionis eliciunt, etiam ordinatos ad Confessionem post Missam habendam. Non vero qui conscientiam discutiunt & examinant ut peccata explorent in Confessione pandenda; sicut nec qui peccata vel confitentur, vel audiunt, quia licet hæc pia opera sint, omnino tamen mentem a Sacrificio avocant, nisi vel examen brevissimum foret, vel accessus ad Confessarium pro sola petenda & accipienda benedictione, & veniam suscipiendæ Eucharistiæ. Pari pacto devote sacrificio assistunt, qui preces & orationes eo tempore attente recitant, licet ad eas teneantur ex alio præcepto, puta ex onere recitandi horas canonicas. Attendenda tamen in his est Regula XII. in Tr. de Legib. Diss. 3. cap. 9. qua statuimus, quando uno & eodem actu impleri aut non impleri valeant plura legis distincta præcepta, colligendum esse ex Legislatoris mente & voluntate; hinc diximus, unica Missæ auditione satisfieri non posse, & præcepto Ecclesiæ, & præcepto Con-

fess-

fessarii de Missa pro peccatorum satisfactione audienda, quam doctrinam puto extendendam ad omnem aliam pœnitentiam a Confessario impositam, quæ semper est speciatim & distincte peragenda, nisi forte vel aliter Minister Sacramenti Pœnitentiæ declaraverit, vel prudenter præsumi possit voluisse, ut quando injungit pœnitenti quotidianam per annum Missæ auditionem; tunc enim in die festo ad duas audiendas non esset cogendus. Quod pariter intelligendum est de voto, qui enim Missam audire ex voto tenetur, non huic oneri satisfacit per auditionem Missæ ex præcepto Ecclesiæ debitam, cum peculiare sibi onus imposuerit, secus vero si per annum quotidianam Missæ auditionem voverit, tunc enim satisfacit & voto & præcepto in diebus festis unicæ Missæ præsentia, cum per annum hæc duo onera simul necessario concurrant, ut diximus etiam Tract. de II. Decal. Præc. Diss. 2. cap. 8. consect. 10. satisfaceret proinde qui in Missa de præcepto orationes ex voto debitas persolveret, nisi aliter vovens sibi statuisset, cum hæc duo onera & Missam audiendi & orationes recitandi sociari possint, & una Religionis virtute eliciantur.

Consectarium Quintum.

V. Plures Theologi docent, musicos, tympanistas, tibicines, chyliastas, organœdos satisfacere Missæ præcepto, si dum canunt & instrumenta pulsant, simul ad sacrum Altaris officium attendunt, omnes tamen subdunt hanc duplicem & ad cantum & instrumenti pulsationem, & ad rem sacram attentionem difficilem esse, quamobrem illis suadent ut Missam audiant. Ipse puto esse distinctionem adhibendam, nimirum si cantores vel organi pulsatores adeo sint in sua arte periti ut modica attentione, & ex continua praxi, & usu vel canant vel pulsent, puto posse sui muneris exercitium cum debita sacrificio attentione sociare; at si vel cantus & sonus in se difficiles sint, & magnam postulent cantantis & pulsantis attentionem, ut concentum servent, quis non videt, eos certe Missæ debitam piam attentionem præstare omnino non posse? Quod verum maxime puto in iis, qui tempore vel consecrationis, vel communionis vel soli, vel duo simul concentus canunt, in quibus attendere debent quomodo sonum illidant implicent, explicent, suspendant, varient, producant, suspiriis, trepidatione, modulatione exornent; & idem dicendum de tibicinis, fidicinis, chyliastis, qui hujusmodi cantoribus & musicis sono & concentu se sociare debent, & modis conformare. His itaque auctor sum non ut ex consilio, sed ad præceptum implendum aliam audiant pie & devote Missam. Idem puto dicendum & de eleemosynarum collectoribus, qui brevi tempore & modica attentione explere munus suum possint, non abnuo Missæ attendere posse, at si in frequentissimo populi concursu eleemosynas colligant, adeout vel totam vel maximam Missæ partem hoc in opere insumant, & vigilantibus oculis hac illaque prospicere debent, ne quem offerre volentem omittant, certe censeo non posse debitam mentis attentionem Sacrificio præstare. Nec obstant & musicos concentus & eleemosynarum collectionem in Dei cultum & honorem redundare, nam hoc quidem ultro & lubens concedo, at animadverto qui hæc præstant, non illum Dei cultum, quem Ecclesia postulat, attentum scilicet

licet & devotum animum ad Sacrificium præstare, proinde opus quidem bonum & laudabile perficere, at non illud quod est in præcepto, obstringi proinde ad aliam Missam audiendam.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Ut falsa & laxa rejicienda est nonnullorum Probabilistarum sententia, qui docent non lethaliter peccare eos, qui in Missa fabulantur, legunt, scribunt, pingunt, modo hæc interruptim fiant & internam relinquant attentionem, licet illam imminuant. Quandoquidem vel hujusmodi innoportunæ actiones notabile Missæ tempus sibi usurpant, vel solum breve & modicum. Si primum, jam certum est taliter assistentem Missæ præcepto non satisfacere, cum integram Missam non audiat. Si vero interruptim sed per breve tempus in hujusmodi occupetur actionibus, animadvertendum attentionem & tolli eo temporis spatio quo operibus illis vacat & imminui eo tempore quo illis non vacat; nam hujusmodi actiones mentem de se, & indole sua animum avocant a re sacra, qui tam facile postea colligi & ad se redire non potest, præsertim si sit dispositus post modicam attentionem iterum ad opus per modicum tempus reverti, & rursus ad attentionem regredi; qui enim hoc pacto Missam audiunt, profecto ostendunt se nihil minus velle quam Deo vacare, & revera ferme toto Missæ tempore eorum mens distrahitur, & divagatur, proinde præceptum minime implent.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Non est ut falsa & nimis rigida rejicienda illorum Theologorum doctrina, qui asserunt peccatores Missæ tremendo adstantes Sacrificio in habituali peccato, sine ullo pœnitentiæ sensu, Ecclesiæ præceptum de audienda Missa, non sicut oportet, implere. Quandoquidem Ecclesia omnibus etiam peccatoribus Missæ auditionem præcipiens, illud præcipue jubet, & intendit, ut hoc pium opus præstent eo quo decet animo pie erga Deum affecto, & dum Sacrificio assistunt, cum Sacerdote offerente offerant hostiam propitiationis pro peccatis peccata sua detestentur & defleant. Et revera qui in habituali peccato existentes Missæ debito modo adesse putant, quia exterius corpore compositi, & mente orationibus intenta assistunt, dum tamen animum gerunt habituali affectu peccato inhærentem & firmum, Judam imitari videntur, qui Christum blando vultu, ore sereno, & amico osculo excipiebat eo tempore, quo ipsum prodere meditabatur, & milites qui in sua Passione coram ipso genuflectentes illum se adorare ac venerari simulabant, dum revera conviciabantur ei, & illudebant. Unde optime ajebat S. Augustinus Enarrat. in Psalm. 63. *Simulata innocentia non est innocentia. Simulata æquitas non est æquitas. Sed duplex iniquitas, quia iniquitas est & simulatio.* Ut itaque hoc præceptum eo quo decet animo, & ad Ecclesiæ mentem impleant peccatores in habituali peccato existentes, debent aliquem actum doloris elicere, vel pium desiderium concipere obtinendi a Deo gratiam a pravo statu recedendi, & in Dei gratiam revertendi. Hoc est minimum quod in Scripturis a populo hostias & sacrificia offerente ante omnia exposcebat Dominus Isaiæ 1. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio mihi est. Neomeniam, & sabbatum, & festivitates alias non feram, int-*

iniqui sunt cœtus vestri . . . Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere perverse, discite benefacere. Quem Prophetæ locum explicans D. Hieronymus scribit : „ Omnis conventus , qui non „ offert hostias spirituales , nec audit „ quod in quinquagesimo Psalmo cani- „ tur , *Sacrificium Deo spiritus contribulatus , cor contritum , & humiliatum Deus non despicies*, abominabile est „ Deo. Audiatur etiam Erasmus Theo- „ logus certe minime severus , qui in „ Colloquio cui titulus *Pietas puerilis* „ sic pium adolescentem respondentem „ inducit. Er. Nihil audio de sacris. „ Gerardus . Nec in hac parte mihi „ desum diebus præcipue festis . Er. „ In his quomodo te geris ? Ger. Pri- „ mum omnium excutio me ipsum, num „ qua peccati labe sit animus contami- „ natus. Er. Id si comperias quid tum? „ Subducis te ab Altari ? Ger. Nequa- „ quam corpore sed animo me submo- „ veo , ac veluti procul stans , nec „ audens attollere oculos ad Patrem „ Deum , quem offendi , tundo pectus „ meum dicens illud ex Evangelio cum „ Publicano : *Domine propitius esto mihi peccatori* : deinde si sensero quem- „ piam offensum a me , ecce curro „ placandum e vestigio si licet , sin „ minus statuo in animo mihi , cum „ primum licebit , reconciliare proxi- „ mum. Si quis offendat me , remitto „ vindictam , doque operam , ut qui „ læsit agnoscat errorem suum & resi- „ piscat . Sin ejus rei nulla spes est , „ vindictam omnem Deo relinquo “. Hæc sunt quæ à Christiano peccatore Missam audituro sunt præstanda , ut sicut oportet , & juxta Ecclesiæ mentem & præceptum pie ac devote Sacrificio intersit. Absit tamen ut quis putet , assistentem Missæ sacrificio in peccato lethali, vel novum peccatum committere , aut non implere absolute præceptum Ecclesiæ , nisi contritionis & caritatis actum eliciat. Nam ut egregie docet S. Thom. 2. 2. q. 44. a. 1. ad 1. *Non requiritur status gratiæ ad præceptum implendum de aliis virtutibus ab ipsa caritate distinctis* . *Modus* (subdit S. Thom.) *dilectionis non cadit sub illis præceptis , quæ dantur de aliis actibus virtutum , puta sub hoc præcepto bonora patrem tuum & matrem tuam* (quod & dicendum de præcepto , Memento ut diem Sabbati sanctifices) *non cadit, quod hoc ex caritate fiat* . Qui hanc quæstionem fusius pertractatam videre cupit , adeat Natalem Alex. Tom. 3. Theol. Dogm. Mor. lib. 4. in Decal. Reg. 9. nec non ejus apologeticam epistolam 78. Conc. de præcep. Eccl. Diss. 3. cap. 5. Juveninum de Sacram. Eccl. T. 1. cap. 16. q. 16. & seq. Auctorem Moralis Christianæ in Dominica Orat. lib. 3. art. 4. punct. 2. Solum declarandam puto hic mentem P. Danielis Concinæ , qui loc. cit. n. 6. sic doctrinam suam concludit: „ Sententia quam „ hic docemus . . . prout a nobis ex- „ plicata est , cujusque severitatis spe- „ cie caret . Quandoquidem non dici- „ mus mortale sacrilegium perpetrare , „ qui peccato lethali inquinatus Missæ „ assistit , sicut gravissime peccat Sacer- „ dos , qui gravis delicti conscius Mis- „ sam celebrat , sed dicimus , Christia- „ num hunc præceptum audiendi Mis- „ sam exterius quidem & secundum lit- „ teram implere , secus vero secundum „ spiritum & intentionem præcipientis , „ & ut oportet . Dicimus qui cum „ *actuali* affectu peccati mortalis Missam „ audit , non levem prophanationem „ committere , infra tamen mortalem

„ culpam ". Puto itaque in his verbis mendum irrepsisse, & pro *actuali* affectu, legendum *habituali* affectu, quandoquidem actualis affectus ad peccatum, cum actus jam sit, ut ex ipso verbo apparet, est in se peccatum mortale, & quidem non exterius sed interius in ipso animo, mente, & affectu; quando igitur iste actus in corde existit & elicitur, de se omnem pium actum ab anima excludit; non potest igitur cum pia attentione & devotione ad Sacrificium quod offertur sociari; proinde qui actu tempore Sacrificii oblectatur vel de capta vindicta, vel de illicitis gustatis voluptatibus (hæc enim importat actualis affectus ad peccatum) jam nedum peccat interno peccato, sed nec debitam habet attentionem ad oblationem & sacrificium Missæ, proinde reus etiam est violati præcepti Ecclesiastici, ut ipsemet Concina paulo superius cap. 4. n. 2. docuerat de illo, qui pergit ad audiendam Missam ob finem pravum aspectanti impudice feminam. Et revera si quis diutius distractus per inutiles cogitationes divagetur, præceptum non implet, multo magis non implet qui ab actuali affectu lethali mente detinetur. Corrigendum itaque laudatum Concinæ dictum & legendum cum habituali affectu, quippe qui cum actum non importet, sociari potest cum actibus pietatis, & cum attentione & mente devota, unde peccator habitualis impleat quidem materialiter, & ad litteram præceptum audiendi Missam, at spiritum præcepti & Ecclesiæ mentem non attingat. At nec materialiter, nec ad litteram præceptum audiendi Missam implet Sacerdos, qui sacrilege celebrat, cum ipsa Missæ celebratio sit continuum sacrilegium, & perpetua prophanatio Dominici Corporis & Sanguinis, & sicut præceptum non impletur paschalis communionis per sacrilegam Dominici Corporis manducationem, ita nec præceptum audiendi Missam per sacrilegam Sacrificii sanctissimi prophanationem.

CAPUT QUARTUM.

De loco & tempore audiendi Missam.

DOCTRINA.

I. *Nonnullorum Theologorum opinio refellitur.*
II. *Quid Ecclesiæ nomine pro Missa auditione intelligatur.*
III. *Quænam sint publica Oratoria.*
IV. *Quænam privata, & quibus in illis liceat præceptum implere.*
V. *Audienda Missa omnibus festis diebus.*
VI. *De hora audiendi.*

I. NON defuere Theologi, qui docuerunt Fideles Matris Ecclesiæ præceptum implere quocumque loco Missam audiant, cum Ecclesiæ præceptum nullum verbum habeat de loco, sed solum præcipiat Missæ auditionem. Hinc inferebant satisfacere huic præcepto audientes Missam etiam in privatis Oratoriis; licet enim in Brevibus privata Oratoria concedentibus expresse dicatur non censeri illos, qui non sunt de familia, liberos ab obligatione audiendi Sacrum in Ecclesia, ajebant tamen ideo additam hanc clausulam ne præjudicium inferatur, si forte alicubi jus, consuetudo, præceptum extet de audienda Parochiali Missa, cui consuetudini, juri, vel præcepto nullum inferre detrimentum innuit Pontifex in Brevi concedendo; quamobrem concludunt, cum in præsenti Ecclesiæ disciplina nullum sit præceptum de Missa in propria Parœcia au-

audienda, liberum erit cuique eam audire ubicumque celebretur. Verum hæc sententia omnino rejicienda est tanquam falsa & improbabilis. Cum enim Pontifex disertis verbis declaret illos, quibus privilegium Oratorii concessum non est, non esse liberos ab obligatione Missam audiendi in Ecclesia, aperte indicat fideles omnes, nisi speciali donentur privilegio, teneri ad Missam in Templo, & Ecclesia audiendam, alioqnin præcepto minime satisfaciant.

II. Nomine vero Ecclesiæ non solum Templum intelligitur, ubi sacræ peraguntur functiones, sed Ecclesiæ & Oratoria quæ publica sunt, & habentur. Hinc de necessitate præcepti Ecclesiastici fideles non tenentur Missam audire in propria Parochia, ut declaravit & definivit Sapientissimus Pontifex Bened. XIV. in suo de Synodo præclaro opere lib. 11. cap. 14. ubi postquam num. 7. ostendit jure communi cautum esse, ut singuli fideles diebus festis Missæ adsint Parochiali, num. postea 8. scribit, huic consuetudini, & antiquis sanctionibus derogatum nunc esse non solum contraria consuetudine, sed pluribus posteriorum Pontificum constitutionibus, quibus aperte declararunt fideles Ecclesiæ præcepto satisfacere, si Missæ intersint vel aliis Parœciis, vel in Ecclesiis Regularium. Dein num. 9. Juvenini, & Van-Espen opinionem rejicit putantium præfatis Constitutionibus non esse juri communi audiendi Missam in propria Parœcia derogatum, cum in illis clausula sit apposita *dummodo audientes extra propriam Parochiam id non faciant in contemptum Parochialium Ecclesiarum*; cum, ut ipsis videtur, impossibile sit contemptum abesse in iis, qui absque ulla rationabili causa à propria se subducunt Parochia. Egregie enim animadvertit sapientissimus Pontifex, hac interpretatione Summorum Pontificum indulta penitus everti, cum nullo unquam opus fuerit privilegio, ut fideles legitima urgente causa alienam adirent Ecclesiam, ut ibi Missæ assisterent Sacrificio. Quamobrem nomine contemptus designari actum aliquem distinctum ab ipsa auditione Sacri extra Parochiam, quo quis sive expresse, sive tacite se a proprio Pastore aversum ostendat, quod minime sequitur in illis, qui vel devotionis causa, vel majoris commodi gratia Missam in Ecclesiis Regularium audiunt. Postea vero n. 10. ostendit ex pluribus Theologis, in præsenti Ecclesiæ disciplina integrum esse omnibus in qualibet Ecclesia, modo non sit Capella, seu Oratorium privatum, Sacris Mysteriis interesse, cum enim versemur in lege mere Ecclesiastica, etiam Juveninus admittit, potuisse legitima præscriptione abrogari, & Van-Espen, quamvis eam in Belgio minime abrogatam contendat, fatetur solere Episcopos monere quidem atque hortari, nullo vero judiciali actu populum compellere ad interveniendum Missæ Parochiali. Tuta itaque est hæc sententia, quæ docet, fideles posse audiendæ Missæ Ecclesiasticum præceptum implere in quacumque publica Ecclesia sive Oratorio sive Capella; nec ut declaravit Alexand. VII. in suo ad hoc emisso Decreto an. 1619. die 30. Januarii, nullam censuram mereri qui docent, in foro conscientiæ nullum teneri in diebus festis Parochiæ suæ interesse ad Missam audiendam.

III. Oratorii autem sive Capellæ publicæ nomine intelliguntur 1. illæ, quæ pu-

publice patent, utpote in loco publico erectæ auctoritate Episcopi, habentque hostium in via publica, & campanam publicam ad populum convocandum, ubi non una tantum, sed plures celebrari possint Missæ. 2. Oratoria & Capellæ Episcoporum nedum in Palatio urbano, sed etiam in domibus rusticis, ubi se recipiunt aliquando vel ad solamen, vel ad temporalium Ecclesiasticorum proventuum curam. 3. Oratoria etiam S. R. E. Cardinalium publica habentur, in quibus fideles Missam audientes in die festo satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, ut declaravit S. Congreg. Concilii 17. Feb. 1623. & Congreg. Episcoporum 22. Septemb. 1640. 4. Publica etiam sunt & habentur Capellæ & Oratoria Regularium sive in Sacristia, sive in Capitulo, sive in alio Monasterii loco firmiter erecta, ut optime ostendit & probat Passerinus To. 8. Tr. 7. q. 3. n. 11. scribens: „ Oratoria & Capellæ erectæ intra Monasterium Regularium non sunt omnino extra Ecclesiam, sed intra Ecclesiam censendæ sunt, & ideo non esse contra Concil. Trident. si hujusmodi Oratoria vel Capellæ de licentiæ Prælatorum regularium, ad quos illam dare pertinet, erigantur, & in eis Missa celebretur in terminis privilegiorum, quæ in hac parte non sunt revocata ". 5. Novissima etiam concessione Benedicti XIV. publica etiam habentur Oratoria FF. Prædicatorum „ erecta & existentia in domibus, possessionibus, & membris ad Conventus Ordinis nunc & pro tempore spectantibus & pertinentibus, quæ ab Ordinariis locorum juxta jus visitari & approbari soleant, debeantque, licet ab illis nec visitata nec approbata fuerint, nihilominus Sacrosanctum Missæ Sacrificium tam per Regulares sive ejusdem, sive alterius Ordinis, quam seculares Præsbyteros tuto celebrari possit, Missamque ibi audientes in diebus festis præcepto Ecclesiæ hac de re edito satisfacere intelligantur, absque tamen ullo jurium Parochialium præjudicio": verba sunt Constitutionis datæ 22. Junii 1755. incipientis: *Exponi nobis*, & habetur integre inserta Actis Capituli Generalis 1756. Romæ celebrati. In his omnibus itaque Capellis & Oratoriis qui Missæ intersunt, præceptum implent Ecclesiasticum Missæ auditionem in die festo præcipiens.

IV. Oratoria vero privata illa dicuntur, quæ privatis in domibus sola secularium Dominorum potestate eriguntur, quæ sunt omnibus concessa & permissa jure communi; sed ad orationem tantum, non vero ad Missæ celebrationem, nisi ex privilegio a solo Summo Pontifice concedendo, ut habetur in Cap. de Consecr. dist. 1. cap. 33. ubi sic statuitur: „ Unicuique fidelium in domo sua Oratorium licet habere, & ibi orare, Missas autem ibi celebrare non licet ". Quando vero a Summo Pontifice licentia conceditur ut vel Oratorium erigi possit, vel jam erecto Missa celebretur, tunc omnes sunt clausulæ & conditiones servandæ, quæ in Brevi concessionis præstituuntur, quas expendemus suo loco, quando de Sacramento Eucharistiæ agemus. Interim dicimus 1. facultatem concedendi ut Missa in Oratorio celebretur solum illis convenire, quibus Breve privilegii concessum est, sive a tergo Brevis numerentur, sive in ipso Brevi tali potestate donati designentur, ut declaravit Summus Pontifex Bened. XIV. in sua Encyclica data die 2. Junii 1751.

§. 15.

§. 15. & 16. Hinc Sacerdos, qui sine illorum præsentia celebrat, graviter peccat, nisi speciali donetur privilegio personali celebrandi in Oratoriis privatis, & illi qui Missæ adsunt præcepto non satisfaciunt. 2. Illos dumtaxat præceptum implere, qui in Brevi designantur, & ferme semper hi sunt 1. omnes de familia Privilegiati. 2. Hospites nobiles. 3. Familiares & servi, qui actu sunt vel ipsi domino, vel alicui de familia necessarii, cujusmodi sunt nutrices, quæ pueros alere, vel custodire debent, quæ infirmum deserere non possunt, & similia. 3. Cum de jure communi cap. 1. Sicut, & cap. Unicuique dist. 1. de Consecrat. & juxta Tridentinæ Synodi mandatum sess. 22. de observ. & evitan. in celeb. Miss. Missa sit celebranda & audienda in Ecclesia, Indultum Oratorii privati tanquam odiosum, & divini cultus imminutivum, est stricte & non late interpretandum, ut egregie animadvertit Fagnanus, adeoque extendi non debet ultra privilegiatos, & ministros minime necessarios.

V. Quoad tempus vero, Missa est de præcepto audienda omnibus diebus festis sive Ecclesiæ universalis, sive particularis alicujus diœcesis vel civitatis. Non vero in festis sive ex voto, sive ex devotione, sive jussu secularis potestatis institutis. Hinc præceptum Missæ audiendæ non urget nec in vigilia Nativitatis Christi, nisi Dominica sit, nec in postremis tribus diebus hebdomadæ majoris, nec in primo die Quadragesimæ, nec in diebus Rogationum. Si vero festa S. Joseph, vel Annunciationis incidant feria sexta in Parasceve vel Sabbati S. tunc cum eorum solemnitas transferatur in feriam secundam post Pascha: transfertur etiam Festum cum onere audiendi Missam, & abstinentiæ ab operibus servilibus: at si in aliis diebus majoris hebdomadæ incidant transfertur quidem Officium Ecclesiasticum, & festus dies habetur in quo audiendum est sacrum.

VI. Quoad horam vero audiendi Missam, cum nulla præfinita habeatur, sat est si fideles Missam audiant ab hora, qua ex præscripto communi Ecclesiæ, vel fortassis ex aliquo speciali privilegio incipit tempus ad Missæ celebrationem destinatum usque ad ejus terminum, qui de jure communi est paulo ante auroram, & paulo post meridiem, in quibusdam autem Ecclesiis & locis ex privilegio concessum est celebrare per horam ante auroram & post meridiem. Immo ubi ex privilegio in Vigilia Nativitatis Domini Missa celebratur ante mediam noctem, qui sacrificio intersunt, præceptum ecclesiasticum implent pro ipso die Natalis Domini, in quo licet omnibus Sacerdotibus concessum sit tres Missas celebrare, fideles tamen præcepto satisfaciunt si unam audiant, ut diximus cap. 2. Confess. 4. Minime vero præceptum implent qui in vigilia Nativitatis Domini in Dominicam diem cadente Missæ adsistent, quæ celebratur ante mediam noctem, hora scilicet tertia, vel quarta noctis, cum Missa, quæ celebratur, non ad vigiliam pertineat, sed ad festum Natalis Domini, est enim Missa de Nativitate. Qui Missæ auditionem post meridiem differunt, peccare possunt etiam lethaliter, si periculo se exponant non audiendi Missam, licet fortassis ex aliquo fortuito casu contingerit invenisse Sacerdotum sero celebrantem juxta ea, quæ cap. 2. Conf. 4. diximus. Qui probe noverit nisi valde mane surgat vel Missam non auditurum,

turum, quia unica est in loco Missa, vel ab ejus auditione aliis horis impediendum, tenetur surgere ut Missæ intersit, quia illa est unica.

CAPUT SEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando licet præceptum implere Missam audiendo in loco minime sacro.*
II. *Num satisfaciat præcepto qui Missam audit ex fenestra.*
III. *Num satisfaciunt audientes extra propriam Parochiam.*
IV. *Qui privilegio donati sunt Oratorii domestici, tenentur Missam audire in die festo.*
V. *Quando satisfaciant præcepto qui Missam audiunt in Oratorio privato ob Ecclesiæ distantiam.*
VI. *Celebrantes in privatis Oratoriis licentiam obtinere debent a suis Superioribus.*

Consectarium Primum.

I. Ex privilegio & Apostolicæ Sedis concessione licitum est etiam in loco minime sacro & Missam celebrare, & præcepto eam audiendi satisfacere vel omnibus vel aliquibus tantum. Nam militibus conceditur, ut in castris & campo audire Missam possint etiam præ foribus stantes Tabernaculorum; similiter & existentibus in navi, in qua concessum est altare erigere, immo & stantibus in litore nisi adeo distent ut pene nihil videant aut percipiant, cum existentibus in navi moraliter consocientur in assistentia Sacrificii. Similiter in locis infidelium, in quibus liberum non conceditur & publicum Religionis exercitium, possunt Pastores & Missionarii vel in campo sub dio, vel in privatis domibus Missam celebrare, cui qui assistunt implent præceptum; immo cum hujusmodi privilegia non sint quoad assistentes aliqua limitatione affecta, præceptum implebunt qui Missam audiunt cum militibus & cum navigantibus, licet ipsi nec milites sint, nec navigantes. Denique quibus concessum est altaris portatilis privilegium, illud erigere possunt etiam extra locum sacrum, dummodo tamen decens sit, & Missam audiendo præceptum implere, servatis tamen conditionibus & limitationibus in Brevi appositis, quoad locum, tempus, & personas.

Consectarium Secundum.

II. Libenter consentiunt Theologi eos vere esse præsentes Missæ, qui illam audiunt ex fenestra suæ domus cum Ecclesia ipsa conjuncta, & respiciente in ipsam Ecclesiam, quia moraliter præsentes sunt, & cum aliis fidelibus conjuncti, cum quibus unum morale corpus efficiunt, & simul facile & vident & fortassis etiam audiunt, quæ præstat & legit Sacerdos. At si inter Ecclesiam & domum mediat via, etiam angusta, licet videat altare & Sacerdotem celebrantem, plures sunt, inter quos Concina, Cuniliati, Ferraris, aliique bene multi, qui putant non implere præceptum audiendi Missam, quia inquiunt nec physice neque moraliter sunt Sacrificio præsentes: non physice, quia revera corpore non sunt in Ecclesia; non moraliter nam via intermedia, licet angusta, omnino Ecclesiam a domo dividit, & assistentes Sacrificio in Templo ab iis, qui per præfatam fenestram Missam audiunt, dissociat, proinde cum illis unam moralem societatem constituere non possunt.

sunt. At dissentit Clarissimus Franzoja, & quidem meo videri non contemnendis argumentis, quæ hujusmodi sunt. 1. Ecclesia solum jubet, ut Missa integra audiatur pie & devote, de loco autem nihil statuit, præcipit, aut vetat (exceptis privatis Oratoriis) licet ergo omni loco Missæ interesse, dummodo & actiones Sacrificii distincta videantur, & fortassis ipsius celebrantis verba audiantur. 2. Corporalis præsentia in loco non per se requiritur, sed solum ut Missa audiatur, & Sacerdos Sacra Mysteria peragens videatur, ergo si etiam sine corporali præsentia in loco & Sacerdos celebrans videtur, & Sacræ actiones percipiuntur, jam in præcepto amplius non est præsentia corporalis. 3. Moralis conjunctio cum cæteris assistentibus tunc solum necessaria est, quando ob frequentiam adstantium, & distantiam celebrantis non alio modo cum Sacrificium offerente conjungi possunt assistentes; proinde si e prædicta fenestra audiens Missam non viso nec altari, nec Sacerdote, sed solum ex assistentium motibus Missæ ceremonias perciperet, profecto præcepto non satisfaceret, cum tunc moraliter non conjungeretur nec adstantibus nec celebranti, at quando ipse per se suis oculis sacrificantem Sacerdotem intuetur, & fortassis verba audiret jam omnino independenter a cæteris adstantibus Missæ interesset, & præcepto satisfaceret. 4. Denique rei cuicumque videndæ vel audiendæ aliquis non solum moraliter sed physice præsens dicitur, quando ipsam rem & oculis suis intuetur, & aure percipit. Porro Missæ Sacrificium est res oculis videnda, mente contemplanda, auribus percipienda, hæc omnia præstat qui per præfatam fenestram Missæ interest, ergo physice illi præsens est, & præcepto satisfacit. Et revera si quis e præfata fenestra videret hominem hostem suum interficientem, & miselli auxilium implorantis vocem audiret, nonne absque ullo mendacio in judicio sacramento testari posset se cædi præsentem fuisse, nonne perjurus esset si obtentu defectus præsentiæ & moralis & physicæ juret se cædi nullo modo interfuisse, & se haberet tanquam omnino absentem? Quis hoc credat vel sentiat? Nimis igitur materialiter præsentiam exposcere videntur laudati Auctores, cum assistentes e laudata fenestra a legitima & ab Ecclesia præcepta auditione Missæ excludunt. Fallitur autem Concina dum asserit, Tamburinum lib. 3. de Sacrificio Missæ huic contrariam opinionem defendere tanquam probabiliorem, nam Tamburinus non in Tract. de Sacrificio Missæ hanc quæstionem versat, sed de 4. Decal. præcep. cap. 2. n. 14. ubi pro certo habet audientem e præfata fenestra Missæ præcepto satisfacere, & in sui favorem citat Cardinalem de Lugo disp. 22. de Euchar. sect. 2. n. 20. idem omnino sentientem. His tamen non obstantibus fatendum, aliquid esse concedendum communi hominum sensui & judicio; porro communiter a Theologis, immo & ab ipsis rudibus præsens non reputatur moraliter, qui e præfata fenestra Missam audiret, quandoquidem, ut ipse fatetur Franzoja, omnes, nisi necessitas aliud exposcat, Missam die festo audituri Ecclesiam aut loca propria *ad hoc destinata* ingredi debent quoad fieri potest, ne periculum violandi præceptum subeant. Porro laudata fenestra dici non potest locus destinatus ad Missam audiendam, ergo saltem dubium est, num præcepto satisfaciat, proinde tu-

tutior pars eſt eligenda, & Templum adeundum ad Miſſam audiendam; itaut qui bona fide eo modo Miſſæ interfuit, non ſit lethalis criminis culpandus, ſed monendus ut impoſterum ab eo audiendi modo abſtineat.

Consectarium Tertium.

III. Licet conceſſum ſit in præſenti Eccleſiæ diſciplina fidelibus omnibus, ut Miſſæ audiendæ præcepto ſatisfaciant etiam extra propriam parœciam, ſunt tamen a Sacris Pœnitentiæ Miniſtris monendi omnes, & præſertim ruſtici, ut Parochiali Miſſæ interſint præſertim Dominicis diebus, aliiſque per annum præcipuis ſolemnitatibus tum ad debitam exhibendam Paſtoribus ſuis reverentiam, tum ut Cathechiſmo & Paſtorali inſtructioni interſint, tum ut ſi forte contrahenda publicentur Matrimonia de iis conſcii ſint, & ſi quæ noſunt impedimenta detegere poſſint. Immo & cogendi ſi forte doctrinæ Chriſtianæ ignorantia laborent, quam non alio meliori modo expellere poſſint quam Parochiali Miſſæ aſſiſtendo, omnibuſque conſiderandum proponant quod ſapientiſſime ſimul & piiſſime docet S. Carolus Borromæus in ſuo IV. Concilio Mediolanenſi, nimirum „ non ſolum Parochialem Eccleſiam ſibi datam eſſe, „ in qua primum Baptiſmo ſuſcepto „ Chriſto Domino renati aliis Sacramentis aluntur ad perpetuam ſalutem, „ ſed Parochum etiam Sacerdotem ſibi „ loco parentis eſſe debere, quem diligant, colant, atque obſervent, hoc „ ſibi proponentes illum pro fidelibus „ ſibi commiſſis apud Deum internuncium, ac deprecatorem eſſe, divinæ „ legis interpretem, diſpenſatorem Myſteriorum Dei, chriſtianæ vit „ & morum diſciplinæ Magiſtrum, a „ quo omne petant pie recteque vivendi conſilium, ac denique Miniſtrum „ omnium fere, quæ ad ſalutem eis „ neceſſaria ſunt". Sunt pariter monendi magnates nobiles, aliique publica habentes præſertim in villis Oratoria, ne permittant Miſſam celebrari niſi poſt expletam Parochialem Miſſam, ne ab ea audienda villici nacti occaſionem brevioris Miſſæ, abſtineant, & a propria Parochia avertantur, ut fere in omnibus Synodis optime monent, & ſtatuunt Epiſcopi, quibus omnino parendum eſt.

Consectarium Quartum.

IV. Qui privilegio gaudent Oratorii domeſtici, vel altaris portatilis; ſi forte legitime præpediantur Miſſæ in publicis locis celebratæ intereſſe, tenentur ad curandum, ut Miſſa vel in Oratorio, vel in altari portatili celebretur, cui ipſi aſſiſtentes præceptum impleant Miſſam audiendi in die feſto. Contrariæ opinioni adhærent communiter Probabiliſtæ, qui etiam opinionem ſuam nedum ut veram, ſed & communem appellant, his permoti rationibus. 1. Quia nemo cogitur uti privilegio ſibi conceſſo, quod ad commodum conceſſum eſt, non ad onus & incommodum. 2. Quia donatus hoc privilegio non tenetur pretium ſolvere, ut Miſſam ſibi procuret, & ſtipendium dare Sacerdoti celebranti, cum jam alias legitime ſit a præcepto Miſſæ audiendæ præpeditus. Verum hæc argumenta adeo mihi videntur infirma & imbecillia, ut hanc doctrinam nec tenuiſſime probabilem reddere poſſint. Nam 1. Privilegia Oratorii & altaris portatilis ad devotionem quidem fovendam, & pietatem promovendam conceduntur, ſed præſertim ad præcepta tum divina tum Eccleſia-

ſti-

stica promptius & alacriori animo implenda utpote commodiori & suaviori modo. Tenentur igitur qui præfato privilegio donantur eo uti in diebus festis, non quia sit illis onerosum, sed quia urget præceptum Missam audiendi eo meliori modo, quo quilibet potest; potest autem infirmus absque incommodo, & facillime Missam in privato Oratorio vel altari portatili celebratam audire; ergo tenetur præceptum implere, proinde Missam sibi procurare. Onus autem stipendii Sacerdoti celebranti ad suam sustentationem elargiendi adeo leve est & tenue, ut illo abuti ad Missam non audiendam solius avaritiæ effectus sit, proinde non excusat, immo & avaritiæ & irreligionis accusat, præsertim cum huiusmodi privilegia non nisi nobilibus & divitibus concedantur, quibus illius eleemosynæ largitio facilis omnino est & levis; nam casus, quo nonnisi gravissimi stipendii solutione accersiri possit Sacerdos, qui Missam celebret, rarus adeo est, ut regulam efformare non possit, cum regulæ juxta id quod communiter accidit, non quod raro evenit, statuantur. Denique nonne privilegii beneficium sentiunt qui domi in privato Oratorio absque incommodo Missæ adesse possunt, ad hoc enim privilegium petunt? æquum igitur est, ut & onus sentiant accersendi Sacerdotem, cui celebranti in die festo juxta Ecclesiæ præceptum assistant. At inquiunt Salmanticenses: „ Privilegium celebrandi Missam in Oratorio privato „ est odiosum, legi communi adversum, „ reverentiæ Sacramenti parum conformе, ergo illo uti nemo cogendus est". Utique ad illud impetrandum nemo cogendus, at impetrato privilegio odioso, legi communi adverso, reverentiæ Sacramenti parum conformi uti licebit pro libitu ad proprium commodum, & quando præceptum urget Missam audiendi usus privilegii omitti poterit, & potius omittenda Missæ auditio, quam ejus celebratio in Oratorio privato? Qui hoc sibi persuadeat? Hæc mihi adeo absona & absurda videntur, ut vix in mentem venire viro pio & religioso Deumque timenti credere possim.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Non omnino certam & veram puto doctrinam Lucii Ferraris Verb. Miss. art. 16. n. 24. absolute affirmantis, in Oratorio rurali ultra dimidium milliare ab Ecclesia distante satisfacere præcepto Ecclesiæ omnes familiares eam audientes. Nam in Brevi Oratorium concedente non attenditur distantia Parochialis vel alterius publicæ Ecclesiæ, sed sola & mera necessitas privilegiati, qui tempore Missæ, vel pro se, vel pro familia, familiaribus eget, si enim non indiget, Ecclesiam adire tenentur. Nec certa & absolute vera est ratio ab eodem Auctore citata, omnes familiares habendos esse tanquam actu necessarios, quia propter talem distantiam, & longam moram accessus & recessus servitium domini detrimentum patitur. Nam dato etiam dominum ob famulorum per duas horas absentiam aliquod detrimentum pati, nonne illud libenter subire debet, ut familiares sui Ecclesiæ præceptis obtemperent? Præterea hoc qualecumque detrimentum respectivum est, non absolutum, dominus enim, qui unum vel alterum servum, vel dumtaxat servam habet & ancillam, fortassis ambobus carere tanto tempore non poterit sine familiæ incommodo; at qui plures habet, nullum detrimentum patietur, cum non semper servi in familiæ servitium occupentur, sed

multum otii habeant præsertim diebus festis. Attendenda est igitur necessitas dominorum, quæ vere eo tempore omnium familiarium exposcat servitium, non absolute pronuntiandum, solam Ecclesiæ distantiam hanc inducere necessitatem. Quod & pariter intelligendum est & de tempore hyemali, & de magna pluvia cadente, nam iterum repeto, non familiarium & servorum incommodum spectandum est, sed necessitas servitii eo tempore domino vere præstandi. Ipsemet ruri cum nobili familia diutius versatus sum, quæ plures famulos & ancillas suo mancipatos servitio habebat, & illos in duas dividebat partes, quorum altera Ecclesiam valde mane adibat, eaque reverente altera pars circa meridiem ad Missam audiendam pergebat, & sic nec necessario carebat servitio & familiares Ecclesiæ præcepto obtemperabant; Oratorii autem privati Missæ nonnisi una ex ancillis & servus qui Missæ inserviebat assistebant. Cur autem ita & fieri non possit, & etiam sub præcepto non debeat, vix percipio.

Consectarium Sextum.

VI. Sacerdotes, qui in privatis Oratoriis celebrant, si sæculares sint ab Episcopo, si Regulares a proprio Superiore licentiam celebrandi in iis & petere debent & obtinere. Ita aperte declarat & statuit Pontifex in privilegio Oratorii privati, in quo disertis verbis dicitur *Concedimus & indulgemus, ut in privato . . . Oratorio . . . per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum Secularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem celebrari facere libere ac licite possit*. Scio Tamburinum docere, sufficere generalem eam approbationem, quam obtinet quilibet Sacerdos sive secularis sive regularis in sua ordinatione, celebrandi in omni loco ad Sacrificium destinato; vel illam specialem tacitam, per quam Sacerdos nulla vel Episcopi, vel Superioris regularis celebrandi prohibitione detinetur. At hanc sufficere non puto, quandoquidem generalis illa, & tacita hæc licentia necessaria requiritur pro celebratione in quocumque Templo, sive Oratorio etiam publico, cum celebrare non possit valide nisi qui Sacerdos est, & licite nisi qui nulla prohibitione detinetur, specialis igitur aliqua requiritur a Pontifice, qui Oratorium concedit, licentia pro Sacerdote sæculari & regulari ut possint licite in privato Oratorio celebrare, alioquin plane supervacanea esset apposita conditio contra regulam a Glossa statutam cap. *solitæ* lib. 17. tit. 39. cap. 6. *ad dictionem tanquam*: „ nulla dictio debet vacare „ in rescripto, alioquin frustra mem- „ branas occupat ". Nec obstat praxis Sacerdotum etiam piorum, & timoratæ conscientiæ, quia fortassis ad hanc clausulam non advertunt, vel eam ignorant. Non tamen peccati lethalis damnarem Sacerdotem sine hujusmodi speciali licentia celebrantem, cum præfata verba non rigorosum contineant præceptum, nec ulla indicatur pœna omittenti, nisi forte ex contemptu licentiam petere sciens, & volens omitteret.

CAPUT SEPTIMUM.

De causis legitime excusantibus a præcepto audiendi Missam in die festo.

Doctrina.

I. *Causæ enumerantur excusantes a præcepto audiendæ Missæ.* II.

II. *Quando moralis impotentia excuset.*
III. *Num & quando caritas a præcepto eximat.*
IV. *Qui ex officio excusantur ab audienda Missa.*
V. *Num ignorantia excuset.*
VI. *Num consuetudo.*
VII. *Num pudor & verecundia.*
VIII. *Qui Missam audire non potest, ad alia pia opera tenetur.*

I. TRES a Theologis assignantur causæ ab auditione Missæ excusantes, nimirum impotentia, caritas, officium, quibus & nonnulli consuetudinem addunt, quæ tamen potius corruptela dicenda est, ut videbimus. Impotentia alia physica est, alia moralis. Physica, quæ & naturalis dicitur, legitima est causa omissionis Missæ audiendæ, cum ad impossibile nemo teneatur. Hinc excusantur infirmi, in carcere detenti, vel domo inclusi sive juste, sive injuste, navigantes in mari, qui in terris Infidelium degunt, ubi vel Sacerdotes non adsunt, vel celebrandi libertas non conceditur; si tamen carceribus inclusis concessum foret Capellam adire, vel e fenestra Missæ adesse, tenerentur præcepto, sicut & navigantes, qui privilegio donati Sacerdotem habent in navi celebrantem. Cum vero id, quod sine peccato fieri non potest, impossibile merito dicatur, a Missæ auditione excusantur interdicti, vel in loco interdicto morantes, item & excommunicati, dummodo tamen ipsi in causa non sint vel interdicti vel excommunicationis, a quibus si vellent absolvi possent, tunc enim sunt in causa suæ voluntariæ impotentiæ,

II. Impotentia vero moralis consistit in gravi difficultate vincenda, vel magno detrimento & damno subeundis ad Missam audiendam. Quamobrem legitime dispensati ab hoc præcepto censentur convalescentes, qui sine periculo domo exire non possunt, & quando pestis grassatur, vel hostium incursus prudenter timetur. Mulieres prægnantes partui proximæ, & per aliquod tempus post partum, quando ex egressu in publicum grave damnum merito timent. Puellæ, quæ ex occulta fornicatione prægnantes de sua fama periclitarentur, si ad Ecclesiam accederent dummodo tamen eadem de causa nec in publicum prodeant, sed domi maneant, frustra enim periculum famæ amittendæ timerent in Ecclesia, quod non paverent in vicis, plateis, aliisque publicis locis. Nonnulli eximunt etiam uxores, quæ a marito ob zelotypiam Ecclesiam adire impediuntur ad Missam audiendam, & si uxor exire velit, in blasphemias, imprecationes ex gravi ira prorumpunt. Sed hic notandum quod diximus de scandalo c. 19. consect. 12. scilicet, hocce maritorum scandalum utpote pharisaicum esse omnino contemnendum, præsertim si uxor se paratam dicat Templum adire cum ipso marito, & inibi ab eo non separari. Justius excusantur Patres familias, qui timent, ne, si domo discedant, graves in familia oriantur rixæ, jurgia, dissensiones, & alia mala, ut diximus lo. l. conf. 13. S. Antoninus in Sum. p. 2. tit. 9. cap. 10. etiam itinerantes ab auditione Missæ excusat, quando *ex necessitate iter habentes in aliorum societate, qui nolunt expectare Missam, & sine societate illa non bene possunt iter facere, vel quia ignorant viam quæ difficilis est, & periculosa, vel quia non est tuta a latronibus, vel quia ab illis habent expen-*

pensas itineris (quas tamen aliunde obtinere non possint) *& hujusmodi, excusantur hi sine dubio*. Distantia etiam a loco Missæ, & itineris difficultas ob pluvias ingruentes, nivesve vel labentes, vel lapsas excusare potest. Sed hoc respective, non absolute esse potest legitimum Missæ audiendæ impedimentum, nam distantia trium millia passuum, quam sufficiens impedimentum nonnulli Theologi censent, tale quidem esse potest respectu senis, puellarum, & etiam feminæ, at tale profecto non est respectu rustici vel alterius hominis juvenis robusti & bene valentis qui ad invisendam amasiam, vel ad venationem exercendam longius etiam iter non reformidant.

III. Caritas quoque, quæ virtutum omnium princeps est, & regina, ab auditione Missæ excusat matres, quæ domi filias relinquere non possunt, nec secum ad Templum ducere, sicut & nutrices ac famulas, quæ lactentes & parvulos nec domi relinquere, non secum deferre possunt. Qui infirmis graviter morbo affectis & in vitæ periculo versantibus assistere debent, qui propterea ex famuli absentia grave malum pertimescerent. Item si incendium extinguendum occurrat, vel vasa domorum a flammis eripienda, sicut & ad avertendum quodcumque aliud grave malum sive spirituale sive corporale proximi. Non tenetur tamen, ut plures docent Theologi, immo nec debet puella, vel venusta mulier ab audiendo Sacro abstinere ex caritate, quia vel in via, vel in Ecclesia sit impudice a juvene vel a viro aspicienda vel concupiscenda, quia, ut diximus de scandalo cap. 18. reg. 2. & seq. scandalum quidem pusillorum est vitandum, at scandalum pharisaicum est contemnendum, ad quod avertendum ex caritate quidem possumus ab aliquibus operibus liberis & voluntariis abstinere, verum a præceptis sive divinis sive ecclesiasticis servandis omnino non possumus, nec debemus. Recolantur mox citatæ regulæ. In dubio autem de periculo quod timetur, vel si infirmus deferatur, vel si parvuli domi relinquantur, vel ne jurgia & lites ex absentia insurgant, vel ne convalescens relabi possit, consulendi essent, si fieri potest, Parochus, Superior, medicus, vel alius, qui posset rectum consilium dare; si vero non est consilii locus, putarem caritatem esse præferendam, utpote nobiliorem virtutem, & non sit via tuta quæ amplectenda occurrat.

IV. Ex officio denique ab auditione Missæ excusantur 1. milites & duces, qui præli imminentis tempore nec stationem, nec curam exercitus deferere debent, ut Missam audiant, ob grave quod inde imminere posset detrimentum. 2. Custodes ovium, & armentorum pastores, qui oves & armenta in nemoribus vel pratis relinquere non possunt sine gravi damno. 3. Famuli, qui a dominis ita in suo famulatu detinentur, ut tempus audiendæ Missæ non relinquant. 4. Opifices qui in ferrariis vel vitriariis fornacibus aut alio ministerio detinentur, a quibus recedere non possunt sine gravi detrimento tum sui, tum dominorum. Hisce tamen omnibus non permittitur omissio Missæ in die festo nisi titulo moralis impotentiæ, ad quem tandem eorum opera reducuntur. Hinc milites & duces si ita se disponere possint, ut alii stationem teneant, alii Missam audiant, & vicissim, ab hoc præcepto liberi non censentur, quod & dicendum & de

hu-

bubulcis & pastoribus ovium & armentorum, ac de præfatis opificibus. Servi vero, qui ita a dominis in ministeriis detinentur, ut tempus adeundi Ecclesiam non relinquant, nisi gravi premantur necessitate, debent ab horum dominorum injusto servitio, quo citius possunt, recedere, quod si alios dominos reperire possunt, etiam cum minori stipendio, istorum servitio se mancipare tenentur, cum, ut dicemus in Consectariis, majus lucrum non sit legitima omittendæ Missæ in die festo causa.

V. His causis excusantibus, nonnulli Theologi adjungunt, ignorantiam, consuetudinem, & pudorem; & quidem si sermo sit de ignorantia sive inadvertentia invincibili facti, per quam quis ignorat, vel non advertit diem esse festivum, procul dubio legitime excusatur. At certe legitima non est illa ignorantia, per quam, ut docent nonnulli Probabilistæ, quis, bona fide credat se non teneri Præcepto audiendæ Missæ, nam si hæc fides bona non sit, quippe quæ non progrediatur ex justo fundamento, sed ex umbratili & ficta persuasione, profecto coram Deo non excusabit, quandoquidem conscientia nostra, seu persuasio non est recta agendi regula, nisi sit legi conformis, a qua si discrepet, vel dissentiat, nisi invincibilis sit, quod raro contingit in sciente & advertente ad urgens præceptum, non excusat, ut inquit S. Th. *a toto*, licet fortassis in rudibus, & imbecillibus *a tanto*.

VI. Consuetudo quoque, quæ in aliquibus locis viget, per quam 1. viduæ per aliquod tempus post viri obitum domi se continent, nec foris exeunt, unde a Missa audienda diebus festis abstinent, quædam diutius ut nobiles, quædam per breve tempus ut ignobiles. 2. Feminæ licet a partu bene convaluerint, tamen per aliquot tempus ab Ecclesiæ ingressu abstinent. 3. Nobiles puellæ nuptui proximæ ita domi se continent, ut foras non prodeant, nec ad Missam audiendam. Porro hæ omnes consuetudines minime sunt adprobandæ, quippe quæ non veritati innixæ, corruptelæ sunt a mundanis respectibus & superbia inductæ, & juxta aureum Sancti Cypriani dictum: *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est, propter quod relicto errore sequamur veritatem*. Non omnes tamen sunt æqualiter reprobandæ; nam tertio consuetudo omnino est extirpanda, quippe quæ merus abusus est, & ad filiæ custodiam minus idonea; nam tutius mater filiam secum ad Ecclesiam duceret Missam auditura, quam domi relinquat in venalium ancillarum vel servorum custodia: præterea hæ puellæ, quæ honestatis titulo ad Ecclesiam non veniunt, ne oculis intuentium pateant, minime postea verentur ornatæ & fucatæ se inspectandas e fenestris exhibere, ludis, spectaculis, theatris interesse. Alteram vero viduarum ob luctum domi per aliquod tempus manentium, dummodo brevis sit, & patriæ consuetudine firmata non omnino reprobat S. Antoninus P. II. tit. 9. cap. 10. §. 2. scribens: *Quod Viduæ aliquibus diebus, vel hebdomadis in morte virorum maneant domi, videtur tolerandum, si est de more patriæ. Sed quod maneant per integrum annum, vel per sex menses, excusari non possunt, quia magna abusio est*. S. Carolus Borromæus in I. suo Conc. Mediolan. per mensem tolerandam censuit, at in III. Synodo omnino

nino averruncandam jussit, indicens: *Festis diebus Sacrosancto Missæ Sacrificio fideles omnes intersint. Neque vero excusentur puellæ nubiles, neque deinceps viduæ ne permissu quidem primi nostri Concilii ob recentem mariti mortem, neque ullo alio cujusvis consuetudinis prætextu*. Quamobrem si qua forte vidua obtentu hujus consuetudinis per aliquas hebdomadas domi occlusa Missam omisit, non est statim lethalis peccati rea habenda, sed perpensa ejus animi dispositione, & bona fide, qua putavit se posse morem patriæ absque culpa servare, & quem si illicitum putasset, profecto contempsisset, excusanda est si non a toto, saltem a tanto. Tertia vero consuetudo tolerabilior videtur, cum eam non improbandam dicat Innoc. III. cap. unic. de Purif. statuens. *Si feminæ a partu recentes ex veneratione voluerint aliquandiu ab accessu ad Ecclesiam abstinere, devotionem earum non credimus improbandam*. At in hoc statuto illud animadvertendum, abstinentiam ab accessu ad Ecclesiam non ex consuetudine repeti, sed ex peculiari feminæ pietate & devotione; quæ igitur non ex motivo pietatis, nec humilitatis sensu, sed ex desidia, vel ne incommodum subeat ab Ecclesia adeunda abstinet, & Missæ Sacrificium audire negligit, profecto non excusatur ab hujus præcepti violatione. Præterea feminæ, quæ sincera & non fucata pietate reguntur, ob suam privatam devotionem Ecclesiæ præcepta non negligunt, sed statim ac a partu convaluerint, se Ecclesiæ & Sacerdoti sistunt, ut ab eo benedictæ juxta ritum a Romano Rituali præscriptum in Ecclesiam introducantur, & Missæ Sacrificio intersint.

VII. Pudorem etiam nonnulli adstruunt tanquam legitimam omittendæ Missæ in die festo causam, at non usquequaque recte & juste. Nam certe primo non legitima consuetudo, sed perversus abusus esset ab auditione Missæ eximere mulieres, dum consuetis subjacent menstruis, nisi forte tanta ex ipsis consequeretur debilitas, ut egredi domo non possent, tunc enim ratione infirmitatis excusarentur. 2. Nec legitima de causa excusantur, ut docet La-Croix, adolescentes & puellæ, quæ Missæ auditionem omittunt, quando inter ejus solemnia eorum Matrimonii habentur proclamationes, si vel aliam Missam, vel alium locum non habeant, quam, vel in quo audiant, quia, inquit, *aspiciuntur, videntur, verecundantur, proinde ubi consuetudo sit abstinendi, legitime excusantur*. At hæ causæ nimis leves sunt & ridiculæ, quamobrem ineptæ habendæ ad eos ab hoc gravissimo præcepto liberandos. Hinc si alicubi consuetudo sit, ut suis proclamationibus non intersint, servanda consuetudo, dummodo Missæ auditio non omittatur, at ob hujusmodi consuetudinem Missæ non interesse licitum dici non potest. 3. Nonnulli Theologi etiam sanioris doctrinæ viros & mulieres præsertim nobiles ab hoc præcepto eximunt, si vestitu careant suo statui conveniente, quia nimium verecundantur. Verum ad dignoscendum, num decentis ornatus carentia legitima esse possit causa omittendi sacri, illud censeo animadvertendum, num videlicet ob eandem vestium carentiam domo nunquam exeant, nec ad sua peragenda negotia, nec ad suæ indigentiæ & paupertati auxilium quærendum; si enim ab istis abstinent, merito credi potest decenti vestitu carere, & non levem

vem pati ruborem & dedecus, si coganiur in publicum prodire, & si hæc carentia non eos impediat, ut saltem aliquibus horis intempestivis foris prodeant ad temporalia emolumenta sibi aliquo modo procuranda, non excusantur ab auditione Missæ saltem in Ecclesiis vel Oratoriis infrequentibus, vel illis matutinis horis, ubi & quando minor est adstantium frequentia. Immo saluberrime animadvertit Franzoja, *quod si aliqua verecundia pro implendo Ecclesiæ præcepto sit subeunda, eam Christianus subterfugere non debet, nec, ut mihi videtur, potest, quia nonnisi gravia incommoda ab Ecclesia lege excusant*. Tamen si id quod ipse sentio adjicere licet, puto gravissimum esse incommodum nobili Matronæ vel puellæ Ecclesiam frequentem ingredi sine calceis & lacera ac sordida tunicula, quæ vix carnes tegat, proinde nec ad eleemosynam petendam auderet domo exire. Sed ut opportune notat Juveninus de Sacr. Eucar. cap. 17. n. 15. *Raro admodum contingit, virum vel puellam nobilem nec unam habere, qua decenter tegatur, vestem*. Abstinere vero ab audienda Missa ob carentiam non decentis vestitus, sed splendidi ornatus, & servorum comitatus, quibus alias prodire solebat nobilis, superbiæ vitium esset, non legitima a præcepto implendo causa & excusatio.

VIII. Qui Missam in die festo audire non potest legitima præpeditus causa, alias preces & orationes Deo offerre tenetur. Ita docuimus in III. Decal. Præc. cap. 3. n. 3. & hic confirmamus illorum Probabilistarum doctrinam profligando, qui docent huic legitime præpedito sufficere, si a servilibus operibus abstineat, in cultum Dei, immo addunt, obligationem hujus intentionis non urgere in festis ab Ecclesia institutis. Nam, ut lo. cit. cap. 2. ostendimus, non directe in diebus festis præcipitur interior cultus Dei, qui in primo Decalogi præcepto indicitur, sed exterius officium Religionis, ut declarat Catechismus Tridentini Concilii, cujus verba ibi retulimus, & antea docuerat S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. scribens in III. Decal. Præcepto, *præcipitur exterior Dei cultus*, qui igitur impeditus ab auditione Missæ non alio exteriori cultu Deum colit contentus sola intentione Deum colendi per abstinentiam ab operibus servilibus, diem minime sanctificat; nec dicas, etiam cessationem ab opere servili esse exteriorem, nam 1. ea cessatio si ab alio pio opere exteriori sejuncta secernatur, non est nisi merum *otium*, ut illud appellat S. Augustin. serm. 251. de Temp. & mera inertia. 2. Hæc cessatio non per se præcipitur, non enim est negativum tertium Decalogi præceptum; sed positivum jubens diei sanctificationem positivis actibus Religionis, ut aperte docet S. Th. l. q. & a. ad 3. dicens: „ In observantia Sabbathi duo „ sunt consideranda. Quorum unum est „ sicut finis, & hoc est, ut homo vacet rebus divinis, quod significatur „ in hoc quod dicit: *Memento, ut diem* „ *Sabbathi sanctifices*. Illa enim sanctificari dicuntur in lege, quæ divino „ cultui applicantur. Aliud autem est „ cessatio operum quæ significatur cum „ subditur: *Septima die Domini Dei* „ *tui non facies omne opus* “. Dum autem Concina docet, se non audere damnare peccati lethalis, qui loco Missæ, quam audire ex legitima causa non potest, nullo alio cultu exteriori Deum colit, puto intelligendus de illo, qui non cogitat fortassis de aliquo ope-

re bono Missæ substituendo, licet alia bona opera exerceat, non autem de illo, qui nullum aliud omnino opus bonum exterioris Religionis elicit: hic enim procul dubio a lethali non excusatur, non præceptum Ecclesiæ violando de Missa audienda quam audire non potest, sed præceptum non implendo de festi diei sanctificatione, quam nullo modo sanctificat, idest divino cultui dedicat, non Missæ auditione, cui adesse non potest, non alio pio externo bono opere quod nullum efficere supponimus, non nuda abstinentia ab opere servili, quæ in abstinente ab omni bono opere in turpe otium & segnitiem degenerat; nullo ergo modo præceptum implet sanctificationis festi, eapropter lethalis peccati reus efficitur. Præterea si reus est lethalis peccati, qui Missam non audit in die festo cum possit audire, multo magis peccabit, qui Missam audire non valens, nullum aliud omnino bonum opus Religionis exercet. Denique si probabilissima sententia est, illum, qui unica contentus Missa nullum aliud opus pium exercet, diem festum non sanctificare, ut late, & meo videri efficacissime ostensum est in III. Decalogi præcepto, multo profecto minus sanctificationis diei festi præceptum implebit, qui licet legitime impeditus nec Missam audit. Errant vero turpius dum docent, animum colendi Deum in die festo saltem per internam intentionem & voluntatem abstinendi ab operibus servilibus in ejus honorem, non esse necessarium in eo, qui Missam audire non potest in festis ab Ecclesia institutis. Errant quidem primo, quia supponere videntur diei Dominicæ sanctificationem esse juris divini, alia vero festa esse solius Ecclesiastici juris, cum certum sit & ex doctrina S. Th. & Catechismi Romani omnes dies festos etiam dominicos, quoad temporis determinationem, esse juris mere Ecclesiastici, sic enim scribit D. Aug. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 4. *Observantia diei Dominicæ in nova lege succedit observantiæ Sabbathi non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi christiani.* Errant 2. dum hac doctrina insinuant fidelibus, in reliquis festis a Dominica die distinctis, si Missa audiri non possit, nullum esse onus Deo debitum cultum præstandi per meram intentionem abstinendi ab operibus servilibus in Dei cultum & reverentiam; quod quantum a mente Ecclesiæ, a pietate christiana, a divino præcepto abhorreat, nemo est qui non videat.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Rejiciuntur nonnullæ laxiores doctrinæ.*
II. *Quando ab auditione Missæ excusentur qui degunt inter infideles.*
III. *Spes lucri acquirendi non est legitima causa omittendi Missam.*
IV. *Num liceat ponere opus impediens Missæ auditionem.*
V. *Qui in locis Interdicto Ecclesiastico obnoxiis commorantur, quando possint Missæ interesse.*
VI. *Qui a Missæ auditione legitime præpediuntur, Missam siccam vel nauticam audire non tenentur.*

Consectarium Primum.

I. TANQUAM minus veræ rejiciendæ mihi videntur nonnullorum Probabilistarum binæ opiniones: 1. quæ statuunt dispensatos esse censendos a præcepto audiendi Missam convalescentes,

tes.

scentes, qui timent ne exitus e domo & accessus ad Ecclesiam eorum saluti obsit; non enim quodcumque leve nocumentum ab impletione præcepti excusat, sed grave damnum & incommodum; si enim leve incommodum statuatur ceu justa causa omittendi Missam, facilis aperitur via violationi hujus præcepti, præsertim cum certe convalescentes non sine levi aliquo incommodo, cui non subest qui firma gaudet valetudine, & domo exire, & Templum adire possint. Altera, qua addunt licere huic convalescenti ad incommodum vitandum Missæ auditionem in die festo omittere, licet ad alia negotia exeat; si enim incommodum non timet nec refugit ut temporalibus negotiis operam navet, cur illud sive leve sive grave refugere & timere debet cum agitur de divino cultu, & de præcepto Ecclesiæ servando? Nonne anima plus est quam esca, & corpus plusquam vestimentum? Nonne hæc doctrina plane adversa videtur Christi doctrinæ docentis: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia* (scilicet sanitas, incolumitas, temporolia bona) *adjicientur vobis?* Nec ab his multum distare videtur Bonacinæ doctrina, quæ asserit, qui ægris solatio sunt, posse Missam præterire, & qui *cibos coquere debent*, vel alia præstare, quæ omitti non possunt. Profecto multum urgens sit oportet infirmi necessitas, quæ non patiatur vel cibi per modicum tempus Missæ coactionem differri, nec alius adsit, qui idem officium præstare possit, dum alter Missæ interest. Caritas quidem, ut diximus, excusare potest, gulæ beneficium, vel infirmi solarium & commodum liberare omnino non potest a præcepto implendo.

Consectarium Secundum.

II. Qui in infidelium vel hæreticorum terris & regionibus degunt vel morantur, nisi illorum in illis locis commoratio necessaria sit vel coacta, sed libera & voluntaria, tenentur ab illis recedere, ut præceptum Ecclesiæ de auditione Missæ implere possint. Solum enim vel publicum bonum, vel privata, eaque gravis necessitas excusare potest Christifidelium commorationem in illis locis, non vero vel negotiatio, vel lucrum, vel divitiarum aviditas. Mercatores itaque, vel milites non subditi, qui solius lucri gratia diutius inter infideles versantur, vel domicilium figunt, in habituali statu peccati versantur. Famuli quoque qui grave malum a dominis suis timent, excusantur quidem si una vel altera vice Missam omittant, verum tenentur ab hujusmodi dominorum servitio recedere etiam cum aliquo lucri detrimento, ut superius diximus.

Consectarium Tertium.

III. Spes lucri acquirendi esse non potest legitima causa Sacrum omittendi in die festo. Oppositum plane docent plures benigniores Theologi, præcipue si omittens sit tenuis fortunæ, adeo ut lucrum duorum ducatorum vel etiam unius tantum ab auditione Missæ liberet, cum hoc lucrum respectu illius sit notabile, quo illum benignam matrem Ecclesiam privare velle non est judicandum. Verum hæc opinio falsa est & improbabilis; sola enim necessitas victus comparandi, sicut licitum reddere potest servilium operum exercitium, ita & Missæ omissionem. Ita docet S. Thom. in IV. dist. 15. q. 3.

 a.

a. 2. quæstiuncula 4. ad 3. ubi de præcepto jejunii loquens sic primo docet : *Si* (pauperes artifices) *jejunando possunt competentem victum pro sua persona habere, & pro familia, cujus cura eis incumbit, sive quia alias divites sunt, sive quia de eo quod minori labore, qui secum jejunium compatiatur, lucrari sufficientia possunt, a jejunio non excusantur.* Deinde hanc generalem tutissimam statuit regulam : *Ex quo patet, quod intentio majoris lucri eos a peccato non excusset.* Et revera in hujus lucri amissione, si res introspiciatur, nullum obvenit verum artifici vel pauperi damnum, quandoquidem ille vere damnum patitur, qui ea re privatur, ad quam jus & dominium habet, non ille qui solum aptitudinem & capacitatem ad illam: porro lucrum, quod provenit in die festo omittenti Missam, non est illi aliquo titulo debitum, sed solum aptitudinem habet & capacitatem omnibus communem ad illud habendum : quamobrem si ob hujus lucri cessationem liceret Missam omittere, passim ab ejus auditione excusarentur pauperes operarii & artifices qui semper putant se magnum pati damnum quando non lucrantur. Nec excusat lucrum magnum esse & extraordinarium, tum quia hæ voces ad fucum faciendum jactantur, passim enim Theologi ad unius ducati summam extendunt, & præterea quilibet magnum reputat, & extraordinarium lucrum illud, quod sibi nec cogitanti nec opinanti forte fortuna obvenit. Pietas autem & clementia Ecclesiæ benignissimæ matris non talis est, ut velit lucrum temporale præferri bono spirituali, & præcepto, sed juxta Christi monitum, primum quæramus regnum Dei, certi quod cetera bona temporalia adjicientur nobis.

Consectarium Quartum.

IV. In Tract. 1. de Legibus dissert. 3. cap. 8. n. 15. & cap. 9. Consect. 17. docuimus, nemini licere voluntarium impedimentum ponere, ut legis observantiantiam declinet, & laxam diximus aliquorum Theologorum doctrinam affirmantium, illum, qui sive bona sive mala fide impedimentum apponit, quo a præcepto implendo præpediatur, ab impletione præcepti excusari, quia semel extractus ab obligatione legis, jam incapax effectus est ejus impletionis. Quamobrem hic inferimus, nemini licere voluntarie impedimentum ponere ne Missam audiat, sive hoc præstet opere illicito, puta ebrietate, vel licito, puta iter arripiendo, vel a loco ubi urget præceptum recedendo, cum hoc fiat in fraudem legis; fraus enim & dolus nemini patrocinatur. Solum igitur vel necessitas, vel maxima convenientia excusare potest qui opus aliquod licitum aggreditur non ad præcepti obligationem declinandam, sed vel suæ necessitati subveniendum, vel utilitati consulendum, licet prævideat fore ut præceptum non impleat. Hinc distinctio temporis vel proximi, vel remoti ab urgente præcepto non est attendenda, ut quis putet se opus aggredi posse, per quod impediatur ab ejus impletione, sed est attendenda causa justa, necessitas, opportunitas rei faciendæ. Hinc qui mare navigaturus navim conscendit biduo vel triduo ante diem festum, cum æque possit discedere sine ullo incommodo vel vespere diei festi, vel die festum subsequente, non excusatur, cum nulla sit potior ratio præveniendi, quam differendi discessum : e contra vero qui justa causa etiam pri-

pridie ad festum navem conscendit, quia non aliud habet navigium, vel diutius expectanda alia occasio navigandi, vel non ita tutum est iter alio navigio, licet prævideat die sequenti Missam non auditurum, merito excusatur, quia justa urget ratio ita agendi. Adprobare itaque non possum recentioris Probabilioristæ doctrinam, asserentis, si actio etiam honestæ recreationis gratia assumatur aliquot diebus remote a die festo, tunc cum tale præceptum non obliget nec sit proxime obligaturum, vere homo utitur jure suo. Nam titulus honestæ recreationis esse non potest legitima causa omittendi observantiam præcepti, cum recreationi christianum opus & debitum sit præferendum, alioquin si justa esset causa, posset assumi etiam proxime ad urgens præceptum. Nec distantia temporis justus est titulus. Nam quando actio illa de se præcepti impedit impletionem, parum interest num proxime vel remote impediat, revera enim semper impedit; causa autem justa non est nec legitima; ergo talis fieri non potest ex majori vel minori distantia urgentis præcepti. Non igitur tempus est, sed ratio, causa, & urgens motivum actionis est, expendendum, & ex eo dijudicandum, num utatur vel abutatur jure suo, qui actionem assumit impeditivam impletionis præcepti. Nec urget ratio Theologorum contra opinantium, scilicet actionem assumptam non esse impeditivam impletionis præcepti, quod tunc nec urget, nec in proximo urgebit. Fateor, hoc præceptum audiendi Missam nec nunc urgere, nec de proximo urgere, at urget generale præceptum, ne unquam ullo tempore absque justa, legitima & gravi causa obstacula de industria apponamus, quæ divinorum vel ecclesiasticorum præceptorum observantiam impediant. Ad hanc veritatem exemplo illustrandam liceat mihi Gobat imitari, qui casum venatorium proponit. Plures nobiles feria 2. conveniunt de venatione habenda cum famulis & venatoribus necessariis. Illorum alter postulat ubi habenda sit venatio. Locus valde distans in montibus assignatur. Nobilis ceteris religiosior & magis pius sic objicit, biduum insumendum est in itinere, biduum in venatione, biduum in reditu, ubi Missam audiemus Dominica die? Si cæteri respondent: Quid tibi curæ de Missa, cujus auditio nonnisi post sex dies urget? si audire nequibimus, omittemus. Hæc responsio est ne christiano homine digna habenda?

Consectarium Quintum.

V. Qui in locis Interdicto Ecclesiastico subjectis commorantur, tenentur, si possint sine gravi incommodo, ad loca Interdicto non illigata accedere, ut præcepto Missæ audiendæ satisfaciant, nam Ecclesiæ præcepta sunt, dum commode possunt, immo etiam levi incommodo implenda; si enim gravia tolerantur onera pro corporis & salutis cura, cur saltem levia non erunt subeunda ob salutem animæ? Qui vero tempore Interdicti privilegio donantur Missam audiendi, tenentur suo uti privilegio, & Missam audire: nam ut acute & solide animadvertunt Salmanticenses, hoc privilegium non objectum præcepti mutat, vel aliquod opus ponendum concedit, sed tollit obstaculum quod præcepti impletionem impediebat: tenetur itaque privilegiatus ex præcepto Ecclesiæ Missam audire, cum per privilegium sublatum sit impedimentum eam audiendi; igitur illi devo-

vote interesse tenetur, & audire.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Sacerdotes, qui Missam celebrare, vel fideles qui audire non possunt in die festo legitime impediti, nec illi Missam, quam siccam sive nauticam appellant, celebrare, vel isti audire tenentur. Sicca seu nautica Missa illa olim dicebatur, quam Sacerdos sacris vestibus quidem indutus, at sine sacris vasis & hostia, & ut describit Durandus, „ suo ordine celebrabat usque „ finem offerendæ, dimittens secreta „ quæ ad Sacrificium pertinent, præ- „ fationem vero dicere poterat... De „ Canone nihil dicebat, sed Oratio- „ nem Dominicam non prætermitte- „ bat, & quæ sequuntur sub silentio „ dicenda non dicebat.... nec de „ his quæ super calicem seu Euchari- „ stiam dicuntur vel fiunt, nihil dice- „ bat, vel faciebat, poterat tamen „ dicere *Pax Domini sit semper vobis- „ cum*, & exinde Missæ officium suo „ ordine paragebat ". Hæc Missa, ut observat Cardinalis Bona „ ab indiscre- „ ta & privata quorumdam devotione „ duxit originem, cui nimium indul- „ gentes fuerunt Sacerdotes, Larva, „ & simulatio quædam Missæ est, sicca „ procul dubio & jejuna, utpote ca- „ rens non solum consecratione, sed „ etiam sumptione Corporis Christi, „ similis cœnæ ligneæ & lapideæ, quam „ Lampridius, & alii referunt sæpe con- „ vivis suis Heliogabalum exhibuisse ". Ipsam reprobat & damnat Æstius Orat. 13. De ea scribit Petrus Cantor in Verbo abbreviato cap. 29. „ esse Missam „ vere siccam, quia sine gratia & hu- „ more, quæ nihil fidelibus prodest ". Eam provida Episcoporum cura ubique gentium obliteratam & abrogatam putat præfatus Cardinalis Bona. Audio tamen adhuc in aliquibus navibus haberi, in quibus ea omissa omnino satius foret, si Capellani collectis omnibus navigantibus Evangelium legerent & explanarent, deinde piis aliis precationibus detinerent eo saltem spatio, quo Missa foret celebranda.

REFLEXIO.

Lex audiendi Missam in diebus festis ab ipsis Apostolis indicta videtur, ejus siquidem initium post Apostolorum tempora non reperimus, qui enim subsequuntur Apostolici Patres, de ipsa loquuntur tanquam in Ecclesia jam constituta, in more posita, ab omnibus fidelibus attente custodita. Et sane S. Leo Magnus ita cultui D. O. M. reddendo in diebus festis Missæ auditionem opportunam, convenientem, necessariam existimabat, ut plurium Missarum celebrationem habendam juxta Ecclesiæ Romanæ morem in diebus festis etiam in Orientalibus Ecclesiis indixerit Dioscoro Alexandrino Episcopo, cui sic scribit ep. 11. al. 81. *Ut in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cum solemnior quædam festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur, ne his tantum admissis ad hanc devotionem, qui primi obvenerint, videantur hi qui postmodum confluxerint non recepti, cum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties Sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem ut quædam pars populi sua*

sua devotione privetur, si unius tantum Missæ more servato Sacrificium offerre non possint nisi qui prima diei parte convenerint. Studiose ergo dilectionem tuam & familiariter admonemus, ut quod nostræ consuetudinis ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, ut per omnia & fide, & actibus congruamus.

II. Sed his Sancti Pontificis, immo totius Ecclesiæ studiis, quam negligenter & oscitanter obsequuntur non pauci fideles! Nun desunt enim quibus merito exprobratio convenit S. Augustini, seu alius Auctoris serm. 281. in Appendice: *Qui ita otiosis, & secularibus fabulis* (vel vanis cogitationibus) *occupantur, ut nec ipsi audiant, nec alios audire permittant, qui minus a nobis culparentur, si ad Ecclesiam non venirent, quia ibi probantur amplius Deum lædere, ubi peccatorum poterant indulgentiam promereri.* Sunt, ut scribit S. August. serm. 251. de Tempore, *alii, qui & maxime potentes istius mundi, qui cum veniant ad Ecclesiam, non sunt devoti ad Dei laudes celebrandas, sed cogunt Presbyteros ut abbrevient Missam, & ad eorum libitum cantent, non eis licet morem Ecclesiasticum sequi propter illorum gulam & avaritiam, quatenus unus punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum spatium cum nocte simul ad eorum deputatur voluptates. Nolite, fratres mei dilectissimi, hoc facere, quia non solum qui hæc faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus peccant.* Sunt denique qui Missæ tempore vagis oculis hac, illaque respiciunt, accedentes, recedentes contemplantur, & dum corpore sacrificio adesse videntur, mente alio plane ita vagantur, ut nil minus percipiant quam sacra quæ a Sacerdote peraguntur mysteria, & dum illos Sacerdos ad Deum corda convertere invitat dicens *Sursum corda*, sine mendacio respondere non possunt *Habemus ad Dominum*. Audiant hi Missæ non auditores sed prophanatores Chrysostomum, sic merito illos increpantem & confundentem serm. 38. Tom. 5. „Quid facis homo? Non promisisti Sacerdoti qui dixit *Sursum mentem & corda*, & dixisti *Habemus ad Dominum*? Non revereris & erubescis & illa ipsa hora mendax inveniris? Mensa mysteriis structa est, & Agnus Dei pro te immolatur, Sacerdos pro te angitur, ignis spiritualis ex sacra mensa refluit, Cherubim adstant, Seraphim advolant, & Spiritus sex alas habentes faciem tegunt, omnes incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt, ignis spiritualis a Christo descendit, Sanguis in cratere ad tuam purificationem ex immaculato latere haustus est, & non erubescis, revereris, & confunderis, neque Deum tibi propitium facis.

III. Sed o utinam ad hæc postrema verba Chrysostomi attenderent peccatores, qui sceleribus onusti, qui in illis tanquam in molli culcitra quiete cubantes, seu potius ut onagri in rete & laqueis dormientes nihil omnino cogitant de sarcina peccatorum deponenda, de Dei misericordia imploranda, de fructu propitiatorii Sacrificii percipiendo. Hi profecto non ea qua decet reverentia Missæ assistunt, in qua & ipsi cum Sacerdote sacrificante Sacrificium offerunt; nam ut S. Petrus Damiani perpendens illa Canonis verba: *Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta .... offerimus præclaræ majestati tuæ* &c. optime animadvertit, hisce verbis luce clarius constat, Sacrificium, quod a Sacerdote sa-

ſacris Altaribus ſuperponitur, a cuncta Dei familia generaliter offerri. Qua igitur fronte, quo infrunito animo audent regalis Sacerdotii munia obire, corde perverſo, & conſcientia cauteriata, anima ſordibus & iniquitatibus coinquinata? Hi Deum minime colunt, nam dum & ipſi ſe ſpirituales hoſtias exhibere & proferre deberent, ſunt immunda animalia & abominandæ victimæ, quas Deus horret, averſatur, rejicit per os Jeremiæ dicentis: *Incenſum abominatio eſt mihi; feſtivitates veſtras non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri*, Et vehementius per Malachiam: *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum*. Hi profecto Eccleſiæ ſpiritum in præcipienda Miſſæ auditione minime penetrant, & agnoſcunt, & ſolum corticem ad inſtar carnalium Hebræorum rodunt. Hæc eo animo & ſpiritu mandat fidelibus Miſſæ ſacrificio adeſſe, ut & de ipſo participes eſſe poſſint, adeo ut qui indignus eſt participatione Corporis Chriſti, indignum habeat & præſentia Sacrificii. Eandem enim puritatem pro utroque poſtulat, cupit, commendat. Audiant Chryſoſtomum hanc veritatem diſertiſſime ſimul & luculentiſſime exponentem Conſtantinopolitano populo hom. 3. in Epiſt. ad Epheſios n. 5. „ Fruſtra eſt „ quotidianum Sacrificium, fruſtra adſtamus Altari, nemo eſt qui participet. Hoc dico non ut temere participetis, ſed ut vos dignos reddatis. „ Non es dignus Sacrificio, neque participatione? ergo nec prece. Audi „ præconem ſtantem & dicentem: *Quicumque eſtis in pœnitentia, abite*. Omnes qui non participant ſunt in „ pœnitentia. Si es ex iis qui ſunt in „ pœnitentia, non debes participare, „ nam qui non participat, eſt in pœnitentia. Cur ergo dicit: *Abite qui* „ *non poteſtis precari?* Tu autem ſtas „ impudenter? At non es ex his, ſed „ ex iis qui poſſunt participare, & nihil curas? Rem nihil eſſe putas? „ Conſidera, quæſo, adeſt menſa regia, adſunt Angeli miniſtrantes, „ adeſt Rex ipſe, & tu ſtas oſcitans? „ Veſtes tibi ſunt ſordidæ, & nulla in „ te hujus eſt ratio? At ſunt mundæ. „ Accumbe igitur & participa. Venit „ quotidie ut videat accumbentes, omnes alloquitur, & nunc in veſtra „ dicit conſcientia: *amici quomodo hic* „ *ſtatis non habentes veſtem nuptialem?* „ Non dicit cur accubuiſti? Sed ante „ accubitum & ingreſſum eum dicit eſſe „ indignum. Non dixit enim cur accubuiſti? Sed cur intraſti? Hæc ergo „ nunc quoque dicit omnibus, qui impudenter & inverecunde ſtamus. „ Quicumque enim eſt, qui Myſteriorum non eſt particeps, is impudenter ſtat, & nimis audacter. Qui ſunt „ in peccatis, propterea priores ejiciuntur. Quomodo enim cum Dominus „ adeſt in menſa, non oportet adeſſe „ famulos, qui offenderunt, ſed procul amandantur: ita hic quoque, cum „ offertur Sacrificium & Chriſtus ſacrificatur & ovis Dominica . . . Quomodo nullos oportet adeſſe qui myſteriis non ſunt initiati, ita nec ex „ iis qui ſunt initiati & ſordidi . . . Tu „ adſuiſti, hymnum cantaſti, cum dignis omnibus te eſſe profeſſus, eo „ quod cum indignis non receſſeris. „ Quomodo manſiſti, & menſæ non es „ particeps? Sum, inquis, indignus. „ Ergo illa quoque communione & ſocietate, quæ eſt in precibus, es indignus. Non enim ſolum per propoſita, ſed etiam per cantica deſcendit ſpiritus. Non vides famulum noſtrum menſam ſpongia lavantem &

„ manum mundantem, & discos mensæ imponentem? Hoc fit per preces, „ per clamorem præconis. Tanquam „ spongia lavamus Ecclesiam, ut in „ munda Ecclesia fiet omnia proposita, „ ut nulla sit macula, nulla ruga. „ Sunt & oculi eorum indigni his spectaculis, & aures indignæ. *Et si bestia*, inquit, *montem tangat, obruetur lapidibus*. Adeo nec digni quidem erant qui ascenderent. Atqui „ postea etiam accesserunt & viderunt „ ubi steterat Dominus. Licet postea „ accedere & videre. Sed quando id „ fuerit, ubi; non enim tibi magis „ licet quam Catechumeno. Non sunt „ enim paria, Sacramenta nondum esse „ assequutum, & postquam fueris assecutus, & offenderis, despicere, & „ ea re te indignum reddere. Licebat „ plura, & terribiliora dicere, sed ne „ mentem vestram gravem, hæc sufficiant...."

Discant igitur peccatores, quam irreligiose in Deum, irreverenter in Sacrificium, sibi inutiliter & infructuose, Sacrificio adsint cum habituali ad peccatum affectu, non quidem ut ab eo abstineant, sed ut corde dolenti, animo contrito: conversionis desiderio assistant, & divinam sibi concilient misericordiam, & justitiæ avertant indignationem. Sic orationem suam claudit Chrysostomus: „ Ne ergo vobis majus „ faciamus judicium, rogo quidem vos, „ non ut non adsitis, sed ut præsentia „ & aditione vos, reddatis dignos". Hæc loquantur, hæc exhortentur Sacerdotes Ministri Domini pœnitentes suos, ut præceptum Ecclesiæ ea, qua par est, reverentia & devotione adimpleant.

DISSERTATIO II.

DE SECUNDO ECCLESIÆ PRÆCEPTO.

Jejunia & abstinentiam certis diebus temporibusque indicta servato.

JEJUNIUM *de se abstinentiam a cibo & escis suo vocabulo exprimit. Jejunus enim dicitur, qui nullum cibum gustavit. Quoadrifariam dividunt communiter Theologi jejunium, in spirituale seu mysticum, in naturale, morale, & ecclesiasticum. Spirituale seu mysticum jejunium est abstinentia a peccatis & iniquitatibus, quod perfectum & salutare jejunium commendant quammaxime sacræ litteræ Isaiæ* 58. Nonne hoc est magis jejuninm quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. *Unde apposite S. Augustinus sive Auctor serm.* 175. *in Append. To.* 5. *dicebat:* Jejunia Christianorum spiritualiter potius, quam carnaliter exercenda sunt. Unde a peccatis specialiter jejunamus, ne jejunia nostra sicut Judæorum jejunia, a Domino respuantur. *Quale est enim ut a cibis, quos Dominus creavit, nescio quis impostor abstineat, & peccatorum sagina pinguescat? Concinit & S. Hieronymus epist. ad Calentiam subdens:* Tunc præclara est abstinentia corporis, cum est animus jejunus a vi-

tiis. *Et S. Basilius dixerat hom. 1. de jejunio:* Verum jejunium est ab omnibus vitiis esse alienum. Naturale *vero jejunium in abstinentia consistit ab omni prorsus etiam minima vel cibi vel potus degustatione, quod tamen non est in præcepto, nisi quando a sanis sumenda est Eucharistia.* Morale *jejunium est actus virtutis temperantiæ appetitum dirigentis in usu cibi & potus secundum regulam rectæ rationis: quamobrem ut docet S. Thom. 2. 2. q. 143. duas habet subjectivas partes abstinentiam, quæ cibis, sobrietatem, quæ potui rectam mensuram præscribit. Jejunium denique Ecclesiasticum illud est, quod lege Ecclesiæ certis temporibus & modis servandum indicitur. Hoc jejunium bene definitum a D. Isidoro, quod sit* parsimonia victus, abstinentiaque ciborum, *ostendit D. Th in IV. dist. 5. q. 3. a. 1. quæstiuncula 1. in corp. eo quia id complectitur quod est de necessitate virtutis, & superadditur quod est de fervore & satisfactionis & pœnitentiæ. Audiatur D. A. sic scribens:* „ *Jejunium dupliciter dicitur: scilicet jejunium naturæ & jejunium Ecclesiæ.* „ *A primo jejunio dicitur aliquis quolibet die jejunus antequam cibum sumat,* „ *a secundo autem dicitur jejunans, quasi ordinatam ab Ecclesia propter pec-* „ *catorum satisfactionem abstinentiam servans. In satisfactionem autem pec-* „ *catorum non solum oportet quod ab illis homo abstineat, quæ lex virtutis* „ *prohibet, sed etiam ab illis, quibus salva virtute uti possumus, quia* qui „ illicita commisit, oportet etiam a licitis abstinere, *ut Augustinus dicit:* „ *Unde jejunium ab Ecclesia institutum præsupponit abstinentiam illam, quæ* „ *ad virtutem exigitur, & addit abstinentiam quandam ab illis, quæ me-* „ *dium non corrumpunt, & ideo Isidorus hæc duo in prædicta definitione jeju-* „ *nii comprehendit, scilicet abstinentiam ab illis, quæ virtutem corrumpunt* „ *in hoc quod dicit* parsimonia victus, *& ab illis quibus salva virtute alias* „ *uti liceret, in hoc quod dicit* abstinentiaque ciborum". *De hoc itaque Ecclesiastico jejunio a virtute temperantiæ dicito, & a pœnitentia imperato sumus in hac Dissertatione disputaturi. Ejus initium, fundamentum, subjectum, objectum, modum, tempus, aliasque circumstantias dilucide & breviter per plura capita exponemus.*

CAPUT PRIMUM.

De Jejunii Præcepto, institutione, primordiis & temporibus.

DOCTRINA.

I. *Jejunium est lege naturæ præceptum.*

II. *Quo sensu dicatur præceptum Ecclesiæ.*

III. *Est actus virtutis.*

IV. *Per præceptum jejunii non imminuitur christiana libertas.*

V. *Tria complectitur præceptum jejunii, scilicet unicam comestionem.*

VI. *A carnibus, ovis, & lacticiniis abstinentiam.*

VII. *Et comestionis tempus, quod varium fuit in Ecclesiæ disciplina.*

VIII. *Primum & præcipuum jejunium est Quadragesimale.*

IX. *Succedit jejunium quatuor Temporum.*

X. *Subsequuntur plures Festorum vigiliæ.*

XI. *Olim jejunium urgebat feria 4. & 6. modo urget abstinentia a carnibus feria sexta, & sabbata.*

XII. *Jejunium Adventus non est in universali præcepto.*

XIII. *Nec illud dierum Rogationum præcedentium Ascensum Domini.* I.

I. PRÆCEPTUM jejunii non solum quatenus negativum est, & vetat quæ virtuti temperantiæ adversantur, sed qua positivum, & jubet abstinentiam ab ea cibi vel potus quantitate & qualitate, cujus usus medium virtutis non corrumperet, non ex lege aliqua positiva sive divina sive humana, sed ab ipsa naturali lege progreditur. Ita docet & egregie probat A. P. 2. 2. qu. 147. a. 3. in corp. scribens: *Jejunium utile est & ad deletionem, & cohibitionem culpæ, & ad elevationem mentis in spiritualia; unusquisque autem ex naturali ratione tenetur tantum jejuniis uti, quantum sibi necessarium est ad prædicta; & ideo jejunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ.*

II. Hinc infert & quidem apposite laudatus D. A. præceptum jejunii certis diebus vel modis servandum eatenus Ecclesiasticum dici, non quasi propria voluntate & pro libito ab Ecclesia indicatur, sed quia ad ipsam pertinet determinare, quæ solum in communi a lege naturali præscribuntur, quamobrem l. cit. scribit: *Sicut in seculares Principes pertinet præcepta legalia juris naturalis determinativa tradere de his, quæ perinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus; ita etiam ad Prælatos Ecclesiæ pertinet ea statutis præcipere, quæ ad utilitatem communem fidelium pertinent in spiritualibus bonis . . . ideo jejunium, quod in communi cadit sub præcepto legis naturæ, quoad determinationem temporis, & modum jejunandi secundum convenientiam, & utilitatem populi christiani, cadit sub præcepto juris positivi, quod est a Prælatis Ecclesiæ institutum: & hoc est jejunium Ecclesiæ.*

III. Hoc autem jejunium opus esse virtutis ostendit idem A. P. laud. quæst. a. 1. scribens: „ Ex hoc aliquis „ actus est virtuosus, quod per rationem ordinatur ad bonum honestum. „ Hoc autem convenit jejunio. Assumitur enim jejunium principaliter ad „ tria. Primo quidem ad concupiscentias carnis reprimendas, unde Apost. „ dicit 2. Cor. 6. v. 5. *In jejuniis, in castitate*, quia per jejunia castitas „ conservatur. Ut enim Hieronymus „ dicit lib. 2. cont. Jovin. cap. 6. in „ fine *sine cerere, & baccho friget venus*, idest per abstinentiam cibi & „ potus tepescit luxuria. Secundo assumitur ad hoc, quod mens liberius „ elevetur ad sublimia contemplanda. „ Unde dicitur Daniel. 10. quod *post jejunium trium hebdomadarum revelationem accepit a Deo*. Tertio ad satisfaciendum pro peccatis. Unde dicitur Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu*. Et hoc est quod Augustinus dicit serm. de Oratione & jejunio (230. de Temp.) *Jejunium purgat animam, mentem sublevat, sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit*. Et 3. p. q. 40. a. 2. „ ad 3. observat a Christo assumptum „ jejunium, ut discamus, *quam magnum bonum est jejunium, & quale scutum est adversus diabolum, & quoniam post Baptismum non lasciviæ, sed jejunia intendere oportet; ideo & ipse* (Christus) *jejunavit, non eo indigens, sed nos instruens*. Nec huic veritati obest aliquando in Scripturis jejunium Deo dis[illegible], ut habetur Isaiæ 58. *Quare jejunavimus, & non aspexisti?* nam ut egregie adnotat D. Thom. laud. quæst. 147. a. 1. ad 1. „ Quod contingit aliquando quod aliquis actus qui ex ge-

 „ nere

„ nere suo est virtuosus, ex aliquibus „ circumstantiis adjunctis redditur vitiosus. Unde ibidem dicitur: *Ecce in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra*: & paulo post subditur: *Ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie*. Quod exponens Gregorius in Pastor. par. 3. cap. 20. *Voluntas ad lætitiam pertinet, pugnus ad iram. Incassum ergo per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis motibus dimissa mens vitiis dissipatur*. Et Augustinus in prædicto Serm. dicit, quod *jejunium verbositatem non amat, divitiarum superfluitatem judicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, præstat homini seipsum intelligere, quod est infirmum, & fragile* ".

IV. Per jejunii Ecclesiastici præceptum non christianam minui libertatem, nec ad necessitatem traduci quod coactum pretium amittit (ut mentiuntur Heterodoxi) sed potius ad peccati servitutem excutiendam quammaxime deservire docet & evincit D. Th. 2. 2. q. 147. a. 3. ad 3. scribens: „ Jejunia, quæ sunt in præcepto, sunt in Conciliis Episcoporum statuta, & consuetudine universalis Ecclesiæ roborata. Nec sunt contra libertatem populi fidelis; sed magis sunt utilia ad impediendam servitutem peccati, quæ repugnat libertati spirituali, de qua dicitur ad Galat. 5. *Vos enim fratres in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem detis in occasionem carnis* ". Et revera quis viatori imminutam dixerit libertatem ab eo, qui viam ipsi ostendit inter plures, quas eligere fortassis posset, per quam & tutius a latronibus & facilius posset ad terminum ad quem tendit pervenire?

V. Jejunii Ecclesiastici præcepto tria indicuntur jejunantibus. 1. Ut a carnibus abstineant. 2. Ut unica sint refectione contenti. 3. Ut solum definito tempore reficiantur, cibumque sumant. Secundum jejunii partem & in antiquis Judæorum jejuniis fuisse custoditam testantur Sacræ Litteræ; legitur enim Jud. cap. 20. & 2. Reg. cap. 1. Judæos jejunantes non nisi semel & quidem sub vesperas comedisse, nam 1. loco dicitur: *Omnes filii Israel venerunt in domum Dei, & sederunt flentes coram Domino, jejunaveruntque die illo usque ad vesperam*. Et 2. loco *David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui cum eo erant, & planxerunt, & fleverunt, jejunaveruntque usque ad vesperam*. Hanc autem jejunandi formam non fuisse ab Apostolis immutatam testantur primorum seculorum Patres, qui unam refectionem, & quidem sub vesperas sumptam a Christianis jejunantibus testantur. S. Gregorius Nyssenus Orat. in principio jejunii, eos arguit, qui refectionis morositatem usque ad vesperam minus patienter ferebant, & gravabantur (ut ipse scribit) *sole tardius ad occasum tendente*. Et S. Ambrosius Serm. 8. in Psal. 118. *Indictum est jejunium, cave ne negligas, & si te fames quotidianum cogit ad prandium, ut intemperantia declinet jejunium, tamen cœlesti te magis serva convivio, ne cœlestibus fias vacuus sacramentis, differ aliquantulum, non longe est finis diei*. Hujus præcepti partem honestam esse & convenientem jejunantibus ostendit & declarat S. Th. 2. 2. q. 147. a. 6. scribens: *Jejunium ab Ecclesia instituitur, ... : ita tamen quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest naturæ satisfacere, & tamen concupiscentiæ aliquid detrahit diminuendo comestionum vices. Et ideo Ecclesiæ moderatione*

deratione statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur.

VI. Prima præcepti pars, quæ abstinentiam a carnibus præcipit, antiquissima est in Ecclesia, quæ nunquam carnium esum in diebus jejunii admisit, ut videre est in antiquioribus Patribus tum Græcis tum Latinis, qui jejunantes fideles a carnibus abstinuisse non præcipiunt, sed supponunt. Sic S. Basilius hom. 1. de jejunio ajebat: *Carnes non edis, a vino abstines, vesperam expectas ut cibum sumas.* Theophilus Alexandrinus ep. 3. *Nequaquam in diebus Quadragesimæ carnium edulio delectamur.* Inter Latinos vero S. Augustinus cont. Faustum lib. 30. cap. 5. scribit: *Christiani* (non hæretici sed catholici) *edomandi corporis causa ...., a carnibus abstinent vel semper, sicut pauci, vel certis temporibus, sicut in Quadragesima fere omnes*; exceptis scilicet, *quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat*, ut loquitur VIII. Toletanum Concilium can. 9. S. Hieronymus in cap. 10. Danielis: *Docemur ... tempore jejunii a cibis delicatioribus abstinere, nec carnem comedere.* Non me latet Launojum integra Dissertatione probare conatum, non in omnibus Ecclesiis morem fuisse abstinendi a carnibus in diebus jejuniorum, sed pro eorum varietate varium quoque fuisse jejunandi morem. Sed ejus argumenta & doctrinam egregie refutavit Pater Nicolai Doctor Parisiensis Ord. Præd. Nec solum a carnibus abstinentiam præcipit lex jejunii, sed etiam ab ovis, caseo & lacticiniis, ut decernitur in Trulana Synodo, ubi sic statuitur: *Omnis Ecclesia Dei quæ est universa terrarum Orbe unum ordinem sequens, jejunium perficit, & abstinet sicut ab omni mactabili, sic & ab ovis, & caseo, quæ quidem sunt fructus eorum a quibus abstinemus.* Tametsi hi Concilii Trullani canones ab Ecclesia Latina acceptati minime fuerint, certum tamen est, hanc abstinentiam & decretam Cap. *Denique* de Consecr. dist. 4. & perpetua consuetudine & usu firmatam. Hujus abstinentiæ convenientiam in ecclesiastico jejunio declarat & ostendit D. Th. 1. q. 147. a. 8. scribens: „ Jejunium „ est ab Ecclesia institutum ad reprimendas concupiscentias carnis, quæ „ quidem sunt delectabilia secundum „ tactum, quæ consistunt in cibis & „ venereis. Et ideo illos cibos Ecclesia jejunantibus interdixit, qui & „ in comedendo maximam habent delectationem, & iterum maxime hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem sunt carnes animalium „ in terra nascentium & respirantium, „ & quæ ab eis procedunt, sicut lacticinia ex gressilibus, & ova ex avibus. Quia enim hujusmodi magis „ conformantur humano corpori, plus „ delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum. Et sic ex „ eorum comestione plus superfluit, ut „ vertatur in materiam seminis, cujus „ multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ. Et ideo ab his cibis præcipue jejunantibus Ecclesia statuit esse abstinendum ".

VII. Tertia jejunii conditio sive pars, est hora determinata comestioni. Hæc ab Ecclesiæ incunabulis vespertina erat, idest post solis occasum, ut testantur Patres, & præsertim S. Basilius hom. 1. de jejunio: *Vesperas expectas ad sumendum cibum.* Assentiuntur & alii Ecclesiæ Doctores, quorum nonnulla superius retulimus testimonia, & perduravit usque ad seculum XII., ut pronum est colligere ex ser. S. Bernat. V. de Quadrag. ubi sic ajebat Monachis suis:

suis : *Hactenus usque ad nonam jejunavimus soli, nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum universi Reges & Principes, Clerus & populus, nobiles & ignobiles, simul in unum dives & pauper*. Et hoc quidem de solo Quadragesimali jejunio verum est, nam in ceteris per annum jejuniis post Nonam fideles cibum sumebant, ut patet ex Tertulliano, qui suos laudat Montanistas omnia jejunia usque ad Vesperam producentes, catholicorum vero jejunia per irrisionem semijejunia appellabat, quia ea ad horam nonam solvebant. At rigor jejunii Quadragesimalis usque ad vesperam paulo post S. Bernardi sæculum minui cœpit; nam seculo XIII. testibus Alexandro Alensi & D. Thoma jam invecta erat consuetudo solvendi jejunium & comedendi ad horam nonam, idest tertiam post meridiem; sic enim scribit Alex. Alens. P. 4. Sum. Theol. q. 28. memb. 7. ar. 2. *Quia afflictio in jejunio debet esse tolerabilis, non corruptiva naturæ, debet etiam esse conformis afflictioni Christi in Cruce, & ideo magis conveniens ad reficiendum tempore jejunii est hora nona*. Concinit D. Ang. l. q. 147. a. 7. scribens : *Jejunium ordinatur ad deletionem, & cohibitionem culpæ. Unde oportet, quod aliquid addat supra communem consuetudinem; ita tamen quod per hoc non multum natura gravetur. Est autem debita & communis consuetudo comedendi hominibus circa horam sextam : tum quia jam videtur esse completa digestio nocturno tempore naturali calore interius revocato propter frigus noctis circumstans, & diffusio humoris per membra, cooperante ad hoc calore diei usque ad summum solis ascensum : tum etiam quia tunc præcipue natura corporis humani indiget juvari contra exteriorem aeris calorem, ne humores interius adurantur. Et ideo ut jejunans aliquam afflictionem sentiat pro culpæ satisfactione, conveniens hora comedendi taxatur jejunantibus circa horam nonam*. Verum adhuc mitigatus est quod refectionis tempus jejunii quadragesimalis rigor, nam subsequentibus seculis consuetudo invaluit non ab Ecclesia inducta, sed tolerata solvendi jejunium, & comedendi hora sexta, idest in meridie, quæ profecto non obtinuit nisi vel labente XV. vel ineunte XVI. seculo; nam ut testatur S. Antoninus in Sum. P. II. tit. 6. cap. 2. §. 10. ævo suo quadragesimale jejunium usque ad horam nonam protrahebatur. Porro licet ex varia hac Ecclesiæ disciplina constet, non ita horam comedendi ad substantiam jejunii pertinere, sicut abstinentiam a carnibus & unicam refectionem, nemo tamen inferre potest, ut suo loco dicemus, licitum esse cuique horam comedendi pro suo libito sibi deligere, & meridianam horam prævenire, sed tolerantiæ Ecclesiæ, & consuetudini standum est.

VIII. Hactenus de jejunii partibus, nunc de tempore dicendum est, quo urget Ecclesiasticum jejunandi præceptum. Et primo quidem est quadragesimale tempus, quod modo a feria IV. Cinerum usque ad Festum Paschæ decurrit, exceptis diebus Dominicis. Quadragesimæ jejunium vetustissimum esse in Ecclesia constat; nam ejus initium designari omnino non potest, quamobrem ad Apostolorum tempora ejus est revocanda institutio juxta S. Augustini regulam, *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*. Nec audiendus Samuel Basnagius asserens a Telesphoro Papa insti-

institutum Quadragesimale jejunium, sed solum vel ab ipso fidelibus commendatum, vel a gliscentibus abusibus confirmatum, vel usque ad septem hebdomadas integras protractum, ut testatur Rabanus Maurus, qui de Instit. Cleri cap. 34. scribit: *Notandum tamen est, quod a Quinquagesima jejunium incipere Telesphorus Papa statuit, ut per septem hebdomadas ante Pascha corpus jejuniis castigemus.* Quoad initium & durationem hujus quadragesimalis jejunii non una fuit in Ecclesia uniformis disciplina & consuetudo. Illud solum semper retentum fuit, ut unicum esset in toto anni tempore quadragesimale jejunium, licet Hæretici, & præsertim Montanistæ tres jejunarent quadragesimas, ut testatur S. Hieronymus ep. ad Marcellam: *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore congruo, jejunamus. Illi* (Montanistæ) *tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores.* Alterum, ut dies quadraginta circiter complecteretur. Hinc cum Ecclesia Græca non jejunaret in Sabbatis & Dominicis, eorum quadragesimale jejunium septem complectebatur hebdomadas; in Ecclesia vero Latina cum & in Sabbatis servetur jejunium sex absolvitur hebdomadibus, quibus superadditi sunt dies quatuor Dominicam Quinquagesimæ subsequentes, ut integer habeatur quadragenarius dierum numerus.

IX. Præter Quadragesimale jejunium sunt etiam solemnia in Ecclesia jejunia quatuor temporum, quæ pariter vetustissima sunt in Ecclesia, & certe V. seculo a cunctis Fidelibus religiose servabantur, ut testatur S. Leo Papa in pluribus suis sermonibus horum jejuniorum tempore habitis. Occurrunt autem hæc jejunia in quatuor anni temporibus, unde & nomen desumpsere, ut nulla sit anni pars, quæ non sit jejunio sanctificata, & primum Deo Ecclesia supplicet pro terræ frugibus obtinendis, deinde de eis obtentis gratias agat, ut explicat laud. Pontifex. Et etiam ut observat D. A. hic q. 147. a. 5. „ quia „ consuetudo Ecclesiæ habet, ut in sin„ gulis quartis anni sacri Ordines con„ ferantur: ad quorum sumptionem „ oportet per jejunium præparari & eos „ qui ordinant, & illos qui ordinandi „ sunt, & etiam totum populum, pro „ cujus utilitate ordinantur “. Olim solum menses quibus celebrandi erant observabantur, vernum enim jejunium sub initium Martii habebatur: æstivum vero secunda hebdomada Junii: autumnale hebdomada tertia mensis Septembris: hyemale denique tertia Decembris hebdomada: modo vero sunt ita hæc jejunia disposita, ut primum occurrat post primam Dominicam quadragesimæ, licet in mense Februarii incidat; secundum hebdomada Pentecostes, sive in Majo sive in Junio occurrat; tertium hebdomada post Festum Exaltationis S. Crucis mense Septembri; quartum vero post tertiam Dominicam Adventus, quæ circa medium Decembris occurrit, ut diserte docet S. Leo M. serm. decimi mensis scribens: „ Jejunia ex doctrina Spiritus S. ita per „ totius anni circulum distributa sunt, „ ut lex abstinentiæ omnibus adscripta „ sit temporibus, siquidem jejunium „ vernum in Quadragesima, æstivum „ in Pentecoste, autumnale in mense „ septimo, hyemale autem in decimo „ celebremus, intelligentes divinis ni„ hil vacuum esse præceptis “. Trium dierum spatio absolvitur, nimirum feria IV. VI. & sabbato, & abstinentiam importat a carnibus & alicubi etiam a lacti-

lacticiniis, unicam comestionem, sicut & horam meridianam pro jejunii solutione.

X. Subsequuntur plures vigiliarum dies, ita dicti, quia primi fideles ad Christi Magistri sui exemplum, qui, ut habetur Lucæ 6. *erat pernoctans in oratione Dei*, pridie solemnitates aliquas ad Martyrum sepulcra orantes noctes ducebant insomnes cum die præcedenti jejunassent. Fuerunt hæ vigiliæ prudenti œconomia, & Ecclesiastica disciplina tandem omnino sublatæ, licet per plura secula in usu fuerint, & retentum dumtaxat præcedentis diei jejunium, non illis substitutum, ut quidam arbitrantur. Hæ autem vigiliæ aliæ sunt universales in tota Ecclesia, aliæ particulares alcujus Provinciæ vel Civitatis: priores in Ecclesiasticis Kalendarii recensentur, peculiares vero statutis diebus ab Episcopis indicuntur vel semper tali die servandæ, ut in pervigilio alicujus Sancti Patroni, vel solum certis diebus ad aliquid a Deo impetrandum, & in istis abstinentia, unica comestio, & hora determinata comedendi servanda sunt.

XI. In veteri disciplina mos erat etiam jejunium quartæ & sextæ feriæ in memoriam Dominicæ passionis, quæ feria quarta incepit ac feria sexta consummata est, institutum. At in præcepto non fuisse ex eo conjici potest, quod frustra indictum esset jejunium quatuor Temporum, si fideles jam ex præcepto obstricti fuissent toto anno feria IV. & VI. jejunare. Temporis decursu abolitum jejunium feriæ IV., & inducta in Ecclesiis Occidentalibus ferme omnibus consuetudo non jejunii, sed abstinentiæ a carnibus in feriis sextis & sabbato, quæ sub præcepto cadit, & sub gravi culpa obligat.

XII. Tempus quoque solemniter præcedens Natale Domini, quod Adventus dicitur, quia Christi in carnem advenientis commemoratio celebratur, jejunio a fidelibus consecrabatur, cujus tamen nulla habetur mentio apud antiquos Patres, & Scriptores, qui V. seculum præcessere. Servabatur tum a Laicis tum a Monachis, sed diverso plane ritu; isti siquidem quotidie jejunabant a Festo S. Martini usque ad diem Nativitatis, illi vero solum ter in hebdomada, licet postea & isti quotidianum ex pœnitentiæ fervore jejunium amplexati sint. Nullum tamen unquam fuit universale præceptum in Ecclesia de servando hoc jejunio, quod tamen semper a Monachis, & Religiosis custoditum fuit, sed non eodem rigore eademque disciplina; nonnulli enim illud incipiebant a Festo S. Martini, nonnulli a Festo omnium Sanctorum, nonnulli a Dominica prima Adventus, omnes tamen ante Festum Nativitatis complebant. Sunt etiam nonnulli Religiosi Ordines, in quibus sub gravi hoc jejunium injunctum est, & quidem æqualiter ac jejunium quadragesimæ, quamobrem omnes partes Ecclesiastici jejunii complectitur; at alii non nisi ex præscripto suarum Constitutionum observant, quæ nullum imponunt præceptum, vel solum ad summum sub veniali culpa Religiosos obstringunt. His itaque statutis parere, & se conformare tenentur Religiosi omnes.

XIII. Festum Ascensionis Domini tres dies præcedunt, quæ Rogationum dicuntur, quia in eis Ecclesia publicis, & supplicationibus, & precibus Dei misericordiam implorat. Istarum non primus inventor sed restaurator fuit Mamertus Episcopus Viennensis, qui ut testatur Sydonius Apollinaris lib. 5. cap.

4. ad Aprum : „ Cum autem vagæ, „ tenentes, infrequentesque & obsi- „ tabendæ essent supplicationes, quæ „ & sæpe interpellantium prandiorum „ obicibus hebetabantur . . . ad quas „ ut nihil amplius dicam figulo pari- „ ter atque hortulano non oportuit „ convenire, suo exemplo & utilissi- „ mo experimento invenit, instituit, „ invexit ". In his nullum est universale jejunium, vel abstinentiæ præceptum; ubi tamen vel præceptum est, vel consuetudo viget, vel abstinendi a carnibus, vel jejunandi sive totis tribus diebus, sive solum feria quarta, observanda est & custodienda suæ Ecclesiæ disciplina.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Præceptum jejunii & abstinentiæ obligat sub gravi culpa.*

II. *Est & affirmativum simul & negativum.*

III. *Num abstinentia a carnibus, vel unica refectio sit potior in jejunio.*

IV. *In diebus Dominicis nullum est indictum jejunium.*

V. *Statuti jejuniorum dies commutari justa de causa possunt.*

Consectarium Primum.

I. PRÆCEPTUM jejunandi & abstinendi a carnibus certis diebus ex se obligationem inducit, ideoque illud frangens ex gula vel alio illegitimo titulo lethaliter peccat. Posita est hæc assertio ad confutandam falsam & erroneam nonnullorum Theologorum doctrinam, asserentium præcepta Ecclesiæ, & specialiter de jejunio & abstinentia graviter non obstringere fideles, qui proinde solum tunc lethaliter peccant, quando jejunium & abstinentiam violant per contemptum, quæ erronea doctrina damnata fuit ab Alex. VII. 1666. in propos. 23. asserente: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.* Et revera nos clare Tract. 1. de Leg. diss. 3. cap. 7. & 8. ostendimus, Superiores tum Civiles tum Ecclesiasticos potestate a Deo donatos esse ferendi leges, quibus subditi parere debent non solum timore pœnæ, sed amore justitiæ, & ut D. Paulus loquitur, non solum *quia gladium portant, sed propter conscientiam*: & cap. 18. consect. 8. ostensum est, contemptum semper esse damnabilem non solum dum præcepta ex ipso violantur, sed etiam cum ea de causa & consilia Evangelica, & leges Monasticæ, & pia opera vel omittuntur vel negliguntur. Unde & S. Augustinus serm. 62. de Tempore ajebat: *Aliis diebus jejunare remedium est, aut præmium; in Quadragesima non jejunare peccatum est*; & remedia spiritualia ex contemptu relinquere, præmia æterna ex contemptu negligere semper peccatum est. Quare optime hanc generalem regulam statuit S. Antoninus: *Ex statuto Ecclesiæ universali, jejunia qui omitteret ex negligentia vel gula, non infirmitate vel oblivione, cum credit se posse jejunare, mortale est & pro qualibet die omissa unum.* Legantur citata loca.

Consectarium Secundum.

II. Præceptum jejunii & affirmativum est, & negativum. Affirmativum quidem, quatenus & unicam sumendam concedit comestionem, & ciborum delectum præcipit & horam comestionis statu-

statutam: est vero negativum, quatenus unicam permittendo comestionem repetitas prohibet refectiones, ciborumque indicens delectum, vetat ne carnibus vescantur fideles, & ne horam præveniant. Nam vero qui pluries vel carnes comedit, vel pluries reficitur eodem die, plura multiplicet peccata, inferius dicemus.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Certissimum est, ecclesiastica christianorum in Quadragesima, aliisque esurialibus diebus jejunia, duplici præsertim parte integrari, abstinentia scilicet a carnibus, & unica comestione. At paucis ab hinc annis magno animorum æstu decertarunt Theologi, quænam ex his duobus esset pars præcipua, substantialis, & essentialis, qua deficiente deficeret & jejunandi præceptum. Quæstio, quæ licet prima facie speculativa solum videatur & metaphysica, in mores tamen quammaxime influebat, & ex ejus decisione magna jejuniorum pars pendebat; qui enim essentiam & substantiam jejunii in abstinentia a carnibus esse collocandam arbitrabantur, inde inferebant, dispensatos ab hac abstinentia, & ab alia jejunii parte liberos immunes esse censendos, quippe quia non amplius locum habere possit, deficiente substantia, verum jejunium: alii vero, qui essentiam jejunii in una comestione collocandam censebant, inde colligebant dispensatos ab abstinentia a carnibus adhuc lege jejunii obstrictos, teneri unica comestione jejuniorum dies sanctificare. Verum nostris hisce temporibus inutile foret, & vanum hac de re longiorem disputationem texere, postquam sapientissimus & semper venerandæ memoriæ Benedictus XIV. duplici Bulla, quarum inferius non semel commemoratio occurret, statuit & declaravit, a carnibus dispensatos minime esse a lege jejunii solutos, sed teneri unica comestione jejunare, sive unica comestio essentialis habeatur, sive minus principalis, ea quidem æquissima causa & ratione, ut qui integrum servare jejunium non valet, saltem quantum potest observet. Quam doctrinam jam antea plurimi nobiliores Theologi contra pauciores obscurioris nominis Probabilistas propugnabant, etiam ex illis, qui putabant jejunii substantiam in abstinentia a carnibus esse repositam. Immo ita esse jejunandum declararunt Summi Pontifices Greg. XIII. Alex. VII. Clemens XI. qui a dispensatis ab abstinentia a carnibus unicam comestionem servandam declararunt, sicut statuebant plures Episcopi vel in suis Diœcesanis Synodis, vel in pagellis, quibus dispensationem largiebantur. Nihilominus tamen lubet & quidem brevissime aliqua de prima illa quæstione pauca subjicere, & ostendere, jejunii essentiam & substantiam in unica comestione esse collocandam; & 1. quidem, quia ex Scriptura ipsa certe constat, a Judæis servatam fuisse in diebus jejunii unicam comestionem, at simul a carnibus abstinuisse non certo constat, ut animadvertit Cajetanus 2. 2. q. 147. art. 7. scribens: *Jejunium A. T. ex abstinentia a carnibus & unica comestione constat tanquam ex substantialibus, ita quod unica comestio est essentialior jejunio, utpote a principio jejunii constituta in veteri Testamento, in quo usque ad vesperam affligendum hominem jejunio statutum est*. 2. Modo in ipsa Ecclesia Catholica dies Dominici inter dies jejunii non connumerantur, licet in iis indicta sit a carnibus abstinentia; quamobrem ad integrandum quadraginta die-

dierum numerum superadditi sunt quatuor dies primam Dominicam præcedentes. 3. Idem docet & S. Thom. qui in IV. Sent. dist. 15. q. 3. art. 4. aperte dicit: *In hoc distinguuntur jejunantes a non jejunantibus, quia semel manducant*: qui igitur pluries manducat, quocumque utatur cibo, a jejunantibus distinguitur; jejunium igitur in unica comestione velut in parte principaliore consistit. Confirmat denique ipsa jejunii ratio & finis, ad quem assumitur, nimirum corporis maceratio, & concupiscentiæ refrenatio. Porro ad hanc inducendam magis confert abstinentia ab omni cibo, quam ab aliquo tantum: hinc adolescentibus ante vigesimum annum conceditur, ut pluries refici possint dum usus carnium illis interdicitur, non alia profecto de causa, nisi quia cum majore indigeant nutritione, longe gravius affliguntur in privatione plurium refectionum, quam in abstinentia ab esu carnium. Quod confirmatur etiam ex Regularium Ordinum statutis, in quorum pluribus perpetua quidem indicta est abstinentia ab esu carnium, at perpetuum jejunium unica comestione servandum in nullo etiam rigidissimo Instituto indictum reperio; quippe quia Sancti Fundatores Religiosorum Ordinum humanæ imbecillitatis rationem habentes, quod minus grave esse agnoscebant, perpetuo indixere, quod vero gravissimum, non semper, sed solum certis designatis anni temporibus servandum sanxere, optime scientes, fame laborantes non cibi qualitatem, sed quantitatem in repetitis refectionibus quærere. Manifestum est igitur communi sensu id quod maxime ad affligendum corpus conducit in jejunio, esse a pluribus refectionibus cohibitionem, quam a carnibus abstinentiam, proinde illam in jejunio principaliorem partem sibi vindicare. Qui plura velet, legat Concinam tum in Opere Mor. Diss. 2. de jejunio, tum in aliis duobus Operibus italicis: *La Quaresima Appellante*, & *La Disciplina antica e moderna della Romana Chiesa intorno al Digiuno*.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. In diebus Dominicis nullum est indictum jejunium, immo & vetitum aliquando ab Ecclesia, sicut & nunc si ex aliqua superstitione fiat, non vero si ex pietate vel pœnitentiæ gratia suscipiatur. Et quidem nullum impositum jejunii præceptum in die Dominico ab Ecclesia ipso facto apparet, cum in Dominicis Quadragesimæ quilibet possit pluries refici, immo si alicujus Sancti vigilia incidat in diem Dominicam, jejunium præcedenti Sabbato celebratur, ut statuitur in Jure Canon. cap. ex parte 1. & cap. Cauf. 2. de Observat. jejun. Vetitum vero aliquando jejunium in die Dominico, testatur S. Augustinus ep. 118. ad Casulanum scribens: *Die autem Dominico jejunare scandali est magni, maxime postquam innotuit detestabilis, multumque fidei catholicæ, Scripturisque Divinis contraria Manichæorum hæresis, qui suis auditoribus ad jejunandum, istum tanquam legitimum constituerunt diem, per quod factum est, ut jejunium diei Dominicæ horribilius haberetur*. In detestationem igitur hæresis Manichæorum Ecclesia interdixit aliquando jejunium in tali die, proinde & modo ex aliqua superstitione assumptum, profecto impium foret & detestabile. At nullum esse diem, in quo laudabile non sit jejunium ex pietate, religione, & devotione assumptum testatur D. Hieronymus ep. 28. scribens: *Utinam omni tempore jejunare possemus*, quod

quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes, fecisse legimus. A primordiis tamen Ecclesiæ invecta est consuetudo non jejunandi diebus Dominicis, & illis inter Pascha & Pentecostem incidentibus, in quibus in universali Ecclesia nullum est indictum jejunium, excepto sabbato ipsam Pentecostes Dominicam præcedente. Hinc Felix Potestas testatur in suæ Provinciæ Panormitanæ Archivio asservari Decretum Sacræ Universalis Inquisitionis prohibentis, ne ullum imponatur, sive assumatur jejunium etiam in honorem B. Virginis, quod indifferenter complectatur Dominicos dies, & alios in Ecclesia solemniores. Verum quidquid sit de hoc Decreto, certe si quis vovisset per annum, vel toto suæ vitæ tempore jejunium servare eo die, in quo incidit festum Annuntiationis, vel Assumptionis, vel Nativitatis B. V., & hæ solemnitates inciderent in die Dominico, illi auctor essem, ut jejunium in alium diem transferret, tum quia privata fidelium vota de jejunio eo animo emissa videntur, ut sint conformia praxi & consuetudini Ecclesiastici jejunii, porro consuetudo est in Ecclesia ut jejunium cadens in diem Dominicam, in præcedenti die celebretur; tum quia ecclesiasticis ritibus se conformare magis pium mihi videtur & religiosum, quam ab ipsis ex privata devotione recedere. Quod tamen intelligendum est de voto rigorosi jejunii, abstinentiæ scilicet a carnibus, & unicæ comestionis; si enim esset solum de abstinentia a carnibus vel lactariis, profecto & in die Dominico esset servandum, cum plures sint in Ecclesia sacri Religiosi cœtus, qui perpetuo & a carnibus & a lactariis abstinent, nullo die nec Resurrectionis, nec Natalis Domini excepto.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Licet statuti sint in Ecclesia Catholica jejuniorum dies, eos tamen aliquando mutare licet vel ex universali concessione Romani Pontificis, vel etiam ex peculiari Episcoporum statuto. Et quidem certum est, ut mox diximus, Festorum Vigilias cum die Dominico concurrentes in præcedentem diem transferri, licet sit etiam in vigilia Nativitatis Domini. Item si festum Corporis Christi cum vigilia S. Jo. Baptistæ concurrat, anticipatur jejunium feria IV. ex Decreto Urbani VIII. 24. Octobris 1638. Constit. 45. incipiente *Cum evenire*, ne tanti diei solemnitas rigore & mœstitudine jejunii minuatur. Hinc pari ratione inferunt plures Theologi licere Episcopis diem jejunii commutare, si forte occurrat in die solemni alicujus Patroni principalis Urbis vel Provinciæ. At licitum non est, nec illis concessum vigiliam S. Mathiæ in diem ultimum bacchanalium incidentem in alium diem transferre, licet oppositum nonnulli docuerint Theologi. Ita declaravit Sacra Rituum Congregatio die 23. Jan. 1694. & confirmavit 11. Julii 1699. & ostendit & probavit Benedictus XIV. sua Encyclica Italico sermone exarata, & data ad Archiepiscopos & Episcopos Status & Dominii Ecclesiæ, cum enim, inquit Pontifex, Vigilia S. Mathiæ præcepto statuta sit Innoc. III. pro tota Ecclesia, & insertum præceptum in Jure Can. Cap. *De observantia jejuniorum*, palam est non licere Episcopis sua ordinaria auctoritate, statutis a Romano Pontifice, & a Jure Canonico derogare. Ipsis tamen veniam concessit, ut possent anno

anno 1751. Vigiliam S. Mathiæ in præfato postremo bacchanalium die occurrente in præcedentem sabbatum transferre, Qui tamen vel ex voto, vel ex regulæ præcepto jejunare obstringuntur die determinata, puta feria III. vel VI. si forte eo die incidat festum Nativitatis Domini, tenentur jejunium servare, nec illud in alium diem transferre possunt. Num autem qui ex Regula etiam sub culpa gravi vel nulla obstringente ab esu carnium abstinet, possit eo die Natalis Domini in feria VI. vel sabbato occurrente licite uti privilegio omnibus fidelibus concesso vescendi carnibus, inferius discutiemus.

CAPUT TERTIUM.

De prima jejunii parte, abstinentia scilicet a carnibus, & lacticiniis.

DOCTRINA.

I. *Carnium esus in die jejuniorum vetitus.*
II. *Immo & olerum cum carnibus, & jus carnium.*
III. *Nec non & esus ovorum, & lacticiniorum, licet alicubi concessus.*
IV. *Abstinentia ab ovis & lacticiniis est sub præcepto.*
V. *Non vero abstinentia a vino.*
VI. *Immunes ab hac lege abstinentiæ sunt infantes & perpetuo amentes.*
VII. *Non vero semper qui solo pane vivere deberent.*
VIII. *In transgressione hujus præcepti datur parvitas materiæ.*
IX. *Quænam sit putanda materiæ parvitas.*

I. PRIMAM Jejunii Ecclesiastici partem diximus esse a carnibus abstinentiam, quæ semper, quando unica comestio præcipitur, est servanda, & in solis feriis sextis & sabbatis per annum extra quatuor tempora, aliasque occurrentes vigilias, ab ea sejungitur, cum in istis non jejunium, sed sola præcipiatur abstinentia. Nomine vero carnis intelliguntur non solum cibi sumpti ex animalibus quadrupedibus, & avibus in terra viventibus, & ex illa nutritionem accipientibus, sed etiam ex avibus illis, quæ licet in aquis libentius morentur, & ex illis alimoniam sibi comparent, diutius tamen vivere possunt extra aquam, ut sunt fulicea & similes aves aquaticæ, quæ licet odorem & saporem piscium referant, inter carnes tamen connumerantur, & illis vesci diebus vel jejunii, vel abstinentiæ vetitum est. Sicut e contra licet vesci carnibus animalium, quæ tametsi in terris vivant, inter pisces tamen communiter numerantur, ut testudines terrestres, & marinæ, limaces, conchæ, ranæ, & similes; inter pisces annumeratur etiam Lutra amphibium animal, italice Lotra; non vero enumerandi terrestres echini seu herinacei.

II. Carnium nomine comprehenduntur & olera cum carnibus cocta, sicut & jus ex ipsis carnibus in aqua decoctis, cum non levem carnis substantiam imbibant, multoque magis interiora animalium, illorumque extremitates, nec non sanguis, sagina, lardum, quæ partes sunt animalium, & substantiam carnis participant. Si quod vero dubium occurrat, num cibus aliquis sit inter vetitos, vel permissos recensentur, consulendi periti hac de re, & religiosi Medici, & Theologi.

III. Sunt etiam in Quadragesima vetita ova & lacticinia, quæ in aliis jejuniorum diebus per annum permittuntur, nisi contraria obsit consuetudo

ab

ab illis & tunc abstinendi, sicut etiam permittuntur in aliquibus locis etiam quadragesimali tempore sive antiqua consuetudine ab Ecclesia tolerata, sive privata & peculiari dispensatione. Hujus autem tum prohibitionis, tum concessionis testes habemus Summos Pontifices S. Gregorium M., & Nicolaum I. Ille quidem in Epist. ad Augustinum Anglorum Episcopum sic scribit, ut relatum hab. 1. par. Decr. dist. 4. Cap. Denique: „ Par autem „ est, ut nos qui his diebus a carnibus animalium abstinemus, ab „ omnibus quoque, quæ sementinam „ carnis trahunt originem, jejunemus, „ a lacte videlicet, caseo & ovis, quæ „ quidem sunt fructus & fetus eorum, „ a quibus abstinemus ". Alter vero Photio Romanæ Ecclesiæ exprobanti quia in quadragesima a lacticiniis non abstinerent Occidentales, sic respondet Epist. ad Imperatorem: „ Quod septem „ ante Pascha hebdomadas a caseo & „ ovorum esu more suo non cessemus, „ calumnia est, cum in Italia nunquam „ in usu fuerit. Trans mare tamen id „ ex magna causa alicubi apparet con„ cessum ". Æquitatis tum præcepti vetantis, tum consuetudinis permittentis rationem reddit S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 8. ad 3. scribens: *Ova & lacticinia jejunantibus interdicuntur, in quantum sunt ex animalibus exorta carnes habentibus. Unde principalius interdicuntur carnes, quam ova & lacticinia. Similiter etiam inter alia jejunia solemnius est Quadragesimale jejunium: tum quia observatur ad imitationem Christi, tum etiam quia per ipsum disponimur ad redemptionis nostræ mysteria devote celebranda. Et ideo in quolibet jejunio interdicitur esus carnium. In jejunio autem quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova & lacticinia, circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur.* Unde Hieron. dicit (ep. 28. ad Lucinium) *Unaquæque provincia abundet in suo sensu, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Et licet D. Thom. hic de ea solum loquatur consuetudine, per quam in jejuniis extra Quadragesimam ovis, caseo, & lacte nonnulli vescuntur, paulo post tamen hanc eamdem consuetudinem in Quadragesima invectam aliquibus in locis agnoscit & fatetur subdens in editione Nicolai: *Cum sola ergo abstinentia generali carnium in præcepto remansit, ut a lacte, caseo, & ab ovis in jejunio Quadragesimæ communiter debeat abstineri . . . Quamvis nunc satis communiter in aliquibus locis propter necessitatem in lactis & casei abstinentia dispensetur.*

IV. Abstinentiam ab ovis & lacticiniis præsertim in Quadragesima (nisi accedat vel legitima contraria consuetudo, vel dispensatio) sub mortali esse præceptam, licet non desint Theologi qui inficientur: tamen certum omnino est tum ex propositione ab Alex. VII. damnata asserente: *Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget*; tum ex doctrina mox allata S. Thom. qua evincit, non minus vetitum in Quadragesima esum carnium, quam ovorum, casei & lacticiniorum; tum denique Decreto Gregorii M. & perpetua consuetudine, qua fideles se obstrictos sub lethali culpa ad præfatam lacticiniorum abstinentiam agnoscunt, & quidem non in solis Quadragesimæ, jejunii diebus, sed & in ipsis Dominicis festis, in quibus licet

cet si relaxatum jejunium, non tamen concessum lacticiniorum esum, quidquid in contrarium pauci Casuistæ docuerint, quibus non est acquiescendum, cum in Decreto Gregorii in Jure Canonico relato absolute in Quadragesima lacticinia vetentur, nulla facta dierum distinctione, immo designatis etiam ipsis Dominicis diebus, inquit enim SS. Pontifex: *Par autem est, ut nos, qui his diebus a carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo, & ovis*: porro & in diebus Dominicis a carnibus abstinemus, ergo par est ex mandato Pontificis ut iisdem diebus etiam a lacticiniis abstineamus. Oppositam nonnullorum Probabilistarum doctrinam tanquam improbabilem & falsam improbavit & ipse Diana Ref. 54. n. 2. scribens: *Alibi hanc sententiam* (de licito usu lacticiniorum in Dominicis Quadragesimæ) *improbavi, & nunc iterum improbo, & caveant Auctores ne imposterum illam vel absolute teneant, vel tanquam probabilem admittant. Nam Sacra Congregatio Sancti Officii, & Indicis mensibus elapsis mandarunt, hanc sententiam a quodam libro deleri: ut factum fuit. Et recte quidem, nam est contra communem sententiam.*

V. Abstinentiæ a carnibus & lacticiniis fuisse olim conjunctam abstinentiam a vino & piscibus, animadvertit laud. D. Angelicus, quam tamen abstinentiam Ecclesiæ tacita dispensatione sublatam fuisse subdit scribens loc. cit. „ Licet olim in jejunio non a carnibus „ tantum, sed & a vino abstinere (præ„ sertim vero in jejunio Quadragesimæ) „ Christiani solerent, facilius tamen „ subinde circa vini abstinentiam quam „ carnium generaliter dispensatum est, „ ut jam uti liceat vino, sed non car„ nibus, quarum usus licitus commu„ niter omnibus nunquam fuit. Quod „ autem simul cum carnium abstinen„ tia conjungeretur olim abstinentia vi„ ni, patet ex verbis Augustini dicen„ tis Dom. 1. Quadrag. *Qui abstinemus* „ *nos a carnibus, quibus aliis diebus uti* „ *licet, qui nos abstinemus a vino, quo* „ *moderate uti licet &c.* Et Serm. 2. „ *Cessent vina, vel carnes, ut qui nobis* „ *viximus toto anno, saltem vel paucos* „ *dies vivamus & Domino.* Item ex ver„ bis Hyeronymi super 10. Caput Da„ nielis, ubi dicitur: *Panem desiderabilem non comedisse, nec introisse vinum* „ *vel carnem in os ejus. Hoc exemplo* „ *docemur tempore jejunii a cibis delicatioribus abstinere . . . nec carnem comedere, nec vinum bibere* ". Et deinde adductis alijs testimoniis & S. Basilii hom. 1. de jejunio & Theophili Alex. epist. 3. paschali sic concludit: „ Abstinentia „ carnium magis visa est Ecclesiæ ne„ cessaria quam abstinentia vini ad je„ junii rationem, & sic in vino, non „ in carnibus dispensavit. Unde absti„ nentia vini modo in jejunio consilii „ tantum est, non præcepti, sicut & „ abstinentia piscium, a quibus tamen „ olim abstinuisse Christianos in jejunio „ illo Chrysostomus indicat hom. 3. ad „ Popul. & similiter usus tantum aridi „ cibi, hoc est panis & aquæ, quibus „ ultima hebdomada Quadragesimæ an„ te Paschatis diem vescebantur ".

VI. A præcepto abstinentiæ a carnibus & lacticiniis statutis ab Ecclesia temporibus non dispensati, sed immunes potius dicendi sunt tum infantes ante usum rationis, tum perpetuo amentes; priores quidem, quia nondum ob defectum rationis legibus Ecclesiæ subjiciuntur, posteriores vero, quia infantibus comparantur ob usus rationis

sive

five carentiam five amiffionem. De infantibus quidem confulto dixi ante ufum rationis, non ante feptennium, nam licet non ante præfatum tempus communiter cenfeatur rationis ufu præditos fieri pueros, nihilo tamen fecius fi prævie ad feptennium rationis lumen in ipfis refulgens detegeretur, a carnibus abftinendum effet, quia tunc legibus Ecclefiafticis fubjicerentur, quæ nec ætatem, nec determinatum obligandi tempus ftatuunt. Immo fi dubium foret, num puero lumen rationis affulferit, cenferem teneri legibus Ecclefiæ de abftinentia fe fubjicere, non quidem paritate legis divinæ & naturæ, quæ profecto fortius urgent quam leges Ecclefiæ, fed 1. quia in dubiis tutior pars eft eligenda. 2. Quia præceptum eft certum, & immunitas a lege incerta. 3. Quia Ecclefia tempus non determinavit, fed folum ex communi opinione cenfetur effe feptennium, quia tunc non folum in pluribus lumen rationis exurgere folet.

VII. Num autem qui omni cibo careret præter panem poffet carnes in Quadragefima vel feria VI. & fabbato comedere, puto fub diftinctione dijudicandum. Non quidem illa, quam adhibent nonnulli benigniores Cafuiftæ inter nobilem & plebejum, inter delicatè comedentem, & craffiori cibo utentem; quandoquidem & nobiles & delicate viventes fi unico die, vel per biduum folo pane viverent, non propterea grave detrimentum experirentur, immo fortaffis falutaris ipfis effet infueta inedia, & fæpius vel levi tentati febricula, vel gravi negotio occupati integros dies vel fine vel exiguo cibo tranfigunt; experirentur fortaffis moleftiam fed potius animi quam corporis, faucium quam valetudinis; verum eos hæc moleftia a jejunio & abftinentia non excufat. Diftinctio itaque, quam innuo, hæc eft, nimirum fi periculum immineat valetudinis amittendæ, & ægritudinis fubeundæ, quod facile contingere poteft, fi hæc inedia ad plures dies protrahatur, præfertim in delicatis & feminis; tunc licitum erit carnes ex aliorum ciborum deficientia comedere, nec folo pane vivere; fi vero unius vel alterius diei inediam prudenter judicetur non nifi levem allaturam corporis debilitatem, vel etiam nullam, ut contingit in robuftioribus rufticis & artificibus, qui alias folent vel pane & pulmento vivere, & raro admodum obfonii aliquid panibus adjiciunt, profecto non liceret illis carnes comedere.

VIII. In tranfgreffione hujus præcepti admittendam effe parvitatem materiæ, puto ipfo naturali lumine confpicuum; fi enim & in his, quæ lege naturali & divina vetantur, ut in furto, adeo exigua effe poteft materia, ut lethale crimen non conftituat, cur & quantitas comeftæ carnis ita exigua effe non poterit ut comedentem a lethali noxa eximat? Oppofitum tamen tenere videtur doctiffimus Laurentius Berti in fuo de Theologicis Difciplinis Opere de Legibus agens, qui ob excellentiam Apoftolicæ inftitutionis quadragefimalis abftinentiæ, & feriæ VI. & fabbati, & quia veluti teffera eft, & diftinctio catholici ab heterodoxis, cenfet & jejunii & abftinentiæ violationem etiam in exigua materia gravem culpam inferre; fic enim fcribit: „ Si in parva quoque „ materia fregeris quadragefimale jeju- „ nium, aut feria VI. vel fabbato car- „ nem guftaveris, quoniam funt hæc „ Apoftolicæ traditionis capita, ac Ro- „ manæ communionis ab hæreticorum „ fe-

„ sectis divulsæ singularis character, „ sceleri obnoxius eris gravissimo “. Verum pace tanti viri, quem plurimi facio, ne ejus subscribam sententiæ hæc me movent argumenta. Apostolicæ traditionis præcepta profecto majoris non sunt habenda ponderis & auctoritatis, quam præcepta Decalogi, & tamen in his datur parvitas materiæ ut in furto, & in ipsa divini nominis usurpatione sine judicio vel justitia; cur igitur non erit locus parvitati materiæ etiam in præceptis jejunii & abstinentiæ? 2. Præfata jejunia & abstinentiæ sunt quidem Romanæ communionis ab hæreticis conventiculis distinctio & tessera, ac non talis, cujus violatio abnegatæ præfatæ communionis statim reum efficiat; si enim hoc ex loci, temporis, & personarum circumstantiis sequeretur, profecto lethaliter peccaret carnem comedens & jejunium violans, at non quia non detur in his materiæ parvitas, sed quia tunc vel abnegatæ fidei, vel ejusdem confessionis omissæ quando fidei confitendæ urgebat præceptum, reus haberetur: at si quis in Catholicis regionibus, & inter Catholicos, ut Catholicus agnitus ab omnibus, leviter vel jejunium frangat, vel frustulum carnis comedat, quis arbitrabitur, cum a Romana communione desciviffe, & in heterodoxorum castra migrasse? Nemo sane cordatus & prudens. Immo non immerito plures etiam rigidiores Theologi Juveninus, Concina, Cuniliati aliique docent, nec carnes comedentem, vel ecclesiastica jejunia violantem etiam inter heterodoxos reum esse lethalis criminis judicandum, quotiescumque nimirum hujus præcepti observantia gravi illum detrimento sive vitæ sive bonorum exponeret, tum quia præcepta Ecclesiæ cum tanto onere & periculo non obligant, tum quia & ipsi heterodoxi optime norunt & Catholicos vel ex gula carnes illicite comedere, vel ad pericula vitanda, vel ex adversa valetudine ab hoc præcepto esse solutos, quin ex carnium comestione legitime inferre possint, illum esse a catholica communione alienum. Hinc plures sunt in exercitibus, vel navibus Anglorum & Batavorum Catholici, qui tales se esse protestantur, & ab omnibus cognoscuntur, qui tamen vel deficientia aliorum ciborum, vel infirmitatis causa, vel etiam in sufficienti & illegitimo adducti motivo carnes comedunt, nec tamen illos per hoc censent Catholicæ Ecclesiæ nuncium remisisse. Quamobrem & nos cum ipsis docemus licere fidelibus per hæreticorum terras in itinere transeuntibus, si grave timent periculum & detrimentum, carnes comedere, vel jejunium non servare; sicut pariter qui in navibus hæterodoxorum navigant, si alii non sint præsto cibi, carnibus vesci possunt: non tamen hæreticorum famuli, nisi & ipsis grave immineat damnum, a quorum servitio etiam recedere deberent, si ab jejuniorum sancta observatione impedirentur. Si vero nullum illis immineat periculum, nec aliud subire possint detrimentum quam inopiam ciborum esurialium, vel delicatioris alimoniæ, tenentur cum hoc levi incommodo Ecclesiæ præcipienti obedire. Semper tamen ea cautione, ne hoc in abjuratæ Romanæ communionis argumentum cedat, quando confitendæ fidei illos urgeat præceptum. Legantur quæ diximus de Legibus Diss. 3. cap. 9. n. 9. & 10. & cap. 10. conf. 10. & seq.

IX. Quanta autem esse debeat materia, quæ levis dici possit, & a lethali pec-

peccato excusate, non consentiunt Doctores; nonnulli infra duas uncias levitatem materiæ consistere censent, quod falsum & periculosum arbitror: alii ad unam unciam limitant, nonnulli octavam partem unciæ nonnisi leve peccatum constituere docent, a qua sententia non abhorreo; nam certe exigua res sit oportet, quæ unius drachmæ pondus non exsuperat, sicut exiguæ sunt illæ carnium & jusculentorum partes, quas coqui & pincernæ degustare solent ad ciborum saporem discernendum.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando Regulares in suis jejuniis ovis & lacticiniis vesci possint.*

II. *Ubi viget consuetudo vescendi lactariis in Quadragesima, non licet tamen vesci sanguine animalium, vel larido, vel pinguedine.*

III. *Nec bellariis, placentis, crustulis ex ovis & similia confectis.*

IV. *Qui pluries in die jejunii carnes comedit, plura committit peccata.*

V. *Idem dicendum de vovente vel abstinentiam a carnibus, vel jejunium.*

Consectarium Primum.

I. REGULARES in suis jejuniis ab eorum Regula constitutis vesci possunt ovis & lacticiniis, modo aliter ab ipsa regula non sit constitutum, ut in Ordine Minimorum. Ita declaratum fuit pluries a Sacra Congregatione Episcoporum & Regularum, cujus declarationes citantur in Bibliotheca Ferraris. Pari pacto in illis regionibus, in quibus vel ex antiqua adprobata consuetudine, vel ex peculiari dispensatione concessum est in Quadragesima, aliisque per annum jejuniis vesci ovis & lacticiniis, & ipsi regulares eodem jure & privilegio gaudent, cum & ipsi sint pars communitatis, nec in concessis dispensationibus excipiuntur, nisi tamen aliter a Regula & constitutionibus cautum sit, quas Religiosi omnes consulere debent, & perpendere, iisque se conformare. Vicissim vero Regulares consuetudini vigenti penes plures Provincias & Civitates abstinendi a lacticiniis & ovis in jejuniis extra Quadragesimam censendi sunt obnoxii, tum quia legitimæ consuetudines in locis vigentes sunt ab omnibus incolis servandæ, tum quia & ipsi regulares consuetudini universaliter invectæ consensisse præsumuntur, cum illis obstitisse non constet.

Consectarium Secundum.

II. Ubi consuetudo legitima viget, vel concessum est vesci in Quadragesima ovis, caseo & lacticiniis, minime tamen concessum est vesci sanguine animalium, & larido suillo, vel pinguedine ex anseribus sumpta & servata, ista enim carnis nomine comprehenduntur vetitæ in Quadragesima. Quamobrem optime animadvertit Reiffenstuel consuetudinem utendi hisce condimentis nec in Germania, ubi piscium & olei penuria est, esse admittendam, sed prorsus illorum usum vetandum ne introducatur. Non tamen admittendum puto quod idem Auctor subdit, scilicet concedi posse pauperibus in Germania vesci pinguedine sive suilla sive anserina ob caustam paupertatis & inopiam butyri. Nam si sermo sit de pauperibus non alios cibos habentibus, nec sibi comparare valentibu, profecto hi

hi possunt ova & lacticinia & etiam carnes comedere ut vivant: si vero sermo sit de pauperibus, qui ob pecuniæ carentiam oleum, & butyrum, quæ caro venduntur, emere non possunt, profecto si alios esuriales cibos ad sufficientiam obtineant, non possunt ea vesci pinguedine, sed esurialibus cibis sint contenti, & legumina, herbas, aliasque res, quibus vesci plerumque solent aceto, sale, uvis siccatis, vel alio fructuum succo condire debent, cum hic non tantum de cibi substantia agatur ad sustentationem necessaria, quam de condimento ad palati saporem. Pari pacto explicandum puto, quod subdit laudatus Auctor, permitti posse famulis & famulabus, ut cibos dominis suis jubentibus pinguedine conditos parent & coquant; & cocta etiam comedant si illis a dominis comedenda proponantur: primum enim, idest tali pacto coquere & parare conceditur aliquando famulis dominis suis toto anno in coquinæ ministerio inservientibus, at comedere nisi urgente necessitate ob aliorum ciborum carentiam non possunt. Itinerantes quoque si in diversorio eam ciborum esurialium copiam reperiant, quæ justæ comestioni sufficiens est, licet sine piscibus, non possunt ova & lacticinia comedere, sed aliis cibis contenti sint. Quando vero etiam a jejunio liberentur, dicemus infra suo loco.

Consectarium Tertium.

III. Non licet Quadragesimæ tempore, vesci bellariis, crustulis, placentis ex farina subacta & ovis compositis vel butyro immixto, nisi in iis locis, in quibus lacticiniorum usus concessus est. Nam hac sublata licentia non minus vetitum est uti propria ovorum substantia in se, ac ea cum alia re immixta. Nec urget ratio Pasqualigi contrarium docentis & probantis ex eo quod ova licet in se & seorsim sumpta satis sint ad jejunii violationem, cum farina tamen immixta ita absorbentur & commutantur, ut sibi ex ovis denominationem amittant. Nam futilis est & puerilis ratio ista, cum semper composita partium componentium denominationem ponant, & aliam assumant sibi propriam & peculiarem. Sic farina aquæ immixta nec farina dicitur nec acqua, sed panis; similiter farina ovo, butyrove immixta nec ovum nec butyrum dicitur, sed placenta, bellarium, crustulum, & semper verum est substantiam cibi vetiti, licet immixtam alteri rei, subsistere, ac ad nutritionem deservire; quamobrem cum ovorum usus absolute vetitus, sit nec hoc modo illis immixtis & commutatis vesci licet. Excusabit tamen fortassis a gravi culpa parvitas materiæ, si nimirum tenue ovi frustulum, quod nec seorsum sumptum violaret jejunium, sit farinæ immixtum. Hoc tamen a gravi culpa non excusat hujusmodi placentarum & bellariorum venditores & confectores, nam licet quilibet emptor & comestor fortassis graviter non violet jejunium, in causa tamen sunt, a Communitate abstinentia non integre servetur; quamobrem permittendum illis non est, ut jejuniorum tempore obtentu parvitatis materiæ hæc bellaria conficiant & divendant, sed objurgandi, & nisi emendationem polliceantur, deneganda absolutio.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Qui in diebus jejunii carnes comedit, vel ova & lacticinia ubi eorum usus vetitus est, toties peccat quoties comedit. Ita communiter Theologi, qui ad unum omnes fatentur, præceptum carnium & lacticiniorum vetans comestionem, negativum esse, quod semper obligat toto jejunii die, proinde toties infringitur, quoties carnes comeduntur, nec excusat parvitas materiæ, quæ tamen si pluries in die sumatur in fraudem præcepti, tunc ad lethale peccatum pervenit quando gravem materiam constituit, non enim differt opinio contraria a doctrina damnata ab Alexander VII. asserente: *Qui in die jejunii modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium*: sicut enim repetita modicæ quantitatis cujuscumque cibi comestio jejunium frangit, quatenus repetitas prohibet comestiones, ita repetita modicæ cibi vetiti quantitatis sumptio eidem præcepto opponitur abstinentiam præcipienti a carnibus & lacticiniis. Hinc multo magis inferendum, qui ob ignorantiam vel inadvertentiam a culpa immunem semel carnes comedit, non posse eo die iterum comedere obtentu impossibilitatis servandæ præceptæ abstinentiæ, cum adhuc præceptum implere possit quod per totum diem jejunio addictum obligat. Non tamen peccata multiplicantur, si quis carnes comedat in pervigilio S. Mathiæ, si forte in Quadragesima & in die quatuor temporum incidat, sed unum peccatum committit, cum sint omnia ea præcepta unius rationis, idemque respiciant objectum & finem; secus vero si præcepto adjunctum foret & privatum votum, quia hoc posterius etiam virtuti religionis specialiter adversatur.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Qui vovit carnes non comedere, vel ova & lacticinia e. c. feria tertia in honorem S. Antonii, toties peccat, quoties ex illis comedit. Ratio est manifesta, nam præceptum & legem sibi imponit omnino negativam, idest abstinendi toto eo die a præfatis escis: porro sicut, ut superius diximus repetita præcepti negativi violatio multiplicat peccata, ita repetita hujus voti violatio peccatorum numerum augebit. Quid si voveat jejunium in die quo nullum est ab Ecclesia indictum præceptum, peccabitne si pluries comedat carnes? Negat Concina hoc argumento. Quia qui vovit jejunium, non directe vovit abstinentiam a carnibus, sed indirecte ratione jejunii, proinde violato semel jejunio per carnium comestionem nequit amplius eo die jejunare, proinde peccat in prima comestione, non vero in secunda & tertia. Deinde affert discrimen inter præceptum Ecclesiæ & privatum votum, nimirum in illo duo contineri præcepta, & abstinentiæ a carnibus, & unicæ comestionis; in voto vero animadvertit, voventem hæc duo non distinguere, sed jejunium per modum unius promittere. Verum hæc distinctio nimis metaphysica mihi videtur, & ipse P. Concina in hac ipsa jejunii materia conqueritur cap. 4. n. 3. *maximum damnum passam esse morum Theologiam, ex quo a non paucis ad metaphysicas regulas revocari cœpit*. Res igitur non secundum metaphysicas præcisiones, sed secundum morum regulas est expendenda. Ad has igitur voventem revocemus. Compertum est, voventem sibi legem ferre, & secundum ejus voluntatem esse obnoxium: porro

porro potest quis vovere jejunium pluribus modis, in pane & aqua e. g. vel pane & vino, vel cum sola abstinentia a carnibus, & unica comestione &c. si vero nihil circa hoc determinet, sed solum in communi voveat jejunium intelligetur tale vovisse jejunium, cujusmodi haberi solet in Ecclesia, & est vel in usu vel in præcepto, & vocatur jejunium commune & Ecclesiasticum; hoc igitur jejunium vovet. Porro hoc de se duo complectitur, nimirum & abstinentiam a carnibus, & unicam refectionem; hæc duo igitur directe vult, & sibi præcipit; si enim unum sine altero maluisset, in sua positum erat voluntate statuere. Utique, inquit Concina, sed hæc duo vult *per modum unius*. Sed quid sibi volunt hæc verba *per modum unius*? Quantum sapio, quantum capio, unico voto vult jejunando abstinere a carnibus & a repetita refectione, eo plane modo, quo Ecclesia vult per modum unius (scilicet præcepti) jejunium in Quadragesima, & sicut Ecclesia jubet *In Quadragesima jejunato*, ita & hic unico voto sibi indicit *volo jejunium*: quamobrem sicut jejuninm ab Ecclesia præceptum duas complectitur partes, ita & votum duas habet partes; sicut violatur jejunii præceptum carnes comedendo, & toties violatur quoties comeduntur, & violatur jejunium per votum assumprum comedendo carnes, & toties violatur quoties comeduntur; eapropter non aliud verum & reale discrimen reperitur inter utrumque jejunium, nisi quod illud sit ab Ecclesia impositum omnibus fidelibus, hoc autem sit voluntarie assumptum a vovente; ceterum idem onus in utroque, eadem obligatio, eædem jejunii partes. Fallitur etiam Concina, dum absolute pronuntiat, voventem teneri alia die jejunare; & votum implere; nam inspiciendum est, num tempus jejunio præstitutum sit ad finiendam obligationem, an solum ad urgendam: si primo modo positum sit, violato jejunio non amplius urget onus jejunandi, si vero secundo modo, adhuc urget & tenetur voto satisfacere. Quomodo autem dignosci possit, quando tempus præstitutum est ad finiendam obligationem, quando solum ad urgendam late explicavimus in 2. Decal. Præcepto diss. 2. cap. 5. §. 3. n. 13. & seq. omnino legendum, immo & videndus ipse Concina de 2. Dacal. Præcep. diss. 2. cap. 3. n. 3. & 4. Num vero qui præceptum repetitam comestionem vetans violat toties peccet quoties reficitur, dicemus post pauca.

CAPUT QUINTUM.

De dispensatione ab abstinentia a carnibus, & causis ab ea excusantibus.

DOCTRINA.

I. *Necessitas interna liberat ab onere abstinendi a carnibus.*
II. *Sicut & externa.*
III. *Dispensatio a carnibus pro tota Communitate quomodo petenda.*
IV. *Privatæ dispensationes gravem postulant causam.*
V. *Quid animadvertere debeant petentes a medicis schedam de necessitate dispensationis.*
VI. *Quid ipsi medici concedentes.*
VII. *Quid Parochi & animarum Pastores.*
VIII. *Dispensatus ab abstinentia carnium non est ab unica comestione solutus.*
IX. *Quibus concessus est carnium esus non licet epulas permiscere.*
X. *Nec carnibus vesci in serotina refectiuncula.*

I.

I. PRIMA & præcipua causa, quæ ab abstinentia a carnibus liberat & excusat, est necessitas sive interna sive externa. Necessitate interna illos urgeri dicimus, qui sine gravi detrimento valetudinis a carnibus abstinere non possunt. Hinc primo ab ea dispensantur infirmi actuali morbo, ut qui vel quotidiana, vel tertiana, vel quartana febri affliguntur, vel alio tentantur præsenti & premente gravi incommodo. 2. Convalescentes & valetudinarii, quibus immineret ex esurialium ciborum usu vel relapsus in morbum, vel nova infirmitas, vel quia indigent prostratas vires recuperare. 3. Qui ex usu ciborum Quadragesimalium aliquod & quidem non leve patiuntur nocumentum, vel qui ob nauseam piscis comedere non valent, in quo tamen illud animadvertendum: 1. nocumentum non qualecumque, sed grave esse oportere, certum est enim esurialium cibum diuturnum per quadraginta sex dies & debilitatem virium afferre, & ventris inflationes, ructus, insomnia, & alia leviora incommoda producere, quæ certe ab abstinentia non excusant, cum sit jejunium institutum ad concupiscentiam frænandam, ad ejus debilitandas vires, & ad satisfaciendum Deo pro peccatis, quod utique sine incommodo obtineri non potest. 2. Non esse omnino ab hac abstinentia solutos, sed juxta exigentiam, & ad necessitatis mensuram, qui enim abstinere possunt sine gravi incommodo per aliquot dies, eam abstinentiam tolerare & subire debent, contenti usu carnium solum in aliquibus diebus.

II. Altera vero necessitas exterior est illa, quæ ex carentia cibi oritur, vel ex metu gravis periculi si abstinentia servetur. Hinc ex primo capite legimus apud Socratem lib. 1. hist. Eccles. cap. 1. factum Sancti Spiridionis, qui excipiens hospitem valde de via fessum, jussit filiæ ut cibum pararet, cui respondenti nec panem esse in ædibus nec polentam, dedit mandatum filiæ, ut carnes suillas, quas forte in ædibus habebat, sale conditas coqueret, quibus coctis hospitem fecit accumbere, deque carnibus appositis comedere cœpit, hortaturque hospitem ut ipsum imitetur, qui cum illud facere recusaret, diceretque se Christianum esse: Hanc ob causam (inquit Spiridion) minus recusare debes, nam omnia munda mundis Sacræ Scripturæ pronuntiant. Et revera necessitas legem non patitur: quamobrem & pauperes, qui ostiatim victum quærunt, quem aliunde sibi comparare non valent, si non nisi carnes in eleemosynam acciperent (quod tamen raro evenire potest in christianis locis quadragesimali præsertim tempore) illis vesci possent. Num vero & ab illis abstinere deberent, qui nonnisi panem haberent, diximus superiori capite. Metus quoque gravis mali etiam ab externo provenientis ab eadem excusat abstinentia, cum leges Ecclesiasticæ cum tanto onere non obligent; proinde transeunti per loca hæreticorum carnes comedere permissum esse superius diximus ad evitandum vel vitæ periculum, vel carcerem, vel bonorum amissionem, nisi forte hæc abstinentia abnegatæ Romanæ Communionis indicium præberet.

III. Secunda causa, quæ ab abstinentia excusat, est Ecclesiæ dispensatio, quæ & generalis esse potest pro toto Regno, Provincia, Civitate, Oppido, vel particularis & privata huic vel illi privatæ personæ petenti concessa. Et quoad generalem dispensationem, quam Im-

impetrare vel elargiri nonnisi Supremis Potestatibus Ecclesiasticis conceditur, qui nostra profecto non indigent doctrina & instructione, satis erit illis ea exhibere documenta, quæ Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. tribus Bullis datis omnibus Primatibus, Patriarchis &c. communionem Sedis Apostolicæ habentibus tanquam opportuna suggessit, nimirum 1. ,, A nemine totii multitudini, ,, veluti populo, aut civitati, aut genti ,, indiscriminatim, nonnisi gravissima & ,, urgente necessitate, & in casibus per ,, Sacra Canonum statuta præscriptis, ,, cum debita hujus Apostolicæ Sedis ,, reverentia a quadragesimali jejunio ,, dispensationem toties quoties opus ,, fuerit esse concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec ,, superbe & arroganter ab Ecclesia, ,, sicut in aliquibus in more positum ,, esse accepimus, postulandam " . In Bulla, quæ incipit *non ambigimus*, data die 30. Martii 1741. 2. Hanc dispensationem ab abstinentia a carnibus non esse vel concedendam, vel usurpandam nisi cum onere servandi unicam comestionem, & vitandam esurialium ciborum & concessarum carnium permixtionem. In eadem Bulla, & confirmavit alia data 22. Augusti 1741. 3. Hanc dispensationem esse toties quoties petendam & obtinendam, nec valere usum eam impetrandi, etiam a pluribus annis invalescentem, nam. ut admonet Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 18. de Reformatione: *Sicut publice expedit, legis vinculum quandoque relaxari, ut plenius evenientibus casibus, & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire*. 4. Carnium esum minime toti populo vel civitati concedendum, si lactis & ovorum usu satis esse videatur. 5. Non esse inter sufficientes causas dispensationis ab esu carnium connumerandum ,, quod pisces ,, vel ova caro pretio vendantur. Sicut ,, enim urbes habent egenos cives, ita ,, etiam opulentos, e quibus etiam alii ,, vitæ sustentationem labore ac sudore ,, sibi comparant, alii vero patrimonio ,, ac divitiis satis superque abundant. ,, Itaque si emendis piscibus grave pre- ,, tium solvendum sit, id quidem ege- ,, nis civibus, non vero divitibus suf- ,, fragatur". 6. Nec esse ab abstinentia Quadragesimæ solvendas Civitates, vel Diœceses ,, ubi exercitus versantur, eo ,, quod milites iis in locis permanentes ,, abstinentiæ leges minime observant. ,, Id potius animos civium inflammare ,, deberet ad jejunium rite religioseque ,, suscipiendum, ut nempe milites tan- ,, ta virtute temperantiæ permoti ipso- ,, rum exemplum sequantur. 7. Si co- ,, piæ militum tantæ sint, ut summam ,, afferant penuriam herbarum atque ,, olei, ideoque harum rerum pretium ,, summopere augeatur, tunc id sta- ,, tuendum quod dictum est superius ,, n. 5. 8. Denique ,, dispensationem ,, abstinentiæ a carnibus semper cum ,, aliqua dierum limitatione esse con- ,, cedendam, & excipiendos præser- ,, tim dies Cinerum, Quatuor Tempo- ,, ra, Vigilias præcepto servandas, & ,, majoris hebdomadæ dies a Dominica ,, Palmarum ". Si hæc saluberrima tanti Pontificis monita servabunt Ecclesiæ Præsules, vel dificiles se præbebunt optantibus hujusmodi dispensationes, vel justa de causa petentibus tuta conscientia concedere poterunt, & ab Apostolica Sede impetrare.

IV. Quoad privatas vero dispensatio-

nes

nes certis personis concedendas, attendendum, ut inquit Fagnanus, *quod causa dispensationis debet esse magna, seu quod idem est, major, maxima, justa, evidens, urgens, & his consimilis . . . alioquin si hujusmodi causa desit, non est dispensatio, sed dissipatio*, & sic fiet coram Deo, dantibus periculosa, accipientibus vero perniciosa. Non enim quodcumque detrimentum, quod ex abstinentia a carnibus & diuturno esurialium ciborum usu timetur, legitimam constituit petendæ dispensationis causam, sed oportet grave sit, urgens, & ex ipso esurialium ciborum usu imminens; hinc usque ad seculi XVI. dimidium nonnisi languor evidens & gravissima infirmitas ab abstinentia eximebant; & quidem quia opus esset dispensatione, ut definivit Toletanum Concilium VIII. can. 9. *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate esum carnium diebus Quadragesimæ præsumpserit attentare, non solum reus sit Resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei Sanctissima Communione*. At his, qui non tanta premebantur necessitate, opus esse dispensatione statuit, subdens: *Illi, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quam a Sacerdote permissum accipiant*. At nostris hisce temporibus tot sunt injustæ leves causæ dispensationis, ut jam esus carnium in Quadragesima nonnisi Regularibus, pauperibus, & paucis artificibus reservatum videatur; unde merito dixerat Sapientissimus Pontifex Bened. XIV. in sua Bulla *Non ambigimus*: „ Nos „ sane lacrymis deplorare non possu„ mus augustissimam Quadragesimalis „ jejunii observantiam ob nimiam nullis „ legitimis urgentibus causis ubique in„ discriminatim dispensandi facilitatem „ plane sublatam esse, ita ut orthodo„ xæ quidem Religionis cultores meri„ to querantur, hæresum vero secta„ tores illudant, & exultent “.

V. At quia harum dispensationum origo & fons præcipue ex medicorum nimia indulgentia & benignitate progreditur, 1. admonendi sunt fideles, ne benigniores hos medicos quærant, qui faciles se præbeant in schedis dandis fidem facientibus de necessitate abstinendi ab esurialibus cibis. 2. Ne illis suos exaggerent morbos, pericula, timores amittendæ valetudinis, & infirmitatis incurrendæ, alioquin dispensatio hoc modo obtenta coram Deo illos minime a violata quadragesimali abstinentia excusabit. Sed advertant non qualecumque incommodum, quod fortassis ex cibis esurialibus perpetiuntur, vel grave etiam quod aliquando experti sunt, justum præbere motivum petendæ dispensationis; nam hujusmodi incommoda facile est, non ex ciborum qualitate, sed ex ipsa humani corporis constitutione, quæ facile tentatur, vel profluere, vel olim profluxisse, cum & ipse cibus qualiscumque sit non raro ex interna humorum constitutione morbum gignat, quapropter nisi vel præsens urgeat infirmitas, vel certum immineat amittendæ sanitatis periculum, ad dispensationem petendam non confugiant.

VI. Medici vero in concedendis attestationibus de indigentia petentium dispensationem, præ oculis habeant ea, quæ hac de re præbent clarissima monita & documenta duo clarissimi medicinæ doctores christiani Zachias & Hecquetius. Ille siquidem lib. 3. tit. 1. quæst. 5. scribit 1. „ Admonendum

ante

„ ante omnia primo; non omne sa-
„ nitatis incommodum a jejunio pro-
„ veniens illico hominem a jejunio ex-
„ cusat, nam vix dici potest jejunare,
„ qui ex jejunio nullum perceperit in-
„ comodum, idcirco enim jejunium
„ definitur, maceratio seu afflictio car-
„ nis. 2. Nec quilibet morbus legitime
„ a jejunio excusare potest. Neque
„ etiam idem morbus, qui ab una ob-
„ bligatione solvit, ab omnibus absol-
„ vere potest. Non enim quivis morbus
„ a quavis jejunii conditione excusare
„ debet indifferenter; sed alter qui-
„ dem ab esu carnium, alter ab esu
„ tantum ovorum, non carnium, al-
„ ter ab unitate comestionis, alter ab
„ hora refectionis, alter ab omnibus
„ simul immunem hominem reddere
„ potest". Hinc 3. infert: „ Ex qui-
„ bus discant tam medici, quam eorum
„ consultores, non esse petendam ab-
„ solutionem a jejunii obligatione illico
„ atque læsum quis se sentiat a jeju-
„ nio, sed potius quærendum, an
„ aliqua jejunandi ratio sit, quæ sit
„ magis salubris quam præterita. Sunt
„ enim qui ab aliquo cibo particulari
„ in jejuniis consueto noxam perci-
„ piunt, hi si hunc abusum omiserint,
„ jejunium de cetero commodissime
„ servare potuissent". Alter vero sci-
licet Hecquetius citans Condrovalium
de Christ. medendi ratione p. 1.
cap. 32. sic docet: „ Medicus per-
„ peram & inique agit, si valetudina-
„ rio & morboso, vel debili, qui se
„ ovis & lacticiniis cibis tueri facile
„ potest, esum carnis etiam concedit
„ maxime in quadragesima". Et de
jejun. Thes. 5. „ Prævaricantur com-
„ plures, qui ex præpostera valetudi-
„ nis cura esum piscium sibi officere
„ illico censent, & ideo ad abstinen-
„ dum carnibus se non obstringi dicunt:
„ prævaricantur, inquam, & si me-
„ dicos consulant, a quibus schedulas,
„ quibus impetrant facultatem edendi
„ ova aut carnes, obtinent vel saltem
„ extorquent. Neque a violati jejunii
„ peccato immunes sunt ejusmodi me-
„ dici, qui indulgentius quam par est
„ agunt cum multis c. e. nobilibus".
Si christiani medici hæc vere christiana documenta præ oculis habeant, & serio coram Deo considerent, non tam faciles erunt in schedulis testatoriis concedendis, sed clientes suos ad salutare jejunium amplectendum & hortabuntur & excitabunt.

VII. Similiter Parochi & animarum Pastores, qui præhabita medici attestatione dispensationem impertiuntur abstinentiæ quadragesimalis, tuti non sunt in conscientia, si solum visis medicorum schedulis & attestationibus, statim veniam impertiantur, & concedant: nam & ipsi de legitimitate petitæ dispensationis judices sunt, nec sola in ipsis spectatur auctoritas, sed & consilium exigitur & judicium. Pontifices enim Summi statuunt & declarant, non licere Christifidelibus se ab abstinentia quadragesimali subtrahere *sine legitima causa, & de utriusque medici consilio*. Audiant quomodo eos moneat Sapientissimus Theologus Elizaldo 2. p. lib. 61. q. 17. §. 11. „ Duæ scientiæ co-
„ gnitionesque in utroque medico desi-
„ derantur, alia corporis, alia animæ.
„ Hinc jure supponit Ecclesia in Parocho.
„ Nam bonus Pastor, & qui mercenarius
„ non est, cognoscit oves suas & ob hoc
„ ejus licentiam requirit. Quare licentia
„ ista non est clavis gravis potestatis sed
„ clavis scientiæ saltem principalius.
„ Nec totum pendet a sola scientia cogni-
„ tioneque medici corporis, cum in

„ hac re solum sit Parochi scilicet videre quid medicus corporis existimaverit & subscribere ejus dicto. Tractatur itaque de duplici salute corporis quippe & animæ. Et ideo utriusque medici judicium requiritur & potior est medicus animæ, & si unum huic, alterum illi videretur, & invaletudo aliqua corporis peteret Petrum non jejunare, sed lætari & epulari, multitudo autem peccatorum ejus magna pœnitentiam postularet. Item si in concupiscentiis totus arderet, & in magno esset periculo, postponi corpus debet & medicus ejus, & medico animæ standum est, & jejunandum, & corpus affligendum, & castigandum, quousque in debitam servitutem redigatur, nec animas nostras, idest vitam nostram pretiosiorem facere debemus quam nos, idest quam salutem animæ nostræ, & nostram". Hæc attendant animarum Pastores, ne sint canes muti non valentes latrare, timentes ne invidiam subeant & odium magnatum & potentum, sed sint dispensatores fideles constituti super familiam Domini, quam regant non ad illius voluntatem, sed juxta legem Dei & Ecclesiæ præcepta. Si enim (inquit S. Th. 1. 2. q. 197. „ a. 4. absque ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispesatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, si non habeat intentionem ad bonum commune, imprudens autem si rationem dispensandi ignoret".

VIII. Qui justa de causa dispensationem obtinuit, per quam ab abstinentia carnium solutus est, non ideo censendus est ab alia jejunii lege de unica comestione dispensatus. Affirmarunt & pluribus auctoritatibus & rationum momentis adducti, oppositum propugnarunt paucis ab hinc annis plures Theologi, aliis e contra pro veritate decertantibus. At quæstionem omnem diremit Sapientissimus Pontifex Bened. XIV. duplici Bulla, quibus declaravit jussit, ac statuit, dispensationem ab abstinentia concessam sive Communitati integræ, sive alicui determinatæ personæ non inferre dispensationem ab unica comestione, sed cum usu carnium jejunium esse conjungendum, & licet scholasticam illam & speculativam quæstionem, num essentia jejunii sit in abstinentia a carnibus, vel in unica comestione collocanda, definire sapientissime noluerit, novum tamen se non inducere præceptum aperte declaravit, sed indolem & naturam quadragesimalis jejunii exponere, in quo *nemo ignorare debet* (verba sunt sapientissimi Pontificis) *cum hujusmodi necessitate* (carnibus vescendi) *servandam esse potissimum unicam comestionem*. Et jure merito dictante ipso naturæ lumine, leges omnes esse omnino servandas, & sin integre, saltem eo meliori quo fieri potest modo, ut diximus diss. 3. de Leg. Hum. cap. 9. num. 16. reg. ult.

IX. Non licet quibus concessus est carnium esus promiscue vesci & carne & piscibus, & utrasque epulas simul permiscere, alioquin violati quadragesimalis jejunii graviter culpabiles sunt. Ita declaravit laudatus Pontifex in suo Brevi ad postulata Archiepiscopi Compostellani, & alia Bulla ad universos Episcopos, in qua præfatam responsionem toti Catholicæ Ecclesiæ communem fecit. In utraque itaque declaravit 1. dispensationem a carnibus nulli sive communitati, sive privato esse concedendam, *nisi conditio servandi jejunii sive unius comestionis interponatur*, &c.

& illud quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eandem carne & piscibus instruere. 2. Has binas conditiones sub gravi esse observandas tum in dispensationem concedentibus, qui sub lethali culpa eas apponere conditiones obstringuntur, tum *ab eis, qui hujusmodi facultatibus utuntur*, quippe qui *sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligantur*.

X. Quibus concessa est facultas vescendi carnibus, interdictum tamen semper ipsi erit sub lethali culpa uti dispensatione in serotina collatiuncula, in qua iisdem solum vesci cibis poterit, quibus aliis fidelibus vesci concessum est. Ita in præfata Bulla declaravit laudatus Pontifex. Hinc cum & in Quadragesima vetitus sit & usus lacticiniorum & ovorum, concessa dispensatione, his uti non licebit nisi in unica meridiana comestione, in collatiuncula autem interdicta omnino sunt ut declaravit etiam Clemens XIII. in sua Bulla *Appetente* data anno 1759. ubi confirmans declarationem Prædecessoris sui Benedicti XIV. qua indixerat, dispensatos a carnium abstinentia, unica excepta comestione in omnibus æquiparandos iis esse, quibus cum nulla est dispensatio, ipsi addidit: *propterea tantummodo* ad unicam comestionem *posse carnem, vel quæ ex carne trahunt originem adhibere*. Sed de hoc fusius Consect. 10.

CAPUT SEXTUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Quinam possint a carnium abstinentia dispensare*.

II. *Quinam indigeant dispensatione*.

III. *Non est dispensatio a carnibus concedenda, si sufficiat lacticiniorum usus*.

IV. *Quando medici gravissime peccent in dandis schedis pro dispensatione*.

V. *Quando pariter Parochi & Pastores animarum dispensantes*.

VI. *Graviter peccant qui œconomiæ causa domesticos ad carnes comedendas cogunt*.

VII. *Dispensati a carnium abstinentia nonnisi salubribus carnibus vesci possunt*.

VIII. *Dispensati a carnium vel lacticiniorum abstinentia illis vesci possunt in secunda refectione in Dominicis diebus Quadragesimæ*.

IX. *Dispensatis licitum est & ova pisces permiscere, sicut & ova, & carnes*.

X. *Non autem carnes & lacticinia usurpare in serotina collatiuncula*.

XI. *Præcepta de unica comestione & de non permiscendis epulis urgent etiam in jejuniis extra Quadragesimam*.

XII. *In sextis Feriis sola est præcepta abstinentia a carnibus*.

XIII. *Qui ex voto vel regula ad jejunium vel abstinentiam feria sexta vel Sabbato obligantur, non possunt vesci carnibus in Natali Domini iis diebus occurrente*.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. EPISCOPI cum suis subditis, Parochi cum suis ovibus, Superiores Regulares cum suis Religiosis justa intercedente causa dispensare possunt ab abstinentia carnium in particulari necessitatem habente; at si dispensandum sit cum tota Diœcesi, Parochia, vel Communitate, reverentia est Sedi Apostolicæ habenda, & ab ea petenda licentia. Et quidem licere præfatis privatis indigentibus dispensationem con-

concedere nemo ambigit, & ipsa confirmatur praxi; nam Episcopi subditos suos dispensant propria auctoritate, Parochi ex concessione Episcopi & consuetudine, regulares Prælati facultate & privilegiis sibi a Sede Apostolica concessis. Et revera ita postulat humani regiminis conditio, nam cum frequenter occurat dispensationis necessitas, & subditi non nisi cum magna difficultate ad Summum Pontificem valeant confugere, æquum est, ut in suis Pastoribus eam reperiant potestatem, qua proinde indigentiis subditorum consulere valeant. At quando agitur de integræ diœcesi, civitati, oppido, vel communitati dispensatione concedenda, debitam esse Sedi Apostolicæ reverentiam exhibendam & docet, & rationum momentis evincit Benedictus XIV. tum in suo Brevi ad Episcopos suæ temporalis ditionis pro translatione Vigiliæ S. Mathiæ a postrema die bacchanalium, cum qua aliquando concurrit, ad præcedentem alteram diem, ostendens non licere Episcopis propria auctoritate eam vigiliam transferre, utpote eo die statutam ab Innoc. III. & insertum Decretum pro toto Christiano Orbe in jure Can. cap. *ex parte* de observ. jejun. & confirmatum in III. Conc. Lateranensi c. 23. in Appendice, in iis autem, quæ a Summis Pontificibus & Generalibus Conciliis statuta sunt, non conceditur privatis Episcopis dispensare: tum fusius de Synodo Diœcesana lib. 9. cap. 1. ubi invicte ostendit, non esse usquequaque veram doctrinam, *quam adstruunt plures Auctores, & velut indubitatum axioma venditant, scilicet quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias quæ totius Ecclesiæ statum respiciunt, ut fidei articulum definire, potest Episcopus in sua Diœcesi, nisi specialiter Papa illud reservavit, sed non esse Episcopis concessum nec in sua Diœcesi dispensare contra legem universalem Ecclesiæ, Concilii Generalis, & Summorum Pontificum*. Porro lex indicens a carnibus abstinentiam & antiquissima est in Ecclesia, & toto orbe custoditur, & pluribus tum Conciliorum Decretis, tum Summorum Pontificum statutis confirmata; in ea igitur pro tota Diœcesi, vel integra civitate sine Sedis Apostolicæ licentia non valent Episcopi dispensare; & revera ita in praxi servatur certe in tota Italia, ubi Episcopi etiam pro sola dispensatione ab ovis & lacticiniis ad Sedem Apostolicam, vel ad ejus a latere legatos, si sint tanta potestate donati, confugere solent. Hinc de privatis dispensationibus loquitur Concina, quando dicit cap. 36. Diss. 1. de jej. n. 3. *se arbitrari Episcopum vere dispensare in esu carnium*. Non tamen censeo adprobandam quam affert rationem subdens: *Quoniam licet lex universalis pro tota Ecclesia sit supra facultatem Episcopi, prout tamen hæc lex spectat hanc Diœcesim, subjacet jurisdictioni Episcopali, quatenus Episcopus valet legem illam interpretari, & ex justa causa ab eadem suos subditos dispensare*. Hac enim semel constituta doctrina jam Episcopi in omnibus Ecclesiæ canonibus de impedimentis Matrimonii, de irregularitatibus, de ætate Ordinandorum &c. dispensare possent cum suis subditis, quia licet hæc jura & hi Canones legem constituant universalem pro tota Ecclesia, semper tamen stat, spectare etiam ad quamcumque privatam Diœcesim, cum Ecclesia universalis nonnisi ex privatis Diœcesibus conflatur; ergo in hac vel illa Diœcesi poterit Episcopus dispensare, non quatenus legem constituat universalem, sed quatenus hanc vel illam Diœcesim spectat, quod profecto absurdissimum foret

affe-

asserere, & ut observat laudatus Bened. XIV. in laudato capite citati Operis ex Fagnano „ inferiorem posse contra legem Superioris absolute dispensare, „ nihil aliud est quam caput membris, „ & superiora inferioribus subjicere, „ & ordinem naturalem invertere, & „ Ecclesiasticam Hierarchiam confundere Dei ordinatione institutam, præsertim vero quia mos Sacrorum Canonum & Conciliorum est fere ubique „ præcipere aut prohibere quid faciendum sit vel non faciendum, raro autem „ descendunt ad prohibitionem dispensationis. Unde si liceret Episcopis „ dispensare quotiescumque dispensatio „ in specie non prohibetur, consequenter esset in eorum facultate totum „ jus commune & Concilia universalia „ subvertere in singulis casibus dispensando, quod est erroneum asserere ". At inquies, qua igitur potestate Episcopi suos subditos in quadragesimali abstinentia dispensant? Ratio est in promptu, quandoquidem eadem Concilia & jura, quæ statuunt fideles singulos ad quadragesimalem abstinentiam teneri, addunt etiam quod, gravi urgente necessitate & causa, possint carnibus vesci *Sacerdotis permissione*, sed de *consilio utriusque medici*; nomine autem Sacerdotis & medici spiritualis certo & præcipue designantur Episcopi: data est igitur Episcopis facultas singulos dispensandi. Hinc & limitandum quod docet idem Concina n. 7. scilicet posse Episcopos urgente causa belli, pestis, similisque necessitatis cum tota Diœcesi vel civitate dispensare, nimirum si necessitas ita urgeat, ut recursus ad Apostolicam Sedem vel difficilis admodum sit, vel impeditus, tunc enim dispensare potest, tum quia necessitas legem non patitur, tum quia præsumendus merito est Sedis Apostolicæ consensus. Legantur quæ diximus Tr. de Leg. Diss. 4. cap. 9. & 10. Quod autem de Episcopis dictum est, Prælatis quoque Regularium aptandum, cum & ipsi in suos subditos jurisdictionem quasi Episcopalem obtineant. Cujus jurisdictionis cum capaces non sint Abbatissæ vel Priorissæ, Moniales sibi subditas dispensare non possunt, sed solum tanquam matresfamilias statum indigentis sororis expendere, & agnoscere, num quadragesimalem abstinentiam valeant tolerare, & si perspexerit non posse, declarare ad eam servandam non teneri, quod tamen judicium est saltem Confessarii judicio submittendum, & ab eo dispensationem petendam juxta facultatem illi ab Episcopo concessam.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Qui certa premitur infirmitate vel necessitate carnibus vescendi, nulla eget dispensatione, cum jam lex abstinentiæ certe in tali casu debilem & infirmum non urgeat; at qui dubitat, vel omnino certus non est de legitima jejunii vel abstinentia a carnibus causa, dispensationem ab Ecclesiæ Pastoribus necessario postulare tenetur. Ita docet S. Th. hic q. 147. a. 4. scribens: „ Statuta „ communia proponuntur, secundum „ quod multitudini conveniunt. Et „ ideo Legislator in eis statuendis attendit id, quod communiter, & in „ pluribus accidit. Si quid autem ex „ speciali causa in aliquo inveniatur, „ quod observantiæ statuti repugnet, „ non intendit talem Legislator ad statuti observantiam obligare: in quo „ tamen est discretio adhibenda. Nam „ si causa sit evidens, per seipsum licite potest homo statuti observantiam „ præterire, præsertim consuetudine „ interveniente, vel si non posset de

„ fa-

„ facile recursus ad Superiorem haberi. „ Si vero causa sit dubia, debet aliquis ad Superiorem recurrere, qui „ habet potestatem in talibus dispensandi. Et hoc est observandum in „ jejuniis ab Ecclesia institutis, ad quæ „ omnes communiter obligantur, nisi in „ eis fuerit aliquod speciale impedimentum". Quam regulam adoptavit, & confirmavit S. Antoninus par. 2. cap. 2. dicens ". Si sit dubium, utrum „ in causa necessaria, petenda est ab „ Episcopo loci si commode haberi potest dispensatio, vel a proprio Sacerdote, si tamen adiri non potest Episcopus. Non tamen quærat cæcum „ pro consilio in hujusmodi". Hæc regula quoque servanda est & ab iis, qui licet necessitatem suam clare evidenterque cognoscant, quia tamen fortassis occulta est, nec aliis comperta est quibuscum vivunt & conversantur, ne scandalum ipsis afferant, dispensatione maniri debent, ut omnis tollatur proximi etiam pusilli offensio, Ad quam etiam omnimode vitandam optime statuunt Concilia Mediolanense V. sub S. Carolo, & Tolosanum anni 1590. ut *qui carnem prohibitis diebus ex licentia comedunt, soli, ne ulli scandalo sint, locoque separato comedant*. Quod antea docuerat & S. Cæsarius Arelatensis serm. in Quad. 3. & 142. inter Sermones de Temp. in Append. Serm. S. Augustini: „ Qui jejunare (inquit) non prævalet, „ secretius sibi soli, aut si est alius infirmus, cum ipso sibi in domo sua „ præparet quod accipiat, & illos qui sani „ sunt, & jejunare prævalent, ad prandium non invitet, quia si hoc fecerit, non solum Deus, sed etiam homines intelligere possunt, illum non „ pro infirmitate non posse, sed pro „ gula jejunare non velle. Sufficiat illi, „ quod ipse jejunare non prævalet, & „ magis cum gemitu & suspirio, & animi dolore manducet pro eo quod aliis „ jejunantibus ille abstinere non potest.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Nec licite petere potest dispensationem ab abstinentia carnium, nec ea legitime uti, qui potest suæ valetudini consulere solo lacticiniorum usu, Veritas hujus propositionis est manifesta: quandoquidem dispensatio a lege universali solum ad mensuram & indigentiam necessitatis conceditur: porro qui solo usu lacticiniorum suæ potest valetudini providere, profecto non ultra dispensationem extendere debet. Ita docet Theophilus Raynaud. scribens, „ medicus perperam & inique „ agit si valetudinario, & morboso, vel „ debili, qui se ovis & lactariis cibis „ tueri facile potest, usum carnis etiam „ concedit maxime in Quadragesima". Et Bened. XIV. in suo Quadragesimali edicto jubet medicis, ne carnium esum ullo modo concedant illis, qui ovis & lactariis suæ necessitati, & indigentiæ prospicere valent. Præterea jejunium est, eo meliori modo, quo fieri potest, observandum, & qui integrum & rigorosum servare non potest, saltem eam partem sustinere debet, quam sibi graviter noxiam, vel perniciosam non experitur; at sola abstinentia a carnibus est huic noxia & perniciosa, ut supponimus; igitur eam servare non adstringitur & custodire; sed debet lacticiniorum esu contentus esse. Immo si quis prudenter crederet solum pulmento jure carnium cocto & condito, cum ovis & lacticiniis, vel etiam piscibus, posse quadragesimale tempus sine gravi nocumento decurrere, carnibus vesci non deberet, sed hoc quoque modo jejunare,

nare, cum satis hoc pacto suæ indigentiæ & necessitati consuleret: ut etiam docuit claræ memoriæ Cardinalis Quirinus in sua Pastorali Epistola ad Vicarios foraneos data 15. Feb. 1742. scribens: „ Non probamus eorum sententiam, qui putant, dispensatis, quorum stomacho satis foret de utriusque medici consilio pulmentum in jure coctum, aut quid simile degustare, non amplius licere post illam degustationem in reliquo prandio sive ovis & lacticiniis sive piscibus uti, eaque ratione prohiberi. Contra censendum est, illam pro cujuscumque viribus temperantiam, dum a christiana pietate & abstinentiæ ipsius amore ortum trahat, potius esse laudandum ". Ideoque puto fideles omnes teneri prius experiri, num & quantum sibi nocere possit quadragesimalis abstinentia, & primo quidem per aliquot dies eam custodire, quam si sibi noxiam experiuntur, lacticiniorum & ovorum usu imminenti periculo valetudinis obviare, qui postea si nec sufficiens deprehendatur ad grave malum, quod juste timetur, vel tollendum vel avertendum, tunc ad esum carnium erit confugiendum, quod Ecclesia certe non denegabit, & ita experto libenter largietur. Hinc tuti certe non sunt in conscientia, qui vel ipsis primis Quadragesimæ diebus vel etiam in præcedentibus, statim dispensationem petunt, & libere utuntur carnium usu, panico quodam timore ex inordinato vitæ affectu manante, ne grave damnum, quod in pluribus phantasticum est, incurrant.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Medici gravissimi peccati rei sunt, si absque legitima causa & re bene comperta & perpensa consilio suo, vel testimonio in causa sint, ne quadragesimalis servetur abstinentia. Veritas hujus doctrinæ, quæ probatione non indiget, adeo luculenta, manifesta, patens est, vix a medicis consideratur, quorum plerique in causa sunt, cur tam pauci quadragesimalem custodiant abstinentiam, ut eis merito exprobat Theophilus Raynaudus Tom. 10. in sua Rof. Med. scribens: „ Certum est sanctum per quadragesimam abstinendi, & jejunandi usum non aliunde magis eviguisse, quam ex laxitate per Medicos inducta: sive quod minus digne de hac praxi catholica sentiant, sive quod blandientes iis, qui suam ignaviam tectorio necessitatis obducebant per humanæ gratiæ cum divina collidentis captationem, & ob corporis statum optimum, quem Medici propositum habent, animam negligentes, parvi fecerunt legum sacrarum severitatem tueri ". Merito itaque eos ita monet S. Carolus Borromæus: „ Medici meminerint ita suarum esse partium corporis incolumitati prospicere, ut non obliviscantur potiorem haberi debere animarum salutem. Quapropter caveant diligenter, ne alienæ culpæ participent nimia facilitate sua in fide facienda necessitatis utendi cibis vetitis ". Medicorum vero Confessarii illos hac de re serio examinent, & moneant, non solum reos esse violatæ abstinentiæ, sed & perjurii, cum schedas testimoniales de necessitate petentis Sacramento confirmant: quamobrem etiam ex hoc capite teneri diligentius sui Clientis statum, vires, valetudinem, modum vivendi expendere, ut rectum valeant de re testificanda judicium ferre, quos autem deprehenderint nimium faciles & benignos corripiant, & si quos invenerint nullo delectu schedas in officinis Pharmacopolarum deponere petentibus

tibus indifferenter tradendas, beneficio absolutionis non dignentur, nisi serio polliceantur ab hujusmodi perverso more recedere.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Episcopi, Parochi, Confessarii, & ipsi violati jejunii rei sunt, si temere absque examine, sola visa medici testificatione dispensationem ab abstinentia carnium petentibus largiuntur. Non enim, ut præcedenti capite diximus, ab Ecclesia eorum exigitur & consilium & auctoritas, ut clausis oculis absque ulla consideratione medicorum dictis acquiescant, sed ut expendant & videant, num verum sit quod exponitur, & si viderint medicos nimium faciles & benignos, petentes nimium dedicatos, dispensationem infracto animo denegent. Hinc in jure Canonico dist. 5. Can. *Contraria* monentur: *Contraria studiose stant divinæ cognitioni præcepta medicinæ. A jejunio revocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui se medicis dederit, se ipsum sibi abnegat*. Præterea optime novit Ecclesia, medicos in duas classes a Paulo Zachia optime distingui, quorum „ quidam corporeæ salutis adeo sunt studiosi, ut eam spirituali sanitati .... præferre cum summa temeritate audeant, dummodo corpori ne per somnium quidem quidpiam detrimenti adveniat. Spiritualia remedia ad animæ morbos medendos omnino respuere ac damnare consueverunt. Eorum alii non tanta temeritate conspicui, sed nimis ex alia parte corporeæ saluti indulgentes jejunium inter prædicta remedia præcipuum damnare non audent, sed vel minima ex causa legitime quemcumque excusari ab ejus observantia volunt, unde non „ modo levioris præsentia, sed timore „ futuri mali jejunium quantum in se „ est a suis consultoribus & ægrotis „ frangi permittunt, putantes tam hi, „ quam Superiores jejunium omnino & „ undequaque sanitati officere.... priores in hoc impie invehuntur; posteriores vero nimia & irrationabili corporis indulgentia ducti illud solvendi levissima ex causa auctores sunt “. Ut igitur priorum temeritatem, & posteriorum damnosam licentiam coerceat, jussit Ecclesia & Sacerdotale judicium esse expectandum, nec medicorum valere suffragium, nisi & Ecclesiasticus calculus accedat. Porro vanum omnino esset & futile hoc Ecclesiæ studium & cura, si Parochi, si Pastores nonnisi medicorum schedas legere, & sua auctoritate munire deberent, nec quid ultra ab ipsis expectandum. Suæ igitur consulant saluti animarum Pastores, & in hujusmodi concedendis dispensationibus cautiores sint, & morosiores se præbeant.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Gravis peccati rei sunt tum violati jejunii, tum scandali, Domini, patres-familias, aliique Superiores, qui cum in sui favorem abstinentiæ a carnibus impetraverint dispensationem, titulo œconomiæ & paupertatis etiam filios, servos, aliosque domesticos cogunt ad carnes comedendas, ne, ut inquiunt, mensæ duplicentur. Quis enim unquam audivit, hunc titulum dispensationis, qui profecto non nisi ab avaritia progreditur, immo contemptum præsefert sanctæ jejuniorum legis, cogere domesticos ad vetitos sumendos cibos, quia dispensati sunt patres-familias? Isti tenentur filiis ceterisque domesticis jure divino & humano victum suppeditare juxta

juxta leges & præcepta Ecclesiæ, non juxta temporalem eorum œconomiam, cui toto anno studere deberent & incumbere, abstinendo a superfluis ludis, symposiis, oblectamentis, aliisque expensis vanis & inutilibus, ut possint cibum præbere opportunum in tempore suo. Tantum vero abest a mente Ecclesiæ, ut domestici carnes cum dominis dispensatis comedant ne mensæ duplicentur, quin immo jubet in Quadragesima ita mensas duplicari, ut quibus permissum est ob infirmam valetudinem, vel ob aliam causam quadragesimæ diebus carne aut aliis cibis vetitis vesci ne publice neve etiam cum domesticis, sed separatim in remotiori ædium loco ejus generis cibum capiant, ut ob corporis imbecillitatem aut morbum potius quo laborant, quam ob ingluviem id facere dignoscantur. Legatur Institutio XV. Bened. XIV. n. 25.

Consectarium Septimum.

VII. Qui a carnium abstinentia relaxationem impetrarunt, nonnisi salubribus carnibus vesci possunt. Oppositum plane docuerant fere omnes Probabilismi sectatores, aliquibus dumtaxat exceptis, qui antiquorum doctorum sententiam novitia doctrina corrumpere non sunt ausi. Testis tum novitatis doctrinæ, tum ejus probabilitatis invectæ, sit Probabilistarum Princeps Diana Tom. 4. Coord. Tr. 6. Ref. 71. ubi postquam dixit, ita sentire Joannem de la Cruz Dominicanum Probabilistam subdit: *Contrariam opinionem tamen sustinendam esse puto, quam* NOVISSIME *docet Villalobos . . . Itaque habenti licentiam ad esum carnium licebit quodcumque genus comedere, scilicet lardum, leporem, hœdum, bovem, & alia infirmis disconvenientia, etiamsi tota refectio ex illo carnis genere fiat; nam in tali casu edendo carnes saluti nocivas, peccabit adversus præceptum naturale temperantiæ, non autem adversus præceptum positivum de abstinendo a carnibus in die jejuniorum*. Verum hanc laxam opinionem omni probabilitate spoliarunt duo Romani Pontifices Clemens XI. in solo edicto anni 1702. ita statuens. „ Animadvertant & medici, „ & qui petunt licentiam, ut attendant „ qualitatem carnium, quod nempe „ sint salubres, quia hæ SOLÆ per„ mittuntur in Quadragesima his, qui „ ex justa causa nequeunt vesci cibis „ quadragesimalibus “. Et novissime Benedictus XIV. in suo edicto anni 1741. ubi ipsissima Clementis XI. verba italico sermone ad omnium intelligentiam descripsit & decretum confirmavit. Idem antea tanquam Ecclesiasticæ disciplinæ conforme, & quadragesimali jejunio conveniens indixerat S. Carolus Borromæus in suis aureis pro exacta quadragesimali observantia regulis statuens: „ Non ven„ dantur cujusque generis carnes, sed „ vitulinæ tantum, alteriusve animalis, „ quod medicorum judicio usui dumta„ xat infirmorum congruum est. Nec „ cuilibet vendantur, sed iis solum, „ qui facultatem a destinatis medicis „ habuerint “. Et revera, si juxta Canonistarum, & Theologorum axioma, *dispensatio non extenditur ultra limites necessitatis postulantis*, cum valetudinarii, debilis, languentis, infirmi necessitas sit in solo esu salubrium carnium, ad hunc solum concessa dispensatio se extendit.

Consectarium Octavum.

VIII. Quibus concessa est legitima de causa dispensatio sive a carnium, sive a lacticiniorum abstinentia, vetitum non est in diebus Dominicis carnibus & la-

cticiniis uti in secunda comestione. Oppositum plane censet, & publica etiam dissertatione typis edita & probare & confirmare conatus est doctissimus & eruditissimus ex meo Ordine Theologus, quem veneror, colo, & diligo. Illi tamen paris eruditionis Theologus respondit altera disputatione pariter typis edita Lucæ 1769. qua argumenta omnia dissolvit, & doctrinam quam statui confirmavit. Audax profecto nimium forem, & temeritatis merito arguendus, si judicem me constituere auderem inter tantos Theologos, quibus si me comparare præsumpsero, ut locusta videbor ridendus, proinde & vituperandus. Nihilo tamen secius cum de re morali fatali necessitate mihi durissima scribere compellar, hanc quæstionem præterire non possum; solum igitur quid ipse sentiam candide promam. Posterioris itaque Theologi sententiæ subscribo, & positam doctrinam probabiliorem censeo. 1. Quia inter plurima dubia tum ab Archiepiscopo Compostellano, tum ab aliis Benedicto XIV. proposita circa editas ab eo de jejunio constitutiones nulli in mentem venit ambigere, num liceat dispensatis vesci carnibus vel lacticiniis in secunda comestione diebus Dominicis concessa, licet quæsitum sit, num liceat præfatis Dominicis diebus epulas permiscere; quod argumentum licet negativum, satis tamen ostendit omnium mentibus infedisse, præfatis constitutionibus non aliud indixisse Sanctissimum Pontificem nisi custodiam & observantiam jejunii, unius scilicet comestionis, & vetuisse permixtionem epularum iis, qui vel generali vel particulari donati sunt facultate vescendi carnibus vel lacticiniis. Et revera ita omnes sensisse fatetur contrariæ opinionis Theologus scribens „ omnes a jejunio dispensatos carnibus „ vel ovis & lacticiniis in Dominicis „ diebus in cœna vesci, quin Pontifex, qui hoc probe noverat, recla„ maret “. Immo & ipse Concina, qui responsa laudati Pontificis ad Archiepiscopum Compostellanum longo Commentario illustravit, & binas de jejunio Bullas *Non ambigimus*, & *In superna* observationibus Theologico-Historico-Criticis exposuit alio Opere Italico cui Titulus *Disciplina antiqua & recens Romanæ Ecclesiæ in Quadragesimali jejunio*, hanc quæstionem nec attigit, nec movit, quippe qui locum habere posse nunquam suspicatus est, nec rigidiorem doctrinam de unica comestione carnium etiam in diebus Dominicis Quadragesimæ custodiendam in omnibus præfatis Constitutionibus vel contineri vel legitime posse consecutione deduci. Præterea quod meo videri rem omnino conficit illud est, Pontificem Summum solum voluisse sartum tectumque servare, quantum fieri potest, sacrum jejunii præceptum, ut quantum fieri potest ab omnibus aliquo modo servetur, ideo 1. jubet ut omnes a carnibus & lacticiniis abstineant, & unicam comestionem servent, quod integrum perfectumque jejunium constituit. 2. Qui solis piscibus vesci non potest legitima causa, non statim carnibus vescatur, sed solis utatur lactariis, si hæc ejus sufficiant necessitati, & unicam servet comestionem. 3. Qui vero premitur necessitate vescendi carnibus & hoc quidem concedit, at jubet ne pisces & carnes permisceat, & unica servetur comestio, si hæc illius valetudini non officiat. In Dominicis vero diebus cum lex de unica comestione non urgeat, manifestum est, eam solam jejunii superesse partem, quæ in abstinentia consistit. At hæc sub-

ſublata eſt per conceſſam carnium & lacticiniorum diſpenſationem, ergo non urget. Non urget itaque præceptum abſtinentiæ, non urget præceptum unicæ comeſtionis; quodnam eſt igitur præceptum illud, quod obſtringit ad unicam tantum comeſtionem ſive carnium, ſive lacticiniorum in præfato die? Nullum profecto; gratis igitur novum fingitur præceptum, quod nunquam latum legitur in Eccleſia. At inquit clariſſimus Theologus, diſpenſatio a carnium vel lacticiniorum eſu non eſt univerſalis, ſed data pro unica comeſtione, nam dicit Pontifex *Legem unicæ comeſtionis ſervandum*, & iterum repetit, *firma manente lege unius comeſtionis*. At amabo de qua lege loquitur Pontifex, num de nova, quam ipſe indicat lege, vel de antiqua jam in Eccleſia vigente? Non certe de nova, quia ut obſervat Concina tum in Opere latino, tum in Italico, tum in tota ſua Morali Theologia, nulla novam indixit legem Pontifex, ſed antiquam & in Eccleſia ab ejus incunabulis vigentem ſolum confirmat, munit, tuetur contra fidelium corruptelas, & Theologorum laxas opiniones. Loquitur igitur de antiqua; at nunquam fuit in Eccleſia lex unicæ comeſtionis in Dominica; ergo dicendum hanc indictam a Benedicto, quod abſurdum eſt; vel ſi non indicta, ergo nec onus abſtinendi vel a carnibus, vel a lactariis in ſecunda comeſtione. Idem dicendum & de illis, qui ad tertium non pervenere ſeptennium, ſi enim vel diſpenſati ſint a carnium abſtinentia, ſive in locis degant, ubi vel ex privilegio, vel ex conſuetudine ovis & lactariis veſci conceſſum, tuta conſcientia carnes & ova etiam in omnibus jejuniorum diebus in ſecunda refectione & carnibus & lactariis veſci poterunt. Et revera intolerabile foret præceptum non utendi dſpenſatione præſertim ab abſtinentia lacticiniorum & ovorum niſi in unica comeſtione ab iis, qui lege unicæ comeſtionis non obligantur. Nam in pluribus civitatibus, ubi præfata ob piſcium & olei penuriam diſpenſatio conceditur, plures ſunt in Monaſteriis Monialium, in Seminariis Epiſcoporum, in Collegiis nobilium, in domibus privatorum adoleſcentes, qui lege unicæ comeſtionis non ligantur; quomodo igitur eorum indigentiæ providere deberent Abbatiſſæ, Superiores, Rectores, Patres-familias in ſecunda comeſtione? Num piſces præbendo? Minime; hi enim deſunt, & ideo conceſſa diſpenſatio. Num lactaria & ova? Ne quidem; his enim, poſita Auctoris doctrina, non licet veſci niſi in unica comeſtione. Cogentur itaque novo præcepto jejunare, quod certe nemo prudens dixerit. Idem dicendum ſi forte alicui civitati conceſſum ſit aliquibus Quadrageſimæ diebus carnibus veſci ob lacticiniorum penuriam, tunc enim non poſſent iſta ſuppeditare cum deſint, ergo niſi & carnes dentur in ſecunda comeſtione, jejunare cogendi forent. Quare ſapientiſſime Clemens XIII. in ſua Conſtit. *Appetente* data anno 1759. ubi ſtatuit non licere uti diſpenſatione conceſſa ab abſtinentia ab ovis & lacticiniis niſi in unica comeſtione, addit ab illis, qui *quovis modo jejunant*, ideſt qui tenentur lege unicæ comeſtionis conjungendæ ſive cum eſu piſcium, ſive cum eſu carnium, ſive cum eſu lacticiniorum, ut ſignificaret 1. illos non poſſe uti lactariis in ſerotina collatiuncula, vel in aliis potiunculis, quas ſibi vel prudenter vel imprudenter conceſſas arbi-

arbitramur. 2. Ab hac lege unicæ comestionis solutos non teneri præcepto ab iis abstinendi cum nullo modo jejunent, non abstinentia a qua sunt dispensati, non unica comestione, ad quam observandam nulla lege obstringuntur. Hæc sunt quæ mihi probabiliora, & veritati magis consona videntur, & libere exposui ut Pyrrhonismum in re morali devitem. Qui rem accuratius discussam videre cupit, binas præfatas legat Dissertationes, & lectionis non pœnitebit.

Consectarium Nonum.

IX. Tametsi vetita sit ciborum esurialium & concessorum in Quadragesima permixtio, certum tamen est, quibus concessum est vesci ovis & lactariis, posse & pisces cum illis conjungere, & vesci simul & piscibus & lactariis: num autem quibus usus carnium concessus est, possint simul & ova & lactaria comedere, non ita compertum & exploratum. Primam positi consectarii partem manifestam facit & compertam sæpius laudatus Pontifex Bened. XIV. in suis ad Postulata Archiepiscopi Toletani responsionibus, ubi postquam declaravit in resp. ad 4. postulatum, nomine interdictarum epularum iis, quibus concessa est facultas vescendi carnibus, intelligi *pisces*, & nomine concessarum epularum *ipsas carnes*, statim subdit, piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova & lacticinia; licet igitur istis in una eademque comestione, & pisces, & ova, & lactaria comedere. Præviæ ad Apostolicam declarationem ita sentit & Eminentissimus Card. Quirinus in sua Pastorali superius consectario 3. laudata, ubi sic Parochos & Confessarios instruit: „ Quod „ itaque in litteris cautum est de illicitis & interdictis epulis minime apponendis nemo vestrum ignoret referri quidem ad carnium, non autem „ ad ovorum etiam & lacticiniorum cum „ piscibus aliisque licitis jejunii tempore epulis usum. Nam omnibus patet, quemadmodum in nostra, ita „ in aliis quoque regionibus ovorum & „ lacticiniorum usum licitum ex vi so„ lummodo consuetudinis adhiberi in „ quatuor anni temporibus, in vigiliis „ pariter, ac proinde illa non ita pro „ interdictis epulis habenda esse diebus „ jejunii ac carnes habentur ". Jam doctissimo Præsuli consenserat & P. Concina in sua Appendice ad Librum Italicum, cui titulum fecit *Disciplina Vetus & Moderna &c.* ubi ea, quæ Theologum Christianum decet, modestia scribit „ se quidem sentire non prohi„ beri a Summo Pontifice lacticiniorum „ & ovorum cum piscibus in una co„ mestione conjunctionem: " sed sub„ dit: se sua sensa promere omnimoda „ indifferentia & demississima animi sub„ missione si aliter declaratum foret & „ constitutum ". Hanc igitur modestiam imitatus & pari animi submissione licet existimem admodum probabile, licere & ova & lactaria carnibus etiam cumulare, fateor tamen non esse omnino certum, cum sicut de priore piscium & lacticiniorum conjunctione, non ita sit ab Apostolica Sede de hac secunda definitum. Incertam etiam rem efficit clariss. Franzoja, qui censet, præfatam in uno prandio lacticiniorum & carnis copulationem vetitam in duplici Bulla *Non ambigimus*, & *In superna*, nec non confirmatam in responsione ad Postulata Archiepiscopi, ubi aperte Pontifex declaravit epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas, epulas interdi-

dictas esse pisces, unde infert dispensatos jejunii diebus quoad carnes non intelligi dispensatos etiam quoad ova & lacticinia cum carnibus comedenda. Et revera inquit 1. „ Si dispensatus quoad „ carnes, simul cum iis ova & lactici- „ nia comedere posset, multo magis „ pisces, quod tamen certo vetitum est. „ 2. Si dispensatos quoad carnes, salu- „ bres tantum ut vervecinas, vitulinas „ &c. comedere posse concedunt Pon- „ tifices, cur ova & lacticinia permit- „ tunt? 3. Dispensatio ex natura sua „ spectat ut necessitati satisfaciat, non „ ut genio & gulæ inserviat; at usus „ carnium sine ovis & lacticiniis quoad „ necessitatem satis est, ergo dispensa- „ tio ova & lacticinia simul cum carni- „ bus non permittit “. Ista quidem pie & sancte ad quadragesimalis jejunii rigorem servandum opportuna argumenta esse possunt. At non meo videri efficientissime ad suadendam rigidam opinionem. Nam ad 1. resp. Pontificem quidem declarasse cibos licitos pro iis, quibus datum est carnes comedere, esse ipsas carnes, sicut postea dixit epulas vetitas esse pisces, at cum postmodum declaravit concessum usum piscium cum lactariis & ovis, ita non declaravit vetitam conjunctionem carnium cum præfatis lactariis, quod facile fuisset addere, præsertim cum antea inter illicitas epulas solum pisces connumeraverit. Ad 2. fatemur & nos, & supra ostendimus, solas esse concessas salubres carnes, at cur inde infertur & ova interdicta & lactaria? Num hoc ciborum genus ita infensum est sive sanis, sive valetudinariis & debilibus, ut non necessitate urgente, sed sola impellente gula & voluptate usurpentur? Profecto nihil minus verum, cum & præfatis cibis vivant & quotidie ferme alantur plures Religiosorum cœtus toto vitæ decursu, quin per hoc vel infirmi fiant, vel de valetudine periclitentur; immo & ab ipsis Medicis infirmis etiam & a morbo convalescentibus sponte concedantur tanquam ad nutriendum aptiora, & minus adhuc debilem stomachum gravandum; non igitur piscibus coæquanda, a quorum abstinentia ideo dispensatio petitur, quia vel nocumento sunt, vel fastidio. Ad 3. Dispensationem quidem necessitati consulere, non gulæ & genio; at hæc necessitas non est in indivisibili collocanda, ita ut unius tantum genus cibi sit usurpandum, alioquin non nisi unicum ferculum foret adhibendum ad panem, cum hoc necessitati sufficiat, proinde qui vitulina carne vescitur, pulmentum addere non possit ex jure carnium conditum: cum & ipsa caro sola necessitati sufficere possit; sicut nec vitulinæ carni, alias columbarum, sive turturum, sive gallinarum carnes consociare; cum alterutrius necessitati sufficiant, immo nec poma, nec nuces, cum & hæc quoque necessitati superabundent, quod certe nec ipse Franzoja affirmabit. Necessitati itaque illi succurat dispensatio, quæ gulæ opponitur, frugalitati adversatur, & solum vel deliciis vel luxui inservit. Hinc ut optime scribit Concina in Appendice laudati Italici Operis Christiani: „ sin- „ ceri veritatis amatores Brevia Ponti- „ ficia de vitanda epularum permixtio- „ ne ita interpretantur, ut vetitum sit „ quadragesimali tempore epulas instrue- „ re & mensas cumulare duplici cibo- „ rum genere carnium & piscium, de- „ licias in jejunio quærere & farcimina „ excogitare gulæ placentia, non vero „ ad angustias redigere bene moratos „ & Deum timentes fideles, qui ab-

„ abstinentia lacticiniorum dispensati „ non semper vel solis lacticiniis vivere possunt, vel solis esurialibus cibis": quæ postrema verba aptari possunt dispensatis a carnium abstinentia, qui non semper sola carne vesci possunt, vel quia fastidium generat, vel quia in sufficienti quantitate non habent, vel quia sumpta in ea sufficienti quantitate nimium gravaret: proinde ad integram sustentationem quantitate carnis diminuta caseum adjungunt, vel modicum lactis sive pressi, sive coagulati, sive recocti, vel unum aut bina ova sive liquida, sive assa, sive frixa. Quis enim putabit ita prandentes vel epulari, vel laute vivere, vel gulæ indulgere? Ego certe damnare non auderem; dum tamen hæc profero, Ecclesiæ judicium expectans, illi jam ex tunc me submitto. Legantur & Additamenta ad Theologiam Cuniliati Tract. XII. cap. 1. §. 2. n. 5.

Consectarium Decimum.

X. Quibus concessus est esus carnium vel lacticiniorum, non illis vesci possunt in serotina refectiuncula. Oppositum plane docuerunt 1. omnes illi Probabilistæ, qui dispensatos ab abstinentia a carnibus, eos & a lege jejunii solutos pronuntiabant, qui proinde non solam refectiunculam concedebant, sed & integram cœnam ex carnium cibis. 2. Illi Probabilistæ recentiores, qui tanquam veram, tutam, firmamque statuunt regulam in collatione vespertina non qualitatem ciborum esse pensitandam, sed solum quantitatem; quamobrem si hæc modica sit, ex omnibus cibis adhiberi poterit, qui in prandio assumuntur. Ita post Bonacinam aliosque vetustiores recenter P. Patritius Sporer scribens append. ad 3. Decal. præcept. sect. 2. n. 32. „ Spectata moderna consuetudine præsertim „ in nostra Germania jam diu tolerata, „ & plane invalescente, censeo . . . „ omnino probabilem & tutam esse sententiam oppositam, nimirum in collatione vespertina jejunii non esse „ attendendam qualitatem ciborum, „ sed quantitatem tantum, adeo ut „ ex omnibus cibis qui die jejunii licite possunt sumi in prandio, etiam „ leguminibus, piscibus, placentis, „ ovis, lacticiniis &c. in quantitate „ modica & determinata, etiam liceat „ sumere in cœna ". Deinde auctoritatem addit & testimonium P. Petri Marchant docentis: „ In collatiuncula vespertina de qualitate cibi non „ est altercandum, sed de quantitate dumtaxat . . . . ideo censeo „ qualitatem cibi (modo ex prohibitis „ in die jejuniorum non sint) collationem non vitiari, si in quantitate „ non excedant ". At hujus doctrinæ apertam falsitatem & manifestam laxitatem ex ea tantum parte, qua vel carnes permittebat, vel certe ova & lacticinia in collatione concedebat, detexere & præcavere duo Summi Pontifices Benedictus XIV. & Clemens XIII. ille in sua Responsione ad Postulata Archiepiscopi Compostellani ad secundum postulatum sic petenti, an illi, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula vesci ea quantitate carnis, quæ jejunantibus permittitur: respondet *Non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ*. Alter vero in suo Brevi superius citato, ubi statuit, eos, quibus concessum est carnes comedere sive ova sive lacticinia, non posse concessis cibis vesci nisi in unica comestione,

ne, scribens: *Tam dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo jejunantes, unica excepta comestione, in omnibus æquiparandos iis esse, quibuscum nulla est facta dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quæ ex carne trahunt originem adhibere*. Ita etiam declarasse Benedictum XIV. refert Ferraris in noviss. Add. ad suam Bibliothecam V. Jejunium, ubi refert, quemdam Confessarium rogasse laudatum Pontificem, ut explicare dignaretur, an revera liceat in serotina collatiuncula parum casei sumere iis, qui in Quadragesima & vigiliis sunt dispensati ad lacticinia, & remissa supplicatione Sacræ Pœnitentiariæ, ab ipsa responsum datum est in hæc verba: *Sacra Pœnitentiaria optime conscia mentis Sanctitatis suæ ex speciali auctoritate ejusdem respondet, non licere*, hanc reddens rationem, *quia nimirum illud jejunantes* expressum in Bulla *Libentissime* (ubi dicitur dispensatos ad carnem vel lacticinia, *opus habere eo cibo, eaque uti portione* quibus utuntur homines rectæ meticulosæ conscientiæ) *intelligitur de rigorose jejunantibus quadragesimali jejunio, in quo tam carnes, quam ova, & lacticinia vetantur*.

Consectarium Undecimum.

XI. Præstituta præcepta de unica comestione servanda, & non permiscendis epulis urgent etiam extra Quadragesimam in aliis jejuniis per annum statutis: quamobrem qui in præfatis jejuniis a carnium abstinentia dispensationem obtinent, vel ex consuetudine ovis & lactariis vescuntur, tenentur & unicam comestionem servare, nec extra illam vel carnibus, vel lactariis vesci, nec in eodem prandio pisces cum carnibus permiscere. Ita declaravit Bened. XIV. in responsione ad septimum postulatum Archiepiscopi Toletani rescribens: *Urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum, illud scilicet unicæ comestionis . . . & alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis*. Et confirmavit Clemens XIII. concedens usum carnium & lacticiniorum in unica tantum comestione, ut mox vidimus.

Consectarium Duodecimum.

XII. In sextis feriis & sabbatis nullum est indictum jejunium per abstinentiam a pluribus refectionibus, vel ab esu ovorum & lacticiniorum, sed sola in præcepto est abstinentia a carnibus juxta Ecclesiarum receptum morem & consuetudinem etiam quod aliquos alios per annum dies. Et quidem abstinentiam a carnibus esse præceptam constat ex ipso Ecclesiæ mandato, eam simul cum Quadragesimali jejunio præcipientis, quamobrem sub mortali peccato obligat, ut jejunio diximus; non esse autem præceptam vel unicam comestionem, vel abstinentiam ab ovis & lacticiniis, constat ex communi sensu, & consuetudine semper custodita plures in illis diebus comedendi, & vescendi ovis & lactariis, nisi forte dies aliquis esurialis cum ipsis concurrat. Immo in aliquibus Provinciis concessum est, ut in sabbatis animalium extremitatibus, nec non extis, sive intestinis vesci possint, & hujusmodi moribus & consuetudinibus se conformare populi licite possunt. Sicut & in iis provinciis & Ecclesiis, ubi consuetudo est vel jejunandi vel abstinendi a carnibus vel totis tribus Rogationum diebus, vel in aliquo illorum, ut in Provincia Mediolanensi, & ut testatur Barbosa, in Lusitania, fideles ad eam servandam ob-

obstringuntur, Hæc tamen abstinentia a carnibus sublata est, quando Natalis Domini solemne festum incurrit in feria VI. vel sabbato, ut statutum legitur in Cap. *Explicari* de observantia jejuniorum n. 2. ubi dicitur: „ Illi, qui „ nec voto nec Regulari observan„ tia sunt adstricti, in feria sexta, si „ Festum Nativitatis Dominicæ die „ ipso evenire contigerit, carnibus „ propter Festi excellentiam vesci pos„ sunt secundum consuetudinem Eccle„ siæ generalis. Nec tamen hi repre„ hendi sunt, qui ob devotionem vo„ luerint abstinere ". Licet autem in hoc Decreto mentio fiat de sola feria sexta, idem tamen dicendum est ex paritate rationis & præcepti, nec non ex communi praxi & consuetudine & de sabbatis, in quibus occurrat Natalis Domini.

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Qui ex voto, vel ex regulæ præcepto sive sub culpa obstrigente, sive etiam sine ulla prorsus culpa statuente abstinentiam a carnibus obligantur, illis vesci non possunt in die Nativitatis Domini in feria sexta vel sabbato occurrente. Tres habet partes hocce consectarium: 1. Est de *illis*, qui ex voto tenentur vel jejunare vel abstinere a carnibus in præfatis diebus feriæ VI. & sabbati. 2. De Regularibus, qui ex voto, vel præcepto sub mortali obstringente tenentur præfatis diebus vel jejunare, vel abstinere. 3. De illis Regularibus, qui ex Regula quidem statutum habent ut jejunent, vel a carnibus abstineant, sed vel sine ulla culpa, vel solum sub veniali. Qui itaque voto se obstrinxere vel ad jejunium, vel ad abstinentiam, profecto illud observare tenentur, cum sit votum de re bona, & absolutum, cum talem diem minime exceperint, & Pontifex ipse declaret, non esse reprehendendos, qui ob devotionem, multoque magis ex voto vellent abstinere. Oppositum tamen censent nonnulli Theologi docentes, hunc voto obstrictum a suo vinculo solvi in tali die, hac duplici, & meo quidem videri, infirmissima ratione, nimirum 1. quia probabile est in illa sua generali promissione abstinentiæ non esse complexum diem Natalis Domini, quem si advertisset, exceptum omnino voluisset. 2. Quia suæ esset familiæ onerosus, si pro ipso specialis esset in tali die apparandus cibus. Nam cur non in generali promissione abstinentiæ continetur & dies Natalis Domini? Nonne promissio & votum plene libera fuere? Nonne in tali die abstinere licitum bonum, sanctum est? Nonne absolute & sine ulla limitatione, ut supponimus, votum emisit? Cur ergo ab ejus impletione liberabitur? At, inquiunt, si prævidisset, omnino exceptum voluisset. Verum quo fundamento hanc futuram exceptionem certam constitueret, cum æque probabile sit forte non apponendam; & revera, cum obvia sit exceptio, sciunt enim fideles, aliquando Natale Domini feria sexta, & sabbato occurrere, apposita minime fuit, & præterea non quid ipse promisisset attendendum est, sed quod revera promisit; porro absolutam vovit abstinentiam, ad hanc igitur servandam tenetur. Tertio circumstantiæ minime prævisæ non statim a voto liberant, ut diximus in Tract. de Voto, alioquin actum esset de votis Religiosorum, aliorumque, cum frequenter tales occurrant circumstantiæ, quas si voventes prævidissent, fortassis a vovendo absti-

nuis-

sent, nec propterea sunt a suis votis vel liberi, vel soluti. Altera vero ratio ineptissima est, personale quidem votum abstinentiæ non est onus grave familiæ, sed ipsi jejunanti, qui eo die votum suum servare debet eo meliori quo potest modo juxta suæ conditionis statum, eos sibi procurando cibos, qui & suæ congruant promissioni, & familiam non gravent.

Regulares vero, qui ex vi voti vel regulæ sub gravi præcipiente tenentur vel jejunare, vel a carnibus abstinere in præfatis diebus, profecto graviter peccant si non abstineant vel jejunent, cum & ex præcepto Regulæ graviter obligentur, a qua Pontifex minime eos dispensat. Et ita communiter sentiunt omnes Theologi, immo in Capitulis horum Ordinum pluries statutum & declaratum fuit, ut testantur illorum Ordinum Theologi, ut videre est apud Ferraris V. *Jejunium* n. 27. & seq. At major est difficultas de illis Religiosorum Ordinibus, qui jejunio quidem vel abstinentia tenentur ex vi Regulæ vel Constitutionis sub nulla tamen, sed ad summum sub veniali culpa obligantis. Et quidem eos a lege abstinentiæ solutos affirmant Theologi hac potissimum, immo unica ratione, quia inquiunt eo die duæ occurrunt leges abstinentiæ, alia universalis Ecclesiæ, alia particularis Legis & Constitutionis, prima a Pontifice sublata fuit, non remanet igitur nisi secunda, quæ proinde cum nullius peccati onere obstringat, vel solum culpa veniali, reus erit, qui abstinentiam violat, vel culpæ venialis, vel pœnæ obnoxius fiet a lege sub culpa non obligata trasgressoribus constituta: eapropter si Superior, qui potestatem habeat, eo die a Regulæ obligatione dispenset, nec culpæ veniali, nec pœnæ erunt obnoxii qui carnes comederent. At oppositum plane sustinent plurimi Theologi, & quidem merito & certissime; quandoquidem Theologi oppositum sentientes plane falso innituntur supposito, nimirum sublatam a Pontifice respectu istorum Ordinum legem universalem Ecclesiæ de abstinentia a carnibus. Quod quam falsum sit apparebit manifeste consideranti tum objectum hujus privilegii & dispensationis, quod est universalis abstinentia omnibus fidelibus indicta, non particularis ex voto vel Regula resultans; tum subjectum sive personas, cui hocce privilegium sive dispensatio ab abstinentia concessa est a Pontifice. Non enim universaliter omnes fideles hoc privilegio & dispensatione donantur, sed illi soli, qui *nec ex voto, nec regulari observantia adstricti sunt*; hi igitur non comprehenduntur inter dispensatos ab objecto dispensationis, scilicet ab abstinentia: si igitur dispensati non sunt, illos procul dubio urget præceptum, non peculiare suæ Regulæ vel Instituti, sed universale Ecclesiæ: peccant igitur & violant hoc præceptum, si a carnibus præfato die non abstinent. Sunt quidem eo die duæ leges, alia universalis, alia particularis; at universalis lex non tollitur, & in ea non dispensat Pontifex illos, qui ex aliqua particulari lege obligantur. At inquit Natalis Alex. siquidem Regula non obligat transgressores ad aliquam culpam, ut in Ordine FF. Prædicatorum, in quo similes transgressiones non obligant ad culpam neque mortalem neque venialem, sed solum ad pœnam præscriptam sustinendam .... tunc certum est Religiosis licere vesci carnibus in die Nativitatis Domini. Sed unde hausit hanc certitudinem doctissimus Theologus? Non certe ex ipsa De-

cretali Pontificis, in qua diserte dicit, non dispensatos a lege universali abstinentiæ qui ad illam ex voto vel regulari observantia sunt adstricti. Non enim distinguit Pontifex inter Regularem observantiam obligantem ad culpam & ad solam pœnam, sed universaliter a privilegio dispensationis eos excludit, qui ex regulari observantia, quæcumque illa sit, ad abstinentiam obligantur. Et hac justa, & meo videri certa animadversione exclusum manet confugium P. Magistri Millante dicentis, Dominicanos posse vesci carnibus in die Natalis Domini, quia Pontifex solum excipit illos, qui vel voto vel regula, a carnibus abstinere tenentur, & FF. Prædicatores nec ex Regula, nec ex voto, sed solum ex suis Constitutionibus a carnibus abstinent; quandoquidem Pontifex non dicit exceptos, qui ex Regula, sed qui *ex Regulari observantia* adstringuntur; at quis inficiabitur Dominicanos teneri ex Regulari observantia ad perpetuam abstinentiam a carnibus, sive hæc ex Regula profluat, sive ex Constitutionibus, cum regularis observantia vel ex uno, vel ex altero, vel ex utroque fonte dimanet? Vere itaque docuit Medina in sua Instruct. Confess. lib. I. cap. 14. §. 10. scribens: „ Mihi certius videtur non posse carnes comedere in die Natalis Domini, qui Regulam D. Dominici professi sunt. „ Nam dicit privilegium, ut possit quis „ vesci carne illo die veneris, nisi aliquis sit, cui ex voto vel regulari „ constitutione prohibeatur comedere. „ Nobis igitur hanc habentibus Constitutionem non prodest hoc privilegium, & sic remanet ratio juris communis in suo antiquo vigore, & de „ jure communi est, ut non comedatur „ caro in die veneris. Religiosus ergo „ S. Dominici non potest illa vesci, cum „ tale non habeat privilegium “. Quod confirmat Ildefonsus Manrique in sua Summa Morali P. I. cap. 5. §. 3. n. 4. dicens: „ Ex verbis supra allatis Innoc. „ III. sequitur, quod Religiosi, qui „ profitentur abstinentiam a carnibus, „ quando dies Natalis Domini in feria „ VI. incidit, vel sabbato non possunt „ illas edere, etiamsi illorum Constitutiones ad peccatum non obligent, ut „ constat ex verbis Bullæ “. Hinc inferendum, qui ex voto teneretur abstinere a carnibus in diebus veneris vel sabbati, eis vescens quando occurrit Natale Domini, duplex peccatum committeret, aliud contra Religionem, alterum contra Ecclesiæ præceptum; qui vero ex præcepto Regulæ, nonnisi unum, licet gravius, crimen committeret, cum idem sit objectum & subjectum peccati, scilicet abstinentia ex virtute pœnitentiæ; qui vero ex Regula teneretur non obligante sub gravi culpa, solum contra præceptum Ecclesiæ graviter peccaret.

CAPUT SEPTIMUM.

De secunda jejunii parte, unica scilicet comestione concessa.

DOCTRINA.

I. *Præceptum de unica comestione de se negativum quo sensu positivum dici possit.*

II. *Contra temperantiam peccant, qui lautiores & delicatiores cibos quærunt.*

III. *Quomodo unica comestio abrumpatur & finiat.*

IV. *Quandiu refectio perdurare possit.*

V. *Non licet repetitis vicibus, etiam in levi quantitate cibum sumere.*

VI.

VI. *Nec obtentu ne potus noceat.*
VII. *Quænam liquida certo jejunium frangant.*
VIII. *Quando electuaria frangant jejunium.*
IX. *Num liceat chocolatæ potus de se ratione liquidi.*
X. *Num ratione parvitatis materiæ.*
XI. *Num ratione inductæ consuetudinis.*
XII. *Quænam liquida jejunio non opponantur.*

I. PARS hæc secunda jejunii, quæ unicam comestionem concedit, ut animadvertit D. Thom. hic art. 6. *Ita concupiscentiam refrænat, dum illi plures detrahit comestiones, ut tamen natura salvetur; cui una comestione satis consulitur*, nullum revera positivum affert præceptum, sed solum negativum. Non enim una præcipitur comestio, alioquin non jejunaret qui ab omni refectione per totam diem abstineret, multoque minus qui biduo vel triduo tantum reficeretur; solum igitur affirmativum dici potest, quatenus jubet, ut qui comedere vult, in die jejunii una sit comestione contentus.

II. Quantitas cibi in hac unica comestione taxari non potest, ut docet S. Thom. q. 147. art. 6. ad 2. *Propter diversas corporum complexiones, ex quibus contingit quod unus majori* (scilicet abundantiori) *cibo, alter minori* (idest pauciori) *indigeat*. Quamobrem licet præceptum Ecclesiæ non transgrediantur, peccant tamen contra virtutem temperantiæ, qui lautiores mensas instituunt, delicatiores cibos quærunt, & de quibus merito dici potest, quod lugens de quibusdam Monachis dicebat S. Bernardus: „ Fercula ferculis apponuntur, & pro „ solis carnibus, a quibus abstinent, „ grandia piscium corpora duplicantur. „ Cumque prioribus fueris satiatus, si „ secundos attigeris, videberis tibi ne„ dum gustasse priores; tanta quippe „ accuratione & arte coquorum cuncta „ apparantur, quatenus quatuor vel „ quinque ferculis devoratis, prima non „ impediant novissima, nec satietas mi„ nuat appetitum. Palatum quippe dum „ novellis seducitur condimentis paula„ tim dissuescere cognita, & ad succos „ extraneos velut adhuc jejunum avide „ revocatur in desiderio. Venter qui„ dem, dum nescit, oneratur, sed va„ rietas tollit fastidium, quia enim pu„ ras & quas natura creavit epulas fa„ stidimus, dum aliæ aliis multifarie „ permiscentur, & spretis naturalibus, „ quas Deus condidit, rebus, quibus„ dam adulterinis gula provocatur sa„ poribus, transitur nimirum meta ne„ cessitatis, sed nec dum delectatio sa„ tiatur . . . Ipsa denique qualitas re„ rum talis deforis apparere curatur, „ ut non minus aspectus quam gustus „ delectetur, & cum jam stomachus „ crebris ructibus repletum se indicat, „ nec dum tamen curiositas satiatur, „ sed dum oculi coloribus, palatum sa„ poribus alliciuntur, infelix stoma„ chus, cui nec colores lucent, nec „ sapores demulcent, dum omnia su„ scipere cogitur, oppressus magis ob„ ruitur, quam reficitur “. Hoc est profecto, ut inquit S. Augustinus serm. 205. al. 68. „ Sub specie absti„ nentiæ mutare affectus, potius quam „ resecare delicias, ut pretiosos cibos „ quærat qui carne non vescitur . . . & „ per occasionem quasi domandæ car„ nis, magis negotium agere volupta„ tis . . . & cibos extra carnes multi„ plici varietate ac jucunditate con„ quirere, & suavitates quas alio tem„ pore consectari pudet, huic tempori „ quasi opportuna colligere, ut videlicet

„ licet observatio Quadragesimæ non „ sit veterum concupiscentiarum repres- „ sio, sed novarum deliciarum occa- „ sio". Hoc attendant præcipue Confessarii Nobilium, & divitum, illisque exprobrent, sibi inepte blandiri de Quadragesimali observantia, quia a carnibus abstinent, dum interim gulæ voluptati & deliciis inserviunt, ostendatque eos carnaliter quidem jejunare, & Ecclesiæ præcepto Judæorum more serviliter obtemperare, at nec jejunii spiritum concipere, nec fructum referre, nec Deum placare, immo intemperantiæ crimine offendere, & ad iracundiam novis sceleribus provocare, ut docet & S. Thom. hic qu. 147. art. 6. ad 2. *Si quis immoderato potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere, sicut si immoderate cibum in una comestione assumat*. Nec oppositum docet S. Th. dum q. laud. a. 3. ad 2. docet: legislatoris *auctoritatem si quis transgrediendo statutum contemnat, vel hoc modo transgrediatur, quod impediatur finis quem intendit, peccat mortaliter talis transgressor*. Loquitur enim S. D. de illo modo, qui ita est substantiæ præcepti conjunctus, ut sine illo nec præcepti substantia observari possit, ut in præcepto audiendi Missam, quam si quis non attente, nec devote audiat, licet extrinsece Missæ quietus intersit, præceptum non implet; non vero de illo modo, qui præcepto est extrinsecus, & sine quo haberi potest substantialis obedientia præcepta, ut patet in eo, qui parentes honorat, & eleemosynam largitur inanis gloriæ affectu, peccat quidem, sed præcepta & honorandi parentes, & eleemosynam largiendi implet; ita pari pacto qui & a carnibus abstinet, & unicam servat comestionem, id quod bonum in se est facit, & præceptum implet, licet postea sua intemperantia opus ex objecto bonum inficiat, & corrumpat. Legantur quæ diximus in Tr. de Legibus Diss. 3. cap. 5. n. 7. Nisi tamen in fraudem jejunii hoc faciat, ut in sequentibus explicabimus.

III. Si unica conceditur refectio, hæc profecto continua esse debet, non interrupta, alioquin refectiones multiplicarentur. Interrupta autem dicitur & animo finiendi comestionem, & per physicam a comedendo cessationem. Quamobrem qui prandium abrumpit ut alicui negotio vacet animo ad mensam redeundi, eo expleto non censetur comestiones multiplicare, sed una adhuc moraliter comestio reputatur; dummodo tamen longa non sit in negotio mora, quam aliqui etiam ad duas horas dilatant, alii ad dimidiam tantum coarctant, & in hoc & bona fides prandium abrumpentis, & negotii necessitas, urgens causa, gravitas, sunt attendenda, & juxta illas dijudicandum. Dixi animo reassumendi, si quis enim a mensa surgat ad negotium aliquod obeundum animo non revertendi, si postea iterum mensæ assideat & comedat, censetur comessationes multiplicare; quod si nec animo reassumendi, nec cessandi surgat ad opus aliquod, tunc tempus interruptionis pensandum est, quod si breve sit, moraliter una comestio censeri poterit, si vero longum, tunc ex ipsa physica cessatione arguenda voluntas non repetendi prandium. Addidi & per physicam a comestione cessationem, cum sola intentio cessandi non videatur sufficere: ut si quis putans consummatum prandium, mappulam plicet, si forte novum offeratur ferculum, non putabitur comestiones multiplicare, si & de illo comedat, cum revera prandium nondum impletum sit per realem abruptionem, sed per solam animi præsumptionem, qua

putat

putat expletum. Improbabilis tamen & falsa est habenda illorum Theologorum doctrina, quam refert in sua Bibliotheca Ferrarius, quæ asserit, si quis finierit prandium, & a mensa surrexerit, etiam gratiis actis, potest intra quadrantem circiter, mutata voluntate iterum assidere, & comedere, quia moraliter censetur una comestio. Qui fieri enim potest, ut una reputetur, etiam moraliter, comestio in illo, qui impleta jam prima comestione tum animo non amplius comedendi, tum physica cessatione per recessum ab ipsa mensa, & per gratiarum actionem, postea de novo ad mensam accedat, & iterum comedat?

IV. Ut unica sit comestio, oportet ne in longum tempus protrahatur, præsertim si fieret in fraudem jejunii, quandoquidem quoad corporis nutritionem idem plane est & plures sumere refectiones, & unam ad longum tempus protrahere. Quare optime & false deridet Teophilus Reynaudus Tom. 10. de Ref. Med. cap. 7. pag. 483. Theologum docentem, licere prandium quantumlibet protrahere, scribens: „ Non puduit quempiam nuper typis „ evulgare, posse absque jejunii violatione prandium hora solita inchoatum, puta hora una ante meridiem „ protrahi usque ad noctem, ut fert „ usus Germanorum multorum. Sic „ enim protractum prandium cum sit „ unica comestio, qualem jejunii lex „ indicit, non est visum huic *Mirabiliano* Auctori adversari legi Ecclesiasticæ circa jejunium præscriptum. „ Itaque si idem ille lurco totum expleret orbem, & manducans sine intermissione recurrisset ad punctum „ ante meridiem, quo prandium ceperat, dicendus esset jejunasse, „ quia esset unica comestio. Est tamen „ hoc jejunium portentosum, ut jam „ non debeant videri paradoxa, quæ „ toto illo opere ad inducendam „ in jejunium laxitatem passim occurrunt". Quandiu autem perdurare prandium debeat, ut una tantum sit comestio, non virtualiter duplex, non consentiunt Theologi, nec facile est definire: benigniores Doctores censent excedere non debere duas horas, quod profecto in communi & vulgari prandio est plusquam satis, & in solemnioribus (si tamen in Quadragesima aliisque jejunii diebus licet solemnes epulas instituere) ob adventum hospitum, receptionem consanguineorum, vel affinium tolerari potest, ultra tamen duas horas prandium protrahere profecto culpa non vacat. Non desunt Theologi, qui inter solemniores epulas, in quibus diutius prandium licet protrahere, enumerant nuptialia convivia; ac hæc profecto in Quadragesima minime sunt permittenda; nam Ecclesia tunc temporis licet Sacramenti Matrimonii celebrationem urgente causa gravi permittat, sacras tamen & spirituales solemnitates suspendit, & ad aliud transfert tempus: si ergo illicitæ sunt spirituales solemnitates, qui fieri potest ut concessæ sint carnales & solemnes epulæ ceu licitæ; solemnis autem & sacra benedictio non liceat? Nec pariter assentior opinioni Lucii Ferrarii docentis V. *Jejunium* n. 55. ex honestate licere, ut quis possit prandium in una domo inchoare, deinde eo abrupto ad aliam transire domum ubi spectatur, & ibi complere ad novam assidendo mensam; nam hic omnia duplicari cerno, locum, mensam, convivas, prandium,

&

& unicus est ille, qui duplicatum prandium sumit : absque igitur urgente necessitate, quæ a jejunio excusaret, hanc duplicem comestionem non adprobarem. Pari pacto nec admittenda ut probabilis alia doctrina ab eodem Auctore allata, qua conceditur servientibus vel legentibus in mensa, ut per horam ante prandium, etiam in magna quantitate, cibum sumant, quasi prandium inchoantibus, quod postea prosequantur expleto post horam servitio vel lectione, hoc est enim revera comestiones multiplicare; nec movet, hoc concedi in Regula S. Benedicti cap. 13. ut scribit Boranga, nam 1. in ea solum permittitur Lectoribus & Ministris mensæ, ut frustulum panis & cyathum vini aqua diluti accipiant, non ad inchoandum prandium, sed ad vires modicum reficiendas. 2. Hoc conceditur solum in jejuniis Monasticis, non vero in jejuniis Ecclesiæ, ut videre est in Monastico Cisterciensi. Concedi itaque potest & famulis, & mensæ lectoribus si revera indigeant, & stomachi notabili debilitate affligantur, ut modicum cibi ad refocillationem sumant, non vero magnam cibi quantitatem gustent ad prandii inchoationem.

V. Hoc autem præceptum violant non solum qui pluries in die jejunii comedunt, ut de se jam apertum manifestumque est, cum directe multiplicata comestio jejunio opponatur, sed qui etiam pluries sumunt aliquid cibi, etiam in parva quantitate, dummodo ad notabilem perveniant quantitatem, cum notabilis quantitas cibi opponatur jejunandi præcepto, sive simul sumatur, sive divisim, ut patet in furto: hinc merito oppositam doctrinam damnavit Alex. VII. contentam in propositione afferente: *In die jejunii qui modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

VI. Ab hujus damnatæ propositionis laxitate parum distat alia nonnullorum Theologorum doctrina, qua affirmant, licere toties quoties libuerit aliquid cibi sumere ne potus noceat, dummodo tamen non fiat in fraudem jejunii, quia, inquiunt, tunc cibus non ad nutriendum sumitur, sed ad medicinæ modum gratia avertendi damnum, quod repetitus potus afferre posset. At hæc speciose dicta sunt, & ad fucum faciendum; quandoquidem ille qui bibit vel necessitatis causa potum sumit, vel ex libidine & pro arbitrio. Si primum, cum jam natura potum exigat, sumptio illius moderata ad sitim extinguendam, nocumentum inferre non potest, ut luculentissime probat ac evincit & argumentis & experientia doctissimus Medicus Hequetius, & præterea hoc semel, vel ad summum bis contingere potest, & quidem homini non assueto vini potationi, cui, si vehementi uteretur siti, concedi posset ut coactus vinum bibere ad ardentem extinguendam sitim, semel tantum modicum cibi sumere, at hoc extra necessitatem præstare in bibendo pro libito & arbitrio aperte est frangere jejunium, & sub medicinæ obtentu doctrinam damnatæ propositionis ad praxim deducere; fingamus enim hunc decies bibere, cum possit, juxta Theologos hujus doctrinæ patronos, infra dimidiam unciam panis sive amygdalarum, sive alterius cibi qualibet vice sumere, profecto hic jam quatuor uncias vel panis vel amygdalarum sumit; notabilem igitur quantitatem cibi sumpsit, licet in qualibet potu modicam, & sic ad praxim damnatæ propositionis doctrinam

nam fuco medicinæ illitam deducit. Immo hic mos est hominum vino se ingurgitantium, qui semper toto anno modico & brevi cibo contenti sunt, dummodo copia non desit vini, qui proinde toto anno jejunare dicendi forent.

VII. Num vero liquida frangant jejunium, penes recentiores Theologos Probabilistas non solum minime sub Judice ponitur, sed adeo certum exploratumque habetur, ut adagium conflaverint, & tanquam in morali doctrina certum axioma statuerint *liquida non frangere*. At perperam & injuria: quod ut pateat, liquida in tres veluti classes dividi possunt: prima liquidorum, quæ de se ad nutriendum sunt apta, ut lac, & vinum, jusculum, amygdalarum cremor &c. secunda illorum, quæ licet de se ad nutriendum inepta, ex alterius tamen rei admixtione nutrire possunt, ut aqua saccaro vel cocholate saturata: tertia denique liquidorum, quæ alterius rei non substantiam continent, sed solum sapore & colore imbuuntur, ut theum, caffetum, salviata & similia. Ut a primis liquidis sermonem exordiamur, certum est apud omnes, jusculum, lac, & amygdalarum cremorem, cum nutritioni quam maxime inserviant, adeo ut potius quam potus, cibi liquentes dici possint, jejunium frangere si extra refectionem sumantur, nisi materiæ tenuitas excuset. De vino autem exploratum est, ut superius diximus, primis seculis in more Ecclesiæ fuisse, ut ab ipso sicut & a carnibus in Quadragesima omnino fideles abstinerent, at postea permissum est, ut docet S. Thom. in prandio vinum adhibere, ex qua concessione factum est, ut & vini potus etiam extra comestionem sumeretur non quidem ad nutritionem, sed ad sitim sedandam, & ad ciborum digestionem, ut docet S. Thom. hic q. 147. a. 6. ad 2. scribens: „ Jejunium Ecclesiæ non solvitur nisi per ea, quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium. Non autem intendit Ecclesiæ interdicere (legendum indicere) abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat, & ideo licet pluries jejunantibus bibere ". Quod & repetit in 4. dist. 15. q. 3. ad 4. scribens: „ Quamvis aliquis potus aliquo modo nutriat, tamen de se non ordinatur ad nutriendum; unde sumptio potus manducatio non dicitur; & ideo ille, qui potat extra horam unicæ comestionis, non dicitur bis manducare, & per hoc nec statutum Ecclesiæ frangit ". Absit tamen ut ex hac D. A. doctrina quis inferat, veram esse plurium Doctorum sententiam, licere nimirum bibere vinum quoties quis voluerit ad famem etiam repellendam, & nutriendum corpus. Nam ut docet S. D. in sent. l. cit. „ Qui vinum bibit in fraudem jejunii, non solum peccat contra temperantiam, sed ipsum præceptum jejunii violat ": subdit enim statim post laudata verba „ : nisi in fraudem faciat, quia legem violat qui in fraudem legis aliquid facit ". Immo, quod mirum est, & splendidæ veritatis argumentum, ita sentit & docet benignissimus Probabilista Thomas Hurtado Tract. 10. cap. ult. scribens: „ In Tractatu typis edito .... latissime probavi, quod si vinum sumatur ea intentione ut nutriat, frangit jejunium, quia assumitur in fraudem legis, & fraus nulli debet patrocinari. Hæc tamen doctrina omnium antiquo-

„ quorum aliquibus modernis nimis dura visa est, mihi verissima apparet, „ ad quod sufficit ut eam tradat D. Th. „ quem secuti sunt duodecim Auctores „ gravissimi, quorum nomina dabo loco „ citato, quibus addo Archidiaconum, „ Lopez, Azorium, Alensem, Lessium „ &c. " Nec urgent contraria Probabilistarum argumenta, nimirum 1. intentionem sumentis vinum ad nutritionem vel famem sedandam ipsam naturam potus non immutare, quæ de se & indole sua non est ad nutriendum instituta; Ecclesia autem per jejunium vetat ea, quæ nutritioni deserviunt, & ad hoc sunt de se ordinata. 2. Et revera talis est omnium Christianorum sensus, qui se bibere posse credunt, quoties sibi libuerit absque jejunii violatione. Porro primum argumentum ostendit quidem directe & per se vini potum a lege jejunii non vetari, quod & nos fatemur; at non probat malitia bibentis in fraudem legis assumi non posse, & proinde legem violare. Quid enim est in fraudem legis operari? nisi cortice legis servato, & materiali verborum retento sono id quod tamen ipsa lex vetat perficere, ut contingit in Judice, cui lege vetitum est pretium & munera pro sententia accipere, qui si avaritia compellente ipse nec cum litigatore de pretio conveniat, immo nec accipiat, ad sinat uxorem, filios, servos paciſci & pretium accipere, profecto violatæ legis reus efficitur: pari pacto interdicitur Regularibus habitum suæ Religionis deponere, quid si Religiosus, eo retento, illum tamen alia veste tegat & occultet? Qui inficiabitur statutum materialiter quidem servasse, at fraude utens revera formaliter violasse? Pari igitur pacto dicendum & de bibente vinum pluries in die, & præsertim de mane ut jejunii pondus non sentiat, corpus corroboret & nutriat, hic profecto verba legis jejunii materialiter custodit, quippe qui non manducat sed bibit, at legi fraudem facit, nutritionem enim quærit in potu, quam lex jejunii prohibet; reus proinde efficitur violati jejunii. Quod quam verum sit experientia ipsa testatur in potatoribus & meribibulis, qui magis vino (ut mox diximus) quam cibo nutriuntur, & tenui esca contenti in calicibus epotandis incumbunt, ex quibus & nutritionem hauriunt & sustentationem, quos profecto jejunare nemo cordatus dixerit. Quoad communem vero sensum Christianorum distinguendum inter fideles, vini haustum amantes, & eos qui vino moderate & pro necessitate utuntur: illi quidem apertis ulnis morale axioma *liquida non frangunt* tanquam certum & inconcussum arbitrantes putant sibi quidem licere toties quoties sibi placuerit vino se ingurgitare, quin jejunium frangant; at horum sensus erroneus est, abusus, & corruptela, quæ potam licitum reddere non valet, immo evincit in fraudem jejunii assumi: alii vero licitam quidem putant bibitionem, sed solum quoties sitis ipsa non vitiosa sed naturalis ex ipso cibo orta postulat, non ad nutritionem, sed digestionem; quamobrem non bibunt nisi siti eos adigente, non voluptate vel gula incitante, & isti cum legi fraudem non faciant, jejunium minime violant, & istorum sensum rectum existimamus & adprobamus. Quæ vero de vino dicimus, sunt intelligenda de cervisia, cidro, musto, cremato, spiritu vini, aliis liquoribus, qui in aliquibus regionibus vini carentiam supplent, & loco vini ad potum adhibentur; quamobrem ut falsam, & laxam rejicimus Tamburini doctrinam affirmantis: „ Licet bibere vinum, mustum,

„ ſtum, cerviſiam, aquam ex herbis „ vel eodem vino diſtillatis, etiam de „ mane, etiam ob ſolam delectationem „ etiam multoties in die, etiam in „ fraudem jejunii “.

VIII. Liquida vero, quæ in ſe rerum nutrientium ſubſtantiam continent, ſed diſſolutam & liquentem, profecto nutritioni inſerviunt, ac proinde in die jejunii vetita & interdicta habenda eſt illorum ſumptio, niſi forte loco medicinæ ſumantur, cujuſmodi de Electuariis docuit S. Thom. hic q. cit. art. 6. *Electuaria licet aliquo modo nutriant, non tamen principaliter aſſumuntur ad nutrimentum, ſed ad digeſtionem ciborum, unde non ſolvunt jejunium, ſicut nec aliarum medicinarum aſſumptio*. Porro electuarii nomine illa deſignantur liquida, quæ rei alias ſolidæ, & ad nutriendum aptæ, ſed dilutæ ſubſtantiam complectuntur, ut ſunt compoſita ex ſaccaro, malis aureis, citrinis, punicis, ſeu granatis, perſicis, ex bacchis lauri, olivæ, corni, myrti, ex uvis, aliiſque fructibus, qui in morem raceni conſtant ex pluribus granulis liquore aliquo repletis, quæ proinde vel dulcia ſunt palato, vel amara vel acria juxta rerum, ex quibus conficiuntur, ſaporem & indolem; & hæc olim quando mos erat ſumendæ refectionis hora nona, ut cibi concoctionem & digeſtionem promoverent, adhibebantur; proinde a S. Thom. ut medicinæ ſpectantur, & tali pacto ea ſumere concedit; qui tamen ſubdit: „ quod ſi in „ magna quantitate ſumantur per mo- „ dum cibi in fraudem jejunii “, profecto nedum temperantiam ſed & jejunium violant; & jure merito, cum hæc electuaria & nutritiva ſint, & ex rebus ad nutriendum aptis & ordinatis compoſita, eorum itaque ſumptio excuſari non poteſt, niſi vel ad actualem infirmitatem, quæ tale remedium poſtulat depellendam, vel in modica quantitate ad fovendam digeſtionem, vel denique ob præſentem aliquam neceſſitatem, quæ hujuſmodi ſubſidium depoſcat, ut contingere poteſt in Concionatoribus, cauſarum Patronis, Cantoribus, aliiſque, qui vel ad corroborandum pectus, vel ad fauces conſolidandas, prævie ad ſuum miniſterium congruam horum electuariorum portionem ſumere poſſunt: ſani propterea, qui nulla vel cogente neceſſitate, vel poſtulante officio, ob ſolam delectationem hujuſmodi liquidis abutuntur, profecto violati jejunii rei habendi ſunt, ſi in notabili ſumant quantitate.

IX. Quamvis inter electuaria connumerari poſſit & cocholatis potus, quia quandoque medicinæ loco adhibetur, & a Medicis etiam præſcribi ſolet, hoc tamen proprium non eſt hujus potionis uſus, nec ad infirmitatem obviandam de ſe adhibetur. Supervacaneum puto longam texerer de hac potione diſputationem, poſtquam fuſe & latiſſime diſputavit cl. vir Daniel Concina in pluribus libris, nimirum & in Opere Morali Diſſ. 2. de Jejun. cap. 9. 10. 11. a pag. 205. uſque ad 247. & in duplici opere Italico Diſciplina Eccleſiæ de Jejunio, & Monumenta hiſtorica de uſu cocholatis. Solum igitur ex his Operibus ea delibabo, quæ certa, probabiliora & tuta coram Deo cenſeo. Primo itaque certum eſt cocholate componi & coaleſcere ex rebus de ſe nutrientibus & comeſtibilibus, cujuſmodi ſunt cacao, cinnamomum, ſaccarum, & vaginula, quæ ſi in propria ſpecie ſumerentur, profecto non potus, ſed cibi materia forent. 2. Præfata omnia in unum compacta ſoli-

lidum corpus conflare, quod cibi naturam, non potus, exhibet, proinde qui eam ita sumeret, non biberet, sed comederet, ut & ipsi fatentur potus cocholatici patroni Hurtadus; & Leander, ille quidem Tr. 10. cap. 1. scribens: *Conveniunt omnes, quod si ea materia, quæ aqua diluta est, manducetur, frangit jejunium, amittit enim formam potus* .... Alter vero Tr. 5. disp. 5. quæst. 5. dicens: *Non est difficultas inter Doctores nec quæstio, an sumptio cocholatis in se, hoc est in miga, pasta, o pastillos sit fractiva in se jejunii, nam hoc apud omnes certum est, quod cocholates in se sumptus sit vere cibus*. 3. Tanquam omnino certum est hactenus dictis infero, cocholatis potionem de se nutritivam esse, & ad alimoniam, non ad potum institutam, proinde ejus usum dversari præcepto jejunii; nec enim quia humana arte cocholates ad potus formam eliquatione reducitur, per hoc fit ut cibi naturam exuat, induatque potionis, ut idem Hurtadus l. laud. cap. 4. n. 55. sponte fatetur scribens: *Si substantia talis sit, quod sitim extinguere ex sua natura non possit, homines non possunt illam potum per artem constituere, sed semper cibus manebit* .... *& hominum institutio non dat rationem potus alicui substantiæ liquidæ; retinet igitur vim cibi liquidi nutrientis, sustentantis, alentis*. Et revera quis unquam cocholate usus est ad sitim extinguendam?, cum immo ad ejus sumptionem præmitti soleat aquæ potus, quasi stomachum diluens, magisque aptans ad substantiam & nutritionem a cocholate inducendam, & de mane sumatur, quando nec ulla urget sitis, nec sumptus jam multo ante cibus amplius stomachum non gravat. Inter falsas igitur & laxas opiniones illa recensenda est, quæ affirmat, licere in die jejunii cocholatis potum toties quoties libuerit assumere inviolato jejunio. Audiantur duo benignissimi Theologi Tamburinus scilicet & Lezana: ille lib. 4. in Decal. cap. 5. §. 2. n. 9. scribit: *Cocholata fini Ecclesiæ jejunium præcipientis omnino adversatur, quia finis Ecclesiæ est prohibere extra unicam refectionem cibos ex se nutritivos, solumque concedere veram potionem, distributioni alimentorum servientem: at cocholata componitur ex cibis multum substantialibus & nutritivis, nec per se ordinatis ad vehendum, distribuendumque per venas alimentum, nam propterea mane & sero jejuno ventriculo sumi consuevit*. Fateor quidem hunc Auctorem & oppositam sententiam probabilem appellare, at hoc non ex suo animi sensu, sed ex statuta inter Probabilistas lege, ut quamlibet sententiam, etiamsi scribenti falsa appareat, probabilem tamen & habere & appellare non desinant, si ab aliis Auctoribus ut probabilis defendatur. Alter vero Tom. de Consul. consil. 48. n. 88. ait: „ *Sententia, quæ affirmat, potionem illam ex Indiis in Hispaniam adductam vulgo cocholata non frangere jejunium* (intellige quando in aliqualiter notabili quantitate sumitur) *non videtur mihi probabilis, sed potius falsa. Quod quidem salva pace meorum Hispanorum, quos valde veneror, dictum sit*.

X. Non dissentiunt ab hac doctrina nostris hisce temporibus plerique Doctores, qui revera oppositam opinionem ceu improbabilem & falsam rejiciunt, sed ut cocholaticæ potioni aliquo modo faveant non dubitant asserere, unum cyathum in die jejunii concedi posse, vel ratione parvitatis materiæ, vel in-

vectæ

vectæ jam consuetudinis, vel medicinæ titulo. Quod num verum, & sat probabile sit, expendimus. Et primo quidem quoad tenuitatem materiæ libenter concedimus fieri posse, ut hæc potio tam tenuis sit & exilis, & revera jejunium non frangat, ut de ceteris cibis dicimus, qui nonnisi in magna quantitate sumpti gravem inducunt præcepti violationem. Verum sequitur, saltem esse veniale peccatum, & levem inferre transgressionem jejunii, quod timoratis conscientiis amaram reddit hanc ceteroquin jucundissimam potionem. Præterea quænam sit materiæ tenuitas, difficile admodum est statuere; quandoquidem, ut egregie & optime docet benignissimus Pasqualigo Decis. 141. *Cum* (ad parvitatem materiæ) *sit attendenda quantitas formalis, nempe virtus nutritiva, utpote quia in jejunio præcipitur abstinentia a cibo tanquam a nutritivo, illa habenda est pro parva materia, quæ parum nutrire potest*. Porro quantum ad nutritionem conferat saluberrimus cocholatæ potus, testes sint bini benigniores Theologi Cardinalis Brancacius & Tamburinus, ille auctoritate sua, iste testimonio suo & experientia: sic itaque scribit ille, apud Cardinalem Cozza, To. de Jejunio 3. par. art. 1. dub. 9. n. 109. & seq. *Cocholatis potus roborat naturalem calorem, generat puriorem sanguinem, cordis substantiam vivificat, dissipat flatus, & prodest ad stomachum, roborandum*. Quid ergo melius exoptare possimus a pinguioribus, selectioribus, optimisque cibis? Alter vero lib. 4. in Decal. cap. 5. §. 2. nu. 10. sic rem experientia confirmat, & roborat auctoritate scribens: *Semel ego virum nobilem mihi familiaritate conjunctum conveni mane diluculo, cum eo quædam negotia collaturus. Cumque primo ingressu observassem ejus vultum insolenti pallore, suffusum, macilentum, cadaverique persimilem, interrogavi, ut fit, de ejus valetudine. Is infirme satis se habere subtremula voce respondit, meque peramanter rogavit, ut post mediam horam reverterer. Parvi, ivi, redivi. Adverti ejus faciem pristino colori restitutam, oculos, hilares, vocem validam, ex morte in vitam jam rediisse non gratis dixisses. Quare cohibere me non potui quominus exclamarem: Deo Superisque sint gratiæ. Bene immo optime valere gratulor Dominationem vestram. Unde nam tam subita ac tanta virium refectio? Subridens respondit amicus. Ne mirere Pater amantissime, modo enim cocholatæ potionem sumpsi, quæ miraculi instar colorem, vires, vitam fere in instanti mihi parere consuevit*. Hac facta narratione exclamat benignissimus Theologus: *Deus immortalis! Hanc meram potionem, non vero validam comestionem jejunii fini ex diametro oppositam appellaveris?* Theologorum auctoritati addere lubet & Medicorum testimonium, & doctrinæ pondus. Jacobus Sponius Medicus Lugdunensis, qui triplicem edidit Dissertationem de potu Cafeti, Thei, & Cocholatæ, in 3. Tract. cap. 2. scribit: *Ceterum non solum nutrit optime, sed etiam impinguat cocholata*. Et confirmat experientia subdens: *Chocolatam quicumque bibunt, eam multum nutrimenti corpori suppeditare fatentur, ita ut jusculum ex carne, nec tam diu, nec tam fortiter nutriat, viresque sustentet ... Amicus quidam meus vulgaria alimenta ob morbum ferre non valens, Parisiis Lugdunum rheda vectus, per undecim dies tres dumtaxat ciathos quotidie hauriebat, ac bene se habebat. Omnes ferme Concionatores ab ejus usu sive ante sive post Concionem optime se habent. Ante Concionem pectoris & vocis vires diu-*

 tius

tius quam jusculum sustinet, post vero exhaustas corporis vires reparat. His igitur positis certe minus vera minimeque probabilis habenda est Theologorum sententia docentium binas uncias, vel sesquiunciam aqua concoctam & elaboratam parvitatem materiæ non excedere. Num autem una uncia sit tenuis materia, non omnino liquidum est. Affirmat quidem Cardinalis Brancacius in sua Dissertatione scribens: *Hæc valde mihi arridet conclusio, quod scilicet chocolatis potus unius unciæ non excedens quantitatem, cum quinque unciis simplicis aut distillatæ aquæ non inferat jejunio injuriam*, gravem scilicet ob tenuitatem materiæ. At ipsi obsistit Pasqualigus in laxanda jejunii lege non benignissimus, sed & laxissimus scribens Decis. 141. *Solum parvitas materiæ posset excusare a mortali. Sed difficultas est, quænam sit parva materia. Cum enim talis potio adeo nutriat, & corroboret, diversa ratio est de ipsa, ac de ceteris cibis. Antonius Leon loc. cit. putat dimidium unciæ chocholatæ posse in potione misceri tanquam parvam materiam. Sed hoc ego nimium existimo, quia proportionaliter loquendo, uncia dimidia chocolatis plus nutrit & corroborat, quam sex unciæ alterius cibi valde nutritivi. Unde cum ad hoc sit attendenda quantitas formalis, nempe virtus nutritiva, utpote quia in jejunio præcipitur abstinentia a cibo tanquam a nutritivo, illa habenda est pro parva materia, quæ parum nutrire potest: unde puto non posse excedere octavam partem unciæ, aut ad summum sextam partem, alioquin semper affert notabile nutrimentum*. Ex his omnibus me recte inferre posse censeo 1. a chocolatæ potione in diebus jejunii a suæ æternæ salutis curam habentibus esse omnino abstinendum, nec pro tali esca se sacri jejunii violandæ legis periculo exponere. 2. Non esse tamen gravis culpæ statim damnandos, qui urgente necessitate, premente senectute, gravante officii vel muneris labore, tenuem ciatum chocolatæ infra unciam de mane sumunt.

XI. Quod vero de se non liceret, subdunt alii Theologi, licitum efficitur consuetudine prævalente, & sicut hæc licitam reddit serotinam collantiunculam licet unius comestionis legi adversam, ita censent & consuetudine licitam effici matutinam collatiunculam ex chocolatis potu. Hanc vero consuetudinem jam invaluisse probant: quandoquidem hunc potum sumunt & de mane & interdiu Prælati, Cardinales, Episcopi, viri docti & pii, immo & ipsi Religiosi severioris etiam Instituti, immo in ipsa Urbe scientibus Pontificibus & supremis Pastoribus chocolatæ potus distribuitur in symposiis, in conversationibus, in multorum adunationibus, sive ad negotia tractanda, sive ad gratulationis vel visitationis officia exhibenda, quin tamen unquam contra hujusmodi abusum nec mussitaverint Pastores & Pontifices. Fateor quidem, licet non sine animi sensu, id verum esse, at minime ad legitimam consuetudinem deservire. Quandoquidem, ut dictum est Tract. de Legibus Diss. 4. cap. 13. & 14. tres requiruntur conditiones ad legitimam inducendam consuetudinem. 1. Ut sit utilis bono communi, vel saltem ei non adversetur. 2. Ut proficiscatur a Communitate perfecta. 3. Ut accedat consensus habentis potestatem legislativam. Porro omnes præfatæ conditiones desunt omnino abusui chocolatici potus. Nam nihil confert ad bonum commune, immo ipsi bono communi ab Ecclesia intento in lege jejunii e diametro adversatur; nam jejunium in-

indictum est, ut concupiscentia per nutrimenti subtractionem comprimatur, ut per pœnitentiæ opera Deo pro peccatis satisfiat, divina ejus indignatio & vindicta avertantur: porro chocolatis potione concupiscentia minime fræmatur, immo cum validum sit nutrimentum, eam promovet magis & urget; famis sedatur, pœnitentia impeditur, immo tollitur, & delicias in jejunii tempore quærendo divina provocatur indignatio. Nec minus abest secunda conditio, nimirum ut a perfecta proficiscatur communitate, idest a majore illius parte. Porro quis asserere audeat, in toto Orbe Catholico, vel saltem in tota Catholica Europa a majori christianorum parte chocolaticæ potionis usum usurpari, cum vix in singulis fidelium myriadibus decima pars sit, quæ præfatam potionem usurpet, ideoque vix centesima pars fidelium eam sequatur consuetudinem, & a viris piis Deum timentibus ceu jejunio infensa rejiciatur? Præterea sicut diximus Regula I. I. Reg. 4. n. 7. ad consuetudinem inducendam requiritur frequentia actuum, qui liberi sint in ipsis elicientibus; quomodo libera est potio chocolatica, quæ ex errore inducta est & ex errore usurpatur? invecta est enim quia putabatur potus, & talis habetur apud Indos, & Hispanos, quo nihil minus verum; sustinetur modo & ad praxim reducitur ex errore invectæ jam consuetudinis, quod pariter falsum esse constat, & adductis patet argumentis. Quot enim sunt in ipsis amplioribus & illustrioribus Civitatibus, ubi hic potus abundet, qui eum sumant? Profecto paucissimi. & vix decem in singulis centenariis, & ferme dimidia pars ejus usum tanquam corruptelam detestatur, ac propterea plures Theologi adversus hanc corruptelam vociferantur, & clamant admonentes fideles, ne se seduci patiantur. Deest autem consensus legislativam potestatem habentium. Non me latet afferri a benignioribus Theologis, & præsertim ab Hurtado, vivæ vocis Oracula S. Pii V. Pauli V. Gregorii XIII. & XV. qui chocolatæ sumptionem potum esse declararunt, & potum certum est jejunium non frangere. At hæc Oracula, si etiam vera forent, nihil ad rem facerent, cum data referantur pro usu chocolatis eo modo, quo apud Indos in America usurpatur, & horum Oraculorum Monumenta in America servantur: deinde ea omnia minus vera esse satis ostendit ipse Cardinalis Brancacius potus chocolatici patronus in sua Differt. scribens: *Non abscissam mihi in hac assertione præsidium ex assertis Summorum Pontificum Pii V., Greg. XIII., Pauli V., Greg. XV. declarationibus relatis post ceteros ab Hurtado, aut ex Bulla fel. mem. Urbani VIII. cujus meminit Henricus Stubeus, & prius Pellicer ab Hurtado relatus, negativam nostram sententiam confirmantibus. De his enim mihi legitime non constat. Neque illas vidi, neque id a viris, quorum certe cognitionem fugere non poterat, audivi. Immo cum plerumque coram Pontifice in Episcoporum examine, me præsente, hæc controversia fuerit proposita, nulla de assertis Bullis mentio facta est.* At si non expressus, saltem tacitus accedit Supremarum Potestatum consensus, qui probe norunt chocolatæ potum usurpari & in publicis conventibus & in symposiis, & in visitationibus officii alicujus gratia, sive ob novam dignitatem, sive ob matrimonium exhibitis, sive ob Religiosæ vestis assumptionem, & professionem, vel ali-

aliquo alio titulo, quin tamen contra hunc abusum vocem extulerint, immo nec mussitaverint. Verum nec hoc solidum esse potest adoptatæ consuetudinis argumentum, 1. quia certum exploratumque est, plurimos esse nobiles Viros, Prælatos, Religiosos, qui ab eo potu religiose abstinent, & consuetudini suo facto obsistunt. 2. Quia cum cum hæc consuetudo non universalis sit, sed solum penes divites, & nobiles viros vigeat, qui expensas comparandæ chocolatæ subire valent, non est cur huic particulari corruptelæ obsistant, cum ad Confessarios pertineat eos emendare & corrigere. 3. Quia cum legitima fortassis de causa a pluribus chocolatæ potus usurpetur sive ob debilitatem stomachi, sive ob labores, quos subire debent, sive quia adversa valetudine a jejunii observantia solvuntur, ad quod, eo meliori quo possunt modo, custodiendum chocolatæ potum in auxilium assumunt, non decet Supremas Potestates universaliter prohibere, quod non universaliter usurpatur, nec fortassis illicite a pluribus, sed cujusque conscientiæ judicium de licito vel illicito usu relinquere. Denique, vel consuetudo isthæc solum chocolatæ potum adoptat, & concedit, vel alium quemcumque sive potum sive cibum pari in quantitate & qualitate æqualem: si primum, ergo hæc consuetudo solum nobilibus, divitibus, & pecuniosis favet, ceteris autem christianis, qui delicatam hanc sorbitiunculam sibi comparare non possunt, jejunii pondus & rigorem sustinere debent, atque ita aliud erit divitum, aliud pauperum jejunium. Si vero alterum eligant, licebit igitur mane omnibus sumere tantum cibi vel potus, puta tantum amygdalatum, vel nucum cum pinearum, sive avellanarum nucleorum, vel etiam panis quantitatem, quæ æquet nedum quantitate, sed & substantia chocolatæ potum, & sic novum inducetur jentaculum, seu collatiuncula matutina; quod quam falsum sit, nemo non videt, cum exploratum compertumque sit, potum chocolatæ sumere non valentes minime sibi licitum arbitrari, & concessum alium vel cibum vel potum sumere. Nullum igitur & imbecille est argumentum a consuetudine deductum. Quamobrem minime audiendus Militante, dum Exercit. 23. in propositiones ab Alex. VII. damnatas sic scribit: *Dico igitur idcirco in præsentiarum esse absolute licitam chocolatæ potionem in moderata sesqui-unciæ quantitate, quia parvitas materiæ ex consuetudine introducta, & tolerata ab Ecclesia, excusat a culpa, licet ex se absque tali permissione nullatenus excusaret . . . Ex quo principio sequitur quod qui eodem esuriali die post epotam chocolatæ sesquiunciam, si aliam quoque propinare vellet, peccaret venialiter ob parvitatem materiæ, non permissam ex tolerantia Ecclesiæ. Sed insuper, si quis tertio id faceret, peccaret mortaliter.*

XIII. Quoad reliquas vero potiones Thei, Caffeii, Salviatæ, vel aquæ succo meli citrini, vel medici, & saccaro conditæ, vulgo limonea, puto non ita certe jejunio adversari, nam parum vel nihil substantiæ in eis continetur, quæ post coctionem in fundo vasis relinquitur, sed solus superest, color, odor, & sapor; unde veræ potiones dici possunt, vel ad calefaciendum stomachum, vel ad ructus vel inflationes reprimendas conducentes, quare multo magis quam electuaria, de quibus loquitur S. Thom. sumi possunt, & juxta ejus doctrinam permitti, cum, ut dixi, non

rei

rei solidæ substantiam nec liquentem contineant, sed solum colore, sapore, odore imbuantur; at & in his abusus irrepere potest, si in fraudem jejunii, & in magna quantitate sumantur, quemadmodum de electuariis docuisse S. D. n. 8. diximus.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Urbanitatis gratia non licet jejunium violare.*

II. *Qui ex inadvertentia mane comedit, tenetur jejunium servare.*

III. *Qui pluries comedit in die jejunii, juxta comestionum numerum peccata multiplicat.*

IV. *Jejunium violant, qui pluries bibentes modicum cibi potioni præmittunt.*

Consectarium Primum.

I. NON licet urbanitatis gratia amico jejuniorum diebus invitanti obtemperare, cibum ultra unicam comestionem sumendo, quod si fit in exigua quantitate, solum venialem culpam inducit, si vero in notabili, violati graviter jejunii reum comedentem constituit. Et certe urbanitas ratio est admodum levis & imbecilla, ut a sanctissima jejunii lege eximere valeat, quinimmo diabolica videtur illa urbanitas, qua & invitans & invitatus se mutua offensione ad Ecclesiæ præceptum violandum sollicitant. Pari pacto non licet cum hospite, cui sero adventanti & impranso cœnam parare debes, assidere, & cum illo comedere, sed ingenue confiteri te jam permissam comestionem sumpsisse: proinde ad secundam tibi progredi non licere: quod si ille tibi assentiatur, & tuo muneri satisfecisti, & hospitem tuum optimo exemplo ædificasti: si vero ille tuæ irrideat simplicitati, & objurgatione vel avaritiæ vel inurbanitatis ad comedendum vel invitum compellat, ejus irrisiones & verba contemne, memor verborum Christi Domini dicentis Lucæ 8. 26. *Qui me erubuerit & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* Nec pariter a violatione jejunii excusat, ut affirmant nonnulli Theologi, necessitas sive caritas ad excitandum scilicet aliquem infirmum nauseatorem ad comedendum, cum, ut optime animadvertit Franzoja, infirmis christianis operibus & exemplis prodesse debemus, non offensionem afferre fractione sanctissimi jejunii; provocare itaque ad comedendum possumus vel eos suppeditando cibos, qui infirmo magis placent, vel ad comestionem hortando blandis verbis & suasionibus, non vero præceptum Ecclesiasticum violando.

Consectarium Secundum.

II. Qui jejunium frangit ex inadvertentia, adhuc tenetur jejunium servare eo meliori quo potest modo, videlicet ab ulteriori comestione abstinendo. Adversantur huic doctrinæ plures Theologi, quippe qui putant, semel fracto jejunio non amplius locum esse ejus custodiæ, nec præceptum amplius urgere, quod unicam imperat comestionem, quam observare amplius non valet qui jam bis comederit. Verum hæc opinio falsa est & laxa, nam adhuc Ecclesiæ præcipienti obtemperare debet eo quo potest modo, abstinendo a repetitis comestionibus, quas omnino prohibet, unicam concedens in die jejunii comestionem, ut magis ex sequenti consectario patefiet.

Con-

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Unice vera & solum probabilis est illa Theologorum sententia, quæ docet, pluries comedentem in die jejunii toties peccare, quoties novam sumit comestionem. Veritatem hujus doctrinæ solidissime meo videri, & omnium argumentorum genere evincit Auctor Anonymus Dissertatione cui titulum fecit: *Responsio data cuidam Theologo; sive examen illius axiomatis, semel fractum semper fractum*, typis edita Cæsenæ 1755. & sic evincitur. Præceptum de unica comestione in die jejunii usurpandá, licet verbis affirmativis expressum, revera tamen negativum est, quandoquidem ut superius notavimus, non unica præcipitur comestio, alioquin jejunium violaret qui toto jejunii die prorsus ab omni cibo abstineret; prohibentur igitur plures comestiones, præter unam; proinde mandat ne pluries comedas: qui ergo pluries vescitur, pluries mandatum violat, & peccata multiplicat. 2. Non minus præcepto jejunii interdicitur carnium comestio, quam plurium refectionum sumptio, porro qui pluries in die carnes comedit, peccata multiplicat; ergo & qui plures usurpat comestiones, plura perpetrabit peccata. 3. Licet præceptum affirmativum supponatur, & unicam non solum permittere & concedere comestionem, sed & præcipere saltem illis, qui vesci volunt, adhuc tamen infert plurium comestionum abstinentiam; qui enim unam dumtaxat concedit, omnem pluralitatem excludit, ut patet in Communione & in Missa vel concessis vel præceptis: nam Ecclesia concedit Sacerdotibus ut unam Missam celebrent in singulos dies, & laicis ut semel tantum communicent, proinde & plurium Missarum vetat celebrationem, & plurium Communionum sumptionem eadem die: quamobrem qui pluries vel celebrat, vel communicat, plura committit peccata, adeo ut peccent Sacerdotes non solum cum secundo celebrant, & fideles cum secundo communicant, sed etiam cum tertio & quarto idem faciunt, nam semper iterato præceptum violant de unica celebranda Missa, de unica Corporis Christi sumptione, ergo pari pacto qui pluries in die jejunii comedunt, pluries peccant, quia pluries præceptum conculcant, unicam tantum comestionem vel concedens, vel indicens. Ita revera docent & sentiunt nobiliores Theologi, Medina, Covarruvias, Sylvius, Natalis Alex., Henricus a S. Ignatio, & novissime Antoine, Concina, Franzoja. Argumenta vero Theologorum contrariæ sententiæ, utpote sita in metaphysicis speculationibus, bene moratam mentem movere non valent, inquiunt igitur 1. Præceptum unicam concedens refectionem omnino violatur per secundam comestionem, adeo ut amplius subsistere non possit, sicut præceptum de non frangendo vase, ita violatur prima fractione, ut si jam fractum iterum in plures etiam minutiores partes frangatur, non censeatur iterum violari præceptum. 2. Jam violato per alteram comestionem jejunio finis præcepti obtineri nequit, qui in carnis castigatione consistit, quæ profecto locum amplius non habet in eo, qui jam bis ad satietatem comedit. 3. Mens Ecclesiæ non est, eum, qui bis comedendo jejunium fregit, non amplius præcepto jejunandi obstringi, cum ejus observantia jam illi sit reddita impossibilis. At hæc mihi mera videntur sophismata, & pueriles argutiolæ, quæ feminis quidem & pueris impone-

ponere valent, at Christianos viros, & mente ornatos nedum non movent, sed vel ad commiserationem, vel risum excitant. Ad primum itaque dicimus, positum argumentum & allatam de vase fracto similitudinem nimium probare; evinceret enim semel violatis præceptis Ecclesiasticis, immo & divinis per primam transgressionem, cum eorum observantia jam facta sit impossibilis, non amplius peccare iterantem delicta; sic violato præcepto monogamiæ in matrimonio per secundam superinductam uxorem non amplius peccabit si tertiam, quartam, decimam adjiciat; violato semel voto castitatis per fornicationem, subsequentibus impudicitiis peccata quidem multiplicari contra præceptum non mœchaberis, non vero contra votum castitatis, cujus custodia jam facta est impossibilis. At quis hoc dicat? Violato igitur præcepto per secundam comestionem, & observari potest adhuc eas non iterando, & violari iterum multiplicando comestiones, cum æque eo præcepto & vetita sit secunda refectio & tertia & quarta. Ad 2. finis præcepti, licet post secundam comestionem obtineri non possit perfecte & plene, obtinetur tamen aliquo modo per abstinentiam a multiplicatis refectionibus, eo prorsus modo, quo per unicam carnium comestionem ad satiatatem finis præcepti jam obtineri perfecte non potest, proinde peccat qui etiam semel carnes comedit; quia tamen aliquo modo obtineri potest abstinendo ab iteratis carnium comestionibus, ideo toties quis peccat quoties carnes comedit; ita pari pacto per secundam ciborum sumptionem impeditur finis præcepti, proinde peccat qui secundo comedit, quippe qui adhuc obtineri possit abstinendo a multiplicatis refectionibus; eapropter toties peccabit, quoties eam multiplicabit. Ad 3. petimus, unde constet Theologis de mente Ecclesiæ nolente amplius obligare ad jejunii præceptum, qui illud semel fregit? Licet enim fateamur ita Ecclesiam velle potuisse, quod autem sic voluerit & decreverit, quomodo probant Adversarii? Gratis omnino fingunt. Immo oppositum esse præsumendum de Ecclesiæ mente hæc ostendunt argumenta. 1. Ne iniqui jejunii violatores utilitatem ex sua iniquitate reportent, ut revera reportarent, si semel fracto jejunio ipsis liceret pro libito comestiones repetere. 2. Quia Ecclesia nunquam favere intendit helluonibus, qui scientes ablatum jam per secundam comestionem jejunii præceptum, licitum sibi putarent multiplicare comestiones. 3. Denique, quia ut egregie docet Benedictus XIV. in sua ad Archiepiscopum Compostellanum epistola ad dirimendas de jejunio emergentes difficultates, semper inspiciendum quo tendat Ecclesiasticarum Constitutionum scopus, sic enim scribit: Habens hunc scopum, ut dubia, quæ facile pro ingeniorum varietate disputando emergunt, penitus dirimantur, nec diuturna disputatione fluctuent animi, præsertim cum Constitutiones Apostolicæ scopum, in quem protendunt, aperte demonstrent, & illuc prompte dirigi potest quidquid dubitando interturbare videtur. Porro scopus Ecclesiastici præcepti, & Apostolicarum Constitutionum est, corpus affligere, concupiscentiam domare, pœnitentiæ opera amplecti, cui scopo profecto adversantur Theologi, dum a peccato excusant eos, qui semel fracto per secundam comestionem jejunio, non cessant repetitis comestionibus corpus cu-

curare & nutrire, & concupiscentiam inflamare, & pœnitentiam omnem a se abjicere. Mens igitur Ecclesiæ jejunium præcipientis est, ut si quis vel ex fragilitate, vel ex passione, vel ex malitia semel jejunium fregit, solum comestiones non iteret, nec cibo se ingurgitet. Nec ab hac nostra doctrina multum distant Theologi, qui S. Antonini sententiam amplectuntur. Ille siquidem scribit 2. p. tit. 6. n. 9. „ Iterare comestiones secundum Durandum „ in 4. non est nisi unum peccatum „ mortale, quia violatio præcepti pro „ uno die, sed tanto gravius, quanto „ pluribus vicibus comedit illa die, „ & hoc communius tenetur". Nam quod vel peccata numero multiplicentur, vel plures malitiæ in uno peccato coadunentur, parum refert, præsertim cum isti Theologi fateantur, in Confessione non solum violati jejunii crimen esse aperiendum, sed & quoties illud violaverit, ut peccati gravitatem dignoscere valeat Pœnitentiæ Minister. Non enim repetitam comestionem putant circumstantiam leviter peccatum aggravantem, quæ proinde omitti possit sed notabiliter crimen augentem, proinde manifestandam. Legantur quæ diximus Tract. 3. de Off. hom. dissert. 3. cap. 8. reg. 1. n. 2. ubi, & alia habentur argumenta nostram doctrinam confirmantia. At certe falsa est & omnino laxa illa aliquorum Doctorum sententia, quæ asserit, in iteratis post secundam comestionibus nec peccatum veniale committi, a qua doctrina certe non abhorret Busembaum, dum scribit: *Unica comestio ita est necessaria, ut secunda comestione pecces mortaliter, reliquis autem supra secundam ad summum venialiter tantum.*

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Graviter præcepto unicæ comestionis adversatur mos & consuetudo aliquorum, qui post prandium in diebus Quadragesimæ vel aliis esurialibus diebus mensæ assidentes vinis varii generis & optimis refertæ, vel ludendo, vel confabulando, per plures horas morantur, interim vini ciathos identidem sumentes, & ne potus noceat, simul vel aliquot amygdalas, vel crustulum panis, vel bellaria sumunt; vel alio modo de taberna in tabernam, de domo in domum amicorum transmigrantes vel binos, vel ternos vini scyphos hauriunt, semper aliquid prægustantes, vel ne potus noceat, vel ut sapidius bibant. Quis enim non dicam rigidus Doctor, sed honestus & probus Christianus non statim perspicit, hos christiano jejunio illudere, & frustra sibi blandiri de servato jejunio, quod turpissime violant, tum comedendo tum bibendo? graviter proinde a Confessariis increpandi, nec absolutione dignandi, nisi serio polliceantur, & facto probent, se ab hujusmodi perversa consuetudine velle omnino recedere. Nec permittendum servis & ancillis, qui dominorum mensis servire debent postea pransuri, ut ante dominorum prandium notabilem cibi quantitatem sumant, quasi prandium inchoantes, quod justa causa se abrumpere posse putant ob dominorum servitium præstandum, & postea veluti reassumunt propriæ mensæ assidentes, quandoquidem hæc interruptio non ex urgente aliqua causa, nec præter expectationem occurrente negotio, sed data opera, & ex consilio adhibetur, proinde revera comestiones multiplicant. Et revera quis unquam inter legitimas ab uni-

unica comestione servanda excusantes causas enumeravit servitium dominis præstandum in mensis: At inquiunt, famis ex aliena comestione irritatur & urgetur, gula quoque impellit, ut identidem de reliquis ex pateris aliquid capiant, tanquam partem suæ refectionis. At quis credat, vel famem nolle pati, vel gulæ irritamenta esse legitimas violandi jejunii rationes & causas: Profecto qui ita sentiunt, certe ad ea non attendunt, quæ Bened. XIV. animadvertenda proposuit, *jejunium scilicet esse inter orthodoxæ disciplinæ præcipua capita adnumerandum, esse militiæ nostræ tesseram, qua ab inimicis Crucis Christi secernimur, & cæleste præsidium, quo in dies adversus Principes tenebrarum munimur ... Quamobrem lacrymis deplorandum, (augustissimam quadragesimalis jejunii observantiam plane sublatam nullis urgentibus legitimis causis*, cujusmodi sunt famis sensus, gulæ irritamentum, potus nocumentum, erga amicos urbanitas, & aliæ hujusmodi futiles vanæque causæ a Theologis invectæ, a quibus studiosus Pænitentiæ Minister abhorrere omnino debet, ut sanctitatem jejunii in suis Pœnitentibus conservet & promoveat.

CAPUT NONUM.

De tempore concessæ refectionis, nec non urgentis & desinentis jejunii.

DOCTRINA.

I. *Semper in jejunio hora illud solvendi præstituta fuit.*
II. *Præceptum urget de hora expectanda.*
III. *Quod declaravit Benedictus XIV.*
IV. *Falsa refertur opposita Theologorum doctrina.*
V. *Et argumentis refellitur.*
VI. *Quanta requiratur horæ præoccupatio ad jejunii violationem.*
VII. *Num liceat prandium in vesperas differre sumpta prius collatiuncula.*
VIII. *Quodnam sit tempus incipientis & desinentis jejunii.*
IX. *Num parvitatem admittat.*

I. AD complementum & integram sacri jejunii perfectionem, est & determinata sumendæ concessæ refectionis hora servanda. Porro certum exploratumque est, in omnibus sive veteri sive novi Fœderis jejuniis præstitutum fuisse sive lege sive consuetudine tempus & horam jejunii solvendi, & sumendæ refectionis, quam prævenire jejunantibus non licebat, licet protrahere & etiam omnino omittere concessum fuerit. In Veteri Testamento solum ad vesperas jejunium solvebatur, quod & in Catholica Ecclesia in Quadragesimali jejunio custoditum primis Ecclesiæ seculis superius vidimus, deinde solvendi jejunii mos invaluit ad horam nonam, nostris vero temporibus ex nova consuetudine invecta circa seculum XVI. jejunium solvere hora sexta, idest in meridie, conceditur. Legantur quæ diximus cap. 1. n. 7.

II. Nunc igitur expendendum est, num urgeat præceptum sub gravi adstringens ad horam meridianam pro Jejunii solutione expectandam. Negant plurimi Probabilistæ his ducti rationibus, quia, inquiunt, tempus sumendæ refectionis nec ad essentiam nec ad substantiam pertinet jejunii, quod plenum & perfectum habetur & per abstinentiam a carnibus & a pluribus refectionibus; quamobrem tempus & hora pro refectione statuta non est nisi appendix & veluti conditio jejunio sive comestioni unius refectionis adjuncta, quæ proinde si omittatur, & quidem sine justa ratione, veniale peccatum erit, nunquam

quam vero lethalem culpam inducet. Si vero aliqua de caufa hora præveniatur, ne culpæ venialis reatum pariet. 2. Horæ præventio non officit nec fini jejunii, nimirum carnis macerationi, & concupifcentiæ refrænationi, nam fatis affligitur corpus per unicam refectionis fumptionem in 24. horarum fpatio, tot enim interfluunt, & tantum temporis fpatium decurrit ab una ad aliam refectionem quacumque fumatur hora; proinde parum refert, num hæc fumatur vel in meridie, vel etiam ante meridiem. Verum hujus doctrinæ falfitatem, & argumentorum futilitatem evincit 1. omnium Chriftianorum fenfus, qui non fe jejunare arbitrantur, fi horam fumendæ refectionis ab Ecclefia conftitutam multum præveniant, & fi quos vident de mane prandere, eos minime jejunare arbitrantur. 2. Semper ab initio Ecclefiæ in more fuit omnium Chriftianorum horam aliquam & tempus fervare, in quo refectionem fumerent, quod quidem varium fuit; & hæc eadem varietas oftendit, hanc confuetudinem & morem femper viguiffe, & folum ex Ecclefiæ confenfu mutatam effe. Immo hæc horæ & temporis defignatio non jejunio extrinfeca habenda eft, fed ipfi intranea, cum femper penes omnes nationes, nedum vera religione illuftratas, fed etiam penes gentes, Turcas, Indos jejunii folvendi certum tempus & hora determinata fuerint & præftituta. 3. Antiquiores Patres, & Theologi, immo & Concilia femper neceffitatem expectandi determinatam fumendæ refectionis horam, partem effe Ecclefiaftici jejunii ita agnoverunt, ut ejus gravem obligationem nec in dubium unquam revocaverint; ideoque hæc gravis obligatio in Jure Canonico ftatuta & declarata fuit; ftatuitur enim cap. folent de Confecrat. dift. 1. *Nullatenus jejunare credendi funt, fi ante manducaverint, quam vefpertinum celebretur officium*. Et in Concilio Rothomag. an. 1072. indicitur: *Nullus in Quadragefima prandeat, antequam hora nona peracta, vefpertina incipiat. Nam jejunat, qui ante manducat*. S. Thom. 2. 2. q. 147. certam hanc obligationem ita agnovit fcribens ad 2. *Ad jejunium requiritur hora determinata, non fecundum fubtilem exiftimationem . . . fufficit enim quod fit circa horam nonam*, ut eam probandam non affumpferit, fed folum congruentes attulerit rationes horæ præftitutæ, quæ fuo ævo erat tertia poft meridiem. Et in IV. fent. dift. 15. q. 3. a. 4. quæft. 3. aperte docet: *Ille jejunium folvit, qui Ecclefiæ determinationem non fervat. Unde cum Ecclefia inftituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium folvit*. Quod confirmat in refp. ad 2. ubi difcrimen oftendit inter *præpropere* manducare, ideft prandii anticipationem, & alios defectus, qui jejunium vitiare quidem poffunt, at violationem præcepti non inducunt, cujufmodi funt *laute* comedere, ideft, pretiofos cibos quærere, *nimis* fcilicet in quantitate cibi excedere, *ardenter*, ideft cum aviditate comedere, & *ftudiofe*, videlicet exquifito modo cibaria præparare. De his enim defectibus fic fcribit: ,, Ea, ,, in quibus non poteft accipi certa ,, menfura, non cadunt fub determi- ,, natione legislatoris. Et ideo quia ,, non poteft accipi certa menfura in ,, quantitate cibi, vel aliis conditio- ,, nibus numeratis, ficut *in tempore* ,, accipi poteft, ideo conditiones aliæ ,, non cadunt fub determinatione præ-

,, cepti

„ cepti Ecclesiæ, & ideo quamvis per „ inordinationem circa illas *quatuor* circumstantias peccet, & *meritum jejunii* „ *amittat* (vel in toto vel in parte) „ non tamen *Ecclesiæ statutum* transgreditur, & ideo jejunium non solvit". Adeo exploratum erat ævo S. Tho. horam refectionis cadere sub præcepto, & per ejus anticipationem solvi, idest violari jejunium. Consentiunt & alii Theologi. Durandus in IV. dist. 15. q. 9. n. 7. scribit: *Tempus comedendi die jejunii esse horam sextam*, unde infert q. 10. n. 4. *Ægros jejunii lege esse solutos, quia non possunt horam servare jejunii*. Paludanus in IV. Dist. 15. q. 4. n. 4. *Jejunium frangitur notabili horæ anticipatione sine causa, & in Quadragesima oportet expectare non vesperam diei, sed officii*. Riccardus de Mediavilla ib. art. 1. qu. 7. *Sub determinationem jejunii Ecclesiastici non cadit nisi semel comedere in die naturali, & hora determinata, & abstinentia ab esu carnium, & ab ovis, & caseo in quadragesimali jejunio*. S. Antoninus II. P. tit. 6. cap. 2. §. 10 *Tertio vitiatur jejunium ex horæ nimia anticipatione*. Cajetanus in laud. q. 147. art. 7. scribit: *Ex hoc quod omnes homines communiter judicant, non jejunare illos, qui tam notabiliter ante consuetam horam, qua jejunantes solent prandere, comedunt; evidenter patet quod hora consueta comedendi pro jejunio, quæcumque hora sit, illa est de necessitate jejunii . . . Tenetur igitur quilibet ad consuetam horam prandii in jejunio, sicut tenetur ad jejunium ipsum*. Idem docent Sylvester, Astensis, Tapia, Rotella, Medina, Navarrus, Covarruvias, Comitolus: novissime vero Antoine, Cuniliati, Boranga, uno verbo, omnes sanioris doctrinæ Magistri, immo & plures inter Probabilistas, nimirum Sanchezius, Azorius, Reginaldus.

III. Sed meo videri, rem extra omnem controversiam posuit Benedictus XIV. in sua ad Archiepiscopum Compostellanum responsione. Hic enim Sedem Apostolicam consuluit, num qui ex dispensatione carnibus vescuntur, teneantur horam consuetam sumendæ refectionis cum cæteris jejunantibus servare. In qua petitione animadvertendum, sapientissimum Archipræsulem nec dubitasse de gravi obligatione expectandæ horæ, tum quia pro re levi dirimenda ad Sedem Apostolicam non confugisset, tum quia non postulavit, num horæ observantia sub gravi obligatione obstringat, sed hac supposita, num ab ea censeantur dispensati, qui carnibus ex indulgentia & concessione vescuntur. Pontifex vero respondit & jejunantes, & dispensatos teneri observare horam ab Ecclesia constitutam, proinde hanc agnoscit obligationem, & quidem gravem. Et revera nonne omnes fideles necessitatem horæ servandæ agnoverunt? Nonne Patres eam custodiendam indixere? Nonne Concilia hoc onus portandum statuere? Cur autem tanta solicitudo de re minima, & solum sub levi, ut volunt Probabilistæ, obligante? Nec dicant, hanc horæ observantiam non ingredi jejunii essentiam & substantiam, sed ejus esse solum circumstantiam accidentalem: quandoquidem nonne hoc idem noverant & Patres, & Concilia Theologi antiquiores, & totus denique Christianus populus? qui tamen hanc appendicem, hanc circumstantiam ita sub gravi urgere censuerunt, ut qui eam notabiliter prævenirent, nec jejunare censerentur, & ut diximus ex Cajetano, teneri quemlibet ad consuetam horam prandii in jejunio, sicut tenentur ad jejunium ipsum?

sum? Præterea nonne Probabilistæ olim docebant abstinentiam a carnibus esse solam de jejunii essentia, & unicam comestionem tantum appendicem, unde inferebant, & acriter defendebant, dispensatum a carnium abstinentia, esse & a lege unicæ comestionis solutum, & tamen contrarium definitum fuit, & reprobata eorum doctrina a Benedicto XIV. non quidem declarando unicam comestionem esse de essentia jejunii, sed ab hac speculativa opinione præscindendo, & dumtaxat indicendo, qui carnes comedit teneri sub gravi obligatione unicam comestionem servare? Cur igitur & horæ expectatio, licet essentiam jejunii non ingrediatur, gravem obligationem non inferat, cum & eam servandam declaravit idem sapientissimus Pontifex & a dispensatis ab abstinentia: Nec urget altera Probabilistarum ratio de fine jejunii non violato ex horæ anticipatione, cum idem tempus fluat inter refectionem c. e. summo mane sumptam ad eamdem sequentis diei horam, sicut interfluit ab una meridiana ad alteram meridianam. Nam licet hoc verum sit quidem mathematice, minime tamen verum deprehenditur moraliter; quandoquidem communi constat experimento, corpus summo mane a somno recreatum non fame urgeri, at quo tardius differtur comestio, eo acrius stomachus laborat, & comedendi desiderio premitur: quamobrem omnes Nationes in suis quibuscumque jejuniis in tardiorem horam refectionis sumptionem differendam censuere; quod profecto ostendit in communi omnium sensu cunctationem sumendi cibi humano corpori molestam, & gravem esse, proinde jejunio propriam & convenientem.

IV. Falsa igitur est habenda doctrina plurium Probabilistarum & præsertim Tamburini & Vivæ, ille quidem docentis lib. 4. in Decal. cap. 5. §. 4. n. 2. *Ajo primo, non esse de essentia jejunii Ecclesiastici, nec de praecepto horam comedendi meridianam . . . Non de praecepto vel consuetudine obligante; quia quamvis non nemo illam quærere satagat, nunquam invenit tamen. Ajo insuper consequenter, non esse mortale horam prædictam anticipare, etiamsi comedatur summo mane.* Iste vero in Curs. Theol. Tom. I. P. II. q. 10. art. 2. scribit: *Falsum etiam dari aut præceptum, aut consuetudinem graviter obligantem ad non anticipandam comestionem ante meridiem.* His assentiuntur Layman. Filliucius, Bonacina, Toletus, & alii, & novissime Lucius Ferraris in sua Bibliotheca V. *Jejunium* art. 1. n. 48. qui nec in Append. sententiam mutavit, licet responsionem retulerit Bened. XIV., qui statuit horam jejunii esse ab omnibus servandam.

V. Non licet itaque notabiliter antevertere comestionis horam sine gravi culpa, ut docent omnes laudati Theologi n. 3. & quidem jure merito & cohærenter doctrinæ statutæ de hora sumendæ refectionis servanda. Si enim ex præcepto Ecclesiæ hora constituta servanda est, qui eam notabiliter prævenit, jejunium profecto violat, cum legem Ecclesiæ graviter obligantem non servet. Ita docet S. Thom. in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. quæstiuncula 3. cujus verba superius n. 2. recitavimus. Et revera si antiqui Christiani, immo omnes usque ad XV. seculum tenebantur expectare vel horam vespertinam, vel tertiam post meridiem, adeout eam prævenientes graviter peccarent, ut fatetur ipse Layman tract. 8. cap. 1. n. 11. cur igitur modo licebit eam ordinationem negligere, & tempus notabili-

biliter prævenire? Quia, inquit laud. Auct. *Spectata bodiernæ Ecclesiæ consuetudine, per quam cœna in prandium, sive tempus, quo communiter homines prandere solent, translata est, non videtur tertium illud requisitum ad substantiam jejunii pertinere, sed vel accidentarium esse, vel secundarium, cujus prætermissio, adeoque anticipatio temporis censeri debeat tantum culpa venialis.* At qua amabo ratione affirmat Laymanus, tertiam conditionem de hora expectanda in jejunio non esse de substantia hodierni jejunii? Nonne fuit de substantia jejunii, ipso fatente, per quatuordecim fecula? quo igitur fato, qua lege, qua ordinatione, quod substantiale erat in jejunio, modo factum est accidentale & secundarium? Nonne sicut antiquitus, ita & modo Ecclesiasticum jejunium integratur ex abstinentia, unica comestione, & hora constituta? cur igitur non erit idem cum antiquiori; & sicut in illo vel abstinentiam violare, vel comestiones multiplicare, vel horam prævenire, erat Ecclesiasticum frangere jejunium, cur & idem modo dicendum non est? Quia, inquit, *consuetudo Ecclesiæ mutata est, quæ cœnam in prandium transtulit.* Utique, & ideo licet in meridie prandere, & non ita mutata est disciplina Ecclesiæ, quæ statuit determinata hora cibum sumendum, ut liceat cuique pro libito sine gravi violatione jejunii comedere. Sicut itaque elapsis seculis graviter peccabant fideles horam prævenientes, quia legem & consuetudinem tunc vigentem Ecclesiæ violabant, ita modo graviter peccabunt, qui meridianam horam notabiliter prævenient, quia consuetudinem & legem modo vigentem violant. Immo tanto gravius peccabunt quam veteres fideles, quod mitius factum sit jejunium, & tempus sumendæ refectionis per tres horas ante occupatum, unde & hoc tempus prævenire sit hominis ab omni etiam levi pœnitentia abhorrentis.

VI. At quanta temporis requiritur anticipatio, ut graviter violatum dici possit jejunium? Si Probabilistas audiamus, quantacumque sit anticipatio, nunquam ad lethale peccatum pertingit, proinde solum dissident, quando sit culpa venialis tempus prævenire. Tamburinus putat non esse veniale prævenire tempus per horam in hyeme, & per duas horas in æstate. Immo addit Mendicantes, & qui eorum privilegiis gaudent, posse prandere duabus horis ante meridiem in hyeme, & tribus in æstate. *Nam unam*, inquit, *aut alteram* dat moralitas meridiei, reliquas Papæ concessio. Tunc igitur solum veniale peccatum erit, si hoc tempus præveniatur: unde subdit; *Quia multi probabiliter censent, comedere semi hora ante statutum, vel concessum tempus, etiam sine causa, non esse notabilem culpam, quia parum pro nihilo reputatur; idcirco in hyeme poterunt illi duabus horis cum dimidio, æstate tribus cum dimidio ante solarem meridiem mensæ accumbere, & quidem ex causa studii, itineris, negotii, ac etiam sine veniali.* Profecto nihil commodius, nihil benignius jejunantibus. At melioris & sanioris doctrinæ Magistri longe verius & probabilius docent 1. cum S. Thom. punctum meridiei astronomicum non esse sub gravi culpa inspectandum, sed attendendam horam determinatam (inquit S. Thom. hic q. 147. a. 7. ad 2.) *Non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam æstimationem; sufficit enim, quod sit circa horam nonam* (modo circa meridiem) *& hoc de facili qui-*

libet cognoscere potest. 2. Hæc itaque tempus aliquantulum prævenire nec veniale peccatum censent, cum tempus non astronomice sit spectandum, sed moraliter, nam, ut inquit S. Thom. I. sent. *Ecclesia arctare non intendit ad subtilem temporis inspectionem, nec oportet astrolabium accipere ad horam comestionis cognoscendam, unde sufficit, si circa horam illam, quam Ecclesia constituit, jejunans sumat cibum, etiamsi aliquantulum propter aliquam necessitatem anticipet*. In quibus S. D. verbis duæ assignantur conditiones, ne quis nec venialiter peccet horam præveniendo, 1. ne multum anticipet, sed *aliquantulum*, adeo ut dici possit, cum moraliter in meridie prandium sumere, 2. ut hujus anticipationis aliqua sit causa honesta, quod & repetit 2. 2. q. 147. a. 7. ad 3. scribens: *Modicum augmentum, vel etiam modicus defectus non multum potest nocere, non est autem magnum temporis spatium; quod ab hora sexta, in qua communiter homines comedere consueverunt, usque ad horam nonam, quæ jejunantibus determinatur: & ideo talis taxatio temporis non multum potest alicui nocere cujuscumque conditionis existat. Vel si forte propter infirmitatem, vel ætatem, vel aliquid hujusmodi hoc eis in magnum gravamen cederet, esset cum eis in jejunio dispensandum, velut aliquantulum præveniret horam*. Si itaque ævo S. Thom. quando hora refectionis erat tertia pomeridiana, non nisi urgente magno gravamine, licebat horam prævenire, multo minus licebit hodie, quando ex consuetudine concessum est circa meridiem cibum sumere. Qui igitur sine causa præfatam meridiei horam præveniat per horæ dimidium, venialiter peccabit, qui vero per integram horam jejunii impatiens & pœnitentiam refugiens pranderet, a gravi culpa excusare non auderem; cum ut optime animadvertit Natalis Alexander: *Integræ horæ anticipatio, præsertim in præsenti disciplina, est notabilis anticipatio; quæ juxta D. Thom. solvit, idest violat graviter jejunium*, nisi gravis necessitas urgeat: non enim quælibet levis causa, licet justa, a culpa excusabit, ex levi enim causa a lege se eximere & præceptum violare, profecto legis & præcepti non venerationem & obedientiam, sed contemptum supponit, & indicat: quamobrem S. Thom. ad horæ anticipationem excusandam non quodcumque, sed *magnum* gravamen postulat.

VII. Nec licitum puto horam refectionis prævenire sumendo de mane refectiunculam; quæ juxta vigentem consuetudinem sero sumi conceditur, dilato ad vesperas prandio, nisi vel necessitas, vel infirmitas cogat. Duplex enim hic habetur inordinatio, nimirum ordinis inversio, quod enim sero sumendum conceditur, mane sumitur: nec dicas, hujusmodi Ordinis inversione legem Ecclesiæ non graviter violari; idem enim est sive mane, sive vespere collatiunculam sumas; nam si res physice spectetur, perinde est, at non moraliter, si ad legem Ecclesiæ indicentis jejunium expendatur; sicut enim perinde est physice sive mane prandium sumas, & vespere refectiunculam, & tamen qui ita ageret, lethaliter peccaret, & legem jejunii violaret, ita qui mane collatiunculum sumeret, & vespere pranderet. Bene, optime, inquies, quia in priori casu non solum mane prandens ordinem inverteres, sed & horam notabiliter anticipares prandium sumendo, quo graviter jejunium violari diximus, quod non contingit in eo, qui mane collatiunculam sumit.

At

At dico, & hic quoque sua matutina collatiuncula horam cibi sumendi notabiliter prævenit, & licet non tantam sumat sibi quantitatem; quantam si pranderet, tamen respectu jejunii notabilem sumit cibi quantitatem, quæ ex se idonea est ad jejunium frangendum, & eam sumit notabiliter ante horam ad solvendum jejunium præstitutam; violat igitur & hac anticipatione jejunium, & comestionum inversione: quamobrem non immerito docet Natalis Alexan. Reg. 13. de Jejunio: *Jejunium violare & mortaliter peccare, qui mane sumit jentaculum, prandio in vesperam dilato, nisi necessitas vel infirmitas cogat*. Minus tamen peccaret, & etiam omnino non peccaret, qui refectiunculam in meridie sumeret, dilato ad vesperam prandio legitima urgente causa, nimirum si prementibus negotiis in meridie prandere non possit, vel hospites vespere advenientes expectas, vel iter arripere debeas, vel incœnatus dormire ægre posses, vel severioris jejunii studio; tunc enim levis habetur ordinis inversio, & tempus constitutum servatur: quare subdit laudatus Doctor: *Jentaculum, seu collationem, ut loquimur, meridie sumere licet, plena refectione in serotinum dilata, si legitima causa subsit; at sine causa legitima prandium in cœnam mutare jejunii diebus non licet*. Cui doctrinæ ut probabiliori, & certo tutæ lubens subscribo.

VIII. Quoad tempus vero incipientis & desinentis jejunii, certum exploratumque est in Christiana Ecclesia jejunium a puncto mediæ noctis incipere, & in alterius mediæ noctis puncto desinere. Hæc tamen puncta non sunt nec mathematice, nec astronomice, sed moraliter, juxta communem existimationem & horologiorum designationem existimanda. Quoad horologia vero hanc puto servandam Regulam, nimirum standum esse publico horologio, & juxta illud privata dirigenda horologia, quando certo non constet custodum incuria, vel ipsius machinæ defectu a legitimo designando tempore deficere. Ubi vero publica non sunt horologia, vel plura sunt, vel privatis standum est horologiis, vel bona fide illud seligendum, quod rectius & perfectius tempus designare creditur, & illi hærendo jejunium vel incipere vel complere, nec pro horologiorum diversitate variare. Ubi viget usus horologiorum, qui semper hora duodecima meridiem & mediam noctem designant, difficilius est a vero puncto aberrare; at ubi more italico horologia postremam horam diei scilicet vigesimam quartam dimidia hora post solis occasum pulsant, ac proinde juxta dierum & anni temporum varietatem horam meridiei & mediæ noctis mutant, facilius error subrepere potest: quamobrem attendendæ sunt peculiares pagellæ, quæ ad mediam noctem indicandam sunt institutæ, & Ecclesiasticis Kalendariis præmittuntur; at hæ quoque cum nonnihil inter se diffideant, illam semper seligendam existimarem, quæ Cathedralis Ecclesiæ Kalendario pro tota Diœcesi præmittitur. Quod si quis determinatam sibi præeligeret Tabellam; quam accuratiorem putat, & illi semper insisteret, & juxta illam jejunii observantiam dirigeret, culpandus minime foret.

IX. Num autem tempus incipiendi, vel complendi jejunium ita mathematicum sit, ut nec parvitatem temporis exigui, puta minuti, admittat, ambigunt Theologi. Leander affirmat, & putat esse in indivisibili constituendum, nec sine urgenti ratione; nam si in tali

puncto indivisibili jejunii initium & terminus non constituatur, jam fixum & stabile tempus non amplius habetur: finge enim licitum esse finem jejunii prævenire unico minuto, cur non licebit duobus minutis, cur non tribus, & sic vel tandem necesse est, ut ad punctum indivisibile pervenias, vel non amplius certum habebis & determinatum tempus vel inchoandi, vel complendi jejunium. Et sane hæc doctrina vim videtur habere maximam, ubi agitur de jejunio naturali ad sacram communionem præstituto, quod profecto sicut parvitatem materiæ in cibo non admittit, ita nec exiguitatem in tempore. At alii Theologi in jejunio Ecclesiastico parvitatem temporis admittunt in anticipatione, vel protractione cœnæ post mediam noctem, quam exiguitatem Pasqualigus infra horam constituit, & Concina ad sex vel septem minuta coarctat. At Benedictus XIV. dum Bononiensem Ecclesiam Archiepiscopus regebat, rem censuit hoc modo dirigendam tam pro naturali, quam pro ecclesiastico jejunio. Animadvertit siquidem sua Institutione 12. data Kal. Decembris anni 1722. horam pro ecclesiasticis implendis præceptis juxta Doctorum & communem omnium sensum non esse mathematice & astronomice, sed moraliter & juxta communem hominum proborum mentem inspectandam; proinde tempus metiri quotidie juxta minutissimas horarum partes rem esse difficilem ac incertam, & anxietates ac scrupulos in meticulosorum animos inducere, nimiumque eos torquere: præterea jam praxim & consuetudinem invectam & Romæ, & in aliis Italiæ præclaris Civitatibus temporis varietatem per solos horarum quadrantes metiri prætermissis minutis; hinc Tabulam confecit quam suæ amplissimæ Diœcesi communem voluit, in qua per solam quadrantis vel accessionem, vel diminutionem temporis servandi jejunii etiam naturalis rationem esse habendam censuit, ac proinde tempus morale mediæ noctis intra quatuordecim minuta ad summum dilatavit, quo tempore qui comederet, non violare jejunium censendus esset. Porro hocce prudens consilium, & salutare Institutum quis prudens & cordatus improbare audebit? Unum superesset optandum, nimirum ut hanc rationem temporis dimetiendi vel ipse cum Pontifex Maximus sederet, adprobasset, vel alius ejus successor pro tota Ecclesia confirmare dignaretur: at fortassis supervacaneum est hujusmodi desiderium, cum consuetudo Diœcesis Bononiensis, Romanæ, Mediolanensis, & aliarum Diœcesum in Italia sufficere abunde possit etiam meticulosis conscientiis. Quamobrem qui hoc morale tempus intra 14. minuta limitatum violaret, etiam unico minuto, suscipiendæ communionis idoneus amplius non esset judicandus, qui vero violaret per aliquot minuta, non esset lethalis culpæ reus habendus de violato ecclesiastico jejunio. Tabellam horariam a Benedict. XIV. adprobatam hic appono

JA-

JANUARIUS.

Dies Mensis.	Initium Auroræ. Horæ.	Qu.	Dies Mensis.	Ortus Solis. Horæ.	Qu.	Meridies. Horæ.	Qu.	Hora Matut. Horæ.	Qu.	Media nox Horæ.	Qu.
1	13	0	1	14	3	19	1	21	1	7	1
11	12	3	14	14	2	19	0			7	0
21	12	2	22	14	1						
28	12	1	28	14	0	18	3			6	3

FEBRUARIUS.

Dies Mensis.	Initium Auroræ. Horæ.	Qu.	Dies Mensis.	Ortus Solis. Horæ.	Qu.	Meridies. Horæ.	Qu.	Hora Matut. Horæ.	Qu.	Media nox Horæ.	Qu.
3	12	0	3	13	3						
9	11	3	9	13	2	18	2	21	0	6	2
15	11	2	14	13	1						
20	11	1	19	13	0	18	1			6	1
25	11	0	24	12	3						

MARTIUS.

Dies Mensis.	Initium Auroræ. Horæ.	Qu.	Dies Mensis.	Ortus Solis. Horæ.	Qu.	Meridies. Horæ.	Qu.	Hora Matut. Horæ.	Qu.	Media nox Horæ.	Qu.
2	10	3	1	12	2	18	0	20	3	6	0
7	10	2	6	12	1						
12	10	1	11	12	0	17	3			5	3
16	10	0	16	11	3						
21	9	3	21	11	2	17	2	20	2	5	2
25	9	2	25	11	1						
30	9	1	30	11	0	17	1			5	1

APRILIS.

Dies Mensis.	Initium Auroræ. Horæ.	Qu.	Dies Mensis.	Ortus Solis. Horæ.	Qu.	Meridies. Horæ.	Qu.	Hora Matut. Horæ.	Qu.	Media nox Horæ.	Qu.
4	9	0									
8	8	3	4	10	3						
12	8	2	9	10	2	17	0	20	1	5	0
17	8	1	14	10	1						
21	8	0	19	10	0	16	3			4	3
26	7	3	25	9	3						
30	7	2	30	9	2	16	2	20	0	4	2

MAJUS.

Dies Mensis.	Initium Auroræ. Horæ.	Qu.	Dies Mensis.	Ortus Solis. Horæ.	Qu.	Meridies. Horæ.	Qu.	Hora Matut. Horæ.	Qu.	Media nox Horæ.	Qu.
5	7	1	6	9	1						
9	7	0	12	9	0	16	1			4	1
14	6	3	19	8	3						
19	6	2	26	8	2	16	0	19	3	4	0
24	6	1									
30	6	0									

JUNIUS.

Dies Mensis.	Initium Auroræ. Horæ.	Qu.	Dies Mensis.	Ortus Solis. Horæ.	Qu.	Meridies. Horæ.	Qu.	Hora Matut. Horæ.	Qu.	Media nox Horæ.	Qu.
7	5	3	7	8	1						
22	5	2	12			15	3	15	3	3	3

JULIUS.

Dies Mensis.	Initium Auroræ. Horæ.	Qu.	Dies Mensis.	Ortus Solis. Horæ.	Qu.	Meridies. Horæ.	Qu.	Hora Matut. Horæ.	Qu.	Media nox Horæ.	Qu.
1	5	2	1	8	1	15	3	19	3	3	3
6	5	3	17	8	2	16	0			4	0
13	6	0	25	8	3						
19	6	1									
25	6	2									
30	6	3									

AUGUSTUS.

Dies Mensis.	Initium Auroræ. Horæ.	Qu.	Dies Mensis.	Ortus Solis. Horæ.	Qu.	Meridies. Horæ.	Qu.	Hora Matut. Horæ.	Qu.	Media nox Horæ.	Qu.
4	7	0	1	9	0	16	1			4	1
8	7	1	7	9	1						
13	7	2	13	9	2	16	2	20	0	4	2
18	7	3	18	9	3						
22	8	0	24	10	0	16	3			4	3
26	8	1	29	10	1						
30	8	2									

SEPTEMBER.

Dies Mensis.	Initium Auroræ. Horæ.	Qu.	Dies Mensis.	Ortus Solis. Horæ.	Qu.	Meridies. Horæ.	Qu.	Hora Matut. Horæ.	Qu.	Media nox Horæ.	Qu.
4	8	3	3	10	2	17	0	20	1	5	0
8	9	0	8	10	3						
13	9	1	13	11	0	17	1			5	1
18	9	2	18	11	1						
23	9	3	23	11	2	17	2	20	2	5	2
27	10	0	27	11	3						

OCTOBER.

Dies Mensis.	Initium Auroræ. Horæ.	Qu.	Dies Mensis.	Ortus Solis. Horæ.	Qu.	Meridies. Horæ.	Qu.	Hora Matut. Horæ.	Qu.	Media nox Horæ.	Qu.
2	10	1	3	12	0	17	3			5	3
6	10	2	7	12	1						
11	10	3	12	12	2	18	0	20	3	6	0
16	11	0	17	12	3						
22	11	1	22	13	0	18	1			6	1
27	11	2	27	13	1						

NOVEMBER.

Dies Mensis.	Initium Auroræ. Horæ.	Qu.	Dies Mensis.	Ortus Solis. Horæ.	Qu.	Meridies. Horæ.	Qu.	Hora Matut. Horæ.	Qu.	Media nox Horæ.	Qu.
1	11	3	1	13	2	18	2	21	0	6	2
7	12	0	7	13	3						
14	12	1	14	14	0	18	3			6	3
21	12	2	20	14	1						
				14	2	19	0	21	1	7	0

DECEMBER.

Dies Mensis.	Initium Auroræ. Horæ.	Qu.	Dies Mensis.	Ortus Solis. Horæ.	Qu.	Meridies. Horæ.	Qu.	Hora Matut. Horæ.	Qu.	Media nox Horæ.	Qu.
1	12	3	8	14	3						
17	13	0	13			19	1	21	1	7	1

CAPUT DECIMUM.

Consectaria Praecedentis Doctrinæ.

I. *Non licet nec per breve tempus horam statutam prævenire.*

II. *Non qualibet causa etiam legitima licitam reddit notabilem temporis anticipationem.*

III. *Regulares horam præstitutam prævenire non possunt.*

IV. *Qui inadvertenter mane comedit, debet ad vesperas prandium differre.*

V. *Qui dubitat, num incœperit vel desierit jejunii tempus, tenetur a comestione abstinere.*

VI. *Non licet juxta horologiorum varietatem jejunii tempus mutare.*

VII. *Audito signo jejunii horam indicante a comestione cessandum est.*

Consectarium Primum.

I. HORAM meridiei moralem sine justa causa etiam per breve tempus dimidiæ horæ refectionem sumendo prævenire peccatum veniale est. Veritas hujus consectarii manifesta est; nam omnis transgressio legis semper peccatum est, cum lex tum Divina, tum Ecclesiastica diligenter sit custodienda; quod si hujusmodi transgressio gravis sit, grave quoque inducit peccatum, si levis, solum levem noxam infert; quamobrem sicut qui notabilem cibi quantitatem in die jejunii extra concessam refectionem sumit, gravis violati jejunii criminis reus efficitur, dum qui modicum cibi absque causa sumit, nonnisi venialiter delinquit; ita pari pacto qui notabiliter sine justa causa horam meridiei prævenit, ut capite præcedente ostendimus, graviter peccat, & qui per modicum dimidiæ horæ tempus prandio constitutum lege Ecclesiæ prævenit, venialiter peccabit. Quare falsa est Busembaï doctrina, asserentis absque justa causa per mediam horam tempus prandii prævenire, nullum videri peccatum. Dixi horam meridiei moralem, nam ut ex Benedicto XIV. vidimus, tempus impletionis præceptorum Ecclesiæ est moraliter accipiendum; quamobrem fieri potest, ut hora moralis sumendæ refectionis præveniat horam astronomicam meridiei etiam per tempus notabile, & tunc nullum erit peccatum tempus astronomicum prævenire, ut contingit apud Helvetios, teste Concina, ubi omnes Catholici refectionem sumunt integra hora ante meridiem, quia ex recepta ac immemorabili consuetudine illa censetur moraliter hora meridiei, quare & tunc signum campanæ datur ad salutationem Angelicam: qui igitur hanc horam sine legitima causa notabiliter prævenit, graviter peccat; qui vero per modicum tempus, a veniali culpa non est immunis.

Consectarium Secundum.

II. Non qualibet causa etiam legitima licitam reddit refectionis notabilem anticipationem. Posita est hæc propositio adversus non paucos Probabilistas, qui plures aglomerant causas legitime excusantes, ut ipsis videtur, ab expectanda hora constituta. At S. Thom. duas tantum assignat legitimæ anticipationis causas, nimirum 1. *necessitatem*, 2. *magnum gravamen*, quod obveniret prandium differenti ad horam statutam; & de prima quidem sic scribit hic q. 147. a. 4. ad 3. *Si immineat necessitas statim peregrinandi, & magnas dietas faciendi, vel etiam multum laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spi-*

ritualem, & simul cum hoc non possint, jejunia observari, non obligatur homo ad jejunandum . . . videtur tamen in talibus recurrendum esse ad Superioris dispensationem. De altero autem scribit, ut vidimus l. q. a. 7. ad 3. *Si propter infirmitatem, vel ætatem hoc eis in magnum gravamen cederet, cum eis esset dispensandum in jejunio, vel ut aliquantulum prævenirent horam*. Quamobrem ex primo capite horam prævenire licite possent ii, quos necessarium iter suscipere oportet, quibus incumberent negotia post meridiem necessario tractanda, qui longam concionem habere debent, & similia agere, quæ mentis attentionem postulant. Non vero excusantur, qui iter minime necessarium suscipiunt, multo minus qui recreationis causa vel venatum vel piscatum pergere volunt, nec qui hospites vel dimittere vel suscipere debent, cum satis sit illis præmaturum prandium parare si necessitas postulet, non vero cum ipsis ad mensam assidere, hoc enim esset humano respectui Ecclesiæ leges postponere, & ut amicis placeas Deo displicere. Ex altero capite legitime prævenire possunt horam infirmi, debiles, convalescentes, senes, qui magnum ex dilata comestione damnum persentiunt, & qui nisi præveniant, nonnisi ad vesperas prandere possunt cum gravi incommodo, & similia, quæ fusius expendemus in sequentibus.

Consectarium Tertium.

III. Regulares sive mares sive feminæ horam constitutam ad refectionem jejuniorum tempore expectare tenentur. Hanc propositionem plurimi inficiantur Probabilistæ nonnulla afferentes privilegia Ordinibus Mendicantibus concessa præveniendi per horam tempus concessæ comestionis, præsertim si nocturnis vigiliis ad Matutinum recitandum graventur. At hæc privilegia prout a Probabilistis afferuntur, & inutilia sunt, & saltem dubia plane & incerta. Inutilia quidem, quia passim docent, licere etiam absque culpa & causa per horam meridiem prævenire. Audiantur benignissimi Salmanticenses, qui auctoritate S. Thom. abutentes sic scribunt Tract. 23. cap. 1. punct. 4. n. 85. *Hora ad jejunium solvendum præfixa, non est modo astronomico & mathematico computanda, sed morali, vel ut verbis S. Thom. loquar, non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam existimationem. Unde qui hora undecima (idest per integram horam) ante meridiem jejunium solvit, recte agit, tum quia prope meridiem solvit, tum quia apud fideles hæc invaluit consuetudo*. Si igitur omnibus licet per horam tempus meridianum prævenire, non indigent ad hoc Regulares privilegio præveniendi tempus per horam, quapropter horum privilegiorum non meminerunt Salmanticenses. Quod autem ad hanc improbabilem doctrinam fulciendam verbis abutantur S. Doctoris, quasi *per grossam existimationem* designet integram horam, patet manifeste ex ipso S. D. qui loquens de trium horarum spatio post meridiem, quo suum prandium tunc temporis differebant fideles, scribit: *Non esse magnum spatium ab hora sexta, in qua communiter homines comedere solent, usque ad horam nonam, quæ jejunantibus determinatur; & ideo talis taxatio temporis non multum potest alicui nocere, cujuscumque conditionis existat*. Proinde infert, non esse præfatum tempus præveniendum, nisi in magnum gravamen cederet, & tunc quidem concedit, ut liceat *aliquantulum* horam prævenire. Si ergo S. Thom. quando per tres horas a consueto tempo-

po-

plius comedere nisi serotinam collationem sumendo; nam si violavit eam partem jejunii, quæ tempus comestionis præfinit, aliam tenetur servare, quæ unicam comestionem permittit. Omnibus porro concessum est tanquam pium, & ecclesiastico jejunio conformius usque ad vesperas jejunum manere, & solum tunc corpus reficere.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Qui dubitat num sit mediæ noctis hora sive pro inchoatione, sive desitione jejunii, debet a comestione abstinere. Posita est hæc doctrina adversus benigniores Theologos, qui censent esse distinguendum inter diem jejunii desinentis, & inchoantis; si enim, inquiunt, dubitas num urgeat mediæ noctis hora pro finiendo jejunio, comedere non potes, quia jejunium est in possessione, & certus es de jejunio, dubitas ergo de ejus termino; at e contra si dubitas, num urgeat hora mediæ noctis pro inchoando jejunio, potes libere comedere, cum sis in tuæ libertatis possessione, & incertus de lege libertatem auferente. At hæc probabilistica axiomata jam pluries refutavimus, & falsa esse ostendimus, solumque in dubiis extra justitiæ materiam locum habere juris regulam, *in dubiis tutior pars est eligenda*, nec ullus potest sine peccato periculo peccandi se exponere, ipsamque, quam jactant possessionem libertatis, esse ipsius quæstionis & dubii objectum; dubitatur enim & quæritur, num qui dubitat an urgeat præceptum sit liber ad illud violandum: non est ergo pro certo & tuto statuendum quod in controversiam vocatur, & dubitationis objectum constituit. Tenetur igitur qui dubitat prudenter dubium deponere, & moraliter certus esse de lege jejunii non obligante si comedere velit, & durante dubitatione debet a comestione cessare.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Falsum est & ineptum asserere, horologia opinionem probabilem efficere, proinde juxta illorum varietatem posse modo unum, modo aliud eligendo jejunii tempus variare. Falsitatem hujus doctrinæ quisque cordatus statim deprehendit: nam 1. fundatur in probabilistico sistemate, quod quam falsum, perniciosumque sit morali & christianæ doctrinæ, jam nullus est qui ambigat. 2. Quia cum aperte non constet de horologii falsitate in tempore designando, prudenter credere potes ipso designante, horam jejunii instare, proinde periculum subis de violando jejunio sive naturali sive ecclesiastico. 3. Quia plura sequerentur absurda; quis enim posset eodem die & laute carnibus vesci, & simul jejunare, ut si quis audiens horologium mediam noctem complentem jejunium signans, jubeat sibi cœnam parari ex carnibus, quippe quia jam jejunii tempus impletum est, & peracta cœna aliud audit horologium eandem mediam noctem indicans, se putat adhuc jejunum pro die sequenti, in quo proinde poterit communionem sumere, vel si Sacerdos sit Missam celebrare. Probe novi hæc absurda libenter a Probabilistis devorari, & id esse probabiliter concessum docere non verentur Diana, Dicastillo, & Caramuel, qui decem & octo pagellas implet & onerat in hac ridenda quæstione pertractanda. At alii Probabilistæ, qui non omnem exuerunt pudorem, aperte inficiantur licitum nec probabiliter, ut Lugo, Leander, aliique,

que, quorum doctrinam probabiliorem agnoscit & ipse Diana, quin tamen priori opinioni contrariæ suam detrahat probabilitatem. Bona igitur fide procedendum est, & Regula servanda, quam superius n. 8. dedimus.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Audito signo indicante diem jejunii inchoare, a cibo abstinendum est. Hanc quoque veritatem & ipso obvio naturali lumine compertam inficiantur Probabilistæ docentes licere 1. audito primo horologii pulsu comestionem protrahere usque ad finem ictuum indicantium horam, quod tolerandum est, cum de re minima agatur, & tempus non mathematice sit dimetiendum, sed moraliter. 2. Docent, qui cœnam inchoavit, posse etiam audito signo jam mediæ noctis elapsæ usque ad cœnæ complementum comestionem continuare cum sit in possessione complendæ comestionis, sicut qui litem inchoavit, jus habet ad eam usque ad judicium complendam, licet delegati Judicis potestas ac jurisdictio cessaverit. Obsistunt tamen & jure merito alii etiam benigniores Probabilistæ Sanchez, Trullenchius, Castropalao, Leander, aliique optime animadvertentes, cœnam protrahentem post completum mediæ noctis signum jam comedere carnes in die jejunii, quod vetitum est ab Ecclesia, & litigantibus concessum litem prosequi usque ad finem, ita statuentibus Principum & juris decretis, at nunquam concessum ab Ecclesia comestionem producere & complere jejunii die. 3. Concessum in ultima Bacchanalium nocte cœnam post mediam noctem protrahere iis, qui theatris, choreis ludis, saltationibus vacant, quia, inquiunt, licet dies cinerum physice incipiat in puncto mediæ noctis, sicut ceteri dies, tamen moraliter non censetur incipere nisi post mediam noctem ex invecta consuetudine jam vigente protrahendi saltationes, ludos, cœnam pene usque ad auroram, & præsumendum est ad vitandam violationem quadragesimalis jejunii statim in ejus exordio, benignam Matrem Ecclesiam concedere, ut tempus seu dies jejunii tardius inchoetur. At hæc monstra sunt & portenta, quæ mirabundus Theophilus Raynaudus & stomachatus sic objurgat Pasqualigum hujus doctrinæ auctorem & patronum de Rof. Med. cap. 7. pag. 485. Tom. 10. *Quid dicam ad hujusmodi ratiocinationem adeo rationis vacuam, & male materiatam? Dignum est patella operculum discursus, quo hic Bacchanalium advocatus indulgentiam saltatoribus ab se concessam stabilit . . . Si paratur fama ingenii, & litterariis mercibus conciliatur vendibilitas per intextas iis opiniones benignas*; quæ & ipsos benigniores Probabilistas ad iracundiam provocant, qui eas explodunt & rejiciunt ceu falsas, improbabiles, pœnitentiæ, & pietati inimicas. Quis enim prudens affirmare, immo suspicari poterit, pravam & iniquam consuetudinem insumendi integram noctem in ludis, choreis, spectaculis, saltationibus prævalere posse, & legem sanctissimi jejunii pervertere? Quis S. Matrem Ecclesiam velle huic perversæ consuetudini, seu potius prophano abusui favere, tempus violandi jejunium protrahendo, cum eas potius detestetur, & damnet? Quis denique non advertit, immo contrarium tenuit Ecclesiam, quæ jubet circa mediam noctem campanæ pulsu diuturniore moneri fideles, ut a crapulis, ludis, oblectationibus tandem desistentes, factum quadragesimale

ſimale jejunium revereantur? Nonne hiſce quæſtionibus portentoſis, falſis, ineptis Hæreticorum ſannis & ludibrio jejunium Catholicæ Eccleſiæ exponitur?

CAPUT UNDECIMUM.

De Veſpertina refectiuncula.

DOCTRINA.

I. *Licita eſt veſpertina refectiuncula.*
II. *Qualitas ciborum in ea conceſſa.*
III. *Non conceſſus uſus ovorum caſei & lactis.*
IV. *Nec genera ciborum, quæ ad nutritionem conferunt.*
V. *De quantitate cibi in ea conceſſi.*

I. Usque ad decimum ſeculum fideles unica refectione contenti ſub veſperas, totam diem jejunii tranſigebant. Circa dimidium decimi ſeculi, teſte Raterio Epiſcopo Veronenſi, ſaltem in Italia mos incœpit ſolvendi jejunium ad horam nonam, ideſt tertiam poſt meridiem, & in aliis regionibus fortaſſis tardius. At tertiodecimo ſeculo communiter factum eſt hora nona cunctis chriſtianis populis tempus comeſtioni præſtitutum, & hæc quidem, ut alibi diximus, ſolum in quadrageſimali jejunio mutatio contigit, nam in ceteris per annum jejuniis cibus ſemper hora nona ſumebatur. Ex hac comeſtionis præoccupatione factum eſt, ut fideles priuſquam cubitum pergerent, indigerent potu, quo cibum ante ſumptum diluerent, & ad concoctionem diſponerent, unde cœpit collatiunculæ mos; in qua tamen non niſi potus ſumebatur, & ſi forte aliqui electuaria, ut teſtatur S. Th. potui addebant, hæc nec ſumebantur ab omnibus, nec ad cibum, ſed ad digeſtionem ciborum per modum medicinæ, unde, ut dicit S. Th. in IV. diſt. 15. q. 3. a. 4. q. 1. in cor. *nec loco manducationis ſumi conſueverunt*. At contracta hora prandii ad meridiem a potu tranſitus factus eſt ad cibum in refectiuncula potui adjungendum. Et revera cibi ſumptio in collatiuncula permiſſa modo eſt ab Eccleſia, ut patet tum ex Actibus Eccleſiæ Mediolan., tum in Regula Clericorum Regularium, ubi ſtatuitur part. 2. cap. 3. *jejuniorum tempore ad ſerotinam cœnulam ſimul accedent: cibum ſedentes ſumant*. Hæc tamen repetita comeſtio licet jejunio in ſe ſpectato adverſari videatur, non aufert tamen ſubſtantiam jejunii Eccleſiaſtici, quod juxta diſciplinæ Eccleſiaſticæ regulas mutationem aliquam admittere poteſt, ut revera admiſit tum in horæ comeſtionis varietate, tum in hujus ſecundæ refectiunculæ permiſſione, per quam jejunii abſolute inſpecti rigor eſt imminutus. Quamobrem non de conceſſa refectiuncula differendum eſt, quæ licet (ut ſcribit Azorius) „ cœperit „ cauſa ſomni accipiendi, & idcirco „ etiam indigentiæ titulo, more tamen „ & conſuetudine introducta eſt, ut ea „ abſolute & ſimpliciter utamur "; ſed de quantitate & qualitate ciborum in ea ſumenda.

II. Et primo quidem quoad qualitatem, tempore S. Antonini, ideſt circa dimidium ſeculi XIII. nonniſi herbas & fructus abſque pane ſumere licitum erat, ſic enim ſcribit P. II. tit. 6. cap. 2. §. 9. „ Cum communis uſus chriſtianorum „ ſit facere collationem de ſero, ali„ quid parum ſumere eum potu ſine „ alia conſideratione, quamvis non in„ tendant ſumere per modum medici„ næ, ne ſcilicet vinum noceat, ſed „ innitantur conſuetudini, quæ ea ra„ tione videtur introducta, pie eſt in„ terpretandum factum eorum & excu-

 ſan-

„ sandum, nisi sumerent in quantitate „ notabili, vel de pluribus generibus „ fructuum, vel studiose ad nutriendum, & quia *panis* est principalis cibus ordinatus ad nutriendum, *minus* „ congruum videtur *panem* sumere. „ Sumere autem *buccellam panis* frangit „ jejunium ", intellige quoad qualitatem, non vero quoad quantitatem. Hæc tamen rigidior S. Præsulis doctrina non omnibus etiam severioribus Theologis placuit, hinc Sylvester licet doctrinæ S. Antonini subscribat, addit tamen „ quia circa hoc legem aliam præter consuetudinem non habemus; dico, quod ubi est consuetudo, licite „ sumitur panis, si aliud non habetur „ (nimirum herbæ vel fructus) vel si „ habetur, illud stomacho nocet ". Cardinalis quoque Cajetanus idem confirmat 2. 2. q. 147. a. 6. scribens: „ Deferendum est consuetudini loci, „ scilicet ubi non consuevit sumi panis, „ non sumatur sine rationabili causa, „ puta quia fructus nocerent, aut non „ possunt conteri dentibus ". Doctores deinde etiam benigniores solum eam qualitatem ciborum concedunt, qui sumi solent ante vel post prandium. Sic scribit Azorius p. p. lib. 7. cap. 8. q. 9. „ In refectiuncula vespertina solum edi possunt, quæ ante vel post „ prandium sumi solent, quales sunt „ fructus arborum, herbæ, & alii quidam fructus leviores sumi soliti, ea „ tantum ratione, ne potus stomacho „ officiat, ut proinde sit corruptela si „ cibi sumantur, qui potissimum ad „ nutriendum valeant ". Reginaldus Tom. 1. lib. 4. disput. 14. dub. 10. „ In refectiuncula serotina solum edi „ possunt quæ ante vel post prandium, „ aut cœnam alias sumi solent, qualia „ sunt electuaria, fructus arborum, „ puta ficus, uvæ, nuces, pyra, poma, herbæ &c. Si enim secus fiet, „ idest sumantur alii cibi, & qui valent „ potissimum ad nutriendum, non erit „ refectiuncula, sed jejunium solvetur ". Vivaldus in Candel. aureo part. ult. cap. 11. n. 25. „ In refectiuncula comedi potest frustulum panis cum „ pyro, pomove, cum una, vel paucis ficubus, nucibus, vel his similia. Sylvius 2. 2. q. 147. art. 6. quest. 2. „ Consuetudini standum est quantum „ ad qualitatem ejus, quod pro collatione sumitur. Modicum panis accipi potest, vel seorsum, vel una „ cum fructibus, herbis, aliisque cibis „ levioribus, cujusmodi sunt ficus, „ uvæ, nuces, poma, vel alia ex saccaro condita ".

III. Minime concessum est in collatione sumere, ova, caseum, lac & similia, tum quia hoc ciborum genus maxime ad nutritionem confert, & nulla unquam consuetudine invectum est, ut ex illis refectiuncula instruatur. Quamobrem Clemens XIII. expresse vetuit, ut quibus concessum est lactariis vesci in Quadragesima, & aliis jejuniis, nonnisi in unica comestione illis vescantur. Immo ita sentit etiam benignissimus Probabilista Diana To. 4. coord. Tract. 6. Resol. 116. scribens: „ Assero in dicta collatione sub onere „ peccati mortalis quantitatem licitam „ non posse sumi in piscibus, ovis, & „ aliis lacticiniis, sive cibis substantialibus in cœna manducari solitis. Et „ ratio est manifesta, quia, ut dictum „ est, collatio est licita propter consuetudinem: sed consuetudo, quæ „ introduxit dictam collationem, non „ solum præscripsit quantitatem, sed „ qualitatem ciborum; nunquam vero „ per consuetudinem introducti sunt

cibi,

„ cibi qui communiter ordinantur ad „ sustentationem, ut pisces, ova, „ legumina &c. ergo talia manducare „ illicitum, & peccatum erit". Et ipse benignissimus Tamburinus non est veritus affirmare „ ova adeo esse jeju- „ nio infensa, ut vix unquam invenias, „ qui videns fidelem vespere ova co- „ medentem, judicet eum jejunare".

IV. Etiam ex benignioribus Casuistis non licet in refectiuncula comedere pisces, legumina, aliaque ciborum genera, quæ ad nutritionem maxime conferunt, licet in parva quantitate. Azorii & Reginaldi superius dicta attulimus illis addimus benignissimum Leandrum Tr. 5. disq. 4.q. 41. scribentem: „ Tanquam certum mihi respondeo, „ quod in collatione non liceat uti pisci- „ bus recentibus, 1. quia consuetudo „ omnium tam doctorum quam vulga- „ rium hominum usque ad hæc nostra „ tempora oppositum tenuit, ut constat; „ ergo illam excedere non erit licitum „ sicut non est licitum legem excedere. „ 2. Quia collatio propter consuetudi- „ nem dumtaxat est licita, sed sic est, „ quod nunquam sint introducti pro „ collatione pisces præcipue recentes, „ ergo illos manducare illicitum erit. „ 3. Quia sic tenent communiter Do- „ ctores". Fagundez de Præcep. Ecclesf. Tract. 4. lib. 1. cap. 4. n. 8. „ Consuetudine ubique receptum est, „ ut in refectiuncula soli fructus cum „ modico panis capiantur, & hanc „ consuetudinem excedere non est lici- „ tum. Et si aliqui nonnihil piscis ad- „ hibere soleant, id quidem *per cor- „ ruptelam* faciunt, non per consuetu- „ dinem legitimam; commmunis consue- „ tudo est, ut fructus modici, & modi- „ cum panis in collatione adhibean- „ tur, non pisciculi parvi, nec tan- „ tilum magni piscis, non enim solum „ quantitas materiæ, sed materia pro- „ hibetur". Joseph Angelus de jejunio q. 9. art. 2. dub. 4. „ In collatione „ serotina non illa sumantur, quæ per „ se ad nutriendum ordinantur, quales „ cibi sunt pisces, ova &c. nam in his „ quamquam similis quantitas non vio- „ laret jejunium, ratione tamen quali- „ tatis violaret". Petrus Ledesma in Summa Tract. 17. Tom. 2. cap. 2. Diff. 5. Concl. 4. „ Quisque sumere in „ collatione potest quartam partem pa- „ nis, tres aut quatuor oleas, & parum „ electuarii, aut quid simile . . . Ne- „ queunt in collatione comedi ova, „ aut alia id genus, quæ manducan- „ tur in cœna". Natalis Alex. de jejunio Reg. 12. „ Quod spectat ad qua- „ litatem ciborum, consuetudo inter „ pios observata pro regula sumi etiam „ potest; & cum modico panis fructus „ aliqui sumi, vel herbæ, aliique cibi „ leviores; non pisciculi etiam parvi, „ non legumina, non butyrum, non „ lac, non juscula ex amygdalarum „ cremore, aut leguminibus & similia". Novissime idem docent Antoine, Cuniliati, & Boranga, ille quidem in Append. de Jejunio Ecclesf. quæst. 3. dicens: „ Quoad qualitatem prohibentur „ ii cibi, qui valde nutriunt, qualia „ sunt ova, pisces, legumina cocta ... „ Nam cum lex jejunii unicam refe- „ ctionem permittat, inductaque sit „ consuetudine cœnula, in hac iis so- „ lum cibis licet uti, qui ipsa consue- „ tudine sunt approbati, quales sunt „ leviores, ut fructus & pro more re- „ gionis parum casei". Quæ tamen postrema verba sunt corrigenda, cum caseo vesci & Bened. XIV. & Clemens XIII. expresse vetuerint. Alter vero Tr. 12. cap. 1. §. 1. num. 7. scribit: „ Ab ipsa (cœnula) juxta Doctores gra-

„ graves & probos excludendus est esus „ piscium, & pulmentorum, & ubi „ conceditur indultum pro lacticiniis, „ excludendus est usus ovorum, casei, „ & similium, tum quia hujusmodi „ sunt vere cibi ad nutriendum producti, „ tum quia est contra consuetudinem „ timoratorum “. Tertius vero exscribit verba Antoine: „ Quoad qualitatem ciborum prohibentur cibi qui „ valde nutriunt, cujusmodi sunt ova, „ pisces, legumina cocta, nam co„ ctio reddit materiam nutritioni ap„ tiorem, ita ut corruptela sit, ait „ Azorius, si sumantur legumina & „ pisces “. Certa itaque, vera & sola probabilis est habenda hæc doctrina, cum in ea conveniant & benignioris & rigidioris doctrinæ Auctores tum veteres tum recentes. Quibus addi potest & doctrina Bened. XIV. in sua ad Archiepiscopum Compostellanum Epistola docentis: Illum esse usurpandum a dispensatis in collatione cibum, quibus utuntur homines *jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ*, Porro manifeste apparet; hujusce generis Christianos sibi religioni vertere in refectiuncula comedere cibos ad nutriendum ordinatos, sed tantum vesci xerophagiis, herbis, fructibus &c.

V. Quoad quantitatem vero tanquam certam statuo S. Thom. doctrinam hic art. 6. ad 2., quod quantitas cibi non potest eadem omnibus taxari propter diversas corporum complexiones; attamen cum non agatur de corpore nutriendo, sed leviter refocillando, parva & tenuis sit oportet cibi quantitas in refectiuncula sumenda. S. Carolus eam ad unciam cum dimidio coarctavit, statuens: *Semel tantum in die post meridiem cibum capiant. Quod si aliquid alicui amplius opus erit, vesperi panis unciam cum dimidia, & vini poculum tantum capere liceat*. Idem sentit & Jacobus de Graffiis, qui tamen aliquantulum S. Caroli rigorem temperavit scribens 1. P. Decis. lib. 2. cap. 36. n. 25. *Dicta collatio* fieri potest, *vel parum fructuum, vel ficuum, vel panis solius v. g. duarum unciarum, vel utriusque, juxta morem regionis sumendo*. Rigida nimium fortassis videri poterit hæc doctrina; at certe laxæ sunt oppositæ plurium Probabilistarum sententiæ docentium, septem vel octo uncias cibi sumi posse in vespertina collatione, quam doctrinam omnibus placere & gratam esse lætabundus gloriatur Diana scribens: *Cum quantitatem unciarum octo in dicta cellatione licitam esse statutum sit, in hoc puncto non multos habebimus adversarios, quia talem quantitatem ab omnibus cum acclamatione & brachiis expansis sustinendam esse video*. Cui laxitati aliam addit Jo. Henriquez ab eodem Diana citatus, qui animadvertit, licere octo uncias sumere ex cibis aridis, sed ex humentibus etiam duodecim uncias concedit, scribens: „ Octo unciarum quantitas pro refe„ ctiuncula non intelligenda est de ci„ bis humidioribus, puta uvis, prunis „ recentibus, & similibus, quando„ quidem duodecim harum rerum hu„ midarum unciæ æquivalent octo un„ ciis fructuum exsiccatorum, eapro„ pter major humidi quantitas æqui„ valet minori quantitati rei exsiccatæ. „ Quod si hisce octo unciis alias binas „ addas, non statim peccati lethalis „ reus eris habendus, sed tantum ve„ nialis, ut docet Pasqualigus Decis. 105.

„ 105, citans Thomam Sanchez uni„ versim statuentem, quod licet ali„ quantulo major justo sit collatio, „ non statim est peccatum mortale, „ nisi sit notabilis excessus“. Sunt & benigniores Theologi, qui quartam cœnæ partem in vespertina collatiuncula sumi posse concedunt, quam doctrinam Filliucius asserit in celebri Theologorum Academia adprobatam fuisse; & Segnerius in sua Confessarii Instructione tanquam probabilem, & in praxi servandam tradidit. Hujus doctrinæ non aliam affert probationem, nisi quia in ceteris rebus quarta pars censetur modica, ut in omissione Missæ, horæ Canonicæ, & in ipso jure quarta pars modica reputatur. Ab istis igitur laxitatibus recedendo, & nimium emolliendo rigorem, censerem communiter quatuor uncias non quidem solius panis, quippe qui nimium nutrit, sed partim panis, partim fructuum, herbarum, ficuum, amygdalarum, aliorumque sive aridorum, sive humidorum fructuum sumi posse in serotina collatiuncula, & moveor auctoritate benedicti XIV. statuentis, collatiunculam esse dirigendam juxta vires rectæ & meticulosæ conscientiæ. Porro, ut testatur Molfesius in Summa tract. 10. *viri timorati non excedunt tres vel quatuor uncias*. Et sane hæc quantitas talem in pluribus sufficit & ad refocillandum corpus, ad somnum conciliandum, & jejunii rigorem non multum emolliit. Quid quod & Paulus Zachias Romanus Medicus confirmat lib. 5. tit. 1. qu. 9. n. 16: „ Quantitas cibi in „ jentaculo assumendi ne jejunium „ frangatur tam respectu finis, quam „ somni, & consuetudinis restringenda „ est ad modicum quid, quod uncias „ duas, aut tres ad summum non „ pertranseat“. Quod si quis aliqua peculiari de causa majori indiget cibo, pium consulat & doctum Confessarium, ejusque sententiæ acquiescat.

CAPUT DUODECIMUM.

Consectaria praecedentis Doctrinæ.

I. *Falsa Probabilistarum doctrina refellitur.*

II. *Num licitus in serotina collatiuncula esus piscium.*

III. *Num cibi cocti concedendi.*

IV. *Num amplior refectio in sero sit aliquibus Personarum cœtibus indulgenda.*

V. *Num aliis titulis augeri possit collatio.*

Consectarium Primum.

I. Falsa & laxa est doctrina plurium Probabilistarum docentium in serotina collatiuncula qualitatis ciborum nullam esse habendam rationem. Ita docet Bonacina disp. ult. punct. 3. n. 3. scribens: „ Observa tamen in se„ cunda refectiuncula non ita stricte „ prohiberi cibi qualitatem, sicut inter„ dicitur quantitas. Quamvis enim com„ muniori usu receptum sit, ut in se„ cunda refectione ii sumantur cibi, „ quibus in die jejunii vescimur ante „ vel post prandium, ut sunt uvæ, „ nuces, poma, vel alia ex saccaro, „ aut melle confecta, licite tamen po„ test sumi jusculum, modo non sit ex „ coctis cibis, qui tempore jejunii in„ terdicuntur. Potest etiam comedi pi„ sciculus aut exigua pars piscis ma„ joris, immo multæ aliæ res in eadem „ refectiuncula degustari possunt“. Sed laxius Sporerius scribit Append. ad 3. Præcept. Decal. sect. 2. n. 32. „ Spe-

ctata

„ ſtata moderna conſuetudine, præ-
„ ſertim in noſtra Germania: jam diu
„ tolerata, & plane invaleſcente cen-
„ ſeo non tam omnia prædicta *licitiſſi-*
„ *me* abſumi in collatione, ſed etiam
„ omnino probabilem & tutam eſſe
„ ſententiam oppoſitam, nimirum in
„ collatione veſpertina jejunii *non eſſe*
„ *attendendam qualitatem ciborum*, *ſed*
„ *quantitatem tantum*, adeo ut ex om-
„ nibus cibis, qui in die jejunii licite
„ poſſunt ſumi in prandio, etiam piſci-
„ bus, leguminibus, placentis, ovis, la-
„ cticiniis &c. in quantitate modica &
„ determinata, etiam licere ſumere in
„ cœna". In confirmationem hujus ſuæ doctrinæ fundatæ in *moderna conſuetudine*, *& invaleſcente* citat Cajetanum, qui floruit duobus ſeculis prius quam ſcriberet Sporerius, proinde falſo, licet ſcribat Cajetanus in Sum. V. *Jejunium* cap. 1. *Non referre quid quis in ſerotino jentaculo ſumat*, *ſi modum non excedat*, cum ſolum hic Auctor loquatur de controverſia ſuo tempore vigente, num videlicet in collatione veſpertina liceret panem guſtare, vel ſolum fructus, & herbas, aliquibus has poſteriores concedentibus, priorem negantibus; at Cajetanus cenſet, & fructus & herbas, & etiam panem ſumi poſſe, dummodo modum non excedas; & ad hoc diriguntur laudata verba. *Non referre quid quis in ſerotino jentaculo ſumat*. Citat etiam Marchantium ſcribentem: „ Reſpondeo in collatiuncula
„ veſpertina de qualitate cibi non eſſe
„ altercandum, ſed de quantitate
„ dumtaxat, *fundor*, quia collatiuncu-
„ la illa tolerata vel permiſſa eſt ad
„ aliquam confortationem naturæ pro-
„ pter infirmitatem humanam, quid
„ igitur refert, quo cibo confortatio
„ fiat? modo non excedatur, & cibus
„ abſtinentiæ jejunii ſit accomodatus
„ . . . ideo cenſeo qualitatem cibi
„ (modo ex prohibitis in diebus jeju-
„ niorum non ſit) collationem non vi-
„ tiare, ſi in quantitate non exceda-
„ tur". At quam falſa ſit hæc doctrina Sporerii, & aliorum, patet manifeſte tum ex iis, quæ diximus cap. præced., tum ex falſitate rationum a Sporerio adductarum. Nam 1. falſo citat Cajetanum, ut diximus, 2. Falſo citat Bonacinam, qui minime in collatiuncula ova concedit, & de cujus doctrina ſic ſcribit Diana præter morem iraſcens in Auctores benignioris ſententiæ. „ Scripſi hæc ad compri-
„ mendam audaciam aliquorum, qui
„ ex auctoritate Bonacinæ contrariam
„ ſententiam in praxi conſulere audent,
„ quæ quidem ſententia non eſt proba-
„ bilis, ſed falſa, quia eſt deſtituta
„ rationibus; & eſt contra communem,
„ ut viſum eſt". Conſuetudinem modernam & invaleſcentem adducit, de qua conſuetudine vel ipſe eſt teſtis, vel Auctor; ſi teſtis, falſum eſt ejus teſtimonium, nam hanc conſuetudinem negat Laymanus & ipſe Germanus & propior Cajetano ætati Sporerii; qui ex Azorio ſcribit: „ Corruptelam eſſe, ſi
„ ii cibi ſumantur, qui potiſſimum ad
„ nutriendum valent, qualia ſunt legu-
„ mina & piſces". Quamobrem de ipſo conqueritur Sporerius ſcribens: „ Miror
„ P. Paulum Layman alias tam bonum
„ Germanum in hac ſola materia Pa-
„ triotis ſuis fuiſſe tam auſterum".
Sed nihil proſunt Sporerii querimoniæ, nam ex Laymano certo conſtat, nec jactatam conſuetudinem in Germania viguiſſe, & ejus doctrinam tanquam corruptelam inducentem, eſſe a Laymano rejectam. 3. Citat. Marchantium pariter Germanum, qui de conſuetudine

dine verbum non habens solum *fundatur* in falsa ratione; nam certum est, semper in Ecclesia Dei viguisse consuetudinem, ut delectio ciborum adhiberetur in serotina collatione, nec sumerentur in ea cibi ad nutritionem ordinati, ut testatur Fagundez de Praec. Eccl. tract. 4. lib. 1. cap. 4. num. 18. scribens: „ Consuetudine ubique receptum „ est, ut in refectiuncula soli fructus „ cum modico panis capiantur. Et si „ aliqui nonnihil piscis adhibere sole„ ant, id quidem per corruptelam fa„ ciunt, non *per consuetudinem legiti„ mam*; communis enim consuetudo est, „ ut fructus modici modicum panis ad„ hibeatur". Vel denique Sporerius laudatæ consuetudinis est Auctor, & ejus auctoritatem rejicimus, dicimusque, ipsum posse quidem corruptelam benigne defendere, at in legitimam consuetudinem mutare omnino non posse. Et revera si liceret in serotina collatiuncula octo uncias solidioris cibi sumere, profecto refectiuncula in cœnam mutaretur: pauci enim sunt præsertim ex plebe & populo, qui in cœna dimidia libra solidioris cibi, seu unciis sex cum duabus panis unciis contenti non sint.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Licitus non est in serotina collatiuncula esus piscium parvorum & recentium, nec portionis piscium majorum ad mensuram jejunii, immo nec tutum, nec certum est, licere vesci pisciculis vel sale, vel fumo exsiccatis. Huic doctrinæ adversantur non Probabilistæ solum, sed & nonnulli Probabilioristæ etiam ex illorum numero, qui adversus laxitatem & Christianæ Ethicæ corruptelam declamant, cujusmodi est Millante, qui Exercit. 23. in proposit. damnatas ab Alex. VII. quærit, num in serotina refectiuncula parvi pisciculi, iique recentes, & minimo sale conditi possint indulgeri, respondet: „ Nec „ scrupulosus quidem Theologus inficiari audet, præsertim quia & viri „ prudentes & docti, immo & Regu„ larium Communitates eisdem vesci „ etiam in antepaschali jejunio consue„ verunt". Et postea addit: „ Ut in„ genue meam hac in re proferam sen„ tentiam, attenta præsenti disciplina „ *sine ullo scrupolo* posse etiam magnos „ pisces in eadem quantitate permitti „ existimo . . . . Unde sicut hodie in „ prandio licet grandes pisces comede„ re, licet pariter in cœnula cum de„ bito moderamine manducare". At laxitatem hujus doctrinæ ostendunt & benigniores Probabilistæ Diana, & Leander, cujus verba superius attulimus, & ipsa naturalis ratio ostendit; in jejunio enim non nisi unica conceditur ad nutritionem comestio, non sunt igitur in cœnula concessi cibi ad nutriendum ordinati, in quorum numero profecto recensentur pisces recentes tum parvi tum magni, & declaravit Pontifex Bened. XIV. cum jussit, in collatiuncula iis tantum utendum cibis, quibus vescuntur viri rectæ meticulosæ conscientiæ. At, inquit Millante, pisces saltem parvi sumuntur in refectiuncula etiam a Regularium Communitatibus. Verum hoc in nostra præsertim Italia falsum omnino puto, & certe, ut ipse fatetur, in Religionibus reformatis, quæ æmulantur charismata meliora, non nisi xerophagia in serotina collatione sumuntur: quo igitur privilegio Religiones non reformatæ, nec meliora charismata æmulari tenentur, & piscibus vesci possunt? hoc ne concedit Regula? At quis hoc dicet?

An licebit in ejuſdem Religionis domibus, in aliis quidem veſci piſcibus, in aliis vero ſola xerophagia uti? Non immerito itaque Ghezius in ſuis Dialogis de quodam rigidiore Probabilioriſta lepide narrat, in veſpertina collatiuncula ruri apud Nobilem habita non levem Storionis portionem liguriviſſe, cum Theologus iſte Probabilioriſta & rigidioris Moralis vindex ſex uncias cum duabus panis concedat, ſcribit enim, *ut igitur cœnula iſta innoxia ſit, debet eſſe modica, ita ut nimirum octo unciarum pondus haud excedat quantitas illa, quæ pro refectione ſumitur ita quidem universi qua pietate, qua doctrina pollentes docent & ad praxim reducunt*; immo addit, ſi hi viri *pietate & doctrina pollentes* ſint robuſtioris habitus, & majori indigeant cibo, ſex unciis Storionis binas alias Trutæ, Cyprini, Rhombi addere poſſunt, ſubdit ſiquidem, dixi ordinarie, *quia juſta ex cauſa poterit eſſe majoris ponderis, quando videlicet aliquis magis eget nutrimento*; quaſi cœnula inſtituta ſit non ad aliqualem refocillationem, ſed ad nutritionem. Profecto, hæc a Theologo Probabiliſtarum laxitates deplorante, deteſtante, & corrigente, monſtra videntur, & portenta. Quoad alteram vero partem doctrinæ, quæ piſces concedit fumo ſiccatos, vel ſale & aceto maceratos, eam improbant certe etiam benigniores Caſuiſtæ. Leander tr. 5. diſt. 4. q. 42. ſcribit: „ An ſaltem liceat in collatione uti piſciculis fumo ſiccatis, taleque conditis „ . . . ut mihi certum reſpondeo non poſſe, quia & ratio, & uſus virorum „ prudentium & timoratæ conſcientiæ „ ad contrarium tenendum urget, ut „ conſtat, cum ſit omnino contrarius“. Salmanticenſes tract. 24. cap. 2. punct. 3. num. 8. ſcribunt: „ Communis ſententia docet, non eſſe materiam „ collationis piſciculos parvos, ſive recentes ſint, ſive fumo ſiccati, quia „ cum collatio ſerotina conſuetudine „ ſit introducta, etiam conſuetudini „ ſtandum eſt circa cibos, qui ejus „ materiam eſſe poſſunt; ſed nullibi „ eſt conſuetudo introducta ſumendi in „ ea piſciculos parvulos, ut teſtantur „ Villalobos, Azorius, Palao, Fagundez, Diana, ergo eos ſumere „ non licet. Ulterius piſces ex ſe ordinati ſunt ad nutriendum, & ſuſtentandam naturam, ergo eis non „ licet uti in collatione ſerotina“. Ex qua ratione manifeſte apparet, certum eſſe & exploratum, etiam penes benigniores Probabiliſtas, cœnulam non concedi ad nutritionem & ſuſtentationem, ſed ad meram refocillationem: quamobrem monſtrum ſit a rigidiore Probabilioriſta concedi viris, qua doctrina, qua pietate pollentibus, & nutritione copioſiore indigentibus, non ſolum piſces parvos, & ſiccatos, vel ſalitos, ſed & recentes, & magnos, & delicatiores uſque ad quantitatem decem unciarum, & quidem ex hodierna diſciplina, quod Summi Pontifices Bened. XIV., & Clemens XIII. non ſatis lacrymis deflendum dicunt, & cujus abuſus deplorant, reprobant, & pro viribus corrigere ſtudent & emendare. Non auderem tamen lethalis peccati reum pronunciare, qui aliquibus piſciculis, vel ſalitis, vel fumo exſiccatis, puta ſardis, ſardinis, ſarachis, vel parte halæculæ, ſeu haringæ in collatiuncula veſceretur, licet quoad qualitatem cibi leviter delinqueret, & facile foret ab hiſce piſciculis exſiccatis vel ſalitis ad recentes gradum facere: quamobrem nec permittendi ſunt cancri, oſtreæ camerones, vel conchæ

ſive

five rotundæ five oblungæ five ftriatæ, quia licet fint cruftata, funt tamen vere pifces recentes, qui non leviter nutriunt. In maritimis tamen litoribus, ubi incolis defunt fructus five aridi, five recentes illis permitti poffunt titulo neceffitatis, quæ legibus vix fubjicitur.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Non conceduntur in collatiuncula cibi cocti præter olera & herbas, proinde non licet vefci pulmentis, & leguminibus, fabis, pifis, lente, cicere, orizis, nec pane cocto & oleo & fale condito, qui papparium dicitur, nifi infirmitatis, vel ætatis poftulet neceffitas. Nam certum & experientia compertum eft, legumina hæc quam maxime nutrire, ut patet in rufticis & plebejis, qui hifce fatiantur, & nutriuntur, addito folum pane vel ex tritico, vel ex aliis granis: jejunium autem quod de fe nutritivum eft in fecunda refectione recufat; & legumina cocta, ut optime animadvertunt Salmanticenfes, *cibi funt ad nutriendum ordinati*, & licet panem admittant, notant tamen præfati Auctores, ideo concedi, „ quia licet panis fit nutritivus, „ eft tamen cibus communis, & neceffarius, ut alii cibi & potus non officiant ftomacho, & quod fine illo nec „ pifces nec carnes prodeffent faluti ". Nec inferas parum referre, num panis in fe fumatur in cibum, vel aqua & fale & oleo conditus, dummodo quantitate non excedas, licere proinde de fe & abfolute papparium in refectiuncula comedere: nam licet hæc in fe & phyfice fpectata idem videantur, moraliter tamen, & in ordine ad nutritionem valde differunt; experientia enim conftat, panem de fe fumptum & feparatum longe minus nutrire ipfo panepe iteratam coctionem & olei falis, & aquæ mixtionem compofito, ut appareet in puellis & infantibus, qui ab uberibus amoti hujufmodi pappario mirifice aluntur, crefcunt, pinguefiunt; fenili tamen ætati & languidiori ftomacho in tenui quantitate concedi poteft.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Non conftat prudenter de confuetudine invecta abundantioris fumendæ collatiunculæ in vigilia Nativitatis, & Sabbato fancto. Inter recentiores Theologos plurimi cenfent, conceffam abundantiorem comeftionem in refectiunculis fumendis præfatis diebus, quibus & aliqui addunt feriam v. in Cœna Domini, privilegium Dominicæ Pentecoftes, & S. Jo. Baptiftæ, in quibus duplo, vel etiam triplo majorem licitam dicunt cibi quantitatem, immo Sanchezius fructus & confervas concedit ufque ad fatietatem, quæ doctrina certe falfa eft & rejicienda, omnem enim aufert jejunii obfervantiam, & eam rejiciunt jure Salmanticenfes. Quod confuetudinem vero, quam jactant, eam non obtinere in vigiliis Refurrectionis & S. Jo. Baptiftæ, nec in feria v. in Cœna Domini apud Hifpanos teftantur Salmanticenfes; in Italia certum eft nondum invectam. Solum aliqua poteft effe fufpicio hujus confuetudinis in pervigilio Nativitatis Domini, quam confirmare conantur Salmanticenfes tum pluribus allatis teftimoniis, tum exemplo Prælatorum, qui non folum vident & confentiunt, fed & ipfi in dicto pervigilio *Menfas* inftruunt *opulentis collationibus fructuum, & rerum ex faccaro confectarum*, tum quia antiquitus omnes in Ecclefia ea nocte vigilabant, & divi-

nis Officiis intererant, tum ob excellentiam Festi, in quo & carnes concedunt si feria VI. incidat. At hæc argumenta firma satis non videntur. Nam in Italiæ præcipuis urbibus potius viget consuetudo differendi refectionem in vesperas, & sumendi collatiunculam circa meridiem, & in ipsa refectiuncula consuetus modus servatur. Prælati vero non ideo abundantiores suppeditant esuriales cibos, ut abundantius invitati vescantur, sed ut ex pluribus rebus illa seligant, quæ sibi magis placent, tum etiam ad honorem invitatis exhibendum. Præterea videndum, num hæc consuetudo sit, ad corruptela; si enim viros intueamur rectæ & meticulosæ conscientiæ, quos ad normam servandi jejunii exhibet Benedictus XIV, certe isti in præfatis diebus nihil amplius sibi permittunt, quam in cæteris per annum jejuniis. Quod vero antiquitus fideles ea nocte in Ecclesia vigilias egerint, ut divinis interessent officiis, ostendit quidem tunc forte illis concedendam abundantiorem refectiunculam, ut laborem facilius tolerare possent, quod tamen certum est, minime fuisse concessum, at modo sublatis vigiliis cur remanere debet, seu potius inducenda est consuetudo largioris cibi; quando minus laboris habetur? Denique excellentia & lætitia solemnitatis ad ipsum diem restringitur, nec est ad pervigilium dilatanda, in quo fideles piis operibus & severiori jejunio, non abundantiori cibo se ad spirituales solemnitatis fructus percipiendos præparare debent. Quod si certo constet de legitima consuetudine alicubi forte invecta, liceret quidem abundantiori refectiuncula uti, at non per hoc dicendum esset dispensatum absolute ea die jejunium ex illa consuetudine, ut innuere videtur Concina, nam minime permissum esset pluries in dies vesci, & pluries refectiunculam sumere, ut animadvertunt Salmanticenses, docentes, non licere in dicta nocte pluries facere collationem, nec (sumpto in meridie prandio) antequam adveniat nox.

Consectarium Quintum.

V. Nec Nobilitas, nec studiis vacatio, nec regionis temperies, sed frigiditas tituli sunt, qui de se abundantioris refectiunculæ usum concedant. Laymannus, Sporerius, Bonacina, aliique plures Nobilibus, Lectoribus, causarum patronis, aliisque studiis vacantibus, necnon frigidiores regiones incolentibus abundantiorem concedunt collatiunculam, & hoc duplici titulo, nimirum invectæ consuetudinis, & delicatæ complexionis, sive studiosæ occupationis. Verum optime animadvertit Concina, hi tituli justum nequeunt suppeditare titulum jejunii sanctum rigorem mitigandi. Nam nobilitas sicut a lege jejunii non eximit, ita nec a refectiunculæ rigore; immo cum nobiles & selectioribus & abundantioribus cibis in prandio vescantur, facilius jejunium tolerare possunt. Quod si delicatioris sint corporis habitus, adeo ut grave sentiant incommodum ex rigore jejunii, poterunt quidem arbitrio prudentis Confessarii, & Superioris illum mitigare; & hoc concedendum est etiam ignobilibus & plebeiis, quibus pares habendi sunt in lege jejunii observanda. Qui vero studiis vacant, vel aliis negotiis occupantur caput & mentem fatigantibus, & animalium spirituum dispendium patientibus, si revera notabile gravamen sentiant, ut de superioribus dicendum est, & æquandi sunt ar-

artificibus, qui in operibus manualibus occupantur, quippe qui & fatigantur, & viribus præ labore destituuntur; quamobrem pro utrisque eadem est adhibenda ratio & titulo non muneris, non officii, non artis, sed damni, gravamanis, valetudinis, dispensandi a severiore jejunio. Merito proinde inter falsas & improbabiles censeo rejiciendas doctrinas Leandri asserentis de studio addictis: „ absolute probabilius „ respondeo, posse ampliorem refe„ ctiunculam sumere etiam si continuo „ studiis non vacent, dummodo certis „ horis, hoc est quinque vel sex stu„ deant, etiamsi id faciant recreatio„ nis gratia ". Et de ingenio laboran„ tibus subdit „ posse largiorem colla„ tionem facere affirmat Pasqualigus, „ casu tamen quo toto die ingenio la„ borent, sed ego absolute respondeo, „ posse etiamsi tota die non laborent, „ sed per aliquas horas nempe per „ quinque aut sex ". Denique pro incolentibus frigidiores regiones optime observat Franzoja, eos quidem facilius cibos digerere, at qui calidiores habitant regiones magis languori esse obnoxios, & revera in calidioribus & temperatis regionibus facilius incolæ ferunt hyemalia jejunia, quam æstiva; sicut igitur isti ob dispendium spirituum longe abundantius in calidis regionibus quam in frigidis a rigore jejunii non solvuntur, ita nec illi ob faciliorem ciborum digestionem non sunt ab illo solvendi. Non est igitur admittenda lepida quidem, sed imbecillis excusatio P. Patritii Sporer in Append. ad 3. Decal. Præcep. sect. 2. n. 26. dicentis Italis, vel aliarum Nationum Scriptoribus, qui laxam ejus opinionem refutant: „ Mittant illi Germanis tempo„ re jejunii suum calidum cœlum, ci„ bum & vina pinguia, fructus, & „ confecta &c. & jejunabim us cum il„ lis ". Nam Germani sub rigido cœlo homines sunt straminei, vitrei, imbecilles? Num cibis carent, quos ab aliis emendicare oporteat? Vini inopiam nonne sarcire sciunt cervisia non tenui sed forti, cremato, aliisque liquoribus? Vel potius dicendum est Germanos sub rigido cœlo nec concupiscentia urgeri, nec peccatis gravari, nec divina indigere clementia, unde jejunium minuere possint, & mitius substituere? Hæc attendant Germani Confessarii, & quid Pœnitentium saluti, obedientiæ Ecclesiasticis præceptis, & divinæ justitiæ conveniat, seligant, & inculcent.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De Personis lege jejunii solutis vel obstrictis.

DOCTRINA.

I. *Lex jejunii universalis est.*
II. *Non tamen omni tempore obligat.*
III. *Adolescentes aliquando etiam ante tertium septennium jejunio subjiciuntur.*
IV. *Num senes sint a jejunii onere soluti.*
V. *Quando incipiat senectus a jejunio excusans juxta Probabilistas.*
VI. *Quid dicendum de Advenis, Peregrinis, Vagis.*
VII. *Advenæ legibus jejunii tenentur statutis in loco ubi morantur.*
VIII. *Quid de Peregrinis sentiendum.*
IX. *Quid de vagantibus.*
X. *Quanta debet esse mora in loco ut præceptis obligentur.*

I. LEX jejunii universalis est, omnesque baptizatos obstringit. Quod

Quod enim S. Leo M. ferm. 11. de Quadrag. dicit: *Maximum facratiſſimumque jejunium, quod obſervantiam ſui univerſis fidelibus ſine exceptione denuntiat*, eſt & aliis jejuniis aptandum, non ſunt propterea ab hac Lege immunes Hæretici, qui proinde cum abjurata hæreſi in ſinum Eccleſiæ revertuntur, de contemptis violatiſque jejuniis & pœnitere, & confiteri tenentur, quippe qui ratione ſuſcepti Baptiſmatis Eccleſiæ legibus ſubjiciuntur, quod ab Infidelibus minime locum habet, cum nunquam ob Baptiſmi carentiam Eccleſiam Chriſti ingreſſi ſint.

II. Non omnes tamen fideles ſtatim ac vitæ vel uſus rationis initium attingunt; hoc obligantur præcepto, ſed ex communi etiam a pluribus ſeculis invecta diſciplina, invaleſcens ætas requiritur, quæ advenire cenſetur tertio ſeptennio completo; nam ut obſervat, & docet S. Thom. hic a. 4. in corp. „ Statuta communia proponuntur, ſecundum quod multitudini conveniunt. „ Et ideo Legislator in eis ſtatuendis „ attendit id, quod communiter habe„ tur, & in pluribus accidit. Si quid „ autem ex ſpeciali cauſa in aliquo „ inveniatur, quod obſervantiæ ſtatuti „ repugnet, non intendit legislator ad „ ſtatuti obſervantiam obligare ". Unde in reſp. ad 2. ſubdit: „ In pueris „ maxime eſt evidens cauſa non jeju„ nandi, tum propter debilitatem na„ turæ, ex qua provenit quod indigent „ frequenti cibo, & non multo ſimul „ aſſumpto; tum etiam quia indigent „ multo nutrimento propter neceſſita„ tem augmenti, quod ſit de reſiduo „ alimenti. Et ideo quamdiu ſunt in „ ſtatu augmenti, quod eſt ut in plu„ ribus uſque ad finem tertii ſeptennii, „ non tenentur ad Eccleſiaſtica jeju„ nia ". Ex quo infertur & immunes eſſe a jejuniis ſive a Communitate, ſive a Synodis, ſive ab Epiſcopis, vel etiam ex immemorabili conſuetudine inductis; ſi enim univerſali lege Jejunii ob ætatis defectum non ſubjiciuntur, multo minus particularibus ſtatutis, & peculiaribus præceptis obnoxii erunt.

III. Fieri tamen poteſt, ut aliquando ſub præcepto jejunare cogantur. Et primo quidem lege naturali jejunii, quæ procul dubio obligat etiam independenter a poſitiva Eccleſiæ lege, ut ſuperius cap. 1. oſtendimus ex D. Th. l. l. art. 3. docente: „ Quia jejunium „ utile eſt ad deletionem & cohibitio„ nem culpæ, & elevationem mentis „ ad ſpiritualia. Unuſquiſque ex na„ turali ratione tenetur tantum jejuniis „ uti, quantum ſibi neceſſarium eſt ad „ prædicta ". Quamobrem ad hoc attendant oportet Confeſſarii circa adoleſcentes, qui tertio ſeptennio concupiſcentiæ motibus vexantur, quibus etiam ita conſentiunt, ut libidinoſum induant habitum, quo per totam vitam non ſpoliantur; cogendi enim ſunt jejuniis inſoleſcentem & recalcitrantem concupiſcentiam cohibere, & de commiſſis criminibus corporis caſtigatione Deo ſatisfacere. Immo addo, valde probabilem eſſe D. Th. ſententiam, adoleſcentes tertio decurrente ſeptennio, ſin ad jejunandum ſingulis Quadrageſimæ diebus tenentur, per aliquos ſaltem in hebdomada dies jejunare debere, ſcribit itaque IV. Sent. diſt. 15. q. 3. ar. 2. quæſtiuncula 3. „ Tempus augmenti „ ſecundum Philoſophum eſt uſque ad „ finem tertii ſeptenii, ut in pluribus „ quia res naturales non currunt ſem„ per eodem modo, ſed ut frequen„ ter, & ideo ante hoc tempus non „ arctantur pueri ad omnia jejunia Ec-

cle-

„ clesiæ servanda. Sed quia quanto ad „ terminum prædictum appropinquant, „ tanto virtus naturæ magis roboratur, „ & augmentum tardius procedit (cum „ in primis quinque annis perveniat „ puer ad medietatem totius augmen- „ ti, ut Philosophus dicit) & ideo „ secundum quod magis adpropinquant „ ad prædictum terminum, sunt eis „ jejunia magis commensuranda ". Et in Sum. laud art. 4. ad 2. addit: „ Conveniens est ut etiam in hoc tem- „ pore se ad jejunandum exerceant „ plus vel minus secundum modum „ suæ ætatis ". Quamobrem dum Parentes, Parochi, Confessarii adolescentibus indicant, ecclesiastici jejunii præcepto non urgeri ante tertium completum septennium, illos tamen admonere debent de necessitate aliquoties jejunandi, tum ad concupiscentiam frenandam, tum ad Deo satisfaciendum, tum denique ut jejunio assueti minus laboris experiantur, quando urgente præcepto jejunare obstringentur. Parentes præsertim pueros ad jejunium provocent tum exemplo, tum hortatione illis suadendo; ut in omnibus feriis sextis in honorem Passionis Christi, vel sabbatis in honorem Virginis jejunent, sin perfecto jejunio, saltem abstinentia a jentaculo sive matutino; sive pomeridiano, & cænæ aliquid subtrahendo, memores S. Basilii moniti: *pueri veluti plantæ virides jejunii aqua irrigentur*. 2. Præterea, licet, ut diximus, peculiaribus Diæcesum vel Civitatum jejuniis non obstringantur, contingere tamen potest, ut scribit S. Th. l. a. 4. „ ut magna tribulatione im- „ minente, in signum pœnitentiæ ar- „ ctioris etiam pueris jejunia indican- „ tur: sicut etiam de jumentis legitur „ Jonæ 3. v. 7. *homines, & jumenta* „ *non gustent quidquam, nec aquam bi-* „ *bant* ". Et hoc urgente præcepto jejunio obstricti fient. 3. Si voluntarie ex voto jejunia aliqua sibi assumant, reddere debebunt Domino vota sua, quæ distinxerunt labia sua. 4. Si alicui sint regulari Ordini addicti, in quo peculiaria sint indicta jejunia, ea custodienda ab ipsis erunt juxta modum a regula constitutum. Non desunt Theologi, qui huic adversantur doctrinæ, qui tamen audiendi non sunt, nec eorum opposita sententia probabilis dicenda, licet eam ceu probabilem divendat P. Viva; nam sicut quilibet se potest voto obligare ad aliqua servanda jejunia sub gravi culpa, quod nemo inficiatur, ita potest Regulam profiteri sponte & ex animo, quæ aliqua sub gravi jejunia præcipiat, quæ servare oportebit. Hinc sequitur, tunc teneri etiam ad ipsa Ecclesiæ universalia implenda jejunia, si horum custodia ab ipsa regula præcipiatur sub modo tamen ab ipsa constituto, scilicet sub lethalis peccati onere, si ita obstringant, ut in Regula S. Francisci, vel solum sub veniali, ut in Regula Carmelitanum, vel denique solum sub pœna, ut in Ordine Prædicatorum. Denique, licet adolescentes sint a lege jejunii immunes quantum ad unicam refectionem servandam, sunt tamen illi obnoxii quoad abstinentiam a carnibus, ut superius diximus cap. 3.

IV. Sicut certum habetur tempus, quo incipit jejunii onus, non ita tamen certum habetur & determinatum, quo ejus desinat obligatio. Recentiores Theologi duobus ab hinc seculis scribentes tanquam certum, exploratumque & communiter receptum penes Morales Theologos statuunt, senes a jejunio esse solutos, & solum disputant, quando senectus incipiat. Suæ assertionis

tionis hæc sunt momenta a Salmanticensibus adducta. 1. Teste Tullio de Senect. *Senectus ipsa est morbus*. Morbus autem procul dubio excusat, ergo & senectus. 2. Senes frequenti cibo indigent ad vires sustentandas, & simul multum cibi in una refectione sumere non valent, cum ob deficientiam caloris digerere ut oportet non valeant, multiplicare igitur coguntur refectiones quamobrem sunt a jejunio dispensati. 3. Communem afferunt Theologorum consensum, quorum testimonia non citant, nec afferunt utpote & plurima & explorata. Verum hæc argumenta nec probabilem eorum opinionem efficiunt. Nam 1. senectutem morbum esse dixit Cicero decem & octo ab hinc seculis, non est igitur morbus recenter inductus & postremis mundi senescentis seculis tribuendus, & tamen per quindecim secula nec Patres, nec Concilia, nec Pontifices senes a jejunio dispensatos ob senectutis morbum agnoverunt, immo *senibus* (aiebat S. Basilius) *consuetudo & familiaritas jejunii levem facit laborem*. Et Auctor serm. Ambrosio tributi de Sancta Quadr. 7. senes in exemplum jejunii juvenibus proponebat: scribens: *Pudet dicere, senes & aniculæ Quadragesimam faciunt, juvenes, & juvenculæ non faciunt*. De postremis autem seculis 14. & 15. prædicabat S. Vincentius Ferrerius serm. 1, fer. IV. Cin. *Senes octoginta annorum, vel amplius, qui semel bene possunt comedere, non excusantur, quia ipsi* (non jejunando) *peccant mortaliter*. S. Antoninus idem sentit scribens part. 2. tit. 6. cap. 2. §. 6. *Ratione autem senectutis tantum non excusantur, si sint fortes ad sufferendum jejunium, nec est determinata ætas ab aliquo usque ad quos annos quisque teneatur jejunare*: & seculo 16. Cardinalis Ximenes de Hispaniorum Regnis optime meritus, & ob egregia facinora omni laude merito ornandus, licet septuagenarius nec se dispensatum a jejunio censuit, nec dispensationem a Leone X. petere ausus est; nec revera dispensatum censuit laudatus Pontifex, qui ultro tamen & motu proprio dispensationem concessit. Diploma dispensationis habetur apud Raynal. ad annum 1515. n. 105. Sit itaque morbus senectus ipsa est tamen morbus, quem omnes incurrere desiderant, & quem diutius perseverare volunt, qui cum robustiori sanitate consistit, proinde a jejunii lege de se minime liberat. Ad alterum argumentum dico, quomodo sint senes curandi ad Theologos definire vel statuere minime pertinet. Sicut enim Hippocrates & Galenus de jejuniis servandis nunquam tractarunt, ita nec SS. Patres, nec Theologi de cibis, vel eorum qualitate, seu quantitate a senibus sumenda disputarunt. Inspiciendum est igitur quid de senibus doceant peritiores Archiatri. Hi profecto semper docuerunt sobrietatem, ciborum parcitatem omnibus quidem esse salubrem, sed præsertim senibus maxime necessariam. Unum tantum afferam, qui rem accurate pertractat, & Theologos ultra crepidam differentes simul confutat & deridet. Hic est Hequetius pluries a me laudatus, qui postquam part. 2. cap. 15. argumentis ex physica & arte medica ostendit, senibus parciori cibo opus esse, & solum ex abundantiori sumptione morbos & ægritudines ipsos incurrere, sic de Casuistis concludit, cujus verba gallica sic fideliter latina reddo: Qua fiducia igitur Casuistæ sexagenariam ætatem tanquam terminum statuant jejunii, cum clare ostenderimus, senectutem & cum per-

„ fecta sanitate sociari posse, & vires „ admittere ad jejunium plusquam idoneas? S. Thomas de senibus nihil „ definivit, & suo silentio consulto „ adhibito satis ostendit, hanc opinio- „ nem sibi minime placere. Hippocra- „ tes non aliis certe minus, in robore, „ sanitate, & valetudine dijudicandis „ peritus & doctus, aliter plane sen- „ tiebat ab hodiernis Casuistis; pro com- „ perto enim habebat jejunium senibus „ esse opportunum, & facilius ab ipsis „ quam a junioribus tolerari ". Veritatem hujus doctrinæ confirmat experientia. Navarrus enim de se testatur octuagesimum annum agente: *perinde possum jejunare ac cum agerem sexagesimmum, immo & quinquagesimum*. Confirmat Pontasius Casu 18. dicens: *Idem de nobis affirmare possumus, qui octuagesimum septimum ætatis nostræ mense Januario anni 1725. attigimus*. Concina hæc habet: *dum hæc scribo, sexagesimum annum ago, & felicius jejunium nunc, quam ætate triginta, vel quadraginta annorum observo*. In hac Religiosa qua versor Communitate, cujus minima & vilior pars sum, & sexagesimum secundum ætatis meæ a quatuor mensibus decurro, decem sunt Religiosi, quorum alii mihi suppares, alii provectiores, alii qui septuagesimum sunt prætergressi, nonnulli octuagesimo proximi, & tamen omnes Deo adjuvante omnia Ecclesiæ jejunia sancte custodimus: plures etiam novi seculares sexagenarios & supra, qui jejunium servant: opposita igitur sententia nec probabilis est dicenda. Testimonia vero Theologorum a Salmanticensibus citata tanti non sunt ponderis, ut nec cum præcedentibus Theologis sint conferenda, qui, ut testatur Diana, sunt penes omnes, qui ante ipsum scripserunt, nam novam opinionem de senum immunitate a jejunio tueri volens sic scribit. *Cum paucis Commilitonibus adversus plures hujus militiæ fortissimos duces aggredior pugnam*, quæ tamen illi feliciter non cessit; licet enim auctus sit manipulus Commilitonum Dianæ contra agmen antiquorum Theologorum, subsequentes tamen adhuc pro vera doctrina Theologi plurimi steterunt etiam ex Probabilistis, quos enumerat Concina Diss. 2. cap. 14. n. 9. quibus ex recentioribus addo Lucium Ferrarium, qui licet pyrrhonistam plerumque agat, sic tamen concludit V. *Jejunium* art. 2. n. 16. „ At valde mirum quod difficile „ habeatur ætas immunis a peccatis, „ & quod de facili inveniatur ætas im- „ potens ad onera præceptorum susti- „ nenda, quisque igitur sibi caveat, „ ne se ipsum in fraudem æternitatis „ suæ decipiat, dum facile est decipi „ ubi credere dulce est ". Besombes cap. 4. art. 6. Borangam cap. 3. §. 3. Cuniliati cap. 1. n. 3. Franzojam Animad. 14. in cap. 3. Busembau; Vatolo lib. 2. de Temperantia cap. 4. n. 3.

V. Semel constituta a Probabilistis doctrina de senectute a jejunio excusante, inquirunt quando senectus incipiat, & proinde a jejunio liberet. Leonardus Lessius, aliquibus adductis Theologorum & Medicorum testimoniis, animadvertit in aliquibus senectutem incipere anno 50. in aliis 45. in aliis 40. in nonullis denique etiam 30. de quibus tamen scribit: *puto paucos excusari anno 30. vel 40. ob senium*. Sunt igitur aliqui licet pauci jam senes trigesimo anno, eapropter a jejunio soluti, præpropera profecto senectus & inaudita; si enim quis trigesimo anno debilis sit, valetudinarius, delicatissimi habitus, infirmus quidem audit, at nunquam senex, immo ho-

mi-

minis miseremur, qui in florenti ætate & juventute tanta premitur debilitate; at saltem hoc consequetur beneficium, ut tardius lege jejunii ligetur, & citissime solvatur, & solo novennio totum jejunii cursum compleverit. Alii vetam senectutem a jejunio liberantem anno 55. alligant in masculis, at feminas jam senes declarant anno 50. proinde nedum speculative, sed & practice a lege jejunii solvendas, & quidem hac, si superis placet, validissima ratione, quia feminæ, ut communis fatetur sententia, post quinquagesimum annum nullo modo possunt generare ob defectum virtutis naturalis. Communiter Probabilistæ senectutem anno 60. advenire censent, proinde sexagenarios omnes licet sanos, benevalentes, robustiores omnino a lege jejunii liberant, nulla facta distinctione inter mares & feminas, quia sicut pares sunt in contrahendo onere jejunandi completo tertio septennio, ita pares faciunt in exemptione a jejunio sexagesimo anno. Verum unde tanta fiducia in definiendo termino legis jejunii? Duplici ex fonte, inquiunt, ratione & auctoritate. Ratione quidem *quia expedit legis obligationem ita esse definitam, ut sciatur quinam ea comprehendantur vel non, nec una ex parte facile humana negligentia, ex altera vero nimia solicitudo, & anxietas oriatur; ergo sicut certa ætas definita est antequam jejunii lege non obligentur, ita etiam sane senibus definienda erat altera, post quam non obligentur, idque certe potiori ratione, cum majus sit periculum deficientiæ in senectute, quam in juventute*. At cur præstituta ætas 60. annorum? *Quia*, reponunt, *tunc crebra indigent homines sustentatione, & vires humanæ maxime deficiunt*. Sed si senes sexagenarii & septuagenarii benevalentes sint, robusti, fortes? *Parum refert*, reponunt, *nam robur senum est illusivum, & ambiguum; & licet aliqui ultra eam ætatem robusti, & ad jejunium habiles reperiantur, nihilominus pia Mater Ecclesia intendit obligare secundum communem cursum roboris & deficientiæ humanæ*. Auctoritate vero confirmant; quia, inquiunt, S. Pius V. vivæ vocis oraculo anno 1570. declaravit, senes sexagenarios esse a lege jejunii solutos. Verum hæc nimium imbecilla sunt argumenta, ut falsam, improbabilem, laxam, & scandali plenam opinionem fulciant. Definienda est, inquiunt, obligatio legis. Utique, & definita est, scilicet quandiu vita durat, & vires ad jejunandum suppetunt. At assignandum est, inquiunt, certum statutumque tempus obligationis. Sit ut lubet; at a quo præfigendus? A Theologis, a Casuistis? Non certe. Ab Ecclesia igitur; sed nullo decreto, nulla lege, nulla consuetudine statutum declaratumque est, sexagenarios jejunii lege esse solutos. Quis igitur, quod Ecclesia definire, statuere noluit, decernere audebit? Oraculum vero vivæ vocis ab obscurissimo Auctore Llamas productum nullo fulcitur fundamento. Unde enim illud Summista Llamas excepit? Num ipsi in aurem insusurravit S. Pius V.? num ab aliis audivit? Non primum certe, quod credere ineptire esset; non secundum, nam nullus alius sive Summista sive Theologus reperitur, qui illud præterquam a Llamas adductum audierit, immo & ipse nullum alium profert testem præter seipsum, unde merito dicere illi possumus, testimonium tuum non est verum. Theologum itaque christianum & pium tam publicæ falsitatis

ar-

guis & imposturæ? Non arguo solum & accuso, sed & convinco; nam hic ipsissimus Auctor part. 3. Metho. cap. 5. effronti audacia pronuntiat, S. Pium V., Gregor. XIII., Sixtum V. aliosque Pontifices vivæ vocis Oraculo & Bulla Cruciatæ declarasse, dispensatos a carnibus esse quoque a lege jejunii solutos. Quod quam falsum sit, evincunt Constitutiones Apostolicæ tres a Bened. XIV. hac de re editæ; & in ipsa Bulla Cruciatæ aperte indicitur. *Quod qui carnes comederint servata in ceteris jejunii ecclesiastici forma dicto jejunio satisfecisse censeantur*. Hominis itaque in duplici falsitate deprehensi quis fidem adhibere velit vel possit? At urgent, declaratur saltem in Bulla Cruciatæ Patriarchas, Archiepiscopos, aliosque inferiores Prælatos, nec non Regulares omnes, & Sacerdotes seculares frui non posse privilegio Bullæ Cruciatæ, nisi sexagenarii fuerint. Sed quid obtrudunt privilegium Bullæ Cruciatæ, quod solis Hispanis Lusitanisque concessum est? Præterea nonne, ut vidimus, expresse indicitur, ut carnibus eo privilegio vescentes in ceteris *formam jejunii* servent? Nonne & Bened. XIV. in sua Constit. *Pios Christifidelium* concedit singulis Confratribus Confraternitatis S. Mariæ de Succursu in Civitate Januæ erectæ, & commorantibus in Januensi ditione & Dominio privilegium vescendi ovis & lacticiniis certis Quadragesimæ diebus, nempe Dominicis diebus, secundis, tertiis, & quintis feriis, immo, ut postea privilegium dilatavit, omnibus diebus comprehensis etiam Dominica Palmarum, & Hebdomada majori, exceptis tamen Archiepiscopis, Episcopis inferioribusque Prælatis, nec non Regularibus omnibus, & Clericis sæcularibus in Præsbyteratus Ordine constitutis, qui sexagesimum annum non compleverint? Quis autem dicat ea Constitutione declarasse sexagenarios esse a lege jejunii solutos: cum in ipsa Constitutione aperte declaret, præfatos omnes exceptos *Legibus jejunii de unica comestione in die* subjici? Immo nonne præfata Constitutione aperte declarat: Archiepiscopos, Episcopos, Regulares, & Sacerdotes sexagenarios esse a lege abstinentiæ exemptos, & hos exemptos sexagenarios subjici legibus jejunii? Tantum igitur abest, ut censeat sexagenarios a jejunio dispensatos, quin immo nominatim legibus jejunii obnoxios statuit. Falsitatis etiam redarguit Llamas Navarrus, qui Romæ vixit temporibus S. Pii V. Gregorii XIII. & Sixti V. quibus carus acceptusque fuit, & tamen vivæ vocis oraculum ab eodem publicatum omnino ignoravit. Hactenus dicta satis superque sint ad ostendendam falsitatem jactati Oraculi, & qui magis erudiri cupit, legat primam animadversionem in Dictionarium Pontasii Editionis Venetæ.

VI. Superest ut de Advenis, Peregrinis, Viatoribus & Vagis dicamus, num scilicet teneantur legibus jejunii non universalibus ubique obligantibus, sed particularibus Urbis, Territorii, locique per quæ transeunt, vel aliquandiu subsistunt, puta jejuniis, diebusque festivis peculiaribus. In Tr. 1. de Legibus Diss. 3. cap. 13. n. 13. & 14. binas statuimus generales Regulas, in quarum 1. diximus, præfatos non teneri legibus locorum, a quibus excedunt nonnullis exceptis casibus; in 2. teneri legibus locorum, in quibus saltem moraliter esse dicuntur. Superest igitur, ut has regulas præcepto de jejunio & auditione Missæ aptemus. Distinximus loco cita-

 to,

to, Advenas, Peregrinos, & Vagos. Priores diximus esse, qui vel extra patriam suam domicilium figunt; vel qui uno in loco domicilium retinentes in alio tamen loco inhabitant aut semper, aut ad tempus. Peregrinos diximus, qui a proprio domicilio recedentes per alia loca transeunt, animo tamen ad propria revertendi. Vagorum vero nomine designavimus, qui nullibi domicilium fixum habent. De singulis dicendum.

VII. Advenæ itaque subditi sunt legibus illarum Civitatum, in quibus commorantur ratione loc. cit. adducta & ex S. Augustino deprompta, & in jure communi inserta Cap. *Quæ contra*, distin. 12., „ Quæ contra mores hominum „ sunt flagitia, pro morum diversitate „ vitanda sunt, ut pactum inter se „ civitatis, aut gentis consuetudine, „ vel lege firmatum nulla civis, aut „ peregrini libidine violetur. Turpis „ enim pars est suo universo non congruens ". Et specialiter de jejunio S. Augustinus in Epist. ad Casulanum S. Ambrosii definitionem adducit. Cum enim eum consuluisset super dubium Matris assuetæ Romæ die Sabbati jejunare, cum Mediolani nullum esset eo die jejunium hoc habuit responsum. „ Cum „ Romam venio, jejuno sabbato, cum „ Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam „ tu ad quamcumque Ecclesiam veneris, „ ejus morem serva, si cuiquam non „ vis esse scandalo, nec quemquam tibi ". Unde ortum habet illud adagium, quod in re morali verissimum censeo, *cum fueris Romæ, Romano vivito more, cum fueris alibi, vivito sicut ibi*. Hinc studentes, Milites, Mercatores, Famuli, Mercenarii, aliique, qui in aliqua civitate, locoque, licet non domicilii, diutis versantur, legibus subditi sunt loci & civitatis, proinde jejuniis & festis inibi occurrentibus; quod multo magis verum est, si majore parte anni inibi morentur, cum quasi domicilium adipiscantur. In hac doctrina pene omnes consentiunt Theologi.

VIII. Peregrini vero & ipsi absolute tenentur jejunia & Festa celebrare locorum, per quæ transeunt. Adversantur huic doctrinæ plures Theologi hac ducti ratione, quia, ajunt, jejuniis & Festis obnoxii sunt dumtaxat incolæ loci, & subditi Episcopi vel Ecclesiæ in quibus ea statuta sunt; porro Peregrini transeuntes non fiunt subditi Episcopi, nec membra ipsius Ecclesiæ; non sunt igitur ejus legibus obnoxii. Verum posita a nobis doctrina & unice vera, & sola probabilis est, ut ostendimus cap. 14. Confect. 18. adversus Salmanticenses, quia Peregrini saltem transeunter subditi fiunt Superioris sive spiritualis, sive temporalis ibi dominantis; sicut itaque tenemur solvere tributa, vectigalia, & cætera civilia onera Principibus locorum, per quæ transeunt, ita immunes non sunt dicendi ab oneribus ab Ecclesiastica potestate impositis.

IX. Vagi denique & ipsi legibus locorum, per quæ transeunt, subjiciuntur; ideoque & jejunia & alia præcepta servare debent, alioquin omnino exleges essent, quippe qui nullibi legibus tenerentur, cum nullibi domicilium habeant; quod quam falsum sit nemo non videt: & quia, ut diximus l. cit. cap. 13. Reg. x., ordo & tranquillitas exigit, ut non aliis legibus utantur vagi & peregrini, quam indigenæ, omnisque amputetur perturbationis & confusionis occasio, quæ plane sequeretur, si alii his, alii diversis legibus viverent, dum eodem loco omnes consistunt.

X.

X. Quamdiu autem quis morari debeat in loco, ut legibus jejunii, vel audiendæ Missæ præcepto sit obnoxius, explicavimus cap. 14. consect. 17. 18. & 20. ac 21. Et diximus 1. mere per locum aliquod transeuntes, ubi festum sit, non teneri iter intercipere ut Missam audiant, si forte inibi sit dies Festus. 2. Præcepta, quæ Territorium aliquod afficiunt tamdiu esse, quamdiu mora perdurat in Territorio; hinc non potest quis carnes comedere in loco, ubi dies est jejunii, antequam exeat licet sub finem diei sit futurus in loco, ubi non urget jejunium. 3. Qui toto matutino tempore est in loco, ubi Festum agitur, tenetur Missam audire, licet post meridiem ad alium perveniat, ubi non est dies festus. 4. Qui mane dicessurus est a loco, ubi urget præceptum audiendi Missam, tenetur eam audire ante discessum si possit commode, quia ut docet S. Thom. hic q. 47. art. 4. „ Si peregrinatio & omnis labor commode differri possit absque detrimento corporolis salutis vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia (adde & præceptum audiendi Missam) prætermittenda ".

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Regulares adolescentes legibus communibus jejunii non obligantur.*

II. *Lex jejunii statim obligat tertio completo septennio.*

III. *Certa non est consuetudo germanica de immunitate a jejunio pro sexagenariis.*

IV. *In dubio num sexagenarii possint sustinere jejunium, an sint a jejunio soluti.*

V. *Regulares omnes sexagenarii legi jejunii subjiciuntur.*

VI. *Tenentur jejunia & festa ab Episcopis instituta servare.*

VII. *Non licet a loco jejunii recedere ad legem declinandam.*

Consectarium Primum.

I. REGULARES adolescentes professi, licet jejuniis obnoxii sint a sua Regula constitutis, ad jejunia tamen Ecclesiæ communia non obstringuntur ante tertium completum septennium. Nec ad propriæ Regulæ jejunia teneri adolescentes Religiosos professos saltem probabile esse asseruere Medina, Grassius, & Tamburinus de jure Abbatum &c. & Pasqualigus, Quippe quia, inquiunt, non magis obligare possunt peculiaria statuta & privatæ Regulæ, quam universalis lex, & generale Ecclesiæ præceptum; verum certa est contraria Theologorum, quam statui, doctrina; cuique enim liberum est peculiare & voluntarium sibi onus assumere; quamobrem quisquis etiam ante tertium septennium vovere potest jejunium, & ad ejus observantiam se obligare, potest igitur & se Regulæ & Ordini subjicere, in quo ad certa jejunia obligetur servanda juxta Regulæ modum, scilicet vel sub mortali, ut in ordine S. Francisci, vel sub veniali, ut in Regula Carmelitarum, vel denique absque ulla culpa, sed solum sub pœna, ut in Ordine Prædicatorum. Quod si & ipsa Ecclesiastica jejunia communia & generalia præcipiantur aliquo modo servanda in Regula, & ipsa implere debebit, sed solum ad Regulæ normam. Nec obstat oppositum argumentum, cum quisque voluntarie onus sibi assumere valeat, quod a lege non imponitur, alioquin nec Confessarii

tii jejunia pœnitentiæ loco injungere possent adolescentibus ante tertium septennium completum, quod tamen nemo dixerit. Peculiaris autem & spontanea assumpta obligatio non illos universali legi reddit obnoxios, cum hæc non distinguat inter Religiosos & Laicos, sed æqualiter omnes afficiat statuto tempore, propterea non antea fiunt obnoxii legi jejunii præfati adolescentes, quam cæteri in seculo viventes.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Completo tertio septennio statim absque mora urget lex jejunii, & ad illud servandum obstringit. Hinc qui incœpta jam Quadragesima complet tertium septennium, reliquos, qui supersunt, dies jejunare tenetur, qui vero eodem jejunii die circa meridiem post meridianam sumptam refectionem, ab aliis abstinere debet, & serotina solum collatione uti. Prima pars positi Consectarii ad unum pene omnes admittunt, quippe quia jejunium Quadragesimale non est quid indivisibile, sed integratur tot partibus, quot constat diebus; quis igitur potest ad partem obstringi, licet non ad totum; ante igitur ætatem jejunare non tenetur, at completo tertio septennio cum statim urgeat præceptum, & adhuc duret Quadragesimale tempus, jejunium in eo constitutum servare tenetur, licet unus tantum supersit dies. Alteram vero partem non tam prompte admittunt nonnulli Theologi hoc nixi argumento, quia, inquiunt, jejunium respicit integrum diem, non diei partem, cum nulla sit lex, quæ quartam vel dimidiam diei partem jejunio subjiciat; si quis igitur per aliquam diei partem sit a jejunio immunis, & per totum diem immunis est censendus: & revera si hic valde mane comedat; certe non peccat, cum nondum lex jejunii illi supervenerit, & tunc certe jejunare amplius non potest illa die; non obstringitur igitur lege jejunii. At oppositam sententiam ut vere probabilem & unice veram plurimi etiam Probabilistæ tuentur, Bonacina, Salmanticenses, Sanchez de Matrimonio, aliique, & jure merito, quia tempus computari debet de momento in momentum, quoties lex certum requirit tempus, ut patet in suscipiendis Ordinibus & professione Religiosa: statim enim ac incœptus est vigesimus secundus annus, vel incœptus decimus septimus, potest quis & ad sacrum Ordinem Subdiaconatus assumi, & professionem emittere. Nec urgent contraria argumenta, quia jejunium non diem respicit tanquam individuum partes non admittentem, sed moraliter, idest ut totum complectatur diem respectu illius, qui totum diem jejunare potest, vel tenetur, vel partem in illo, qui solum ad partem tenetur, ut patet in illo, qui ad locum pervenit ubi est jejunium indictum, statim enim illum urget abstinentia a carnibus, quibus amplius vesci non potest quandiu est in loco. Si itaque quando tempus advenit jejunii, nihil cibi eo die sumpserit jejunare per totum diem tenetur; si vero de mane comedit adhuc urgente jejunio, unica excepta meridiana comestione concessa, non amplius comestiones potest multiplicare, vel in sero cœnare; quia tenetur jejunium eo modo servare quo potest, & urget: potest itaque & a multiplicatis comestionibus abstinere & a cœna, quia lex jejunii illum urget, cui parere debet omni meliori quo potest modo: quemadmodum qui Subdiaconatum susce-

ſcepit, vel professionem emisit, non totum diei officium persolvere debet, sed eam partem tenetur, quæ parti diei respondet. Qui vero dubitat, num vigesimum expleverit annum, jejunare debet, ne se periculo exponat peccandi, quod præcavere toto conatu ipso naturali lumine docemur; nec audiendi Probabilistæ contrarium docentes suis falsis innixi principiis, nempe quod melior sit conditio possidentis (quod locum non habet nisi in materia justitiæ), & certam esse possessionem libertatis, incertum præceptum auferentem libertatem; cum quæstio sit de hac possessione, & in dubiis semper tutior pars sit eligenda.

Consectarium Tertium.

III. Certum non est, nec legitime probatum, in Germania vigere consuetudinem, per quam sexagenarii sint a jejunio dispensati Clarissimus vir Daniel Concina Venetæ Editioni Dictionarii Pontasiani nonnulas præmisit Morales Animadversiones; queis Pontasium a mendis vindicavit, quæ illi attribuit doctissimus Eusebius Amort Lateranensis Canonicus. Hic vero inter Pontasii menda corrigenda enumaraverat sententiam, quæ docebat, senes sexagenarios non esse a jejunio solutos contendens siquidem hoc de Germanis verum certe non esse, quippe quia in Germania obtinet consuetudo, & ex Ecclesiastica disciplina mos invaluit, ut senes sexagenarii a jejunio soluti habeantur. Hujus autem assertæ consuetudinis hæc ab ipso proferuntur argumenta. Et 1. plurima, & quidem satis prolixa agglomerat testimonia Sanctorum Patrum, queis ostendit Ecclesiæ disciplinam de jejunio esse mutabilem, & mutationem pluries subiisse. At huic labori parcere poterat, cum nullus sit qui hoc inficietur; & quæstio non de jure procedit, num scilicet Ecclesiastica de jejunio disciplina, nedum in Germania, sed in tota Catholica Ecclesia mutari possit; sed de facto, num scilicet circa jejunantium ætatem mutata sit in Germania. Insulse vero gloriabundus scribit in libro Novæ Controversiæ, edito Augustæ anno 1739. pag. 191. *Mallem ut ii quoque perpetui buccinatores, qui nihil aliud quam Concilia Concilia, Patres Patres inclamant, saltem aliquale ejusmodi suæ peritiæ argumentum demonstrarent*; quasi summa sit & laudabilis peritia plures pagellas inutilibus, & ad rem minime facientibus testimoniis sive SS. PP., sive Conciliorum onerare ad lectorum tædium, & ad minime necessariam, immo ad rem inutilem eruditionem. 2. Texit syllabum 24. Scriptorum Germanorum hanc consuetudinem suo testimonio confirmantium, quorum fatetur quidem plerosque obscuri esse nominis viros, ac subdit: *In materia disciplinæ variabili pro diversitate locorum & temporum, ubi agitur de sola consuetudine, auctoritates non ponderari, sed numerari, & nihil interesse, cujus eruditionis sint Auctores*. 3. Affert conniventiam tacitam Episcoporum, qui per suos Censores libros eam doctrinam continentes adprobarunt. 4. Denique ostendit, invectam consuetudinem ratione non destitui, quia nimirum paucissimi sunt in Germania, qui ad longævam perveniant senectutem 70. annorum, quapropter ad hoc plures profert emortuales Tabellas, seu Necrologia, queis probat paucos admodum in Germania sexagesimum annum pertingere. Verum hæc argumenta nec certam nec legitimam, idest authenticam ostendere laudatam con-

consuetudinem evincunt responsa, quæ ipse attulit Concina in suo Italico Opere inscripto Disciplina Antiqua & recens Ecclesiæ cap. 5. §. 2. n. 9. & seqq. quæ hic exscribo & illustro. Ad 1. itaque jam respondimus, Testimonia Patrum & Conciliorum ad rem non pertinere, quia solum adstruunt quod extra controversiam esse nemo diffitetur, & quod controvertitur nihil tangunt.

Ad testimonia vero Theologorum reponimus 1. plures alios opponentes Theologos in Germania scribentes, vel quorum Opera in Germania excusa sunt, oppositum plane docentes, uti sunt Laymanus, Tannerus, Wigandus, Lacroixius, Antoine, quorum auctoritates inepte rejicit; Laymani siquidem & Tanneri, quia ante centum annos scripsere, cum tamen pluries recusi sint in Germania, & renovata in novis editionibus eorum doctrina; & Antoine, quia non Germanus est, sed Lotharingius, cum tamen ejus Theologia Ingolstadii ipso procurante Amort excusa sit; sicut igitur ipse pro sua confirmanda sententia non solum Auctores recenset, qui in Germania scripserunt, sed etiam & illos, quorum opera in Germania excusa sunt; ita & Adversariis concedere debet, ut Auctores laudent, qui licet Germani non sint, eorum tamen Opera in Germania impressa sunt. Rejicit quoque Wigandt, quia Auctor laxitatum, cum ideo consuetudinem germanicam afferre debuisset si revera eam extare cognovisset, quia laxæ opinioni quammaxime favet. Denique Lacroixium excipit utpote rem problematice tractantem, cum immo ex hoc appareat consuetudinem esse problematicam; nam si certus Lacroixius fuisset de invecta consuetudine, sententiam benignam, non problematicam Germanis, sed certam omnino ex consuetudine statuisset. 2. His Theologis addimus recentissimos Scriptores Germanos eam consuetudinem vel reticentes vel negantes. nimirum P. Schmalzgrueber ipsius Amort celebrem Præceptorem in jure Canonico, ut ipse testatur, Obser. 5. p. 383. qui quæstionem versans, num sexagenarii sint a jejunio immunes, affirmat quidem, sed hac sola fretus ratione, quia *senes ob naturam jam declinantem opus habent adminiculo cibi frequentius sumpti*; at de invecta consuetudine alte silet. Alter vero est P. Brocardus a S. Nicolao Carmelita, & sui Ordinis Provincialis in Germania inferiori, qui tantum abest, ut hanc consuetudinem invectam testetur, quin immo in sua Theologia Coloniæ impressa an. 1739. Tom. I. V. Jejunium n. 4. & 5. sanam docet & tuetur sententiam, quæ senes sexagenarios jejunii legi obnoxios declarat.

Quoad Theologos vero ab Amort citatos respondeo, spectandos vel ut testes consuetudinis, vel ut Auctores; neutro autem respectu Auctori favent. Non ut testes, nam plerique huic consuetudini testimonium non reddunt, nec ejus meminerunt, sed benignam sententiam vel ratione tuentur, vel Llamæ testimonio. Sporer liberat a jejunio sexagenarios adducto spurio oraculo S. Pii V. Burghaber sola auctoritate innixus Sanchezii, & Dianæ. Pichler quoque solum scribit: *Defenditur* (opinio benigna) *a Portello, Sanchezio, Pal. Tambur. Burghabério, Diana, & aliis apud La Croix*. Hath non solum non favet consuetudini, sed ipsi adversatur, scribit enim: *tenentur usque ad sexagesimum annum, quia ætas talium jam solet esse infirma. Alii autem judicant, certum pro senibus tempus, quo de-*

deobligentur a jejunio, statutum non esse. Kazemberg vero, Holsman, Gannig consuetudinem in sui favorem non afferunt; immo fidenter pronuntio, nec unum proferri posse Germanum Auctorem ante Amort scribentem, qui hanc consuetudinem adducat. Immo nec in posterum idonei testes erunt hujus invectæ consuetudinis Theologi Germani, quotquot in suis Instructionibus, Catechismis, Operibus Theologicis hoc pacto scribent: *Sexagenarii in Germania ex consuetudine legitima immunes sunt a jejunio. Ita docuit Eusebius Amort in suis Mendis Pontasianis, & confirmavit solidis argumentis in suis Observationibus adversus Concinam*. Non, inquam, erunt idonei & legitimi testes, sed solum illis pares, qui in foro externo testes de auditu dicuntur, quorum testimonium non majorem fidem facit supra illam primo dicentis, a quo audierunt. Ut patet manifeste in vivæ vocis Oraculo S. Pii V. a Llamas confićto, quod licet centum exscribant, non tamen est illis magis fidendum, quam ipsi Llamæ primo dicenti. Hoc proinde illis regerendum, unus testis, nullus testis. Uni autem testimonio in tantum fides adhibenda, quantum sui dicti argumenta producit.

Si vero ut Auctores spectentur, inepti omnino sunt ad legitimam inducendam consuetudinem, teste ipso Amort, qui hanc rectissimam statuit Criticæ regulam in T. 5. de Princip. Artis Criticæ p. 2. §. 1. n. 6. pag. 189. „Quando pro una sententia concurrunt „multi Auctores, ad hoc solum attendi debet, an *facile* sit in tali materia concurrere multos Auctores. „Si id *facile* fuerit, etiam *plurimorum auctorum* simul sumptorum auctoritas „tantum *exiguam* habet probabilitatem". Porro Scriptores Germanos in materia jejunii facile concurrere ad benigniores amplectendas opiniones testatur Patricius Sporer, qui conqueritur de P. Layman " qui alias tam bo„nus Germanus in hac sola materia „(jejunii) patriotis suis fuerit tam au„sterus". Qui Italicum rigorem in eadem materia deridet, scribens: „Mittant illi Germanis tempore jeju„nii suum calidum cælum, cibum, „& vina pinguia, fructus & confecta „&c. &c. & jejunabimus cum ipsis". Qui Llamæ testimonium de ficto S. Pii V. vivæ vocis oraculo tam amplis ulnis excepit, ut germana sinceritate scripserit *sub asseveratione infallibili* (o bone!) *tanquam testis oculatus* (vivæ vocis oraculis audiuntur) *refert Hyeronymus Llamas*. Qui germanicum affert proverbium, *bis male comedisse, sufficienter est jejunasse*. Qui privilegium adducit concessum a Pio IV. „Societati „Jesu ad dispensandum in his partibus cum iis, qui ad jejunandum „tota quadragesima *adduci* non possunt, „ut nimirum saltem ter in septimana „eis jejunare *sufficiat*". Hæc tamen dicta sint, ita postulante argumenti materia, absque ulla tamen Germanicæ Gentis, quam plurimi facio, colo, & veneror, injuria. Præterea inter Auctores hujus consuetudinis Pater Amort admittit etiam Probabilistas omnes, qui benignam opinionem vel ut æqualiter probabilem opposita, vel etiam ut minus probabilem tradunt, quia, loquens de La Croixio Probabilista (quod tamen commune est omnibus in universum Probabilistis) scribit „quod directe statuendo suam senten„tiam sexagenariis tollit, indirecte „iterum restituit privilegium. Cum „enim sententiam oppositam recen-

„ ſeat tanquam probabilem, & in ipſo „ ſuæ Theologiæ aditu omnibus per„ mittat ſequi ſententias vere proba„ biles, quid aliud agit, quam ut „ ſpeculative neget, quod practice „ permittit, maxime cum Confeſſarius „ juxta ipſum pœnitenti teneatur reſ„ pondere juxta probabilem "? Omnes igitur Auctores Germani de jejunio ſcribentes inepti ſunt ad legitimam inducendam conſuetudinem, & eorum auctoritas etſi plurimorum exiguam efficit probabilitatem, 1. quia faciles ſunt ad concurrendum in benigniores ſententias; 2. quia Probabiliſtæ ſunt, qui quod una manu tollunt, altera reſtituunt, & denique 3. quia, ut ſcribit alius eruditus Auctor: „ Bono Theologiæ dato „ legislativa poteſtate carent omnes „ Moralium Scriptores præſertim Pro„ babiliſtæ, unde novam legem & con„ ſuetudinem inducere non valent licet „ frequentiſſimi ".

Ad argumentum vero ex brevitate vitæ Germanorum deſumptum reſpondens, poſſem profecto & ipſe magnam eruditionis ſupellectilem ſpargere, plurima recenſendo Medicorum, & SS. PP. teſtimonia ad oſtendendam ſobrietatis & jejuniorum utilitatem & ſalubritatem ad ſanitatem, *& ad diuturnam* vitam obtinendam, & diætæ neceſſitatem illis, qui largo utuntur & cibo & potu, de quibus ſcribunt Galenus & Hippocrates *quod ſola diæta ſanat*. Solum itaque profero totius Eccleſiæ Catholicæ teſtimonium publice coram Deo & populo teſtantis, & alta voce canentis, *jejunium animabus* CORPORIBUSQUE *curandis ſalubriter inſtitutum eſſe*. Si hoc amplectetur Germana inclyta Natio, non dimidiabit dies ſuos, ſed prorogabit uſque in ſenectam & ſenium, teſtante Scriptura: *in multis eſcis erit infirmitas*. Eccl. 37. *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam*. ib. *Sanitas eſt animæ & corpori ſobrius potus*, cap. 31. Et experientia comperiet jejuniorum præſertim Quadregeſimæ omiſſionem, & conſuetudinem illius tempora limitantem omni prudenti, & chriſtiana ratione & motivo carere & deſtitui.

Denique Epiſcoporum & Archiepiſcoporum conniventia, ſive potius ſilentium non eſt argumentum adprobatæ conſuetudinis, ſed toleratæ benignæ ſententiæ in pluribus Theologis, quos jam norunt non aliam vim ſuadendi habere, niſi quam illi præſtant quæ proferunt argumenta: nec quia eorum Cenſores libros adprobarunt, ſtatim ſequitur, vel ipſos Cenſores vel Epiſcopos omnia quæ in illis continentur adprobaſſe; nam certum comperiumque eſt in pluribus Germanorum Theologorum Moralibus plures contineri laxas & falſas opiniones, quas tamen certe a Cenſoribus, & Epiſcopis, licet libros eas complectentes adprobaverint, ſeu potius permiſerint, adprobatus nemo cordatus dixerit. Quod quam vere dicam, teſtis ſit ipſe Amort, qui ſic adverſus Concinam de Antoine Theologia ſcribit: „ Quod in Germania re„ cuſus ſit (ejus liber Moralis) id„ pſum memetipſo Bibliopolam Ingol„ ſtadienſem vehementer adhortante, „ ac tandem perſuadente actum eſt. „ Et ut verum fatear, ea procuratione „ hujus editionis alius meus finis non „ erat, quam ut nimio hujus Aucto„ ris rigore attemperaretur *nimia laxitas* „ quorumdam Theologorum Germaniæ. Nunc quæro, num Germanorum libri, in quibus hæc *nimia laxitas* continetur, ſint ne in Germania vetiti, vel Epiſcoporum & Cenſorum venia editi? Si primum, non opus erat ad eorum comprimendam laxitatem Theologiam Antoine

toine recudere, satis enim consultum erat eorum damnatione. Si vero concessi, & licentia muniti Censorum prodiere, dicendum ne erit adprobatam ab ipsis, vel ab Episcopis *nimiam* in ipsis contentam *laxitatem*? Apage. Adprobatio itaque seu venia concessa argumentum non est ad confirmandas doctrinas in iis contentas, sed solum indicare non omnia zizania esse evellenda, ne eradicetur simul & triticum, & hoc est quod unice præstant Censores & Episcopi non solius Germaniæ, sed totius Christiani Orbis. Hæc omnia dicta sunt, non ut legitimam, si forte obtineat in Germania, consuetudinem, vel damnare, vel etiam leviter vellicare velim, sed ut Germanos Theologos, & Pœnitentiæ Ministros commonefaciam, ut attentius perscrutentur, num jactata consuetudo legitime invecta sit, an potius sit corruptela, non promovenda, sed ad sanctissimæ legis tutelam christiano studio evellenda.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Nec tuta, nec omnino vera est sententia plurium Probabilistarum asserentium, senes sexagenarios, si dubium suboriatur, num robusti sint & habiles ad jejunandum, non teneri lege jejunii, hac unica ratione, quia stante tali dubio exponerent se periculo gravis incommodi. At unde habent, stante tali dubio se exponere periculo gravis incommodi? Si dubium est, æque contingere potest, ut sine gravi incommodo jejunent, statim ac jejunare incipient, eos ne mors, aut gravis morbus, vel febris invadet? Quis hoc credat? Tantum ne curandum senum corpus, ut nulla animæ habeatur ratio, & dummodo nullo pacto nec leviter periclitetur valetudo corporis, parum curandum sit de salute animæ? In tali dubio senes tenentur tutiorem partem eligere, & experiri num valeant sin integrum, saltem partiale jejunium sustinere; nec absolute dispensati pronuntiandi, & a tota lege jejunii, & ab experimento liberandi. Et certe juxta S. Thom. doctrinam, dispensationem in tali dubio a Superiore petere debent, non sibi usurpare. „ Si causa sit dubia (verba „ sunt S. D.) debet aliquis ad supe„ riorem recurrere, qui habet potesta„ tem in talibus dispensandi “.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Regulares omnes sive mares, sive feminæ etiam post sexagesimum annum jejuniis a Regula præstitutis subjiciuntur. Oppositam doctrinam statuere nonnulli benigniores probabilistæ Leander, Viva, Diana, Pasqualigus, aliique pauci, sed futilibus & falsis innixi argumentis, nimirum quia pro certo habent, senes sexagenarios, quamvis fortes & robustos, esse ab obligatione jejunii solutos, immo de feminis scribit Leander quæst. 19. „ Feminæ, ut „ communis fatetur sententia, post „ quinquagesimum annum nullo modo „ possunt generare ob defectum virtu„ tis naturalis, ergo in hac ætate vere „ reputandæ sunt senes, & consequen„ tes liberæ jejunio Ecclesiæ “. Hoc autem privilegium & ad Regulares sive Mares sive feminas dilatant, tum quia Oraculum fictitium S. Pii V. universale est, & pro omnibus sexagenariis nulla facta distinctione; tum quia, ut inquit P. Viva quæst. 10. art. 4. „ Præsumi „ potest nolle Regulam obligare sub „ mortali eum, quem non vult Ec„ clesia obligare “. At hujus doctrinæ laxitatem & falsitatem evincunt tum

quæ superius & capite præcedente diximus, tum quia sicut Regulares omnes ad jejunia suæ Regulæ servanda obstringuntur etiam ante tertium septennium, quando certo constat legibus universalibus Ecclesiastici jejunii non obstringi; quanto magis igitur eidem lagi obnoxii erunt, quando nulla est lex, quæ ipsos ab ea liberet obligatione? Præterea Regulares vitam religiosam omnes profitentur usque ad mortem, nullum est igitur assignabile tempus, quo a legibus, quas professi sunt, liberentur. Quando Regulares quinquagenarii sunt vel sexagenarii, tunc maxime idonei censentur & ad Cœnobiorum regimen, & ad regularem fovendam observantiam, & ad alios suo exemplo informandos; si vero tunc a legibus, & præcipue jejuniorum immunes habeantur, quomodo alios regere poterunt, observantiam in alios promovere, suoque exemplo informare? Sed quid diutius immoramur in re comperta adstruenda, & confutanda doctrina, quæ piis mentibus horrorem incutit & abominationem? Cui non dissimilis est alia sententia, quæ docet, illos, qui voverunt jejunium statis diebus toto vitæ tempore, ad hoc onere solutos post sexagesimum annum.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Probabilius dicendum est, Regulares teneri tum Festa tum jejunia ab Episcopis sive pro universa Diœcesi, sive pro aliqua Civitate, vel oppido indictis servare, & præsertim si sint consuetudine roborata. Consentiunt quidem Theologi quoad Festa per totam Diœcesim indicta, uti sunt Festa per Patroni Principalis Regni, sive Provinciæ, sive Diœceseos; ita enim aperte declaravit & statuit Tridentina Synodus Sess. 25. cap. 12. „Dies Fe„sti, quos in Diœcesi sua servandos „Episcopus præceperit, ab exemptis „omnibus etiam Regularibus servetur". Quod profecto & extendendum ad jejunia eadem Festa & solemnitates præcedentia. At dissentiunt quoad peculiaria Festa & jejunia alicujus peculiaris Oppidi, vel Civitatis, sed probabilius eos teneri dicendum est, nam sunt revera partes Oppidi & Civitatis; & ex Augustino patet, *turpe esse partem suo universo non congruere*. Præterea statutum Tridentini statuit in universum nulla facta distinctione, omnia Festa ab Episcopis de præcepto instituta, esse etiam a Regularibus observanda, proinde & jejunia, si forte illis conjungantur. Denique quia scandalo essent secularibus, si Religiosos viderent carnes comedentes, dum ipsi jejunant, ac operibus vacare, dum ipsi divinis vacant: quamobrem & ipsi Theologi, qui oppositam sententiam sectantur, tandem docent saltem ex decentia, & ad evitandam populi offensionem Regulares debere se toti Comunitati tam in jejuniis, quam in festis conformare. Si vero ex inveterata consuetudine Festa, & jejunia indicta sint, non possunt tuta conscientia ab ea recedere Regulares, quia ut alibi diximus, ipsi quoque consuetudini consensere eo ipso quod non constet obstitisse.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Non licet a loco discedere, ubi adest præceptum vel audiendi Missam, vel servandi jejunii, ad declinandam obligationem. Veritatem hujus doctrinæ late ostendimus. Tr. 1. de Legib. diss. 3. cap. 9. n. 15. & fusius cap. 13. Reg. XI. n. 15. adducta auctoritate Benedicti XIV. qui in lib. 13. cap. 4. de

Sy-

Synodo Diœces. probat & evincit, non fas esse ab hac sententia recedere, & qui *in legis fraudem* loco se subducit ubi ea viget, sub lege nihilominus comprehensum, ejusque nexu manere devinctum. Quamobrem non licet incolis alicujus Civitatis ab eo summo mane discedere nisi audita Missa si dies festus occurrat, nisi forte ex ea dilatione grave damnum incurrerent, sicut nec a loco discedere ubi indictum est jejunium, ut ad locum se transferat ab eo immunem, unde locis citatis cap. 14. n. 22. morem reprobavimus illorum, qui deliberato studio Mediolanum se conferunt primis Quadragesimæ diebus, ut vesci carnibus possint, & a jejunio liberentur. Pariter non licet Incolis positis in confinio alicujus Parœciæ, in qua non est indultus, usus ovorum & lacticiniorum, ad aliam proximiorem Parœciam se transferre, ut eo privilegio utantur; hoc enim est legem fraudare, & præcepto se dolose subducere.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

De causis a jejunio excusantibus.

DOCTRINA.

I. *Tres causæ a jejunii excusantes recensentur.*

II. *Quando impotentia excusat.*

III. *Discrimen inter impotentiam, & difficultatem.*

IV. *Nonnullæ Probabilistarum doctrinæ nimium benignæ.*

V. *Quando labor a jejunio excuset, Regula I. ex D. Th.*

VI. *Doctrinæ Casuistarum Regulæ posita adversantes.*

VII. *Regula II.*

VIII. *Doctrinæ præfatæ Regulæ opposita.*

IX. *Quando pietas vel caritas a jejunio excuset.*

X. *Quomodo hunc titulum nimium dilatent Casuistæ.*

XI. *Causæ dispensationis a Casuistis inventæ corriguntur.*

I. TRES communiter enumerantur a Theologis causæ, quæ ab observantia jejuniorum possunt fideles excusare, nimirum impotentia, labor, & pietas; addunt quidem nonnulli & quartam, scilicet dispensationem; at cum hæc non concedatur nisi aliis existentibus enumeratis causis, saltem dubiis, omnes ingreditur, ac proinde quando hæc sit necessaria de aliis causis agendo dicemus, præterquamquod in superioribus capitibus abunde diximus de dispensationibus tum particularibus tum universalibus petendis & concedendis pro carnium comestione.

II. Impotentia itaque sive physica sive moralis proculdubio ab onere jejunii liberat, cum ad impossibile nemo teneatur, licet ipsa impotentia ex culpa duxerit originem, ut si quis in rixa, vel in duello ab hoste vulneretur, & graviter decumbat, profecto hic tunc jejunare non tenetur, licet ipse sui morbi in causa fuerit. Omnes itaque infirmi, debiles, convalescentes excusantur a jejunio, quando potest eorum bonam valetudinem impedire, vel malum augere, vel quando urgentis infirmitatis periculum instet. Pauperes quoque, qui, ut inquit S. Thom. hic q. 74. art. 4. ad 4. frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat, a jejunio ob *physicam impotentiam* excusantur; ubi tamen advertendum, duo in pauperibus requirere S. Thom. ut a jejunio liberentur, 1. ut ostiatim mendicent; 2. ut habere non possint *simul*, quod eis ad victum sufficiat: si enim, ut

ut idem subdit „ possunt sufficienter „ habere quod eis sufficiat ad unam „ comestionem , non excusantur pro- „ pter paupertatem a jejuniis Eccle- siæ “ . 2. Si ostiatim mendicando pedetentim ac paulatim obtinent quod ipsis ad unam comestionem sufficiat , non debent , quod illis pluribus vicibus datur statim comedere , sed reservare , & unica sufficienti comestione absumere , ut eo quo possunt modo jejunium servent , nisi forte inedia debilitentur , & sustentatione indigeant . Quod & repetit in IV. Distin. 12. qu. 3. art. 2. quæstiuncula 4. ad 2. scribens : „ Paupertas non semper ex- „ cusat a jejunio , sed solum in illo „ casu , quando *simul* habere non po- „ test tantum *hora comestionis* , quod „ ad victum totius diei sufficiat , sicut „ frequenter egenis contingit , qui fru- „ statim eleemosynas quærunt , etiam „ quando ex præcedenti inedia tantum „ debilitati sunt quod jejunium suffer- „ re non possint “ .

III. Quod tamen animadvertendum est a sacræ Pœnitentiæ Ministris in hac materia est distinctio impotentiæ jejunandi a difficultate & molestia in jejunando : illa enim vere a jejunio excusat, quando scilicet, ut explicat S. Th. *in magnum gravamen cederet* jejunantis; at sola difficultas vel molestia non excusat ; nam certum exploratumque est jejunium institutum ad comprimendam concupiscentiam , ad satisfaciendum Deo pro peccatis, ad ejus implorandam misericordiam , quod sine difficultate & molestia esse non potest ; eapropter in Scriptura cum jejunio semper jungitur afflictio . Num. 30. v. 14. „ Si „ voverit , ut per jejunium , vel cæ- „ terarum rerum abstinentiam , *affligat* „ animam suam „. Et de Esther dicitur: „ *Humiliavit* animam suam in jejunio“. Regius Psaltes canebat: *Humiliavi* „ in jejunio animam meam: genua mea „ *infirmata sunt* a jejunio, & Caro mea „ *immutata est* propter oleum “ . Et in Novo Test. inter opera laboriosa , molesta , affligentia , Apostolus Paulus jejunia enumerat 11. ad Corint. c. 6. v. 4. scribens : „ Exhibeamus nosme- „ tipsos sicut Dei ministros , in multa „ patientia . . . in angustiis, in plagis, „ in carceribus . . . in laboribus, in vi- „ giliis , & *jejuniis* “ . Et cap. 11. de se prædicat , se Deo servisse in labore, in ærumna , in fame & siti , in *jejuniis multis* . Nec alia est mens Ecclesiæ jejunium præcipientis , nimirum afflictionis , macerationis pœnalis operis exercitium imponere; proinde suis Orationibus , & Quadragesimalibus Collectis sic precatur : „ Respice , ut apud „ te mens nostra suo desiderio fulgeat, „ quæ se *carnis maceratione castigat* “ ; & iterum : „ Devotionem populi tui „ . . . ut qui per abstinentiam *mace-* „ *rantur* in corpore &c. “ & rursum : „ Præsta ut familia tua quæ se *affligen-* „ *do carnem* ab alimentis abstinet &c.“ iterumque “: Da quæsumus, Domine . . „ ut *castigatio carnis* assumpta &c. “ denique : „ Præsta quæsumus . . . ut „ quos jejunia votiva *castigant* &c. “ . Vult igitur Ecclesia , ut fideles per Quadragesimalem , cæterorumque jejuniorum abstinentiam *afflictionem* patiantur , in carne *macerentur* , in corpore *castigationem* sentiant delictorum , quæ profecto sine molestia , labore , incommodo obtineri non possunt . Eadem quoque perpetua fuit SS. PP. doctrina , qui illorum jejunia derident , & laudanda , sed vituperanda prædicant , qui , ut inquit S. Augustinus ser. 220. „ delicati potius quam religiosi , „ exquirentes novas suavitates magis

quam

„ quam veteres concupiſcentias *caſtigantes*, copioſis pretioſiſque apparatibus fructuum diverſorum quorumlibet obſoniorum varietates & ſapores ſuperare contendunt . . . Qui jejunant non ut ſolitam temperando minuant edacitatem, ſed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Qui numeroſioribus ferculis corpora obruunt, ventreſque diſtendunt . . . tanquam non ſit Quadrageſima piæ humilitatis obſervatio, ſed novæ voluptatis occaſio. Qui tempore quo caro arctius *caſtiganda eſt*, tantas carni ſuavitates procurant, ut ipſa faucium concupiſcentia nolit Quadrageſimam præterire". Nec ab hac doctrina diſſentiunt antiquiores Theologi. Audiatur D. Thom. qui differentiam aſſignans inter temperantiam, & jejunium 1. 2. q. 65. art. 5. ſcribit: „ Manifeſtum eſt autem quod alterius rationis eſt modus, qui imponitur in concupiſcentiis ſecundum regulam rationis humanæ, & ſecundum regulam divinam: puta in ſumptione ciborum ratione humana modus ſtatuitur, ut non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum ſecundum autem regulam divinæ legis requiritur, quod homo *caſtiget* corpus ſuum, & in ſervitutem redigat per abſtinentiam cibi & potus & aliorum hujuſmodi". Hanc itaque doctrinam ſemper præ oculis habeant, & mente ac corde alte defixam ſacri Pœnitentiæ Miniſtri teneant, ut recte dijudicare poſſint, quinam vera impotentia a jejunio legitime exonerentur.

IV. Hujus ſiquidem doctrinæ vel ignorantia vel neglectus, vel etiam contemptus recentiores Caſuiſtas in plures falſas & laxas pertraxit ſententias ac opiniones. Hinc falſa eſt & laxa La-Croixii ſententia aſſerens ii, pauperes non teneri jejunare, ſi jejunium *commode* ferre non poſſunt. At divites & nobiles, & ipſi quoque ſi commode jejunare non poterunt, ad jejunia non obſtringantur; quis enim credat ſolos pauperes teneri legem jejunii obſervare ſolum quando obſervantia non ſolum poſſibilis eſt, ſed & facilis, immo & *commoda*, divites vero teneri & cum difficilis ipſis eſt, & incommoda? Lex jejunii pro omnibus æqualiter lata eſt, omnes æqualiter afficit & pauperes & divites, & nobiles & plebejos. Si ergo qui commode jejunare non poſſunt, a jejunio excuſantur, nullus eſt qui ad jejunium teneatur, cum omnibus jejunium indicatur tanquam incommodum, moleſtum, laborioſum, afflictivum. Similiter perperam docet, pauperes a jejunio ſolutos, ſi non habeant pro prandio niſi panem, olera, & fructus. Nam hic eſt uſitatus pauperum cibus etiam quando nullum urget jejunium, cur igitur, ſi ad ſufficientem comeſtionem de his habeant, a lege jejunii ſolvendi erunt? Similiter falſa & laxa eſt Paſqualigi doctrina: „ Qui non haberet vinum, vel quod loco vini adhibetur in regionibus ubi adeſt penuria vini, non teneretur jejunare, quia eo ſubtracto ſubtrahitur magna refocillatio, & quæ plurimum roboris habet". Sanchez vero, & ipſe Paſqualigus non amplius attendentes ad majorem refocillationem, & robur, quod affert potus vini, ſtatuunt, pauperes non habentes niſi panem & vinum non teneri ad jejunium niſi pro uno aut altero die. Similiter laxe Leander a jejunio excuſat, qui noctu caleſieri non poſſunt niſi cœnent, ſicut & Filiucius eos, qui dormire nequeunt niſi ſumpta veſpere cœna; & laxius

xius addit, adhuc non teneri, si dormire possent, mane sumendo collatiunculam, & vespere cœnam, quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionis. Tamburinus quoque requirens, an difficultas in jejunando sit sufficiens causa ad dispensandum in jejunio, respondet probabilius esse sufficientem causam ad dispensandum. Porro quis legitime a jejunio dispensandus non erit, si sola difficultas titulus est justæ dispensationis? Uxorati quoque a lege jejunii dispensati dicuntur, quando servando jejunium debitum sibi invicem reddere non valent: immo si Uxor jejunii causa macilenta fiat, & minus grata marito, jejunium omittere poterit. Quod & ad Virgines dilatant, quæ volentes nubere ob jejunium venustatem deperdant. Denique nec vera est universalis, quam statuunt Casuistæ, Regula, & quam certam vocant, nimirum quod *lex Ecclesiæ non obligat cum magna difficultate*. Nam S. Th. justam omittendi jejunii causam, non magnam dicit esse difficultatem, sed *magnum gravamen*. Alioquin gulosi, gurgites, helluones, qui nunquam esuriantur, qui se cibis replere & ingurgitare solent, quique maxime jejunio egent, ad illud non tenerentur, quippe qui non sine magna difficultate jejunare possunt, sed difficultate orta ex pravo habitu & vitioso; hanc itaque magnam difficultatem superent oportet, ut jejunent; & ad eam vincendam adstringuntur, cum in gravamen non sanitatis sed gulæ redundat jejunium. Melius itaque dicetur, Ecclesiæ præcepta non obligare cum magno detrimento, periculo, damno sive corporis sive animæ. Immo ut egregie monet Elizalda: „Non eam invaletudinem, vel salutis „detrimentum considerandum esse, „quod per se sequitur ex abstinentia, „pœnitentia, ac maceratione corpo„ris, *cum hoc per ipsam intendatur*, „considerandum vero esse si quod aliud „*majus & extraordinarium* immineat". Quamobrem pœnitentiæ ac sacri jejunii hostes dicendi sunt Theologi illi, qui Christianos ab hoc saluberrimo onere dispensant, quia ob jejunium noctem vigilant, in lectulo se volutant, difficile somnum capiunt, capitis incommodum, stomachi debilitatem faucium ariditatem, lassitudinem experiuntur, cum hæc incommoda & jejunium ipsum de se consequantur, & in omnibus jejunantibus plus minusque contingant, quæ proinde & patienter toleranda, & assuetudine vincenda.

V. Quod de impotentia diximus, & de labore intelligendum est. Non enim quicumque labor a jejunio liberat, sed qui officit valetudini, & vel morbum parit: vel inducere aptus est. Ut autem dignoscere possimus laborem vere a jejunio excusantem, audiamus D. Th. duas statuentem Regulas vere aureas & tutas.

Regula Prima.

Labor ille a jejunio excusat, qui omitti aut diminui non potest absque detrimento salutis corporalis, & exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporis, vel spiritualis vitæ.

Hæc Regula iisdem verbis conflata est, queis utitur S. Thom. hic. quæst. 147. art. 4. ad 3. ubi loquens de peregrinis & operariis scribit: „Circa „peregrinos & operarios distinguendum „videtur, quia si peregrinatio & ope„ris labor commode differri aut dimi„nui possit absque detrimento corpo„ralis salutis, & exterioris status, qui

„ qui requiritur ad conservationem „ corporalis, vel spiritualis vitæ, non „ sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia „ prætermittenda “. Ubi notandum A. P. requirere ad omittendum jejunium, ut ejus observantia non molesta sit, non affligens, non debilitans, sed *nociva*, & detrimentum afferens corporali saluti, vel exteriori statui, non cuicumque, sed *necessario* ad conservationem vitæ corporalis, vel spiritualis: non enim periclitatur vita corporalis, si in jejunio debilitas, invaletudo, vel salutis detrimentum aliquod contrahitur, nam aliqua invaletudo, dolor, debilitas plus minusque accidit omnibus vel plerisque in quovis statu & tempore.

VI. Ad hanc itaque Regulam non attendentes recentiores Casuistæ in plures lapsi sunt erroneas falsas & laxas opiniones, cujusmodi sunt binæ illæ ab Alex. VII. damnatæ propositiones, 30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.* 31. *Excusantur absolute a præcepto jejunii, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant*. His accedunt probabiles illæ sententiæ, per quas a jejunio dispensatos declarant cum Leandro tract. 8. Disq. 8. qu. 19. omnes feminas quinquagenarias, cum Tamburino omnes artifices, atque sutores, cum Torrecilla studio incumbentes, nam opera etiam ingenii & mentis continuata a jejunio excusant, & subdit Pasqualigo", tenendum, quod labor ingenii excusat ob obligatione jejunandi. Pasqualigus solutos a jejunio declarat Portantes onera, Coquos condentes cibos, Furnarios, Textores, Molendinarios assistentes per diem moli, Argentarios, Aurifices, vendentes per vicos & plateas, qui circa pelles curandas laborant, Mulieres lavatrices, vel etiam solum extendentes & duplicantes pannos, Pictores, Sculptores, Servos, & Ancillas multum laborantes, Typographos, typis assistentes, Marinarios Milites præstantes, Templa ornantes Studentes, qui Conclusiones defendunt, aut oppositionem faciunt, Advocatos, Procuratores, Judices nimium laborantes, Scribas, Secretarios Principum, Episcopos in diebus Ordinationis, Infirmarios multis infirmis assistentes, Excipientes nobilem hospitem, præsertim Principem, si illi in mensa assistant, jejunium violare possunt. Diana dispensat & Barbitonsores & Sartores. Profecto hæc est illa luxuriantium ingeniorum licentia, de qua in dies excrescente conqueritur SS. Pontifex Alex. VII. ex qua erupturam prævidit christianæ vitæ corruptelam, & ingemuit.

REGULA SECUNDA.

Labor etiam gravis, & detrimentum grave afferens saluti corporis a jejunio non liberat, si sit voluntarie, non necessario assumptus, nec a pietate, vel caritate imperatus.

VII. Ita diserte docet S. Th. laud. art. ad 3. „ Si autem immineat *Necessitas* . . . multum laborandi, vel „ propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquod *necessarium* „ ad vitam spiritualem, & simul cum „ hoc non possint Ecclesiæ jejunia ob„ servari, non obligatur homo ad je„ junandum “. Quod & prius docuerat IV. sent. dist. 15. q. 3. a. 2. quæ-

ftiuncula 4. ad 1. „ Si peregrinatio possit fine incommodo differri, debet „ peregrinationem differre, si simul „ cum ea jejunare non potest. Si autem peregrinatio commode differri „ non potest (vel quia tempus jejunii „ hominem in via præoccupat, vel quia „ dies festus alicui imminet, ad quem „ ex devotione homo pergere cupit) „ vel quia mora in pœnitentia *periculum* habet vel spirituale vel corporale, potest cum *dispensatione* sui Superioris *omnia prædicta pensantis* peregrinari, & jejunium solvere ". Quod iterum confirmat docendo & probando, adeo necessitatem requiri in laborioso opere perficiendo, ut sola utilitas temporalis non sufficiat ad legitimam a jejunio liberationem: quare loco mox citato ex Sent. in resp. ad 4. de operariis scribit: „ De operariis distinguendum videtur, quia si jejunando possunt competentem victum „ pro persona sua habere, & pro familia, cujus cura eis incumbit (sive „ quia alias divites sunt, sive quia de „ eo quod minori labore fit, qui simul „ secum jejunium compatiatur, lucrari „ sufficientia possunt) a jejunio non „ excusantur. Si autem alias non possunt tantum laborare, quod victum „ sufficientem acquirant, nisi jejunium „ frangendo, possunt secundum dispensationem Sacerdotis sui jejunium „ solvere, & laborare. Ex quo patet, „ quod intentio majoris lucri *non necessarii* eos a peccato non excusat, „ si jejunium frangant: nec iterum „ illi a peccato immunes sunt, qui „ operarios conducere nolunt nisi tali „ pacto, ut jejunium solvant, nisi „ forte sit *causa necessaria*, quæ festinationem operis, pro quo laboratur, „ exposcat ". Eamdem doctrinam amplectitur & tradit S. Antoninus 2. P. tit. 6. cap. 2. §. 6. dicens: „ Multum „ laborantes, quibus immineat *necessitas* multum laborandi, si non possunt jejunium observare, excusantur. Alias si possunt utrumque facere commode, tenentur jejunare ". Et iterum inculcat: " „ Si possunt differre . . . . . . „ aut subtrahere, aut diminuere laborem, ita ut possint jejunare, & ex „ hoc non incurrant detrimentum sui „ status, tenentur ad jejunium ".

VIII. Ex hujus Regulæ vel ignoratione, vel contemptu recentiores Casuistæ alias non minus laxas & falsas doctrinas posuere, & ut probabiles affirmare & tueri vetiti non sunt, & præcipue secundam trigesimæ primæ damnatæ propositionis partem posuere, nimirum, *Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter* NECESSARIUM *non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant*. Falsæ proinde & laxæ habendæ sunt sequentes doctrinæ Sancii & Dianæ: Excusantur a jejunio, „ qui labore aliquo defatigantur, quamvis illum in alium diem commode „ diferre queant, etiamsi data opera, ut „ non jejunent, hoc agerent etiamsi in „ fraudem jejunii id agerent nullius negotii causa iterant, sed solo desiderio non „ servandi jejunium ". Pasqualigi: „ Qui assumit media illicita, & ita laboriosa, ut sint incompatibilia cum „ jejunio, ea intentione non servandi „ jejunium, non peccant contra præceptum jejunii. Decis. 320. n. 6. " „ Leandri: „ Probabilius respondeo, „ labor *voluntarie* susceptus, si sit magnus, extinguit obligationem jejunandi ". Et rursum. „ Probabilius „ respondeo, labor *voluntarius* potest

assumi

„ assumi in diebus jejunii *semper*, *&* „ *toties quoties* libuerit. Qui iter faciunt pedites, etiamsi iter *voluntarium* sit, a jejunio liberant, sicut ludentes pila, vel alio ludo nimis laborioso, qui venationi dant operam". Immo & quod horrendum est, dispensantur a jejunio qui fatigantur puellam a stupro fugientem insequendo, qui tactibus venereis, vel nimio coitu debilitantur, licet id faciant *in fraudem jejunii*, & ea intentione, ut facti impotentes non jejunent. Ineptissima autem sunt, quæ afferunt ad has laxitates tuendas argumenta, nimirum. 1. Ad impossibile nemo tenetur: porro qui ita defatigatus est, ut jejunare sit illi moraliter impossibile, quocumque ex capite, etiam pravo, & flagitioso oriatur impotentia, jejunare non tenebitur. 2. Præceptum jejunii non prohibet nec ludum, nec venationem, nec coitum; qui ergo his dat operam, peccat quidem contra aliam virtutem, at contra præceptum jejunii omnino non peccat. Nam ad 1. dicimus, tunc non peccare, quando jam impotens factus non jejunat, sed tunc peccare, quando data opera & studiose vel ludum, vel venationes, vel impudicitiam elegit in fraudem jejunii, & eo pravo animo elegit ne jejunet: sicut non peccat qui in die festo dormit tempore Missæ, quia impossibile est dormientem peccare, sed tunc peccavit contra Ecclesiæ præceptum, quando somnum elegit ne Missæ intersit. Ad 2. dico, jejunii præceptum quidem præfata opera directe & per se non prohibere, sed ea vetari lege universale prohibente, ne in fraudem legis, & studiose ad præceptum vitandum impedimenta apponantur. Legantur quæ diximus de Legib. Tr. 1. Diss. 3. cap. 9. num. 17. & cap. seq. Consect. 16.

IX. Tertius a jejunio excusans titulus est Pietas, seu Caritas, & quidem justus & licitus; non enim jejunium impedire debet majus bonum, & præsertim pietatis & caritatis opera, & quidem non solum quando hoc ex officio, obedientia, & necessitate exercenda sunt, sed etiam quando ex voluntate assumuntur, dummodo tamen hæ tres non desint conditiones, nimirum 1. ut hæc opera differri non possint extra jejunii tempus. 2. Ne in fraudem jejunii assumantur. 3. Ut sint majoris bonitatis & perfectionis, quam jejunium, quod constabit, quando opera nostra pietatis & caritatis in majorem Dei honorem cedant, & in proximi utilitatem, nostra opera eo tempore indigentis. Hæc doctrina ex ipso S. Thom. desumpta est, non quidem adeo aperte & clare ex iis; quæ habet in IV. Dist. 15. q. 3. art. 1. quæstiuncula 2. ad 3. ubi scribit: „ Si sit tanta abstinentia, quod homo ab operibus utilioribus impediatur, quamvis ad ea „ non teneatur, indiscretum est jejunium, etsi non illicitum". Nam ibi S. D. loqui videtur de jejunio voluntarie assumpto, non de jejunio per præceptum urgente. Sed luculenter ex 2. 2. qu. 147. art. 4. ad 3. ubi de Peregrinantibus loquitur. Nam 1. certum est peregrinationem assumi voluntarie, nec ullo præcepto urgeri, & tamen S. Thom. docet eam licitum esse assumere etiam urgente jejunii præcepto. 2. Docet, ut sit justa solvendi jejunii causa, quod prima servetur apposita conditio, nimirum ut differri non possit, nec minui aut suspendi, aliter a jejunio non excusat; sic enim scribit: „ Si peregrinatio . . . „ commode *differri* possit, aut *diminui*

„ . . . non sunt propter hoc Ecclesiæ „ jejunia prætermittenda “, unde & alia apparet observanda conditio, nimirum ne suscipiatur *in fraudem jejunii*, sed ex necessitate, vel suscipienda statim sit peregrinatio, vel suscepta non abrumpenda, unde subdit: „ Si autem immineat necessitas peregrinandi vel quia (ut explicat l. ex sent. „ laud. q. 4. ad 1.) tempus jejunii „ hominem in via præoccupat, vel „ quia dies festus alicui imminet, ad „ quod ex devotione pergere cupit “. Tertiam quoque conditionem adstruit, dum dicit in sent. loc. laud. *Quia intentio* Ecclesiæ statuentis jejunia non *est, ut per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas*. Et in sent. l. c. scribit: „ Nec obstat, quod præce- „ ptum debet præponi consilio, quia „ intentio præceptum hujusmodi dan- „ tis non est alias pias & magis neces- „ sarias causas excludere “. Et quia facile error subrepere potest, & quis arbitrari magis pium opus, quod voluntarie assumit, quam jejunium ab Ecclesia impositum, subdit: „ in talibus „ recurrendum esse ad Superioris dis- „ pensationem “, immo fortius dixerat in Sentent. „ posse peregrinationem „ jejunio præferre ex dispensatione Su- „ perioris omnia prædicta pensantis “, idest perpendentis, num melius sit peregrinari, an jejunare.

X. Hac itaque de causa & justo titulo dispensantur, qui vigilare debent per totam noctem, & in die operari ad inserviendum infirmis & Xenodochiis, vel etiam in Cœnobiis, quando plures ægrotant, immo quando præsertim ex instituto, obedientia, & caritate sunt tum spiritualia tum corporalia opera misericordiæ exercenda. Verum nimium hunc titulum dilatant Probabilistæ, dum eo nomine a jejunio liberant Ludimagistros Lectores, & Cathedraticos cujuscumque facultatis, licet legant ostentationis gratia ad opinionem acquirendam, Cantores, Confessarios nimium confessionibus assistentes, etiamsi id faciant ex libito; etiam lucri gratia, Concionatores etiam si solum ter, vel quater in hebdomada concionentur, quos a jejunio liberant etiam in diebus, quibus non concionantur, quia, ut inquit Sanchez, „ non tantum debent „ attendere an possint in hac Quadra- „ gesima, vel in hac die simul jeju- „ nare & prædicare, sed etiam ut „ conserventur vires, & possint plures, „ dies & *Quadragesimas* prædicare “. Oratores Principum, Præsides consiliorum, immo Consiliarios ipsos, Præfectos Urbium, Duces exercitum, quia omnes isti, inquiunt, semper negotia difficilia animo revolvunt, & talis occupatio plurimum consumit spiritus, & inducit notabilem debilitatem, quamobrem paritate rationis dispensant ceteros Ministros omnes, qui plurimum occupantur in negotiis publicis. Porro tot a jejunio solutis, exigua admodum fit oportet jejunantium turba.

XI. Postremo loco justa solutionis a jejunio causa est dispensatio, de qua late diximus cap. 5. & 6. quæ & hic servata proportione aptanda sunt. Solum hic corrigenda est duplex La-Croixii, & aliorum Probabilistarum doctrina, 1. scilicet sufficere ad dispensationem causam validam quidem, sed vel veram, vel quæ *talis putetur*, sufficit enim *credulitas* inculpata. Nam licet concedamus etiam causam validam putativam sufficere posse ad legitimam dispensationem, dicimus tamen hanc credulitatem esse debere prudentem, cautam, nixamque solidis & prudentibus fundamentis, & rationibus, non

levem

levem & præconceptam ex vano timore, ex nimio proprii corporis & sanitatis amore, quo illic trepidemus timore ubi non est timor. Et revera quis cordatus arbitrabitur superius expositas causas non jejunandi a Probabilistis invectas, licet certe non veras, esse tamen saltem prudenter existimatas, & tamen heu, quot sunt qui illis innixi licitum sibi censent sacra violare jejunia! Altera doctrina La-Croixii & Probabilistarum est: *ad legitimam dispensationem alicui in particulari concedendam sufficere unam ex causis a jejunio excusantibus, non totaliter, sed aliquo modo, attamen non sufficienter*. At quomodo legitima esse potest, aut habenda est dispensatio, quæ nec *totaliter*, nec *sufficienter* a jejunio excuset? Profecto hæc non dispensatio, sed dissipatio est, & qui hoc pacto dispensationem impartitur, sua potestate non utitur, sed abutitur, eam adhibendo non in salutem & ædificationem, sed in perniciem & destructionem. Si igitur causa non totaliter excusat, nec totalis est concedenda dispensatio, sed pro modo causæ & indigentiæ: hinc qui non potest omnibus Quadragesimæ diebus ex justa causa jejunare, potest tamen aliquibus, puta bis aut ter in hebdomada, non totaliter est dispensandus, sed ad ea quæ sustinere potest jejunia obstringendus. Qui vero non sufficiens affert dispensationis motivum, nullo modo est dispensatione dignandus; sine enim sufficienti causa non est legitima dispensatio; *& qui absque ratione*, inquit S. Thom. 1. 2. qu. 97. art. 4. *pro sola voluntate licentiam tribuit, aut non est fidelis in dispensando, aut est imprudens; infidelis quidem, si non habet rationem ad bonum commune: imprudens, si rationem dispensandi ignorat*. At urget La-Croixius: non est infidelis respectu boni communis, *quia lex communis adhuc retinet observantiam quoad reliquos*, non est imprudens: *quia Ecclesia pro particulari dispensatione in favorem hujus, vel illius personæ non ita rigide procedit*, nec qui ex causa licet insufficienti dispensat, dici potest dispensare, *pro sola* libertate. At hæc nugæ sunt, & butubata. Ex facili & illegitima dispensatione lex in aliis non observantiam retinet, sed contemptum inducit: quis enim magni faciat legem, a cujus custodia videt Superiores vel pro libito, vel sine legitima causa dispensare? Ideo optime inquit Concilium Trid. sess. 25. cap. 18. de Ref. „Frequentius legem solvere exemploque porius „quam certo personarum, rerumque „delectu petentibus indulgere, nihil „aliud est, quam unicuique ad leges „transgrediendas aditum aperire": *boni* igitur *communis rationem non habet*, qui ex *insufficienti* causa dispensat, proinde infidelis. Imprudentissimus vero, quia contra mentem Ecclesiæ sine legitima causa dispensando, sua potestate abutitur; & tantum abest Ecclesiam in dispensationibus *in favorem hujus vel illius personæ non ita rigide procedere*, quin oppositum plane statuit & declaravit in Trid. Synodo l. l. indicens: „*Si* „*urgens justaque* ratio, & *major* quan„doque utilitas postulaverit cum ali„quibus dispensandum esse, id *causa* „*cognita*, ac *summa maturitate*, at„que gratis a quibuscumque, ad quos „dispensatio pertinebit, erit præstandum „aliterque facta dispensatio subreptitia „habeatur". Legantur quæ diximus Tr. 1. Diss. 4. c. 9. Reg. 7. & 8. Ubi estis uberes lacrymarum fontes ex oculis Benedicti XIV. erumpentes deplorantis „Augu„stissimam Quadragesimalis jejunii ob„servantiam ob nimiam *nullis legitimis* ur-

„ urgentibus causis ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem plane „ sublatam esse " ! Quid enim perversius statui potest ad legem jejunii penitus subvertendam, quam docere, ad dispensationem sufficere causam nec totaliter, nec sufficienter excusantem ?

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Consectaria praecedentis Doctrinæ.

Consectarium Primum.

I. AB onere jejunii non liberantur conjugati, ne jejunando fiant minus ad reddendum debitum potentes. Oppositum plane docent fere omnes Probabilistæ hæc unica freti, & quidem imbecilla ratione, quia, inquiunt, reddere debitum conjugale actus est justitiæ, & jure naturali ac divino præceptus, huic igitur cedat oportet præceptum mere Ecclesiasticum. At nostra propositio non solum probabilior est, sed & unice vera. 1. Quia perpetua fuit Ecclesiæ mens, & SS. PP. doctrina, conjugatos non solum non debere jejunium violare, ut conjugale debitum reddant, quinimmo ex opposito jejuniorum tempore debere ab ipso opere carnali cessare. S. Paulus 1. ad Corint. postquam præceptum naturale & divinum promulgavit cap. 7. Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro, subdit tamen, ab hoc officio ex mutuo consensu abstinere oportere ad tempus, ut orationi vacent, &, ut dicitur in Græco textu, & jejunio. Petrus Apostolus epist. 1. cap. 3. vult viros cohabitare cum uxoribus, ita tamen ut non impediantur orationes. Vetus Pœnitentiale Romanum editum ab Antonio Augustino viginti dierum jejunio in pane, & aqua, & unius anni pœnitentia mulctabat conjugatos, qui in tota Quadragesima continentiam non servassent. Et in Orientali Ecclesia Paschali privabantur Communione. Porro si vera esset opposita Theologorum doctrina, quid iniquius, quam punire præferentes custodiam præcepti divini & naturalis observantiæ præcepti mere Ecclesiastici ? Nec alia est mens præsentis Ecclesiæ & vigentis disciplinæ Ecclesia enim quadragesimali tempore solemnitates nuptiarum prohibet, & præcipue carnalem copulam, quia (inquit S. Thom. in IV. dist. 32.) „ quando novæ sponsæ traducuntur, „ animus conjugum magis ex ipsa novitate ad curam carnalium occupatur; „ propterea illis temporibus, in quibus „ homines præcipue debent se ad spiritualia elevare, prohibitum est nuptias celebrare ". Nec opponant, tunc

tunc temporis & ipsum Sacramentum Matrimonii prohiberi; hoc enim falsum est, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii, relata a Fagnano; quæ interrogationi an Matrimonium coram Parocho, quocumque tempore contrahi possit? Respondit: „ *Posse* contrahi „ *quocumque tempore* Matrimonium, sed „ temporibus comprehensis in cap. x. „ sess. 24. de Reform. Matrim. Nuptiarum solemnitates, traductiones ad „ domum, & *carnalem copulam* prohi„ beri". At inquies, quomodo prohiberi potest, quod celebrato Matrimonio jam debitum est jure naturali divino? Ratio in promptu est, quia particularia & privata jura publico & communi derogare non possunt; jus conjugum privatum est & particulare, jus abstinendi a solemnitatibus, & multo magis jejunandi universale est, & pro tota Ecclesia a Conciliis constitutum; proinde hoc illi, non illud isti concedat oportet. Præterea jus conjugum suos habet fines & limites, quos prætergredi fas non est; & sicut non licet illud exercere quando junctum est loci sacri violationi, ita nec exerceri quando jejunii violationi conjungitur. Ex mente igitur Ecclesiæ, & Conciliorum Decretis non licet jejunium violare ad debitum reddendum.

Nec aliter sentiunt SS. PP., qui carnale commercium in diebus jejuniorum esse abrumpendum perpetuo docuere, nec unquam prædicarunt jejunium omittendum, ne ab opere carnali impediantur conjugati. S. Augustin. serm. 205. in Quadr. I. scribit: „ Per „ alios dies adulteria, fornicationes, „ omnesque illicitas corruptelas nolite „ contingere, per hos autem (jeju„ niorum) etiam a *conjugibus* abstinete. „ Et Ser. 4. Quicumque etiam estis „ conjugibus alligati, nunc maxime „ apostolica monita nolite contemne„ re, ut *invicem abstineatis* ad tem„ pus, ut vacetis orationibus. Quod „ enim aliis diebus utiliter fit, nimis „ *inverecundum est*, si modo non fiat". S. Eligius Novocomensis Episcopus homil. 16. „ Diebus Quadragesimæ vos „ omnibus modis a *conjugum commix„ tione* vestrarum, sicut decet Chri„ stianos, abstinere oportet, nam, ut „ quidam Sapiens ait, similis reatus est „ fideli Christiano diebus Quadragesimæ „ etiam cum propria uxore concum„ bere, sicut & carnes in cibo sume„ re". Theodulphus quoque Aurelianensis Episcopus in Capitul. cap. 41. statuit: „ *Abstinendum* est his sacratissi„ mis diebus *a conjugibus*, & caste, & „ pie vivendum, ut sanctificato corde „ & corpore isti sancti dies transigan„ tur, & sic perveniatur ad diem San„ ctum Paschæ, quia nihil pene valet „ jejunium, quod *conjugali opere* pol„ luitur". Sed reponunt Probabilistæ: Istos Patres consilium dare, non præceptum imponere, quod melius est suadere, non quod malum cavendum inculcare. Sit ut lubet, nolo enim modo de hoc disputare. Illud certe ex hac SS. PP. prædicatione & doctrina consequitur, ipsos nec suspicari fideles jejunium violaturos, ut conjugali commercio incumberent, quanto enim zelo exarsissent in istos inverecundos, si adeo acriter objurgabant qui consilio & monitis suis non obtemperabant?

Denique hanc veritatem etiam nonnulli Probabilistæ agnoverunt & confessi sunt, quos inter & benignissimus La Croixius, qui n. 1338. pag. 413. scribit: „ Licet conjux reddatur mi„ nus potens ad reddendum debitum, „ non ideo tenetur omittere jejunium,

quia

„ quia habet jus ad opera spiritualia, „ licet per hæc aliquantulum impediatur ab opere corporali “. Ex quo patet, quam falsa sit & absurda Tamburini doctrina affirmantis lib. 4. in Decal. cap. 5. §. 7. n. 37. „ Si precibus aliove modo posset conjux removere alterum a petendo debito, „ adhuc tamen non tenetur uti hoc „ remedio, atque adeo posset non jejunare, & sic reddere “. Ita Thom. Sanchez: „ Ratio est, quia personalis obligatio reddendi est ex justitia, quæ non obligat nisi ad reddendum personaliter debitum, non „ vero ad conquirenda vel ponenda remedia, ne alter petat “. Vah cinica doctrina!

Argumentum vero, quod tangit Tamburinus, & alii Probabilistæ proponunt ad suam laxiorem firmandam sententiam sibi objicit S. Thom. in IV. dist. 23. q. un. art. 1. hoc pacto: Quicumque „ facit se impotentem ad faciendum „ id, quod ex *praecepto* tenetur, peccat. Si ergo aliquis ex necessitate „ *præcepto* tenetur ad reddendum debitum, videtur quod peccet si *jejunando*, vel alias corpus suum attenuando impotentem se reddat ad debiti solutionem, quod non videtur „ verum “. Huic autem objectioni sic respondet: „ Si aliquis reddatur impotens ad debitum solvendum ex „ causa ex matrimonio sequuta, puta „ cum prius debitum reddidit, & est „ impotens ad debitum solvendum, „ ulterius mulier non habet jus petendi, & in petendo ulterius se magis „ meretricem quam conjugem exhibet. „ Si autem reddatur impotens ex alia „ causa, *si illa est illicita*, sic iterum „ non tenetur, nec potest mulier exigere; si vero illicita est, tunc peccat, & peccatum uxoris, si propter „ hoc in fornicationem labatur, aliquo „ modo sibi imputatur “, Itaque si juxta S. Thom. alter conjugum non est potens ad reddendum debitum *ex licita* causa, alter non habet jus exigendi, nec impediendi licitas alterius actiones; ergo multo minus jus habet exigendi & impediendi alterius actiones non solum *licitas*, sed & *praeceptas*, licet ex hoc, quod alias sibi debitum est, exigere non possit, quia jus exigendi tunc non habet. Nullo pacto itaque licet ad conjugale reddendum debitum sacra jejunia violare, & non immerito oppositam doctrinam Natalis Alex. cap. 5. art. 7. Reg. 3. falsam & erroneam, castasque aures & animos offendentem appellavit.

Sed urgere non desinunt, si res ad eas redigatur angustias, ut nisi alter conjugum debitum reddat, alter incontinentiæ periculum subeat, & ne in peccatum labatur merito timetur, licebit ne uni reddere etiam cum debeat per hoc jejunium violare? Primo respondeo, licet concedamus tunc licere jejunium frangere ad reddendum debitum, adhuc tamen immota consistit posita doctrina quæ id statuit, quod communiter contingit, non quod in aliquo raro casu contingere potest: nihil enim in doctrina morali absurdum magis, quam pro peculiari aliquo casu regulas generales statuere, de quo non semel Lectores nostros monuimus. Respondeo 2. vel hoc periculum prævidetur, vel ex subita tentatione oboritur. Si hoc secundo modo contingat, debet, immo & tenetur ex caritate conjugis periculum avertere, quod non ex malitia oritur, sed ex fragilitate reddendo debitum, licet prævideat se non posse jejunium servare, quia tunc christiana

pie-

pietas excusat. At si hoc periculum prævidetur, quia alter conjugum adeo impotenti & effræni urgetur libidine, ut conjugum alterum fortassis debilem fatiget, pluries, & intemperanter petendo, tunc tenetur eum monere, & de sua imbecillitate, & de sacro jejuniorum tempore, & hortari ut temperet a petitione debiti, & concupiscentiam jejunio frænet; quod si ille præstet, & nihilominus adhuc ex fragilitate crebrius postulet, obsequi illi licebit, etiam cum aliqua jejunii diminutione: at si ille spretis monitionibus, & nullam habens jejunii & Ecclesiastici præcepti rationem, suæ velit effræni libidini habenas laxare, suæ imputetur vir malitiæ, & scandalum, quod inde sequetur, cum Pharisaicum sit & malitiosum, uxor contemnat, præceptis Ecclesiæ obtemperando. Ita sentit Concina, cujus doctrinæ lubens subscribo. Ut tamen quod verum est fatear ipse qui a triginta ab hinc annis Confessarii munus assumpsi & Confessiones excepi in magnis Civitatibus & in parvis, in oppidis, & villis, immo & in sacris Missionibus, ne unum quidem reperire mihi obtigit, qui pro causa violati jejunii necessitatem reddendi conjugalis debiti attulerit; adeo verum est quod subdit laudatus Auctor, neque in mentem conjugatorum venire, se liberos esse a jejunio, ut copulam exerceant maritalem, sed effræni Theologorum opinandi licentiæ tribuendum hoc novum genus solutionis a lege & onere Ecclesiastici jejunii.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Uxores prægnantes & lactantes communiter a jejunio excusantur, non tamen lege statuente, sed necessitate postulante, quippe quia ut plurimum indigent abundantiore cibo tum in sui tum in fœtus vel prolis sustentationem. Ita docent communiter Doctores tum antiqui tum recentiores cum S. Antonino 2. part. tit. 6. cap. 2. §. 6. docente: „ Prægnantes & lactentes si debilitas impediat eas, vel si ex hoc timeatur de periculo eorum vel abortus, vel defectus alimenti pueri, excusantur a jejunio, immo deberent dimittere jejunium ". Quamobrem subdit Natalis Alex. Reg. 3. „ Ipsis jejunium prohibere debet Confessarius, si scrupulo, aut imprudenti zelo, atque inconsiderata pietate illas jejunare velle videret ". Immo non a solo jejunio, sed & ab abstinentia carnium sunt dispensandæ, si ita postulet debilitas & infirmitas tum sua, tum prolis sive nascituræ sive lactentis; sicut etiam si vehementi appetitu carnes desiderarent, cujuscumque generis, sive salubris sive insalubris, illis sunt concedendæ, quia nisi hoc vehemens desiderium expleant, de vita fœtus periclitatur, & abortui subjacere possunt. Addidi tamen non *lege statuente*, sed *necessitate* postulante; nam non usquequaque veram puto quam tradunt benigniores Casuistæ doctrinam, scilicet prægnantes & lactantes licet robustæ sint, & unica refectione sufficientem sibi & proli cibum sumere valeant, adhuc tamen non teneri, quia, inquiunt Salmanticenses, lex ad id quod communiter accidit attendit. Postulo enim ubi lata est lex, quæ prægnantes & lactantes absolute a jejunio liberet? Profecto nullibi eam reperire erit; lex jejunii universalis est, lex jejunio obnoxios liberans universalis nulla est sed privatum tantum conceditur privilegium, & dispensatio aliquibus per-

fonis justa de causa & ratione, cujusmodi est in feminis prægnatio & lactatio; quamobrem si absque suo & prolis detrimento jejunare possunt, minime sunt a jejunii lege immunes. At, subdunt Salmanticenses, cum prægnantes communiter jejunare non possint, omnes eo favore uti debent: Cur debent hoc favore uti omnes indiscriminatim, licet jejunare possint? an privilegiis & favoribus necessario uti debemus? Quis hoc dicat? Addo nec uti possunt; non enim absolute conceduntur hæc privilegia, sed conditionate, scilicet si egeant; nulla ergo occurrente egestate, nullum est privilegium. Urgent; moraliter loquendo jejunando imminet grave periculum fœtus & lactentis saluti. Si ita est, qui hoc modo periclitantur a jejunio abstineant, & ideo diximus, communiter a jejunio solutas; at si sentiant jejunando se bene valere, & nihil obesse jejunium nec sibi nec proli vel lactenti, jam dispensationis ratio cessat, nec a jejunio liberantur. Nunquam (inculcant) securæ esse possunt, quod id infantulis nocere non possit; nec securæ sunt, quod cibus sumptus sive ratione qualitatis, sive quantitatis illis noceat, & tamen illas ab abstinentia non dispensant Salmanticenses. At hic timor panicus est, & contemnendus, & ubi intimo sensu & experientia sentiunt se bene valere, absque scrupulo jejunare possunt, & etiam debent, sin semper, saltem per aliquod dies sive in hebdomada sive in tota Quadragesima.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Non debet uxor marito prohibenti jejunium obedire, licet inde rixæ oriantur & scandala, multoque minus si maritus hæreticus sit, & uxor catholica. Hanc veritatem probavimus Tract. 4. diss. 3. cap. 19. consect. 10. & iterum hic confirmamus. Quandoquidem mariti scandalum, qui graviter offenditur, & rixas excitat & discordias ob servatum ecclesiasticum jejunium, plane pharisaicum est & malitiosum, eapropter contemnendum. Quod si etiam pusillorum scandalum supponatur, & ex infirmitate ortum, reddita ratione, tollendum est, cui si acquiescat maritus, cessabit omnino, ni acquiescat, in pharisaicum degenerat, & tum locum habet S. Thom. doctrina 2. 2. q. 43. art. 7. „ Si reddita ratione hujusmodi scandalum, „ duret, jam videtur ex malitia esse, „ & sic propter ipsum non sunt hujus- „ modi spiritualia bona, *licet non sint* „ *de necessitate salutis*, omittenda" Confirmat & S. Antoninus 2. part. tit. 6. cap. 3. §. 6. De uxoribus dicit Innoc. quod quamvis debeant dimittere jejunia, quæ habent ex voto prohibentibus viris 32. qu. 5. non tamen jejunia Ecclesiæ. Sed forte propter scandalum vitandum potest Sacerdos dispensare cum tali .... Sed Petrus de Palude in 4. dicit, „ quod hoc vi- „ detur esse scandalum pharisaicum, „ & per consequens contemnendum, „ si non vult vir uxorem jejunare". Legantur quæ diximus loc. cit. Quod multo magis verum puto de marito hæretico prohibente uxori jejunia Catholicæ Ecclesiæ servare, quia merito præsumi potest, hoc in contemptum Romanæ Ecclesiæ ab ipso urgeri, & ex erronea & hæretica opinione hujusmodi jejunia superstitiosa esse; quamobrem illi obsequendo uxor in prava opinione suo exemplo confirmaret.

CON-

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Falsa est Cajetani doctrina asserentis hic ad art. 3. uxorem, quæ ex jejunio macilenta minusque grata viri sui oculis apparet, & hinc despici vel minus amari conspicit ab eo, excusari a jejunio; quoniam ipsa tenetur se conservare gratam viro suo; quandoquidem pro legitima causa violandi jejunium illud allegat, quod in conjugatis reprehendit Apostolus epist. ad Corinth. 1. cap. 7. scribens: *Quæ nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*; quod directe institutioni Quadragesimalis jejunii adversatur, nimirum concupiscentiæ frænationi. Ecclesia jubet jejunium ut comprimatur concupiscentia. Cajetanus a jejunio solvit uxores ut concupiscentiam excitent, & foveant in maritis, denique dum uxor tenetur quadragesimali tempore maritum ad continentiam hortari, illi consulit ut jejunium violet, ne vultus maciei impediatur maritus fræna laxare concupiscentiæ. Sed subdit recentior Probabiliorista: „ Si despectus uxoris, „ & imminutio affectus conjugalis eo „ usque perveniat, ut ex signis con„ jugalibus prudenter timeat, ne ma„ ritus adulterinis amoribus torum „ maculet, tum quidem ex *pietate*, „ *caritate*, *& justitia* rationabiliter a „ jejunio se eximere *posset* petita a Pa„ rocho dispensatione, tunc enim te„ neretur se gratam exhibere ad impe„ diendam gravissimam Dei offensam". Sed quæro cur dicat *possit*, & non potius *teneatur*? Nonne juxta illum ad violandum jejunium conjugem urgent præcepta *Caritatis*, *Pietatis*, *Justitiæ*? cur opus est dispensatione, si jejunium servando prædictarum virtutum præcepta violaret? At intimo sensu percipit, has quidem virtutes urgere, quando scandalum est pusillorum ex fragilitate peccantium, non quando est pharisaicum ex malitia proficiscens, proinde ejus ratio vel nimium probat, vel nihil probat. Si quadragesimali tempore maritus adeo protervus est, ut non solum a licito conjugio temperare nolit, sed præterea adulteriis totum maritalem polluere paratus sit, jam non ex fragilitate peccat, sed ex malitia: illi igitur imputandum scandalum, non uxori legem Ecclesiæ implenti: quod multo magis verum est de marito, ut subdit laud. Auctor „ qui conscientiæ relaxa„ tæ neque vult servare jejunium, ne„ que quod ab uxore observetur, & „ propterea cum eadem quotidie ri„ xatur, in blasphemiis erumpit, in „ perjuria, in minas .... comminan„ do etiam eidem conjugalem injuriam „ irrogare, unde tumultibus & scanda„ lis quotidie familia repletur": Hæc enim omnia ex malitia conjugis oriuntur, propterea locum habet doctrina S. Thom. in IV. dist. 38. q. 2. art. 4. „ Scandalum passivum quandoque ori„ tur ex malitia odientium veritatem, „ qui turbantur, & alios turbant pro„ pter opera lucis, quasi filii tene„ brarum, & hoc est scandalum Pha„ risæorum .... & propter hoc scan„ dalum passivum nullo modo consilia „ sunt dimittenda (multo minus præ„ cepta) quia sic iniquis daretur locus „ impediendi opera perfectionis cum „ vellent, unde Dominus dixit de „ Pharisæis: *Sinite illos, cæci sunt, & „ duces cæcorum*". Conjux itaque protervum maritum & conscientiæ relaxatæ corripiat prudenter, placare studeat monitis salutaribus, Dei timorem & reverentiam Ecclesiæ insinuantibus, cum

ipso mensæ libenter assideat, at ea dexteræ tantum sumat, quantum ipsi lege jejunii conceditur.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Artes laboriosas exercentes, cujusmodi sunt Agricolæ, Fabri lignarii, Ferrarii, Lapidicinæ, Figuli, Textores, Bajuli, Fullones, Lanarii, Aurigæ, Coriarii, Nautæ, Remigantes, Torcularia in Typographiis calcantes, aliique communiter a jejunio excusantur, quia communiter nequeunt sine magno gravamine jejunare: at si vel minuere laborem possunt, vel illud jejunio conungere, ad illud observandum tenentur. Benigniores Theologi hos omnes absolute a jejunio excusant, licet & jejunare valeant, & non ad victum, sed ad lucrum labori insistant. In hujus doctrinæ probatione afferre solent vivæ vocis Oraculum Eugenii IV. vulgatum anno 1440. quod tamen diversimode ab aliis refertur. A Salmanticensibus per hæc verba desumpta, ut ipsi dicunt ex Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum V. Jejunium. *Idem Eugenius declaravit, quod Artifices laboriosas artes exercentes & rustici sive divites, sive pauperes non tenentur jejunare sub præcepto peccati mortalis, & quod absolvi possunt, & induci ad eleemosynas, & alia opera bona facienda*. A Lucio Ferraris vero ex Baseo sic exscribitur: *Opifices suas artes exercentes, aut Coloni colendis, ferendisque agris, aut aliis ejusmodi rebus operam dantes, sive divites sint, sive pauperes, ad jejunium sub peccato mortali non tenentur, & a Confessariis absolvi possunt, consulendo illis, ut in eleemosynis, aliisque piis operibus occupentur*. Sed hoc Oraculum ut fictitium & fabulosum plures rejiciunt Theologi his permoti rationibus, 1. quia hujus non meminit S. Antoninus Eugenio coævus, & ab ipso ad Florentinum Episcopatum assumptus, quin immo oppositum docet. 2. Hoc Oraculum multum concordat cum propositione damnata in prima sui parte, saltem prout a Lucio Ferrario refertur. Eugenius enim declarat, omnes opifices suas artes exercentes a jejunio solutos; propositio damnat asserentes, omnes officiales qui in Republica *corporaliter* laborant, esse excusatos ab obligatione jejunii. Immo quid pejus obtrudit jactatum Oraculum, nam assertores propositionis damnatæ saltem corporalem laborem postulabant ad immunitatem a jejunio. Juxta Oraculum vero sufficit *exercitium cujuscumque artis* sive laboriosæ, sive non laboriosæ. 3. Quia dicitur laudatos artifices non teneri ad jejunium sub peccato mortali, quare videtur eos saltem sub veniali obstringi; at quomodo fieri potest ut tantum venialiter peccent, qui legem gravissimam jejuniorum violant. 4. Dicitur quod absolvi possunt a Confessariis. Sed a quo absolvi? num a lege jejunii? at per Oraculum jam absoluti sunt; num a transgressione præcepti jejunium præscribentis? si non jejunando non peccant, qua ergo indigent absolutione? Additur denique quod possint induci ad eleemosynas & alia bona opera facienda; at ad hæc induci possunt, immo debent etiamsi jejunent, opera enim bona sunt semper omnibus suadenda, at non in compensationem jejunii, si jam ab illo penitus soluti sunt. Non est igitur recedendum a doctrina quam statuimus, & probavimus cap. præced. duabus Regulis ex doctrina S. Th. qui eos excusat, qui ex *necessitate* laborantes cum jejunio laborem conjungere nequeunt; qui vero vel laborem *omittere*,

tere, vel *diminuere*, vel cum jejunio sociare possunt, tenentur præcepto Ecclesiæ obtemperare. Concinit S. D. & S. Antoninus 2. par. tit. 6. cap. 2. §. 6. cujus verba dedimus cap. præced. n. 7. Hinc consequitur, præfatos omnes cum in diebus festivis a labore cessant, teneri ad jejunium si illis diebus concurrat. Negant quidem benigniores Probabilistæ, quia, inquiunt, fessi sunt labore præterito, & ad futurum laborem ferendum se disponere debent. Fateor quidem durum esse laborem quo fatigati a jejunio liberantur; at animadverto, & jam assuetudine confirmatos esse, & præditos viribus labori pares; quapropter sicut ferre possunt laborem sine jejunio, puto posse ferre jejunium sine labore; non enim difficilios est unius, vel alterius diei jejunium, quam sint labores per totam hebdomadam exantlandi. Nec dicant non teneri experimento probare, num labor diei ferialis sociari possit cum jejunio diei festivæ, nam hoc idem asserebat propositio 22. damnata ab Alex. VII. de Rusticis. Clarissimus Vir Amort in Mendis Pontasianis absolute pronuntiat, in Germania consuetudine esse jam jejunio solutos; verum hujus consuetudinis nullum testem affert, licet provocatus a Patre Concina. Videant igitur Theologi Germaniæ, num hæc vigeat consuetudo, & legitima sit, & non potius alteri similis, per quam sexagenarios liberos a jejunio fidenter idem Auctor pronuntiavit.

Consectarium Sextum.

VI. Exercentes artes non adeo laboriosas, vel de quibus merito dubitari possit, utrum ita corpus fatigent, ut cum jejuniis sociari non possint, nec absolute a jejunio immunes sunt, nec dispensari debent nisi prius experiantur, num ipsis grave afferat detrimentum jejunium labori sociatum. In hac Classe recensentur Sutores, Sartores, Pistores, Barbitonsores, Argentarii, Sculptores, Molitores, Furnarii, Coqui, Milites, Typographi characteres tantum componentes, aliique similes. Ratio est, quia cum præfatæ artes vel sedendo exerceantur, vel integri diei laborem non afferant, vel labor non adeo durus sit & gravis, ut cum jejunio sociari non possit, absolute a jejunii lege non solvunt. Fieri tamen potest, ut in aliquibus corporis debilitas, virium deficientia eos a jejunio liberet; non enim sola laboriosi operis natura pensanda est, sed & laborantis vires, corporis habitus, debilitas, & licet ex priori capite dispensari a jejunio non sint, ex altero tamen excusari merentur. Teneri autem quando dubium est, num possint ferre jejunium, experientia probare, patet ex propositione 30. damnata, ubi ea etiam reprobatur pars doctrinæ, quæ asserebat, *nec debere se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio*, quæ certitudo prudenter haberi non potest magis quam experimento.

Consectarium Septimum.

VII. Qui artes exercent, in quibus magis mens quam corpus laborat, absolute a jejunio non excusantur. Cujusmodi sunt Pictores, Notarii, Scribæ, Procuratores, Advocati, Judices, Musici, Cantores, Medici, Chirurgi, aliique paris muneris & officii. Ratio est, quia hujusmodi omnia parum corporis vires debilitant, & cessatione a labore mentis magis levantur, quam abundantiori cibo. Denique his omnibus a je-

jejunio solutis, jam nullus erit qui jejunii lege teneatur, nec ipsi Regulares, cum & ipsi Cantores sint, & magis in Quadragesima & Hebdomada Majori ecclesiastico cantui dent operam, quam in reliquis anni diebus. Unde Caramuel merito irridens, ut puto, docentes, Musicos & Cantores esse a jejunio solutos, scribit num. 1128. „ Musici a jejunio excusantur. At omnes „ Religiosi sunt Musici, nec in Mundo „ Musici qui plus cantent quam Mona- „ chi, Benedictini præcipue, ergo Mo- „ nachi non tenentur jejunare. Quæ „ ratio idem de ceteris Religiosis evin- „ cit, nulli enim qui non cantent plus „ quam seculares . . . Ergo si etiam „ Religiosos excludimus, qui erunt in „ Ecclesia Romana, qui teneantur ob- „ servare jejunium. “ ?

Consectarium Octavum.

VIII. Titulo pietatis non sunt a jejunio dispensati Lectores, Professores, Ludi Magistri, nec Confessarii, & Concionatores. In præcedenti capite num. 10. diximus, benigniores Casuistas hoc titulo a jejunio liberare omnes præfatos, licet & unam tantum aut alteram lectionem legant, etiam ostentationis vel oppositionis gratia; at profecto non sine sacratissimæ legis injuria. Nam Lectores & Professores, sicut & Ludi Magistri non tanto premuntur labore & onere, ut plures alii artifices, qui non per aliquas tantum horas operantur, sed qui de mane usque ad multam noctem operi suo incumbunt, ut sunt Sartores, Pictores, Sculptores, qui tamen a jejunio non dispensantur. Ipse certe, qui per quinque lustra munere Lectoris functus sum, nunquam de solvendo jejunio cogitavi, nec indigens deprehendi; si itaque aliqui sint Lectores, Professores, Ludi Magistri, qui ex eorum officio detrimentum patiantur, hoc non tam muneri, quam imbecillitati & corporis debilitati est tribuendum; dispensandi igitur pro modo indigentiæ, non ratione oficii, cum idem gravamen experirentur, licet alteri operi vacarent. Confessarii vero munus, licet & per totum diem, & in multam noctem, & etiam per plures dies, ut in Missionibus contingit, exerceatur, tædium quidem immensum, & animi solicitudines affert, mentis laborem exposcit, at corporis debilitationem, & virium defectum non affert; quapropter cum jejunio sine magno incommodo, & nullo certe valetudinis detrimento conjungi potest. De Concionatoris officio major esse potest difficultas, quippe quod & corporis laborem secum affert, & mentis defatigationem. Et primo quidem de his statuendum puto: qui non ex officio & obedientia, sed ob lucrum & gloriam captandam hoc munus exercent, & non possunt a carnibus abstinere, ab hoc officio cessare debent, tum quia ita statuunt plures Religiosorum Ordinum Constitutiones, etiam illorum, qui ad Prædicationis munus sunt ordinati; & jure ac merito; prius enim prædicare debent exemplo, quam verbo: quare & Apostolus Paulus ajebat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne dum forte aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*: ad quæ verba apposite D. Thom. subdit: *Implet facto quod docet verbo, ne se damnet ore proprio*. Quare in Constitutionibus Ordinis PP. apud Fontanam titulo de Prædicatoribus statuitur: „ Concionatores, qui tempore Quadragesimæ a „ carnibus abstinere non valent, per „ Quadragesimam ad populum concio-

nari

„ nari non possint, *ne plus tanto scan-„ dalo offendant, quam verbis ædificent*". 2. Quia experientia constat, a carnibus abstinentiam etiam cum quotidiana Concione sociari posse; plurimi enim sunt quotidiani Concionatores ex Ordinibus S. Francisci, ut Capucini, Observantes, Reformati, ex Ordine Carmelitarum S. Theresiæ, & aliorum etiam Ordinum, qui licet toto anno vel abstinentia a carnibus, vel multiplicatis jejuniis macerantur; in Quadragesima tamen licet quotidie, & quidem magno spiritus fervore concionentur, tamen de violanda a carnibus abstinentia nec cogitant, immo si experientia prospicerent, se non posse & prædicare & a carnibus abstinere, munus prædicationis omitterent. 3. Si duriores labores totius diei Artifices, Rustici, Operarii cum abstinentia a carnibus sociare possunt, & reipsa consociant, quomodo non poterit Concionator laborem unius horæ cum eadem abstinentia conjungere? 4. Quomodo Concionatores ad pœnitentiam populum hortari, & inducere possunt, dum ipsi pœnitentiam aversantur, & carnibus saturati jejunium aliis prædicant; tempus Quadragesimæ appellare tempus acceptabile, dies salutis, dum ipsi ab ipsis Bacchanalium diebus non distinguunt? Et hoc fortassis in causa est, cur plerumque hujusmodi Concionatores non alium referant fructum, quam steriles plausus & inanem gloriolam. Multominus itaque ab hac abstinentia immunes erunt, qui solum ter aut quater in hebdomada Conciones habent. Quoad jejunium vero nimis laxa est habenda illorum Casuistarum sententia, qui illos a jejunio pronuntiant exoneratos iis etiam diebus, quibus Conciones non habent; qui vero quotidie prædicant facilius contingere potest, ut a jejunio immunes sint, qui tamen dispensationem impetrare debent a suis Superioribus, qui & fructu & labore inspecto concedere possunt. Cæterum quotidianum laborem unius horæ, multoque magis aliquot solum dierum cum jejunio sociari posse ostendunt & plurium Concionatorum exemplum, & ipsorum etiam artificum, & operariorum quotidiani labores, qui licet duri non sint & asperi sicut Rusticorum, Fabrorum, Bajulorum, & similium, certe tamen labores superant Concionatorum, & tamen a jejunio non liberantur. Suæ itaque conscientiæ consulant Prædicatores, & coram Deo expendant, & experientia etiam comprobent, num concionandi munus cum jejunio sociare possint etiam cum aliquo labore & incommodo; si enim se posse comperient, a jejunio solo concionandi titulo immunes non sunt habendi.

Consectarium Nonum.

IX. A S. Thomæ doctrina recedit Clarissimus Franzoja, dum absolute docet, opera pietatis voluntarie suscepta a jejunio non excusare, licet ipso jejunio sint meliora. Nam aperte contrarium docet Angel. Præceptor, qui doctrinam ipsius Auctoris sibi objicit, scilicet „ non esse opera bona ex ele„ ctione assumpta præferenda jejuniis „ ex Ecclesiæ præcepto necessariis" scribens hic art. 4. in object. 3. „ Cum „ jejunium ordinetur ad spiritualem „ utilitatem . . . . & necessitatem ha„ beat ex Instituto Ecclesiæ, videtur „ quod non sint jejunia Ecclesiæ præ„ termittenda propter peregrinationem „ vel propter corporalia opera". Quam „ objectionem sic solvit in resp. ad 3. „ Non videtur fuisse intentio Ecclesiæ sta-

„ statuentis jejunia , ut per hoc impe- „ pediret alias pias & magis necessarias „ causas “. Non itaque statuit S. Th. omittendam per peregrinationem ad servandum jejunium, sed posse qui voluntarie assumpsit peregrinationem vel perficere vel continuare, licet eam cum jejunio conjugere non valeat, si peregrinationem vel differre non possit, vel abrumpere. Nec obstant quæ ex S. Thom. exscribit laudatus Auctor verba ex eodem articulo: „ Si immineat *ne-* „ *cessitas* multum laborandi propter *ali-* „ *quid necessarium* ad vitam spiritualem, „ & simul hoc non possint Ecclesiæ „ jejunia observari, non obligatur ho- „ mo ad jejunandum “. Ubi notat S. D. dicere, *necessitas propter aliquid necessarium*, non propter aliquid *melius*. Nam illud necessarium non importat necessitatem ipsius operis perficiendi, quod immo supponit voluntarie susceptum, ut est peregrinatio, sed necessitatem hypotheticam, & ex ipso pio opere voluntarie suscepto exorientem, ut declarat in IV. dist. 15. q. 3. a. 2. quæstiuncula 4. ad 1. scribens: „ Si „ autem peregrinatio commode differ- „ ri non potest, vel quia tempus jeju- „ nii hominem in via præoccupat, vel „ quia dies festus alicui imminet, ad „ quem *ex devotione* homo pergere cu- „ pit . . . potest cum dispensatione Su- „ perioris omnia prædicta pensantis, „ peregrinari, & jejunium solvere “. En igitur quomodo tota necessitas non sit nisi ex ipso opere voluntarie assumpto, voluntarie quippe statuit interesse e. ex. Patavii Festo S. Antonii, instat dies Festus, urgent jejunia quatuor temporum, in quibus ut ad diem Festum perveniat peregrinari debet, & magnas dietas facere, quas cum jejunio sociare non potest, non dicit S. Thom. eum teneri omittere peregrinationem, vel eam differre ad alium diem, ut definire debuisset, si opera voluntarie suscepta absolute jejunio præcepto posthabenda censuisset, sed dicit posse *petita a Superiore dispensatione peregrinationem aggredi*, & impeditus propter hoc a jejunio, ab ipso licite cessare. Et revera nonne potest quis se alicujus Xenodochii servitio sponte mancipare, vel Missiones in exteras regiones aggredi, licet optime ille prævideat, fore ut laboribus fessus in serviendo infirmis jejunium non servet? iste vel carentia ciborum, vel alia de causa fore ut cogatur carnes in Quadragesima manducare, vel jejunium non servare? Nec urgent quæ in suæ doctrinæ confirmationem adducit argumenta, nimirum 1. „ Orationem mentalem meliorem „ esse oratione vocali, & tamen non „ licere Clerico divini Officii omittere „ recitationem, ut vacet orationi „ mentali, licet daremus utrumque „ fieri non posse “. 2. Deum Saulem exprobasse, quia Amalecitas non interfecit, & eorum universa non demolivit, sed Regem, & optima quæque reservavit, & obtendenti reservasse in holocaustum Domino, respondit Propheta Samuel: *Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? melior est enim obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum*: quamobrem infert, opera meliora, ab obedientia non excusant. Nam ad 1. resp. Utique mentalem orationem esse vocali meliorem, si spectetur ut mere vocalis est, qualis esse potest in Pica & Psittaco, at non si spectetur prout fit ab homine Christiano; hic enim nunquam voce orat, quin oret & mente, quid enim est oratio nisi ele-

elevatio mentis in Deum: seu ut definit S. Jo. Damascenus, *Ascensus mentis in Deum*? Frustra igitur voce profert verba orationis; si mente in Deum non feratur. Porro hæc legitima oratio vocalis cum mentis in Deum elevatione conjuncta non est inferior oratione mentali, sed melior triplici ratione, quam affert S. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 12. in corp. „ 1. Quia ex majo„ri proficiscitur devotione, & ipsam „devotionem auget, unde S. Augu„stinus ad Probam scribit: *Verbis & „aliis signis ad augendum desiderium „sanctum nos ipsos acrius excitamus*. „2. Quia magis Deo debita reddi„mus . . . , dum illi famulamur se„cundum illud totum quod a Deo ha„bemus, idest non solum mente, sed „etiam corpore: unde Oseæ ult. dici„tur: *Reddamus Domino vitulos labio„rum nostrorum*. 3. Quia vocalis ora„tio adjungitur ex quadam redundan„tia ab anima in corpus ex vehementi „affectione, secundum illud Psalmi 15. „*Lætatum est cor meum, & exultavit „lingua mea*". Non igitur melius faceret Clericus, qui Breviarii recitationem omitteret, ut vacaret orationi mentali, dimidium enim solum Deo offerret, non totum quod illi debet. Si vero nomine mentalis orationis designet Franzoja rerum divinarum meditationem & contemplationem, hæc, ut inquit S. Thom. in IV. sent. dist. 17. q. 4. a. 1. quæstiuncula 2. ad 3. „ non est „proprie oratio, sed est quasi funda„mentum orationis; superflua enim „videtur petitio, ubi necessitas deest; „& ideo recognitio suæ miseriæ, qua „indigentem se aliquis videt, & sibi „subvenire non potest (quæ gemitum „in effectu producit) quasi oratio re„putatur a Deo, & propter hoc dicit „Augustinus, quod *Orationis negotium „plus gemitibus quam verbis agitur, & „plus fletu quam affatu*: „ at hæc ab oratione vocali minime excluduntur, sed optime & cum ipsa consociari possunt. Ad testimonium vero Scripturæ resp. aliter esse sentiendum de divinis præceptis, aliud de humanis; ab illis nunquam est recedendum, & præsertim si immediate ex ipso divino ore alicui in particulari indicantur, ut factum est Regi Sauli, &. in his procul dubio *melior est obedientia quam victimæ*: at in humanis præceptis etiam ecclesiasticis non eadem obedientia exigitur, nam humani legislatores, ut inquit S. Tho. *Suis præceptis non intendunt impedire magis pias, & necessarias causas*. Et hæc dicta sint non tam ad Franzojæ oppugnationem, quam ad S. Thom. doctrinæ illustrationem.

Nemo tamen hinc inferat licere jejunium frangere ob quodcumque pium opus, quod alicui imprudenti devoto in mentem veniat, sed tale pium opus sit 1. quod ab Ecclesia adprobetur, commendetur, & usum obtineat, ut sunt peregrinationes, famulatus in Xenodochiis ex pietate, non pretio, Missiones non in exteras Regiones, tum inter Catholicos, & alia hujusmodi. 2. Ne assumatur in fraudem jejunii. 3. Ut jejunii fractio per accidens, & contra voluntatem operantis accidat. Quamobrem non licet jejunium violare ob flagellationem sive privatam, sive publicam; & quidem de privata nullus est qui ambigat, cum eam vel omittere vel differre quilibet possit in die jejunii, si cum flagellatione jejunium socia-

ciare non valeat. At de publica, quæ fieri solet aliquibus in locis in feria quinta vel sexta hebdomadæ majoris in publicis supplicationibus, ambigunt Theologi. Salmanticenses eam jejunio præferendam putant, eo præsertim modo, quo fit in Hispaniis, at non satis firmis argumentis, quia, inquiunt, actus est pœnitentiæ, & magis corpus affligit, & carnem macerat, quam jejunium: at hæc argumenta probarent & privatam flagellationem a jejunio excusare, cum & ipsa actus sit pœnitentiæ, & corpus eodem plane modo, immo & majori, si lubet, corpus castigat, & tamen hoc non concedunt Salmanticenses. Superest igitur solum quatenus publica est, & ut ipsi inquiunt „ quatenus est publica pœnitentia, peccatorum manifestatio, Passionis Christi cultus, & imitatio, & culparum satisfactio ". At hæc emphatica magis sunt, quam vera; nam flagellatio quidem publica est, at occulta flagellati & flagellantis persona, quæ obtecta facie pœnitentiam gloriosam manifestat, at peccantis honorem tegit, & confusionem evitat, & quam cum & justi amplecti possint & exercere, nec peccatorem indicat: quod vero sit Passionis Christi cultus & imitatio, hoc & privatæ disciplinæ convenit; nec dici potest proximorum ædificatio; & doctrina, & hæreticorum confusio; nam cum sciant, hosce flagellatos & flagellantes dorsum quidem percutere, at ventrem implere, fideles nullum percipiunt fructum; hæretici vero irrident. Hæc tamen dicta sint, non ut religiosissimæ & pientissimæ Gentis Hispanicæ pios mores ausim contemnere, quam scio super omnes alias Nationes tot Sanctissimos Viros & Cœlo & Ecclesiæ donasse, a qua etiam ipse habeo & Ordinis mei Sanctissimum Patriarcham Dominicum. & splendidissima sydera S. Ludovicum Bertrandum, & S. Vincentium Ferrerium, sed solum ut Confessarios animarum saluti studiosissimos moneam, ne tam facile privatæ devotionis officia publico divino cultui in jejuniis præstito, & Ecclesiæ præceptis præferri tolerent, aut consentiant, quamobrem hanc doctrinam meam eorum sapienti judicio lubens permitto.

Consectarium Decimum.

X. Non est ut vera admittenda nonnullorum Probabilistarum doctrina affirmantium, qui bona fide putat se a jejunio excusari, etsi causa sit insufficiens, tantum venialiter peccare, si vero bona fide putet, se plene excusari, nullo modo peccare. Nam 1. qui sufficientem causam non habet violandi jejunium, reus est violati jejunii, & bona fides, quam sibi comminiscitur, est in ignorantia vincibili fundata, quam vincere potest & debet, & solum illa bona fides excusat, quæ vel ex ignorantia invincibili procedit, vel sufficienti causa innititur. 2. Qui se novit vel nosse potest non habere sufficientem & legitimam causam non custodiendi jejunium, non ex suo arbitrio & voluntate se a jejunio dispensare potest, sed tenetur dispensationem petere; qui igitur in re dubia sua tantum innixus bona fide sibi conficta a lege jejunii se solutum existimat, violati jejunii reus efficitur, sive causa sit insufficiens, quia, ut diximus, ejus bona fides ex culpabili ignorantia progreditur, sive etiam sufficiens sit, quia se periculo peccandi exponit, quod vitare potest & debet petendo dispensationem. Ita docet S. Thom. hic q. 147. a. 4. scribens: „ Si causa sit evidens, per „ seipsum licite potest homo statuti obseri-

„ servantiam prætetire, præsertim con„ suetudine interveniente, vel si non „ possit facile recursus ad Superiorem „ haberi. Si vero causa sit *dubia*, de„ bet aliquis ad Superiorem recurrere, „ qui habet potestatem in talibus dis„ pensandi, & hoc est observandum in „ jejuniis ab Ecclesia institutis, ad quæ „ omnes communiter obligantur". Sola igitur & certa necessitas potest licite sine Superioris dispensatione a jejunio liberare.

Consectarium Undecimum.

XI. Falsa pariter est Probabilistarum doctrina afferentium, qui initio Quadragesimæ ob morbum a jejunio dispensatione donatur, a quo post aliquot dies integre sanatur, eadem dispensatione uti valet pro reliquis Quadragesimæ diebus, quia, inquiunt, lex jam sublata est, nec redit sine voluntate Superioris, & præterea dispensatio ex justa causa semel concessa non revocatur. Et quidem hujus doctrinæ falsitatem ostendimus Tract. de Legib. Diff. 4. cap. 9. regula 13. n. 14. & hic iterum confirmamus, quia qui dispensationem impetravit, solum eam petere poterat pro eo tempore quo causa subsistebat, & qui dispensationem concessit, sola legitima durante causa concessit; alioquin illicite effet dispensationem largitus. Præterea sicut non eximitur a lege, qui sine justa causa dispensationem impetrat, ita non ab ea solvitur, qui sine justa causa dispensatione utitur: totus enim dispensationis legitimus usus non a sola pendet dispensantis voluntate, sed a justitia ac necessitate causæ; cessante igitur causa concessæ dispensationis, cessat & licitus ejusdem usus. Nec movent opposita argumenta; nam lex ex dispensatione non omnino aufertur, sed solum suspenditur, quæ suspensio tandiu durat, quandiu justa dispensandi causa, cui alligata est, perseverat. Dispensatio vero semel concessa non revocatur, quando totum suum effectum jam est consecuta, ut cum quis dipensationem obtinuit ad Matrimonium celebrandum, vel ad Sacros Ordines suscipiendos ex justa causa, & Matrimonium jam celebravit, vel Ordines suscepit, licet postea cesset causa dispensationis, non revocatur tamen concessa dispensatio. At si dispensatio supra divisibilem materiam cadat, ac proinde cesset ex aliqua parte causa dispensationis, cessat & ipsa dispensatio, ut si quis ob oculorum infirmitatem a recitatione horarum canonicarum dispensetur, si ab infirmitate liberetur, & visum recuperet, cesset dispensatio cessante causa, & redit onus divini Officii recitandi. Legantur dicta loco cit. Non sunt vero audiendi benigniores illi Casuistæ, qui summo Ecclesiæ Pastori injuriam irrogant, dum docent, *Papam posse dispensare quemcumque a jejunio etiam per totam vitam, etiam sine causa*, vel legitimam esse hujusce concedendæ dispensationis causam, *quia Papa vult se benignum alicui benemerito ostendere*. Quo autem amplior est dispensatio, eo urgentior requiritur dispensationis causa: hinc facilius conceditur dispensatio ab unica comestione servanda, quam ab esu carnium, & hæc concessa pro aliquibus diebus, non est ad plures dilatanda, nec censetur concessa pro sextis feriis & sabbatis. Legantur dicta in Tract. I. de Legibus diss. 4. cap. 9. n. 16. & cap. 10. n. 22.

Consectarium Duodecimum.

XII. Non sunt passim admittendæ

CONSUETUDINES contra legem jejunii, quas ut legitime invectas plures tradunt Theologi; nam partim aperte falsæ sunt, partim saltem dubiæ. Hujus consectarii veritatem ostendo eas enumerando. Consuetudines, quas laudari jactant Theologi, & quæ si obtinerent, de jejunii sanctissima lege pœne actum esset. 1. Constantinus Roncaglia de 3. Ecclesiæ Præcepto q. 2. c. 1. q. 3. scribit: „ Puto fere ubique „ invaluisse CONSUETUDINEM, ut „ dispensatus a carnibus simul se pu„ tet dispensatum a jejunio, CONSUE„ TUDO autem ex toties dictis præ„ scribit contra legem ". Falsitatem hujus consuetudinis declaravit Benedictus XIV. 2. Idem loc. cit. cap. 2. q. 4. „ Tuto dici potest, hominem sexage„ narium non teneri ad jejunium Ec„ clesiæ, quia ita fert UNIVERSA„ LIS CONSUETUDO, de qua com„ munius testantur Theologi, CON„ SUETUDO autem tolerata contra „ legem præscribit ". Idem cap. 1. quæst. 6. „ Chocolatam ex sua natu„ ra frangere jejunium dixi: Ha„ beo tamen rationem extrinsecam, „ qua certum mihi redditur, potio„ nem Chocolaticam non frangere je„ junium. Hæc autem fundatur in „ universali CONSUETUDINE, quam „ sciunt & tolerant Prælati Ecclesiæ, „ quæ CONSUETUDO in hac parte „ Legi derogavit ". 4. Idem cap. laud. „ quæst. 5. Respondeo in pervigilio „ Nativitatis licere sumere collatiun„ culam duplo, vel triplo majorem, „ prout se habet CONSUETUDO, quæ „ invaluit ". 5. Alphonsus de Liguori de Præcept. Eccl. cap. 3. Dub. 1. num. 1025. „ In Vigilia Paschatis & Pente„ costes, dicunt Viva & Salmanticen„ ses, non permitti duplicem cœnu„ lam, sed tantum posse sumi ex CON„ SUETUDINE decem vel undecim „ uncias. Sed de hac consuetudine „ apud nos dubito ". 6. Amort. „ cer„ tum est Germanos sexagenarios ex „ CONSUETUDINE solutos a lege je„ junii ". 7. Idem in Mendis Pontasianis statuit, „ omnes Germaniæ Ru„ sticos ex CONSUETUDINE lege je„ junii non teneri ". 8. Cardinalis Toletus lib. 6. cap. 2. scribit: „ Ar„ milla V. jejunium § 12. probat: „ Collationes quæ fiunt Romæ secun„ dum consuetudinem *Tinelli* ob CON„ SUETUDINEM, & quia Pontifex „ tolerat cum sciat, nec ego aude„ rem damnare, quamvis isti sint abu„ sus hominum parum timoratorum ". 9. Sporerius Append. ad 3. Decalogi Præc. sect. 2. n. 32. „ spectata moder„ na CONSUETUDINE præsertim in „ nostra Germania jam diu tolerata & „ invalescente, censeo in collatione „ vespertina jejunii non esse attenden„ dam qualitatem ciborum, sed quan„ titatem tantum ". 10. Viva in Curs. Theol. T. 1. part. 2. q. 10. art. 3. „ „ Tamburini sententiam non amplecte„ rer, nisi putarem CONSUETUDI„ NEM *eam introductam*, ut etiam „ exigua parte piscis majoris, ut lo„ quitur Bonacina, cum pane vesci „ possimus in debita quantitate *octo un„ ciarum*, quam si quis parum exten„ deret addendo unam aut alteram „ unciam, nonnisi venialiter peccaret „ propter parvitatem materiæ super„ additæ ". At saltem hæc CONSUETUDO solum illis proderit, qui post octo uncias cibi adhuc fame laborantes aliquod jejunii pondus sentiunt. „ Minime, ait Lignori, quia „ quantitas octo unciarum ita hodie „ USU recepta est, ut indistincte per„ mit-

„ mittatur etiam iis, qui cum illa ad „ satietatem reficiuntur ". Mira profecto conjunctio satietatis cum jejunio! 11. Millante Exercit. 23. „ Nec scrupulosus quidem Theologus inficiari „ audet (licere in collatiuncula parvos „ pisciculos recentes, præsertim quia „ . . . Regularium Communitates eisdem vesci etiam in antepaschali je„ junio CONSUEVERUNT ". 12. Pasqualigo de jejunio Decis. 98. „ Nobiliores „ possunt sumere ampliorem refectiun„ culam vespertinam in jejunio. Ra„ tio est, non solum quia jam CON„ SUETUDO id obtinuit, ut notant „ Azorius, Layman, Sancio, Facun„ dez, Diana, Bossius, Molfesius, sed „ etiam quia &c." 13. Idem Decis. 157. „ In iis locis, in quibus solet prandium „ protrahi ad vesperam, seu etiam in „ noctem, ut in Germania, non dam„ narem peccati mortalis protrahentes, „ quia in jejuniis præcipitur unica tan„ tum comestio juxta CONSUETUDI„ NEM loci, unde cum talis protra„ ctio fit juxta CONSUETUDINEM lo„ ci, non videtur esse contraria jeju„ nio ". 14. Decis. 161. Jam CON„ SUETUDINE introductum est, ut „ saltationes, lusus, & alia hujusmo„ di protrohantur ad mediam noctem, „ & etiam *ultra* ipsam, quæ cum sint „ actiones diei ultimæ Bacchanalium, „ proinde ex CONSUETUDINE licet „ cœnam protrahere post mediam no„ ctem . . . & talis CONSUETUDO „ est secundum benignam voluntatem „ interpretativam Ecclesiæ " 15. Lay„ man lib. 4. tract. 8. cap. 3. n. 3. Addo tolerari posse apud nos (Germa„ nos) CONSUETUDINEM, ut finitis „ Bacchanaliorum diebus carnium reli„ quiæ, quæ a Divitibus absumi non „ poterant, dentur pauperibus absu„ mendæ ". 16. Idem num. 7. „ Ali„ qui existimant per CONSUETUDI„ NEM quibusdam Germaniæ locis in„ troductum esse, ut ter in hebdoma„ da per Quadragesimam secularibus „ jejunare sufficiat, de qua nihil te„ stari possum ". Eam tamen potius corruptelam censet, quam legitimam consuetudinem. 17. Petrus Collet. de Præcept. Eccl. cap. 2. n. 1. „ Pisces „ vero aliave animalia, quæ ad pisces „ reductive pertinent, ut Ranæ, Te„ studines, *Gallinæ aquaticæ*, *Marini* „ *Anates*, jejunii tempore manducari „ possunt . . . quia id piorum etiam „ Religiosorum USU receptum est ". Hæc animadvertant sacræ Pœnitentiæ Ministri, & consuetudines adversus Jejunium a Theologis crepantibus buccis jactatas haud facile admittant, sed ad veritatis normam expendant, vel etiam surda aure prætereant.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De cooperantibus jejuniis violationi, & de Pœnis in jejuniorum violatores.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Regulæ cooperationis ad malum repetuntur.*
II. *Peccant Parentes & Patres familias, qui filios jejunium violare sinunt.*
III. *Quid dicendum de famulis & Ancillis inservientibus Dominis.*
IV. *Quando peccent Tabernarii; & Caupones cœnam vel carnes ministrando.*
V. *Num liceat jam dispositum ad jejunium violandum ad cœnam invitare.*
VI. *Peccant, qui nolunt operarios conducere, nisi violent jejunium.*
VII. *Pœnæ in violatores jejunii constitutæ. Reflexio.*

I.

I. TAMETSI ex iis, quæ diximus Tr. de Virt. Theol. Diss. 3. cap. 20. facili negotio dignosci possit, quando quis peccet cooperando violationi jejunii, nihilo tamen minus operis ratio postulat, ut ibi constitutas universales regulas peculiari de jejunio doctrinæ aptemus, unde & constitutæ regulæ veritas magis appareat, & Tyronibus planior sternatur via ad malitiam cooperantis dignoscendam. Diximus itaque loc. laud. Reg. 4. tum quempiam actioni alterius cooperari, non vero malitiæ, quando principalis causa æque licite & illicite potest actionem illam elicere; quod autem illicite agat, totum ex sua pendet mala & perversa voluntate, tunc enim qui cooperatur non peccat: at quando actio ita mala est, ut principalis causa peccatum vitare non possit nisi ab actione cessando, tunc qui cooperatur, nedum actioni, sed & malitiæ cooperatur; ac proinde & peccati particeps & consors evadit. Quam Regulam exemplo illustravimus mutui ab Usurario petiti; qui enim mutuum poscit, actionem flagitat, quam usurarius & bene potest, & male exercere, bene quidem mutuum dando gratuitum, male sub usuris mutuando: quamobrem qui mutuum petit, licet actioni cooperetur, malitiæ tamen non cooperatur, proinde nullo scelere polluitur. Diximus 2. Reg. 5. Cum quis ab alio actionem vel materiam aliquam postulat, qua licet & bene & male uti possit, certo tamen constat nonnisi ad malum usum peti, qui concedit, vel assentitur, ejus pravitati, non solæ actioni consentit, tunc enim qui cooperatur, pravæ cooperatur actioni, & quidem non præcise ut actio est, sed ut prava est, cum probe noverit non nisi ad pravum usum peti. His itaque constitutis.

II. Peccant parentes & patres-familias, qui filios, domesticos, vel servos jejunium violare permittunt, & multo magis si eis cibos ministrent. Oppositum plane docet Leander hac unica ratione, quia nimirum non pertinet ad parentes & patres-familias regere filiorum & domesticorum conscientias, sed victum illis suppeditare adstringuntur, quod igitur sui muneris est præstent, & quod ipsis non incumbit, non assumant. At hæc doctrina nedum falsa est, sed divinæ legi plane contradicens. In Scripturis enim ea præcipue mandatur cura parentibus, ut filios suos erudiant in lege Domini. S. Paulus ad Ephes. scribit: *Educate filios vestros in disciplina & correptione Domini*. Eccles. 7. *Filii tibi sunt, erudi illos, & curva illos a pueritia*. Proverb. 23. *Noli subtrahere a puero disciplinam*. Immo nec solum erudire debent parentes in lege Domini, sed errantes corripere, & contumaces virga punire. Eccles. 30. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella*. Et iterum: *Tunde latera ejus dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ*. Tenentur igitur parentes filios suos & corrigere & corripere, si Dei, vel Ecclesiæ mandatis non obtemperent, proinde si eos sinant legem jejunii violare, eorum iniquitati cooperantur; immo & in causa esse dici potest, qui enim non vetat peccare cum possit, jubet. Dicere autem parentes nonnisi ad alimenta suppeditanda teneri, est, homines & christianos jumentis & brutis æquiparare, quæ hoc solum a natura inditum habent, cum nobilioris instructionis capacia non sint, immo & ipsis eos postpone-

nere: nonnulla enim animalia nedum catulis suis alimenta suppeditant, sed & suo modo instruunt; unde in Scriptura dicitur, *Aquila provocat ad volandum pullos suos super eos volitans*. Debent igitur parentes filios suos & exemplo ad jejunium provocare, & vetitos cibos, & secundam comestionem illis denegare. Quod si filii adeo protervi sint & effrænes, ut si parentes eos ad jejunium cogere velint, gravia scandala & perturbationes in familia excitari vereantur, tunc dissimulare poterunt, nec paterna uti potestate; tunc enim non eorum iniquitati cooperarentur, sed solum eos peccare permitterent ad majora vitanda mala, quod quandoque permissum esse de cooperatione tractantes ostendimus. Quoad famulos vero, licet Domini potestatem non habeant eos ad jejunia cogendi, possunt tamen, & tenentur eos admonere & corripere, & si pertinaces inveniant, etiam domo pellere. Quod si non præstent, peccabunt quidem contra caritatem, eorum tamen peccato cooperari minime dicendi sunt, cum tota malitia in famulo resideat, licet illi alimenta pacta suppeditent, dummodo hæc sint in determinata quantitate præstituta, nam si solum in genere condictum sit, ut alimenta suppeditentur, non possunt Dominii cœnam famulis dare, quos sciunt nulla legitima causa a jejunio excusari: proinde falsa est & laxa Pasqualigi doctrina asserentis, Dominos *non teneri cœnam famulis denegare, etiamsi scirent id famulis profuturum*. Dixi si alimenta sint in determinata quantitate constituta, esse suppeditanda, quia tunc non solum alimenta debentur, sed statuta alimentorum quantitas, qua & bene & male uti possunt famuli, nimirum male comedendo, bene reservando; proinde si ad violandum jejunium abutantur, eorum est malitiæ adscribendum; & præterea non est justitia violanda, ut jejunii impediatur violatio. At si alimenta non sint in determinata quantitate præstituta, sed solum in genere, tunc Domini non tenentur ex justitia in die jejunii cœnam famulis dare, quia alimentorum promissio intelligitur ad normam divinæ & Ecclesiasticæ legis, & sicut si infirmi sunt, debent illis carnes & in Quadragesima & in feriis sextis ac sabbatis præbere, ita si sani sunt & bene valentes, solum juxta Ecclesiæ leges cibum suppeditare tenentur.

III. Non licet famulis & ancillis cibos parare & ministrare in die jejunii vetitos Dominis, si certo noverint nulla legitima causa a jejunio excusari, multoque minus si hæretici sint. Huic doctrinæ adversantur plures Recentiores Theologi, inter quos & Cajetanus noster hac innixi ratione, quia, inquiunt, cibos præparare est quid de se indifferens, & Dominis ministrare non est eorum peccato cooperari, sed comestioni. At posita doctrina ex præstitutis regulis sponte fluit, nam actio illa non dicitur de se indifferens, quæ ex circumstantiis jam in se mala & prava effecta est; porro comedere carnes, & cœnare est quidem de se indifferens, at hoc præstare in die jejunii jam malum est: eapropter sicut peccat qui comestionem de se indifferentem usurpat in die jejunii, ita & peccat qui in tali die huic comestioni cooperatur. Præterea juxta aliam præstitutam regulam actio illa comestionis carnium vel cœnæ in die jejunii adeo mala est, ut peccatum vitari non possit nisi a comestione cessando: qui igitur huic comestioni cooperatur, nedum comestioni qua comestio est, sed & qua mala est, cooperatur, cum non nisi male & perverse illa uti Domini possint. Addidi, præsertim si hæretici sint, non solum quia & ipsi præceptis

Ec-

Ecclesiæ subjiciuntur, sed quia plerumque ex contemptu sin formali, certe virtuali legis ecclesiasticæ carnes in diebus vetitis comedunt, & cœnant in diebus jejuniorum, proinde iniquum est Catholicos famulos illorum contemptui cooperari. Quid si famuli vel ancillæ sine gravi detrimento non possint ab hisce Dominis discedere, si enim eos deserant, mendicare cogentur, poterunt ne illis ministrare? Sunt qui asserunt, posse, cum non agatur de re de se illicita & mala, sed solum mala quia vetita, & Ecclesiæ præcepta cum tanto gravamine & onere non obligant. At meo videri falluntur; nam hic non agitur de præcepto Ecclesiæ vetantis cœnam vel carnium comestionem, quod profecto non obligat cum magno gravamine, sed de re intrinseca, & de se mala, scilicet de cooperatione alterius iniquitati; porro hoc non lege Ecclesiæ, sed divina & naturali vetitum est, nullo igitur detrimento & metu mali excusari possunt, sicut nec excusatur famulus, qui herum submissis humeris vel scalam tenendo adjuvat, ut domum ingrediatur ad stuprandam virginem: tenentur itaque ab eis discedere, & non in homine sed in Deo confidere, qui dat escam omni carni, & qui si illis alimenta suppeditaret, dum ipsum graviter offendunt, certe non denegabit, dum ut ejus fugiant offensam mendicitatem incurrunt. Dixi tamen si certo noverint, Dominos a lege jejunii non excusari, non posse illis famulos & ancillas ministrare; nam Catholicorum famuli præsumere, & quidem prudentes possunt, Dominos suos legitima causa, vel ab abstinentia, vel a jejunio excusari, quamvis hoc illis compertum non sit; quamobrem non facile temere judicare debent, & scrupulose in eorum vitam inquirere, sed bona fide illis servire & ministrare & carnes & cœnam: nemo enim est præsumendus malus, nisi probetur malus.

IV. Non licet Tabernariis & Cauponibus vel invitare ad cœnam hospites, nec requisiti illis vel carnem vel cœnam suppeditare, si certo sciant eos violare jejunium, vel si dubitant, interrogare debent, num sint a jejunio dispensati, multoque minus denegare hospitium iis, qui in diebus jejuniorum cœnare recusant. Primam doctrinæ nostræ partem inficiantur plurimi Casuistæ, quia, inquiunt, ministrare cœnam est non cooperari peccato, sed comestioni ordinatæ ad nutriendum; quod vero ille, qui cœnat, peccet violando præceptum, hoc ex ejus profluit malitia, non ex alterius ministerio. At hæc inepta omnino sunt ad suadendum; nam qui invitat alium ad cœnandum in die jejunii quando cœnare non debet, ad opus invitat malum & vetitum, proinde offensionem illi præbet & scandalum, & vere ad peccandum inducit; nam licet cœna sit de se indifferens, in die tamen jejunii mala est & vetita, & sicut qui cœnat, non potest sejungere comestionem a peccato, cum hæc sint in tali circumstantia omnino inseparabilia, ita qui invitat & exhibet cœnam, sejungere non potest exhibitionem cœnæ a violatione præcepti, cum optime noverit alterum sine altero consistere omnino non posse. Alteram quoque partem rejicit Leander pro ea parte, quæ onus imponit Tabernariis interrogandi hospites, quia, inquit, hæc interrogatio illis nimis est onerosa, nec ad ipsos pertinet hospitum suorum spiritualem curam habere, & a peccato avertere. At positam doctrinam sustinent nobiliores Theologi, & 1. quidem quan-

quando certo sciunt hospites suos cœnando jejunium violare, alioquin eorum iniquitatis participes essent, & violationi jejunii cooperarentur. 2. Etiam quando dubitarent, dubio quidem prudenti, cum nemo possit sine crimine se periculo peccandi exponere. Nec urgent Leandri argumenta, nimirum onerosam esse Tabernariis hujusmodi interrogationem, cum immo obvia sit & necessaria, nam illos interrogare debent de quantitate & qualitate apponendorum ciborum, ac proinde nosse, num cœnare velint, vel brevem cibum capere. Nec interrogando curam salutis spiritualis proximi sibi assumunt, sed propriæ consulunt conscientiæ, ne videlicet peccent, vel cœnam præparando volentibus jejunare, vel sceleri cooperando nolentium Ecclesiæ præceptis obedire. Tertia vero pars adeo de se aperta est, & manifesta, ut nemo si sanæ mentis, qui ejus non agnoscat apertam veritatem, nam denegare hospitium, cœnam recusantibus in die jejunii, est illos ad peccandum impellere. Hosce tamen Satanæ commilitones excusat Pasqualigo, quia, inquit, illi non jejunii violationem intendunt, sed lucrum; utique, nam nullus gratis est malus, & ut lucrum consequantur ad peccandum alliciunt. Nec dicat quis, Caupones non cogere hospites ad cœnandum, sed ad cœnæ pretium solvendum sive manducent, sive non manducent. Nam & hoc idem scandalum non tollit, & vere est ad peccatum inducere, & præterea iniquitati malitiam furti, seu potius rapinæ addit, cum velint hospites pretium solvere ciborum, quibus non vescuntur, & ipsi Cauponi adhuc redduntur.

V. Non licet jam dispositum ad jejunium violandum ad cœnam invitare. Quandoquidem invitando ad cœnam non solum ejus iniquitati cooperatur, sed ad actum peccaminosum inducit; nec excusatur, quia invitatus jam alias dispositus est ad jejunium violandum, quandoquidem hæc ejus prava animi dispositio non impedit, quin invitans vere ad peccatum alterum alliciat, nec licet illi peccare, quia alius jam ad peccandum est dispositus. At inquiunt qui adversantur Theologi, nonne licet ab usurario jam ad fœnerandum *dispositio* mutuum petere, & a Parocho concubinario Sacramenta accipere? Utique, at magnum est inter utrumque discrimen; nam 1. in hisce casibus quod petitur bonum est, mutuum videlicet, & Sacramenta; at in priori casu quod petitur malum est, violatio scilicet jejunii a cœna inseparabilis. 2. Fœnerator & Parochus possunt quod petitur juste concedere, si velint; potest enim fœnerator absque usura mutuum gratis dare, potest Parochus pœnitentia peccatum detestari, & licite Sacramenta ministrare; at hic non potest nisi a cœna abstinendo peccatum vitare: dum igitur eum ad cœnandum invitas, ad actum invitas, quem sine crimine elicere non potest. At inquit Colletus, saltem excusabitur, qui jam paratum ad violandum jejunium ad cœnam invitat non tam ut ad jejunii violationem inducat, quam ut a majori crimine retrahat, ut si Mater filium impudicum jam apud Meretricem cœnaturum, ad secum domi cœnandum invitet, ut sic illum a fornicatione avertat. Verum nec hoc licere ostendimus Tr. 4. Diss. 3. cap. 18. Conf. 6. cum semper invitet ad id, quod malum & peccatum est, & ita debet a commercio Meretricis filium avertere, ut non tamen ad aliud licet minus peccatum inducat. Legantur quæ ibi

ibi diximus. At inquit Colletus, non magis cooperatur Mater peccato filii, quam aliquis cooperetur peccato Meretricis, cum eidem locat domum in ea civitatis parte, in qua commercium ejus toleratur. Verum fallitur doctissimus hic Theologus, nam latum adhuc est discrimen, 1. qui locat domum Meretrici in locis ad hoc destinatis, Principi obtemperat permittenti Meretrices ad bonum commune, & statuenti locum ubi commorari debent; quod profecto locum non habet in Matre invitante filium ad cœnam in die jejunii. 2. Locando domum in loco destinato nec Meretricem invitat ad peccandum, nec cum illa peccantes inducit; sed solum permittit & Meretrices allicere ad peccandum & ad eas accedentes peccare. at hæc Mater filium ad violandum jejunium directe invitat & allicit, licet eo animo ut a majori crimine avertat, quod tamen non licere jam diximus, & probavimus. Falso tamen citat Colletus S. Antoninum 2. P. tit. 6. cap. 3. §. 1. quasi docentem, licere Tabernariis carnes ministrare perditis hominibus in die jejunii, si incendium domus, aut vulnera hospiti minitentur, vel si imminet probabile periculum majoris mali, blasphemiæ v. g. & perjurii, cum in toto eo capite, quod accurate lustravi in Editione Veronensi, & de ebrietate pertractat, nec verbum habet de hac permissione. Sed ad rem nostram revertentes, multo magis peccat qui alium non dispositum ad cœnandum, ad cœnam secum invitat, duo enim perpetrat peccata, 1. dum ipse jejunium violat, alterum dum alium ad violandum invitat. Similiter licet minus peccet qui cœnans licite quia vel impransus est, vel jejunii lege non obstringitur, alium legi jejunii obnoxium ad cœnam secum invitat, peccat tamen, cum in altero transgressionis jejunii in causa sit.

VI. Peccant qui operarios conducere nolunt, nisi pacto inito ne jejunent, & qui vetitos cibos in Quadragesima venales publice exponunt. Primam doctrinæ partem confirmat S. Tho. in IV. Dist. 15. qu. 3. art. 2. quæstiuncula 4. ad 3. scribens: „ Nec illi a peccato immunes sunt, qui operarios conducere „ nolunt, nisi tali pacto, ut jejunium „ solvant; nisi forte sit causa necessaria, quæ festinationem operis, pro „ quo laboratur, exposcat “. Et jure ac merito, quia jam docuerat, solum tunc laborem jejunium impedientem assumi posse, quando non major utilitas, non lucrum, sed sola *necessitas* ad laborandum compellit. Quando itaque necessitas operis ad operarios urgendos cogit debet conductor eos de operis necessitate & de labore subeundo commonefacere, deinde operariis relinquere, ut vel laborem cum jejunio consocient si possint, vel a jejunio abstineant, si experiantur ex tali labore jejunium sibi in magnum gravamen & damnum cedere. Peccant pariter Domini, qui servos suos jejuniorum diebus ita gravibus laboribus onerant, ut jejunare non possint, si laboriosa opera vel in alios dies possunt differre vel ita in plures dividere absque suo gravi damno, ut servi & operarii jejunare valeant. Altera quoque pars est de se manifesta. 1. Quia & Principes & supremi Magistratus curant, ut in Quadragesimæ diebus non passim & ubique vetiti cibi venales exponantur, sed certa quædam constituunt loca, ubi pro infirmis & egentibus veneant. 2. Quia publica, & inverecunda carnium, & vetitorum ci borum expositio in scandalum cedit, & contemptum

ptum Quadragesimalis jejunii tum Catholicis tum Heterodoxis, illis quidem quia violandi præceptum occasionem præbent, & ad cotemnendam Ecclesiæ legem, vel saltem parvi faciendam inducunt, istis vero, quia dum passim vetitos cibos venales expositos cernunt, Catholicam derident Ecclesiam, & eos solum dicunt jejunare Catholicos, qui vel superstitiosi sunt, vel emere non possunt. Vendentes itaque privatim & sine scandalo iis vendere carnes aliosque cibos vetitos possunt, quos certo vel prudenter norunt esse a jejunio dispensatos, vel bona fide procedentes iis vendunt, de quibus ipsis certo non constat ad violandum jejunium emere. Licet etiam & Hæbræis vendere carnes in Quadragesima, non vero Hæreticis, illis quidem, quia legibus Ecclesiæ non subjiciuntur, istis vero, quia & præfatis legibus obstringuntur, & in virtualem saltem Ecclesiæ Catholicæ contemptum carnibus vescuntur, & cœnant.

VII. Pœnæ in Quadragesimalis jejunii violatores indictæ tum legibus Ecclesiasticis tum secularibus hæ erant. 1. Clerici e suo gradu deponebantur: sic statutum legitur in Concil. Carthag. IV. can. 8. *Clericum, qui tempore jejunii absque inevitabili necessitate jejunium rumpit, minorem babendum*, idest ex suo gradu deturbandum. In Concilio vero Toletano VIII. anno 653. celebrato, jejuniorum violatores Communione in die Paschatis privabantur; & per annum a carnibus abstinere in pœnam cogebantur; sic enim statuit: *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solum reus sit Resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sanctissima Communione, & hoc illi cumulatur ad pœnam, ut ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam*. Leges vero temporales vel dentium avulsione, vel etiam morte sacrorum jejuniorum violatores mulctabant. In Capitulari Caroli M. pro partibus Saxoniæ edito anno 789. decernebatur: *Si quis sanctum Quadragesimale jejunium contempserit, & carnem comederit, morte moriatur*. Et Ditmarus Episcopus Mesopurgensis narrat lib. 8. hanc viguisse inter Polonos legem & consuetudinem, *ut quicumque post sexagesimam* (tunc enim more Græcorum apud ipsos incipiebat Quadragesimale jejunium) *carnem manducasse invenitur, hæc abscissis dentibus graviter puniatur*. Ad attendant studiosi Sacramenti Pœnitentiæ Ministri, nec levi satisfactione imposita hosce temerarios jejuniorum & præsertim Quadragesimalium violatores facile absolvant, sed talem indicant satisfactionem, qua violatum jejunium compensent, tot indicendo per annum jejunii dies, quot in Quadragesima violasse deprehenderint sive carnes comedendo, sive refectiones multiplicando. Et revera quis credat in Paschate christianos illos vere de hoc crimine pœnitere, quod per quadraginta dies multiplicarunt, & quidem deliberato obfirmatoque animo, cum ita sint animo affecti, ut si denuo vergeret Quadragesimale jejunium, denuo illud violarent? „ Ego quidem (sic Auditoribus „ suis prædicabat piissimus Pater la Colombiere Tom. 2. Serm. 72. de Quadragesimali jejunio) tam puto falsam horum pœnitentiam, ut eis absolutionem impertiri non auderem, „ ne Christi Sanguinem prophanarem, „ nisi forte eos ita animo affectos cer-

„ nerem, ut paratos se exhiberent ad „ jejunium per quadraginta dies subeundum, hoc enim solum pacto certior fieri possem, illos vere de violato jejunio quadragesimali pœnitere".

REFLEXIO.

Non immerito postremis hisce temporibus bini Summi Pontifices *lacrymis satis se deplorare non posse ingemuere, sacrum Quadragesimale jejunium inter orthodoxæ disciplinæ præcipua Capita adnumeratum, ipsius Domini N. J. C. exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, a Sacris Canonibus præscriptum, ab universali Ecclesia ab ipso sui primordio retentum, & observatum*, ita & fidelium perversa consuetudine, & Superiorum nimium facili benignitate, & lenitate, ac denique Theologorum laxis doctrinis labefactatum esse & corruptum, *ut orthodoxæ Religionis cultores merito querantur, hæresum vero Sectatores illudant & exultent*. Addunt quidem a se omne adhibitum studium, ut *pluribus labefactata corruptelis quadragesimalis jejunii disciplina, ad pristinam observantiam revocaretur, & adhuc verendum, ne subinde infirmiorum animis novas humani generis hostis rationes pravasque suggerat* CONSUETUDINES. *quibus enervata jejunii severitas unde revocata dudum fuerat, illuc iterum relabatur*. Revera heu quot sunt inter fideles, qui jejunii præceptum nec secundum literam custodiant, nec secundum spiritum amplectuntur!

II. Et certe nec præcepti litteræ se conformant Fideles illi, qui falsis innixi Theologorum doctrinis, & assertis ab ipsis consuetudinibus, vel sub levissimæ concessæ dispensationis umbra carnes comedunt, refectiones multiplicant, atque tuta conscientia sacram violare jejunii legem sibi licitum arbitrantur. Qui œconomiæ titulo ne mensas multiplicent, & pecuniæ parcant, totam familiam ad ciborum vetitorum esum & exemplo & verbis & jussu compellunt. Qui infirmitatem vel obtendentes, vel inaniter timentes lege jejunii minime teneri falso & summo animæ periculo sibi blandiuntur. Qui Indico potu de mane se recreant, ad prandium ad satietatem usque comedunt, postea vini potus multiplicant, semper aliquid cibi adjungentes, ne ex liquoris abundantia detrimentum patiantur, & denique refectiuncula sumpta octo unciarum cujuscumque cibi, etiam valde nutrientis, sacrum jejunium se plene perfecteque complesse arbitrantur. At istos jejunii prophanatores redarguit Ecclesia, quæ eos anathemate ferit, dum in Gangrensi Concilio pronuntiat can. 19. „ Si quis absque necessitate corporea tradita in commune jejunia, „ & ab Ecclesia custodita superbiendo „ dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit; quæ eos in „ Paschate a Sacra Communione repellit". Redarguunt SS. Patres, dum jejunii necessitatem ad sempiternam evitandam damnationem inculcant. Audiant S. Cyrillum Alexandrinum Hom. 1. Pasch. sic eos redarguentem; „ Libenter eos rogem jejunium an æterna „ supplicia existiment. Cum ergo utrumque nobis necessitas properat, cur id „ quod præstantius est eligentes, non „ ipsi de nobis quam rectissime statuamus? Necesse est enim aut per labores liberari a malis, aut si illos recuses, flammis inextinctis mulctari". Redarguunt historiæ Scriptores; narrat enim Nicephorus lib. 3. cap. 32. Justiniani

ftiniani Imperatoris temporibus graviffima urgente fame laudatum Principem juffiffe venales carnes Quadragefimæ tempore publice exponi, at populum jejunii religione tactum voluiffe potius fame perire, quam ab Ecclefiaftica difciplina recedere, „ mortem fibi (inquit laudatus Auctor) potius tolerandam ac fubeundam exiftimans, „ quam ut quidpiam de paternis moribus, ac traditionibus immutaret". Redarguunt denique & ipfi Medici vere Chriftiani, qui Quadragefimale jejunium non officere corporibus teftantur, & nimiam difpenfationis concedendæ benignitatem improbant. Zachias lib. 9. tit. 1. qu. 2. ex celebrioribus Medicis Hippocrate & Galeno oftendit, jejunium corporibus effe proficuum & falutare, pifcium efum non officere, nam fcribit: „ Univerforum propemodum „ fuccus bonus eft, & omni culpa va„ cant quicumque in mari verfantur „ (pifces) pelagii, faxatiles, quos „ igitur in cibum fumpfiffe perpetuo „ tutiffimum fuit". Qui fic Medicos collegas fuos chriftiane monet l. l. q. 5. „ Dicant tam Medici quam eorum „ confultores non effe petendam abfo„ lutionem a jejunii obligatione illico „ atque læfum quis fe fenfis a jejunio, „ fed potius quærendum, an aliqua je„ junandi ratio fit, quæ fit magis fa„ lubris, quam præterita. Sunt enim, „ qui ab aliquo cibo particulari in je„ juniis confueto noxam percipiunt; hi „ fi hunc abufum omiferint, jejunium „ de cetero commodiffime fervare pof„ funt". Talia habet & Hequetius de jejun. Thef. 5. „ Prævaricantur „ quamplures, qui ex præpoftera vale„ tudinis cura efum pifcium fibi offi„ cere illico caufantur, & ideo ad ab„ ftinendum carnibus fe non obftringi „ dicunt, prævaricantur, inquam, etfi „ Medicos confulant, a quibus fchedu„ las, quibus impetrant facultatem „ edendi ova aut carnes, obtinent, vel „ faltem extorquent. Neque a violati „ jejunii peccato immunes funt ejuf„ modi Medici, qui indulgentius quam „ par eft agunt cum multis v. g. Nobilibus.

III. A fpiritu vero jejunii recedunt omnes illi fideles, quos merito redarguit S. Auguftinus fer. 210. fcribens: „ Sunt quidam obfervatores. Quadra„ gefimæ delicioli potius quam religiofi „ exquirentes novas fuavitates, magis „ quam veteres concupifcentias cafti„ gantes, qui copiofis pretiofifque ap„ paratibus fructuum diverforum, quo„ rumlibet obfoniorum varietates & fa„ pores fuperare contendunt. Vafa, „ quibus coctæ funt carnes, tanquam „ immunda formidant. Jejunant non „ ut folitam temperando minuant eda„ citatem, fed ut immoderatam diffe„ rendo augeant aviditatem. Nam ubi „ tempus reficiendi advenerit, *opimis* „ *menfis* tanquam pecora præfepibus ir„ ruunt, *numerofioribus ferculis* corpora „ obruunt, ventrefque diftendunt. Tan„ quam non fit Quadragefima piæ hu„ militatis obfervatio, fed *novæ volup*„ *tatis* occafio. Quid autem abfurdius „ quam tempore, quo caro *arctius ca*„ *ftiganda eft*, tantas carni fuavitates „ procurare, ut ipfa faucium concu„ pifcentia nolit Quadragefimam præ„ terire? Quid inconvenientius, quam „ in diebus humilitatis, quando *pau*„ *perum victus omnino imitandus eft*, ita „ vivere, ut fi toto tempore fic viva„ tur, vix poffint divitum patrimonia „ fuftinere? . . . Illi qui fic a carnibus „ temperant, ut alias efcas difficilioris „ præparationis & majoris pretii inqui„ rant,

„ rant, *multum errant*. Hoc enim non „ est suscipere abstinentiam, sed mu- „ tare luxuriam “.

IV. Expergiscimini igitur Catholicæ Ecclesiæ filii, & aliquando sapite: „ Deus (verba sunt pientissimi Viri „ Danielis Concinæ in Commentario „ cap. 3. §. 3. n. 25.) non irridetur. „ Jejunia necessaria sunt, quia pecca- „ stis, necessaria, ne peccetis. De- „ bita ob patrata scelera contracta sol- „ venda divinæ justitiæ sunt. Effrænis „ concupiscentia, quæ libidinis flam- „ mas accendere pertentat, compri- „ menda est. Quam impotens in vobis „ luxuria sit, quam vehemens concu- „ piscentia, quam necessario sit adhi- „ bendum jejunii frænum, non Medi- „ cis, non Parochis, non Theologis, „ sed vobis ipsis solis exploratum est. „ Vos soli omnino estis vestræ egestatis „ callentissimi. Quid ergo bonam fidem „ obtruditis, quid Medicorum, Theo- „ logorumque auctoritatem allegatis ad „ excusandas excusationes in peccatis? „ Quid ignorantiæ velamen prætendi- „ tis illecebris vestris? Ignorantia hæc „ voluntaria est & affectata. Vellem „ omnibus animis insitum effatum S. „ Bernardini Senesis: *In quolibet statu* „ *in Ecclesia Dei, & in quolibet repe-* „ *ries innumerabilem multitudinem igno-* „ *rare quæ illi necessaria sunt ad salutem* „ *secundum statum suum, quæ ignoran-* „ *tia a culpa mortali non liberat, neque* „ *excusat* “.

V. Adeste & vos Confessarii inclyti: adeste Concionatores fervidi: adesse solliciti Animarum Pastores: adesse infulata Capita Antistites ac Præsules, Religiosi atque Ecclesiastici universi. Vos vos ego contestor omnes, vos, quos Dei amor urit, proximorumque ab æterno interitu retrahendorum cura saltem aliqua tangit, solicitudines curasque vestras Summorum Pontificum Benedicti XIV. & Clementis XIII. solicitudinibus studiisque adjungite, vexillum erigite, tuba canite, lingua & calamis clamate: „ Considerantes (ut „ inquit x. lo. laudatus Pontifex in suo „ Brevi *Non ambigimus*) nihil Deo ac- „ ceptius, nihil pastorali ministerio „ vestro dignius, nihil gregibus curæ „ vestræ commissis, quam ut verbo & „ exemplo præeuntes Christifideles ad „ tam salutarem christianæ pœnitentiæ „ & pietatis exercitationem alacrius su- „ scipiendam, constantissime retinen- „ dam, & ea qua instituta fuit disci- „ plina peragendam vehementius obni- „ temini omni opera atque industria stu- „ dentes, ut fideles in conspectu Dei „ per austeriorem jejuniorum observan- „ tiam tales permaneant, quales in „ ipso Paschali Festo dignum est inve- „ niri “.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE TERTIO ET QUARTO ECCLESIÆ PRÆCEPTO,

ANNUA CONFESSIONE, ET PASCHALI COMMUNIONE.

HÆc duo Ecclesiæ Præcepta satis indicant, quantum in fidelium cordibus erga Deum caritas deferbuerit, seu ut verius dicam, quam minimum dominetur; sunt enim nunc præceptis & anathemate compellendi ad ea suscipienda Sacramenta, quæ olim Christiani ex Caritatis fervore pœne quotidie sumebant, & quibus carere vel privari eis durissimum, & asperum nimis videbatur. Nos in hac Dissertatione ea tantum sumimus expendenda de publici Sacramento Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quæ Ecclesiæ præceptum respiciunt, proinde nec eorum necessitatem, conditiones, materiam, cæteraque ad ea spectantia exponenda suscipimus, suo loco horum omnium tractationem reservantes. De sola igitur ab Ecclesia inducta obligatione annuæ Confessionis & Paschalis Communionis paucis capitibus agemus. Sit itaque

CAPUT PRIMUM.

DE PRÆCEPTO ANNUÆ CONFESSIONIS INDICTO:

Peccata tua Sacerdoti proprio annis singulis confitere.

DOCTRINA.

I. *Datur verum & rigorosum præceptum de annua Confessione.*

II. *Quod in se est juris Divini, Ecclesiastici vero quoad temporis determinationem.*

III. *Quinam Ecclesiastico præcepto subjiciuntur.*

IV. *Valida indicitur Confessio, & apta ad gratiam obtinendam.*

V. *Peccata venialia non sunt materia necessaria Confessionis.*

VI. *Ad quid teneatur qui sola per annum admisit leviora peccata.*

VII. *Confessio est facienda ore proprio Pœnitentis.*

VIII. *Et proprio Sacerdoti.*

IX. *Quo anni tempore obliget.*

X. *Quodnam sit hujus præcepti objectum.*

XI. *Quomodo computandus annus in ordine ad annuam Confessionem.*

XII. *Quinam ab hoc præcepto excusentur.*

XIII. *Pœnæ, quibus subjacent hujus præcepti violatores.*

I. VERUM & rigorosum ab Ecclesia impositum cunctis fidelibus præceptum annuæ Confessionis omnes ad unum

unum docent, & prædicant Canonistæ & Theologi, licet fortassis de hoc dubitaverit, vel dubitanter locutus sit Durandus in IV. sent. dist. 17. q. 14. Nam revera hoc indictum mandatum habetur in Lateranensi Concilio anno 1215. celebrato sub Innoc. III. & confirmatum in Tridentino. Sic enim in priori decernitur: „ Omnis utriusque „ sexus fidelis, postquam ad annos „ discretionis pervenerit, omnia sua „ solus peccata confiteatur fideliter, „ saltem semel in anno, proprio Sa„ cerdoti, & injunctam sibi Pœniten„ tiam studeat pro viribus adimplere, „ suscipiens reverenter ad minus in „ Pascha Eucharistiæ Sacramentum, „ nisi forte de consilio proprii Sacerdo„ tis ob aliquam rationabilem causam „ ad tempus ab ejus perceptione du„ xerit abstinendum, alioquin & vivens „ ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & „ moriens christiana careat sepultura “. Tridentina vero Synodus idem confirmans statutum sic indicit sess. 14. can. 8. „ Si quis dixerit, Confessionem om„ nium peccatorum, qualem Ecclesia „ servat, esse impossibilem, & traditio„ nem humanam a piis abolendam, aut „ ad eam non teneri omnes, & singu„ los utriusque sexus Christifideles, „ juxta magni Concilii Lateranensis „ Constitutionem, semel in anno, & „ ob id suadendum esse fidelibus, ut „ non confiteantur tempore Quadrage„ simæ; anathema sit “. Porro hujus præcepti gravitatem ostendit tum materia ipsius præcepti, quæ gravissima est, tum pœna transgressoribus indicta, quæ profecto levi culpæ convenire non potest. Immo anathemate feriendus esset, qui hoc præceptum inficiari auderet, ut ex Tridentino Decreto constat.

II. Hocce præceptum Confessionis pro in peccatum lapsis est quidem in se juris plane Divini, & solum juris Ecclesiastici est quoad tempus ab Ecclesia definitum, ut egregie docet S. Thom. in IV. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiuncula 3. in corp. scribens: „ Ad Confessionem „ dupliciter obligamur, uno modo ex „ jure Divino ex hoc ipso quod est me„ dicina, & secundum hoc non omnes „ tenentur ad Confessionem, sed illi „ tantum qui peccatum mortale incur„ runt post Baptismum: alio modo ex „ præcepto juris positivi, & sic tenen„ tur omnes ex constitutione Ecclesiæ „ edita in Concilio generali sub Innoc. „ III. tum ut quilibet se peccatorem re„ cognosceret, tum ut cum majori re„ verentia &c. “.

III. Huic itaque Ecclesiastico præcepta subjiciuntur omnes Fideles baptizati & mares & feminæ, cum ad usum pervenerint rationis, ut statuit Innoc. in laud. Decreto: quamobrem obligantur & Hæretici, qui ex susceptione Baptismi legibus subjiciuntur Ecclesiasticis. Ad usum vero rationis tunc puerum pervenisse censendum est, ut explicat Tridentini Concilii Cath. P. 2. de Sacr. Pœnit. num. 58. „ Cum inter „ bonum & malum discernendi vim „ habet, in ejusque mente dolus cade„ re potest; nam cum ad id vitæ tem„ pus quisque pervenerit, in quo de „ salute æterna deliberandum est, tum „ primum Sacerdoti peccata confiteri „ debet “. Licet autem ætas doli capax certo aliquo annorum numero definita non sit, in plerisque tamen frequentius post septennium occurrit, at si fortassis in aliquibus ante lumen rationis affulgeat, adeo ut peccare lethaliter possint, etiam ante septennium Confessionis præcepto subjicientur, ut con-

contigit in illo quinquenni puerulo, quem narrat S. Greg. Magn. lib. 4. Dialog. cap. 18. ad inferna raptum ob blasphemias, quibus proferendis jam assueverat. Lumen quoque discretionis in iis jam cœpisse credendum est, qui mendacii & furti turpitudinem apprehendunt qui de impudicis quibusdam illius ætatulæ actibus erubescunt, at isti licet fortassis sufficientem discretionis spiritum obtineant ad peccandum, ac proinde præcepto confessionis habendæ obstringantur, non tamen semper æqualem habent ad pœnitendum, cum, facilius cognoscere queant peccati turpitudinem & malitiam, quæ & ipsi naturali verecundiæ adversatur, & difficilius ad cognitionem perveniant gravitatis peccati, divinæ offensæ, & supernaturalis doloris ad veram confessionem necessarii. Quamobrem optime monet S. Carolus Borromæus in sua Instruct. Confess. cap. 9. „ Optimæ erit consuetudinis „ puellas & puellulos, etiamsi quintum „ aut sextum ætatis annum nec dum „ excesserint, ante Confessarium adducere, ut sic incipiant paulatim instrui, ac manu quasi in cognitionem „ atque usum hujus Sacramenti transferri. Caveant tamen accurate Sacerdotes, ne absolutionem eis præbeant, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur, ut extra controversiam judicare possint eos hujus Sacramenti capaces esse ". Ex qua S. Caroli Instructione patet, non esse admittendam doctrinam plurium Casuistarum, licere pueris absolutionem sub conditione impartiri, si enim dubium sit, num dolorem necessarium, & firmum concipiant propositum de peccatis lethalibus commissis, differenda est illis absolutio, ut de Sacramento Pœnitentiæ agentes fusius ostendemus. Parentes autem, Magistri, & Pœdagogi, qui puerorum curam gerunt, si forte animadvertant, eos quidem commisisse peccata, de quibus merito dubitare possint, utrum sint mortalia, eos ad confessionem urgere debent, ut Ecclesiæ præceptum impleant, cui jam hoc ipso, quod dubium sit num lethaliter peccare possint, subjiciuntur. Nec omnes amentes ab hujus præcepti onere immunes sunt habendi; nam frequenter contingit, aliquos ex illis in aliquibus tantum materiis desipere, qui tamen cum de Confessione agitur, rationis se compotes ostendunt., & pariter plures sunt, qui lucidis gaudent intervallis, in quibus peragendæ confessionis capaces dignoscuntur, quamobrem ad Ecclesiæ præceptum tunc implendum obstringuntur.

IV. Vi hujus præcepti tenetur homo validam Confessionem, & sinceram facere, nec satisfacit præcepto per invalidam, multoque magis sacrilegam Confessionem. Hæc doctrina certissima omnino est ex Ecclesiæ definitione, qua Alex. VII. propositionem damnavit in ordine 19. asserentem: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*. Et jure quidem, cum Ecclesia eam determinato tempore præcipiat confessionem, quæ fidelibus cunctis ex divino præcepto indeterminate necessaria est ad peccatorum remissionem obtinendam; porro sicut qui invalidam, vel voluntarie nullam elicit Confessionem, nec divinum præceptum implet, nec remissionem consequitur peccatorum ergo nec Ecclesiæ præcepto setisfacit. Quamobrem quicumque voluntarie nullam confessionem facit sive ex contritionis & doloris deficientia, sive ex peccatorum occultatione, sive propositi carentia, præceptum non implet. Non

vero fatisfaciat præcepto, qui Confeffionem quidem validam, fed informem efficeret, non ex definitione pendere puto fpeculativæ illius controverfiæ, num detur Sacramentum validum fed informe, quam fuo loco breviter potius indicabimus, quam difcutiemus cum de Sacramento Pœnitentiæ difputabimus, fed abfolute pronuntiandum cenfeo, non fufficere ad impletionem Ecclefiaftici præcepti, nam qui hanc Confeffionem validam quidem fed informem elicit, vel novit informem fuiffe, ideft fuo effectu caruiffe, vel ignorat; fi ignorat, excufabitur quidem a culpa, fi iterum non confiteatur, cum bona fide putet fe ne dum validam, fed & formatam confeffionem peregiffe; at fi noverit, vel poftea deprehendat peractam a fe Confeffionem licet validam, fuiffe tamen informem, procul dubio iterum confiteri tenetur, nam præceptum eft de Confeffione utili, fructuofa, ad gratiam fanctificantem obtinendam idonea: porro illa confeffio licet valida, cum idonea tamen non fuerit ad remiffionem obtinendam, idem eft ac fi peracta vel habita non fuiffet, nulla autem confeffio non eft Confeffio, fed Confeffionis fimulacrum, per eam igitur non impletur Ecclefiæ præceptum, fed alia eft fubeunda plena ac perfecta exomologefis, qua fidelis prudenter credere poffit, fe peccatorum remiffionem effe confequutum.

V. Licet ex præcepto annuæ confeffionis teneantur fideles omnia a fe commiffa peccata mortalia confiteri, non tenentur tamen fimul ex eodem præcepto & venialia manifeftare, quandoquidem venialia non funt materia neceffaria præcepti etiam divini de Confeffione facienda, cum poffit fidelis eorum confequi remiffionem etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, ut declaravit Tridentina Synodus feff. 14. cap. 5. docens: „ Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ „ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter citraque omnem præ„ fumptionem in Confeffione dicantur, „ quod piorum hominum ufus demon„ ftrat; taceri tamen fine culpa, mul„ tifque aliis remediis expiari poffunt". Quamobrem nunquam Ecclefia venialium abfoluto, omnibufque fidelibus communi præcepto confeffionem præcepit, quam tamen jufte mandat & jubet volenti aliquam lucrari indulgentiam, vel Jubilæum, quando pro ejus confecutione Confeffionem ftatuit præmittendam.

VI. At fi quis toto anno nullum lethale crimen admifit, an teneatur de venialibus confiteri, ut annuæ confeffionis præcepto fatisfaciat, operofius quam opus fit inquirunt Theologi, cum in praxi vix locum habeat hujufmodi quæftio; quandoquidem qui per annum integrum ab omni lethali abftinet, etiam frequenter confitetur; fieri enim vix poteft, ut quis conftanter diutius in gratia perfeveret fine mediis a Chrifto ad gratiæ fanctificantis confervationem inftitutis, inter quæ præcipue locum habet Sacramentorum frequentia; qui vero integro anno a Sacramentorum perceptione abftinet, difficile admodum eft, ne in peccatum labatur, aut faltem prudenter non dubitet, quin in tot periculis occafionibufque peccandi, nec non tentationibus urgentibus in aliquod peccatum lapfus fit. Satis itaque puto ad laudatam quæftionem D. Th. doctrinam hic proferre, qui in Suppl. qu. 6. art. 3. primo fi docet: „ Ad „ Confeffionem dupliciter obligamur, „ uno modo ex jure divino, ex hoc „ ipfo quod eft medicina, & fecundum

hoc

„ hoc non omnes tenentur ad Confef„ fionem, fed illi tantum, qui pecca„ tum mortale incurrunt per Baptif„ mum. Alio modo ex præcepto juris „ pofitivi, & fic tenentur omnes ex „ inftitutione Ecclefiæ edita in Conci„ lio generali fub Innoc. III. tum ut „ quilibet peccatorem fe recognofceret „ quia *omnes peccaverunt, & egent gra„ tia Dei*: tum ut cum majori reve„ rentia ad Euchariftiam accedatur: „ tum etiam ut Ecclefiarum Rectoribus „ fui fubditi innotefcant, ne lupus in„ tra gregem lateat". 2. In refp. ad 3. explicans inftitutionem Ecclefiæ in Concil. Lateran. fic fcribit: „ Ex vi „ Sacramenti non tenetur aliquis venia„ lia confiteri, fed ex inftitutione Ec„ clefiæ, quando non habet alia quæ „ confiteatur. Vel poteft dici fecundum „ quofdam, quod ex Decretali prædi„ cta (Innoc. III.) non obligantur nifi „ illi, qui habent peccata mortalia, „ quod patet ex hoc, quod dicit, quod „ debent omnia peccata confiteri: quod „ de venialibus intelligi non poteft: „ quia nullus omnia confiteri poteft: & „ fecundum hoc ille, qui non habet „ mortalia, non tenetur ad confeffio„ nem venialium; fed fufficit ad præ„ ceptum Ecclefiæ implendum, ut fe „ Sacerdoti repræfentet, & fe oftendat „ abfque confcientia mortalis effe; „ & hoc ei pro confeffione reputatur". Ex hac igitur S. Thom. doctrina certo colligitur 1. unumquemque fidelem five juftum, five peccatorem teneri fe Miniftro Sacramenti præfentare, & ftatum confcientiæ fuæ prodere, confitendo fe nullo lethali peccato obftringi. Hanc præfentationem pro Confeffione reputari, cum ex ipfa triplex ille finis ab Ecclefia intentus in fuo præcepto obtineatur: nam 1. fe peccatorem agnofcit, & gratia Dei indigere; tum quia licet lapfus in mortale non fit, fe tamen peccare potuiffe confitetur, & folum divina adjuvante gratia abftinuiffe; tum etiam quia fuggerente ftudiofo Confeffario de peccatis venialibus commiffis admonebitur, & ad ea ftudiofus præcavenda hortabitur, ne modica fpernens paulatim decidat. 3. Cum majori reverentia ad Euchariftiam accedet, accepta a Confeffario benedictione, & pronuntiatis orationibus, quæ abfolutionem præcedunt & fubfequuntur, quæ facramentalia funt, & ad venialia peccata delenda conferunt. 4. Subditus notus fiat Superiori, nec periculum ullum erit ne lupus intra gregem lateat. Sic etiam hac præfentatione fcandalum tollitur, quod oriri poffet ex omiffa annua confeffione, nec locum haberet excufatio illorum, qui ad Ecclefiæ vitandas pœnas caufarentur, fe non effe fibi mortalis peccati confcios, nam revera ad pedes Confeffarii provoluti quod dicendum erat illi, aperuerunt.

VII. Confeffio autem eft facienda ore proprio Pœnitentis, vel faltem per nutum, vel fcripturam, aut per interpretem, fi alio modo non poffit, non vero per literas abfenti ad fatisfaciendum præcepto Ecclefiæ. Primam doctrinæ pofitæ partem certam omnino effe nullus dubitat, quia ut fcribit S. Th. Quodl. 1. art. 1. in corp. „ De neceffitate Sacramenti eft, quod pœnitens fua peccata manifeftet . . . . „ Sed quod fiat manifeftatio verbo, „ non eft de neceffitate Sacramenti „ . . . . Sed ex Conftitutione Eccle„ fiæ tenetur homo qui poteft ut ver„ bo confiteatur, non folum propter „ hoc, ut ore confitens confitendo „ magis erubefcat, & qui ore pec„ cavit ore purgetur, fed etiam quia fem-

quidem oppositum docere videtur S.Th. in Suppl. q. 9. art. 3. ad 2. ubi sic scribit : „ In eo , qui usum linguæ „ non habet , sicut est mutus , vel qui „ est alterius linguæ , sufficit quod per „ scriptum , aut per nutum aut *per in-* „ *terpretem* confiteatur ... & ideo quan- „ do non possumus uno modo, debemus „ secundum quod possumus confiteri ". Debitum igitur agnoscit S. D. confessionis faciendæ per interpretem ; at hoc debitum non limitat ad præceptum divinum , ergo videtur docere , quotiescumque urget debitum confessionis faciendæ, urgere & debitum faciendi eo modo quo possumus ; idest sine ore , saltem per nutum , vel per scripturam , sive interpretem . 2. Sequeretur , ut qui in Regionibus Infidelium morantur , nec Confessarios reperiunt , qui ejus linguam intelligant , posse & per plures annos a Confessione abstinere , licet sint peccatorum gravissima sarcina onerati; quod & ipsi Concinæ adeo videtur absurdum, ut tunc saltem divinum præceptum urgere putet . 3. In præcepto & substantia præcepti & modus , præcepti implendi præstituitur : at quando quis potest implere præceptum quoad substantiam , sive quoad præcipuam & majorem sui partem , non ab eo liberatur eo quia modum & minorem partem implere non possit , ut patet in propositione 54. damnata , quæ asserebat : *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes , potest autem reliquas horas , ad nihil tenetur , quia major pars trahit ad se minorem* . Et in Quadragesimali jejunio , in quo qui a carnibus abstinere non potest , non ideo a jejunio liberatur . Et confirmat in Comunione Paschali Concina , ut suo loco dicemus . Porro qui potest semel in anno Confessionem elicere , quod est principale in hoc Ecclesiæ præcepto , ab eo igitur non solvitur quia non potest minorem partem implere confitendo , per seipsum sua peccata , tenetur igitur eo quo potest modo præceptum implere . Denique dum per interpretem confitetur , eo utitur tanquam instrumento ex necessitate adhibito ad sua manifestanda peccata ; quamobrem adhuc dici potest, quod *SOLUS* confiteatur , idest aliis non audientibus , aut sua peccata scientibus ; sicut in judicio unus & solus dicitur Testis ; licet testimonium suum non ex ore proprio, quia linguam judicis interrogantis ignorat , sed per interpretem dicat & proferat . Nec major illa difficultas, & erubescentia , quæ subeunda est , dum quis per interpretem confitetur, tanti est facienda , ut illum ab onere liberet implendi tam ad salutem necessarium præceptum quod non est nisi determinatio divini præcepti de Confessione a peccatoribus habenda . Hæc sententia & admodum probabilis mihi apparet, & certe saltem æque probabilis ac opposita , in praxi igitur amplectenda , utpote quæ in tuto salutem animæ ponit . Quarta denique pars modo certa omnino est , cum Clemens VIII. doctrinam reprobaverit asserentium , *licere confiteri absenti per literas* , ut suo loco dicemus .

VIII. Jubet præterea Lateranense Concilium annuam Confessionem *proprio* Sacerdoti esse faciendam . At quinam sit *proprii* Sacerdotis nomine intelligendus , olim acriter decertatum est . Joannes de Poliaco ita putabat esse solum Parochum , ut affirmare ausus sit , nec Papam dispensare vel concedere posse , ut fideles alteri confiterentur Sacerdoti, cujus tamen doctrinam damnavit 2. Jo. XXII. & postea Alex. V. Alii vero asserebant concedi quidem posse , at revera minime dari , licet alii a Parocho pro

pro excipiendis confessionibus adprobentur, sed adhuc omnes teneri in Paschate, vel semel in anno proprio Parocho peccata sua confiteri, contra quos strenue dimicarunt S. Thom., S. Bonaventura, Adrianus aliique. At nondum finita lis, nam inter recentiores Theologos & Canonistas non desunt, qui censent, adhuc Confessionem in Paschate esse apud proprium Parochum faciendam, inter quos præcipue adnumerantur Juveninus de Sacramentis Diss. 6. qu. 5. cap. 14. art. 3. Van-Espen P.2. tit. 6. cap. 5. Launojus, aliique, & hanc esse propugnant Gallicaniæ Ecclesiæ sententiam. Contra hos tamen decertavit Natalis Alexander in Hist. Eccles. Diss. IV. ad Sec. XIII. & XIV. ubi luculenter evincit, Gallicanam Ecclesiam aliter sentire, & in pluribus Conciliis etiam Provincialibus docuisse, Regulares posse secularium Confessiones etiam Paschali tempore excipere, si tamen ab Episcopo sint pro Confessionibus adprobati. Sed rem extra omnem dubitationem posuere plures Romani Pontifices, Clemens VIII. literis anno 1592. ad Belgas datis: Innocent. X. Const. edita die 5. Febr. an. 1645. & denique Clemens X. Constitutione *Superna* promulgata 20. Junii 1670. qua aperte definivit: „ Eos, qui Religiosis simpliciter approbatis Paschali „ tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit *Omnis utriusque sexus*, „ quoad Confessionem dumtaxat satisfecisse censendos ". Et revera ajebat Adrianus in IV. quæst. 5. de Confess. „ Quemadmodum proprii Sacerdotis licentia sufficit, quominus juxta præceptum Concilii generalis teneatur „ confiteri proprio Sacerdoti, ita sufficere videtur licentia Episcopi, Summi Pontificis, aut eorum quibus ad „ hujusmodi negotia commiserunt suam „ potestatem, ut est Vicarius Episcopi, & Pœnitentiarius Papæ ". Sed rursum laudatus Juveninus in suo Gallice scripto Morali Opere de Sacram. Tr. 2. cap. 5. §. 3. docet, hanc esse Gallicanæ Ecclesiæ vigentem disciplinam. 1. In Diœcesibus Dominica Palmarum promulgatus a Parochis Canon., *Omnes utriusque sexus*. 2. In aliquibus Diœcesibus eodem tempore Parochi omnibus suis subditis facultatem impertiuntur Confessionem habendi indistincte apud omnes ab Episcopo adprobatos Ministros, & tunc valida & licita est habita Confessio. 3. In aliis vero mos est, ut Parochiani singillatim licentiam petant a Parocho, qua vel non petita, vel non obtenta invalida est & illicita facta Confessio. 4. In aliquibus denique nec petitur, nec conceditur hæc licentia sive generatim sive in particulari, sed Episcopi permittunt & tolerant, subditos suos indiscriminatim apud omnes adprobatos Confessarios pro Sacramento Pœnitentiæ accedere, & tunc quoque valida & licita est facta Confessio. Num vero hæc vera & rata sint noverint Gallicani Pœnitentiæ Ministri, quos vigenti disciplinæ se conformare oportet.

IX. Cum Ecclesia nullum in anno tempus determinaverit, in quo urgeat Confessionis habendæ præceptum, hinc sufficit illud intra annum implere, communius tamen in Quadragesima ex laudabili consuetudine solet impleri. Prima pars de se certa est, nam nullum designavit Ecclesia anni tempus, in quo sit sacra exomologesis peragenda ad suum implendum præceptum, sicut Paschale tempus designavit ad sacram suscipiendam Communionem: hinc qui intra primam Januarii, & postremam De-

Decembris diem omnia peccata sua confitetur, præcepto Ecclesiæ satisfacit. Altera vero pars constat ex Tridentino sess. 14. cap. 5. „ Ecclesia statuit . . . „ ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus impleatur, „ unde jam in universa Ecclesia cum „ ingenti animarum fructu observatur „ mos ille salutaris confitendi sacro il- „ lo, & maxime acceptabili tempore „ Quagragesimæ, quem morem hæc „ Sancta Synodus maxime probat, & „ amplectitur tanquam pium, & meri- „ to retinendum: Quæ tamen sacræ Synodi verba non ita sunt intelligenda, quasi debeat qui in initio anni peccatorum pondere se gravatum sentit, usque ad Pascha differre confessionem, multoque minus qui post Pascha peracta Confessione, & sumpta Communione in aliquod lethale peccatum incidit, possit laudabiliter ad alterum usque Pascha confessionem protelare, hic enim mos pius non esset, nec retinendus, sed perversa cunctatio abolenda, sed solum indicat illos, qui in peccato sunt, saltem consuetudinem omnium fidelium sequantur, ut in Quadragesima tandem resipiscant & ad Confessionem accedant: qui vero etiam pluries in anno confitentur, non per hoc in Paschate hujus Sacramenti susceptionem omittant. Hinc si in aliquibus Diœcesibus impletio hujus præcepti esset Quadragesimali tempori alligata, qui alio intra annum tempore confessionem peregissent, tunc quoque ad implendum præceptum confiteri iterum deberent, sicut qui extra Pascha Communionem pluries reciperent, adhuc in Paschate iterum ad Eucharistiam sumendam accedere tenerentur.

X. Illud tamen accurate perpendendum existimo ad plures peculiares casus definiendum, quodnam sit objectum hujus præcepti annuæ Confessionis, num videlicet omnia peccata quæ patrata sunt, & quæ menti obveniunt quando peragitur Confessio, an omnia peccata totius anni sint Ministro Sacramenti manifestanda sive una sive pluribus confessionibus, ideoque qui semel in anno confessus est omnia quæ usque ad illud tempus perpetravit, licet postea ante finem anni in alia labatur peccata, non teneatur iterum confiteri; vel qui semel vel pluries in anno confessus est quæ saltem perpetravit peccata venialia, si postea in mortale labatur ante finem anni, teneatur iterum confiteri ad implendum præceptum. Dissident in hoc de more Doctores. Salmanticenses, aliique ab ipsis laudati Theologi putant objectum præcepti esse confessionem peccatorum, quæ antea patrata sunt, licet non sint omnia illius anni: quamobrem si quis post sex a Paschate menses confiteatur omnia eousque commissa peccata, jam præceptum impleverit Ecclesiæ, nec amplius vi præfati præcepti tenetur, confiteri, licet postea in alia labatur mortalia, nisi forte per accidens ob sumendam Eucharistiam. Suam hanc doctrinam unica fulciunt ratione, nimirum quod Ecclesia unam tantum præcipiat Confessionem in anno, non plures. At non advertunt, eandem Ecclesiam præcipere confessionem *omnium* peccatorum in anno commissorum, non aliquorum tantum; & quidem omnium peccatorum, vel per unam Confessionem si semel tantum confiteatur, vel per plures si pœnitenti placeat eadem omnia peccata per annum commissa pluribus Confessionibus aperire quod profecto se desiderare ostendit dum dicit, ut *saltem* in anno omnia peccata confiteatur. Verum repo-

nunt

nunt cum Laymano contrariæ doctrinæ patroni, ideo omnium peccatorum confessionem Ecclesiam præcipere, quia hoc ad ipsam confessionis integritatem pertinet, videlicet jubet fidelem ita omnia confiteri peccata, ut nullum reticeat, non vero jubet omnia per annum commissa peccata in confessione esse revelanda, cum satis sit ea pandere, quæ tunc, quando quis confitetur, se agnoscit perpetrasse. At hocce perfugium seu potius cavillationem omni prorsus destitutam fundamento egregie confutat P. Concina animadvertens 1. in Concilii Decreto sermonem non esse de integritate Confessionis ex Divino præcepto statuta, cum hæc non in sola annuali confessione reperiri debeat, sed in quacumque sive hebdomadali, sive mensili, sive diurna, si patrata sint lethalia peccata. 2. Si ea verba peccata solam integritatem confessionis designarent, frustra omnino & inepte apposita essent, cum omnes fideles probe noverint integritatem ad valorem confessionis requiri. Mens igitur Ecclesiæ est suo præcepto fideles ad omnia in anno commissa peccata sacra exomologesi expianda obstringere, ut gratiam Dei consequantur, quod nisi præstent pluribus Confessionibus, tenentur saltem una Confessione, Quadragesimali præsertim tempore adimplere. At inquies, ergo Ecclesia non semel, sed pluries confessionem in anno jubet. Minime. Sed jubet ut saltem unica confessione omnia in anno admissa peccata Sacerdoti pandantur, quod qui præstat, præceptum implet: at non impedit, nec vetat, immo maxime exoptat, ut pluries per annum fideles Pœnitentiæ Sacramentum suscipiant, ut perfectius purgati in Paschate Eucharistiæ Sacramentum devote & cum fructu suscipiant. Uno verbo, omnia per annum admissa crimina sunt Sacerdoti in confessione ex præcepto Ecclesiæ manifestanda, vel una, vel pluribus Confessionibus. Quæ ex hac doctrina sequantur consectaria explicabimus cap.seq.n.5.

XI. Tametsi vetitum non sit annum pro implendo Confessionis præcepto computare a 1. Januarii die ad ultimam Decembris, more tamen & consuetudine Ecclesiæ constitutum videtur, computandum a Paschate Resurrectionis ad aliud simile Pascha. Quamobrem violati præcepti rei nequaquam habentur fideles, qui Confessione peracta, & sumpta Communione in die Cœnæ Domini cadente decimotertio Kal. Aprilis in sequenti anno idem peragat 5. Kal. Maji, licet elapsi sint supra tredecim Menses, & sic contingit ut qui sacramentalem Confessionem solum semel in anno peragunt, aliquando bis confiteantur undecim Mensium spatio, aliquando semel decursis tredecim Mensibus, prout Paschale Festum vel citius vel tardius celebrari obtingit.

XII. Ab hoc præcepto non excusat nisi impotentia physica, vel moralis, puta non si nullus adsit Sacerdos, qui confessiones audiendi sit potestate donatus, si in Regionibus degat, ubi Catholici Sacerdotes non sunt, vel ad illos adeundos longum iter & laboriosum sit subeundum; quod si iter habendum nec admodum grave sit, licet incommodum juxta personarum conditionem, non excusabit. At hæc impotentia facilius in praxi a prudenti Confessario expendi poterit, quam generali regula designari. Moraliter vero impotens dici potest, qui non nisi unum habet Sacerdotem, cui si confiteatur certo novit, vel prudenter dubitare potest vel Sacramentale sigillum violaturum, vel notitia in Confessione habita abusurum in perniciem Pœnitentis, vel aliorum.

Num

Num vero qui nonnisi unum habens Confessarium cui sua pandat peccata, cui tamen si determinatum manifestet peccatum, vel ipse confitens sigillum confessionis infringit, vel se periculo exponit gravioris damni sive corporalis sive spiritualis subeundi, possit differre confessionem post annum ut integre confiteatur penes alium Ministrum, præsertim si dilatio non longa sit, vel teneatur ceteris patefactis criminibus, hoc solum celare, & sic Ecclesiæ præcepto obedire, inquirendum est. Henno censet posse differri confessionem, & Ecclesiam præsumi concedere hanc dilationem ad confessionis integritatem servandam, quæ juris est divini, nisi vel scandalum suboriatur, vel sit Eucharistia sumenda. At probabilius cum Turnelio censeo, teneri confessionem habere eo quo potest modo, servata integritate formali, sin materiali, quia, ut optime notat laudatus Auctor, præceptum confessionis faciendæ certissimum est, concessa dilatio prorsus incerta & mere interpretativa; proinde tenendum certum, & dimittendum incertum.

XIII. Pœna constituta in violatores hujus præcepti est ut ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & Ecclesiastica priventur sepultura, quæ tamen pœna non ipso facto incurritur, sed est per sententiam judicis infligenda. Si in aliqua tamen Diœcesi ab Episcopo lata esset excommunicatio ipso facto incurrenda, eidem subjicerentur violatores. Nec audiendus Durandus dum docet, non posse Ecclesiam hoc delictum punire, quod mere internum sit & occultum, ut probari non possit, nam hoc est aperte falsum, cum agatur de actu exteriori Confessionis omissæ, qui multipliciter probari potest; ut in publico Fœneratore, Concubinario, Meretrice &c. & præterea per testes probari, peccatorem illum ad nullum Confessarium adiisse. At concesso etiam quod aliquando puniri non possit defectu probationis non sequitur tamen puniri non posse defectu jurisdictionis; sic excomunicatione feriuntur hæretici qui suam hæresim vel uni manifestaverint, licet in foro exteriori probari non possit. Hanc igitur excommunicationem incurrunt vel omittentes & Confessionem & Communionem Paschalem, vel alterutrum juxta præstitutam vel ab Episcopo, vel a Synodo legem. Nec vitatur per confessionem voluntarie nullam, cum per hanc non impleatur Ecclesiæ præceptum, cum excommunicatio lata sit in præcepti hujus violatores quocumque denique modo illud violent.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Præceptum annuæ Confessionis per se obligat.*

II. *Implendum est elapso anno quam primum fieri possit.*

III. *Non licet unica Confessione pro duplici anno præceptum implere.*

IV. *Prævenire tempus tenetur qui impedimentum prævidet.*

V. *Quomodo sint omnia per annum commissa peccata in Confessione annua præcepta manifestanda.*

VI. *Qui invalidam se novit fecisse Confessionem, iterum tenetur confiteri ad præceptum Ecclesiæ implendum.*

VII. *Prævenire tenetur Confessionem qui timet peccatorum oblivionem.*

VIII. *Quodnam grave periculum excusat a præcepto annuæ Confessionis.*

IX. *Num detur præceptum Ecclesiasticum pluries confitendi per annum.*

X. *Publica scorta immunia non sunt a pœnis contra violatores præcepti annuæ Confessionis.*

Consectarium Primum.

I. PRÆCEPTUM annuæ Confessionis non per accidens obligat, idest ratione suscipiendæ Eucharistiæ, sed per se & absolute. Oppositum docuisse plures Theologos affirmat Suarezius, inter quos immerito annumerat S. Th. & S. Antoninum, quos plane oppositum scripsisse constat, ille quidem pluribus in locis cap. superiori recitatis n. 2. Nec sibi contradicit dum Quodl. 1. a. 2. in corp. scribit: „ Quia ex præ„ cepto Ecclesiæ omnes fideles tenen„ tur saltem semel in anno in Festo „ Paschæ præcipue Sacramenti Com„ munionem accipere; ideo Ecclesia „ ordinavit, ut semel in anno, quan„ do imminet tempus accipiendi Eucha„ ristiam omnes fideles confiteantur". His enim verbis ostendit S. Thom. congruitatem temporis, in quo sit Confessio facienda, non causam impositi præcepti; distinguit enim præceptum Communionis a Confessionis mandato, & illud quidem Paschali tempori alligatum dicit, alterum de se nulli tempori alligatum, congrue tamen docet in Pascha adimpleri. Similiter S. Antoninus III. P. tit. 14. cap. 19. §. 2. aperte docet, Pontificem non posse a Confessione absolute dispensare, quia juris est divini, posse tamen dispensare ab annua Confessione, quæ juris est humani: porro quando quis communicare debet non ex jure humano, sed ex jure divino, si reus sit lethalis peccati, confiteri debet, & ab hoc dispensationem Pontifex largiri non potest: non igitur censent ratione Communionis datum præceptum annuæ Confessionis, licet hoc præceptum impleatur in Paschate, occasione sumendæ Communionis. Et revera ita sentiunt communiter Theologi omnes, & Canonistæ, immo talis est universalis Ecclesiæ sensus, ut apparet ex Decreto Tridentini Concilii anathema pronuntiantis in eos, qui suaderent abstinere ab annua Confessione facienda.

Consectarium Secundum.

II. Qui per integrum annum vel licite vel illicite Confessionem omisit, tenetur quam primum commode potest Ecclesiæ præceptum implere. Non desunt Theologi qui censent, omissam per annum Confessionem non esse anno sequenti supplendam quia affirmativa præcepta determinate certo tempore obligantia elapso termino peccatum quidem commissum est, at non onus sequitur supplendi, ut patet in violatoribus jejuniorum, in omittentibus auditionem Missæ, vel Officii divini recitationem. At opposita opinio ut falsa communiter rejicitur a sanioribus Theologis, qui nostram doctrinam ut probabiliorem, immo unice veram propugnant: Quandoquidem verba Concilii indicentis ut *saltem semel in anno* fideles Confessionis suscipiant Sacramentum, posita non sunt ad definiendam, sed ad urgendam obligationem, unde sensus fit, ut Confessio non ultra annum differatur: quamobrem qui salutare transgrediens præceptum annum elabi permisit sine confessione, tenetur quam primum opportune potest confessionem habere. Confirmatur ex ipsa Ecclesiæ praxi, qui enim confessionem annuam omisit, anathemate feriri potest, qua percussus a nemine absolutionis beneficium consequi poterit nisi peracta confessione, & adimpleto præcepto, ob cujus transgres-

gressionem mulctatus fuit; patet igitur manifeste mentem Ecclesiæ esse, ut elapso anno non sit ab onere præcepti solutus violator, sed adhuc obstrictus donec obtemperet. Et revera ita sentiunt nedum Nobiliores Theologi, sed & plures ex benignioribus Laymanus, Bonacina, Palaus, Leander, & Salmanticenses. Nec urget paritas ex aliis desumpta præceptis, & ab oppositæ sententiæ defensoribus adducta; nam in præceptis jejunandi, recitandi Divinum Officium, audiendi Missam in die Festo, & similia, clare apparet mens Ecclesiæ alligandi onus illud ad determinatam diem ob peculiares rationes, puta in Sacerdote, ut quotidie Deum sacris precationibus colat, ut fideles tali tempore carnem affligant, diem Festum specialiter colant; at in annuo præcepto Confessionis nullus habetur specialis ad tempus respectus, unde proprie ipsos fideles directe respicit, non vero tempus, nisi tanquam terminum, quem præterire non debent: qui itaque non est integro anno confessus, ita tenetur confiteri quam primum potest, ut severiores non solum Theologi, sed & benigniores ut de Lugo, sentiant toties peccare, quoties oblatam sibi opportunam Confessionis habendæ occasionem neglexerit aliis affirmantibus solum in eodem peccato diutius sordescere, quod idem puto in re morali præsertim cum inter Catholicos nunquam desit, & semper præsto sit confessionis habendæ occasio; proinde satis erit dicere in Confessione spatium temporis, quo confessionem post annum distulit.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Qui omissa sive ex culpa sive sine crimine annua Confessione primo confitetur, non valet ea unica confessione utriusque anni præcepto satisfacere. Veritas hujus doctrinæ ex ipsa mente & praxi Ecclesiæ potius quam ex metaphysica subtilitate elucescit: siquidem Ecclesia omittentem annuam Confessionem anathemate plectit, a quo non solvit nisi peracta Confessione, postquam ab eo postulat, ut intra annum iterum confiteatur, nec unquam putat solutum a præcepto iterum eodem anno confitendi. Hac sola ratione bene perspecta evanescunt quæ in oppositum afferri possunt argumenta scilicet posse quempiam duo præcepta eodem tempore concurrentia uno actu implere, ut patet in jejunio Quadragesimali imposito & ab Ecclesia, & a propria Regula vel privato voto. 2. Quia alioquin qui viginti annis Confessionem omisit, teneretur vigesies in anno confiteri, quod nemo dixerit: potest igitur quis unico actu duplici satisfacere præcepto. Nam ad 1. dicimus, ea unico actu posse impleri præcepta, quæ determinato tempori sunt alligata, & tempus positum est ad definiendam obligationem, ut patet in jejunante tali die ex mandato Ecclesiæ, vel ex Regula, & ex voto, at annuum spatium pro Confessione habenda non est positum ad definiendam obligationem, sed ad urgendam, non est alicui diei anni alligatum præceptum sed toto anno obstringit: qui igitur præceptum transgressus est, statim tenetur implere ut omissioni satisfaciet, cui nova succedit obligatio, & pro præsenti anno, implendi præceptum. Ad 2. Libenter concedimus, posse quempiam *aliquando* unico actu, vel pluribus omissionibus satisfacere, vel plura præcepta implere, at negamus id semper licere. Sic quis potest unica copiosioris eleemosynæ erogatione omissas minores eleemosynas vel ex voto, vel ex præcepto Confessarii debitas supplere, sicut & unico jejunio plura præcepta eodem

dle concurrentia implere; & ratio est, quia ille unico actu totum, quod in eleemosynam debet, erogat, iste quia præcepta determinatum tempus afficiunt. Sic pariter qui per viginti annos Confessionem omisit, unica Confessione, qua omnia eo tempore patrata delicta confitetur, & detestatur, inter quæ & ipsæ Confessionis omissiones comprehenduntur, omissas supplet, nec tenetur totidem omissas Confessiones supplere, at hac Confessione nonnisi præcedentium annorum supplet omissiones, non vero decurrentis anni implet præceptum, quod non huic diei, vel hebdomadæ est alligatum, sed toto anno impleri potest; tenetur igitur pro eo anno se sistere Sacerdoti & annuam habere Confessionem.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Qui prævidet se a Confessione habenda impediendum in decursu anni, tenetur tempus prævenire, & statim etiam sub initium anni confiteri. Hujus Consectarii veritas liquido apparet ex ipsa Ecclesiastici præcepti natura; quod eum urgere incipiat initio anni: intra ejus latitudinem est implendum: quamobrem qui longum iter suscepturus prævidet sive ex deficientia Confessarii, sive alia de causa non futurum sibi locum ad implendum præceptum, tenetur ante suscipiendum iter confiteri: eo prorsus modo, quo quis prævidens se Missam non auditurum in die Festo, nisi de mane surgat, & tempus præveniat, tenetur illud & valde mane audire, & præceptum implere; & qui post prandium prævidet impediendum a recitatione horarum Canonicarum, tenetur mane recitare, quia & tunc urget præceptum, & illud valet implere, ut docent etiam benigniores Casuistæ Lacroixius & Busembaum.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Qui semel confessus intra annum commissa peccata lethalia, postea in alia pariter gravia crimina labitur, iterum ante finem anni confiteri debet; quod & pariter dicendum de illo, qui pluries in anno confessus peccata venialia, ante finem anni in lethale peccatum incidit, tenetur intra annum illud Confessario exponere. Consequuntur hæc Consectaria ex doctrina, quam statuimus superiori capite n. 10. Quando quidem cum Ecclesia suo præcepto obliget fideles ad omnia peccata per annum commissa Sacerdoti in Confessione pandenda, saltem semel in anno, qui solam peccatorum partem confitetur profecto præceptum non implet: qui igitur vel sub finem anni omnia peccata Sacerdoti confitetur, præceptum implet, cui pariter satisfacit qui intra annum peccata lethalia confessus, postea non amplius lethaliter peccat; at qui vel post Confessionem gravium criminum in alia labitur peccata, profecto præceptum non implet, nisi iterum confiteatur, quia revera non omnia est confessus peccata. Pari pacto qui pluries venialia confessus est, cum hæc necessaria non constituant Confessionis materiam, si in lethale incidat, illud est per aliam Confessionem Sacerdoti manifestandum, cum lethalium peccatorum Confessio sit primo & principaliter ab Ecclesia indicta. At si quis post diligens examen, & Confessionem peractam omnium suorum peccatorum, postea recordatur alicujus peccati per inculpatam oblivionem omissi, tenebitur ne ante finem anni illud Confessario manifestare? Negant quidem, & non contemnendis argumentis, nobiliores etiam Theologi, quia revera hic omnia, quæ præcepto Ecclesiæ sunt demandata, implevit; confessus siquidem est omnia peccata per annum pa-

trata, quæ post diligens examen memoriæ occurerunt, gratiam remissionis se obtinuisse sperare potest, etiam respectu illius peccati, cujus inculpabiliter est oblitus: ergo tenebitur quidem illud confiteri ex divino præcepto, & ad integritatem Confessionis, at non ex præcepto Ecclesiastico, quod jam sufficienter implevit. Doctrina hæc certe non spernenda, nihilominus cum de salute animæ agatur, probabilius sentium, qui putant, eum teneri ante finem anni & obliti peccati confiteri, quia hujus peccati confessio statim ac ejus oblivio deprehensa urgere incipit, cum autem & tunc urgeat præceptum confitendi omnia peccata per annum commissa ut huic præcepto satisfaciat, & illud manifestare debet eo plane modo, quo quis inculpabiliter impeditus ab annua Confessione post elapsum annum tenetur quam primum potest confiteri. In his tamen puto locum habere & ignorantiam & bonam fidem: qui igitur in Paschate omnia elapsi anni peccata confessus est, & Eucharistiam suscepit, & postea circa finem quindenæ Paschalis alicujus peccati obliti recordatur, non auderem lethalis peccati damnare, si solum cum iterum se Confessario sistit oblitum peccatum manifestet, licet jam sit per aliquod dies, vel Mensem annus elapsus; at non excusarem si expectare vellet aliud Paschale tempus, cum & periculum sit oblivionis, & urgeat præceptum divinum de integra facienda Confessione.

Consectarium Sextum.

VI. Qui invalidam facit Confessionem quacumque de causa etiam inculpabiliter, præcepto minime satisfacit, sed iterum tenetur valide confiteri. Et quidem non satisfacere præcepto, qui malitiose invalidam confessionem facit sive ex deficientia integritatis, sive doloris, sive propositi, manifeste constat ex his, quæ diximus cap. præced. num. 4. ex damnata propositione: quamobrem & excommunicationi obnoxius est, si forte ab Episcopo contra violatores hujus præcepti vibretur, quia licet peccatum sit occultum, & exterius probari non possit ob simulatam Confessionem, vere tamen præcepti transgressor est, & contumaciter Confessionem præceptam omisit. Qui vero inculpate invalidam emisit Confessionem, licet fortassis ex malitia Confessarii, qui vel audire Pœnitentem noluit, vel audito injuste absolutionem denegavit, tenetur si potest alium adire Confessarium ut Sacramentum Pœnitentiæ rite recte & valide percipiat; hoc enim est quod jubet & mandat Ecclesia.

Consectarium Septimum.

VII. Prævenire tenetur finem anni ad Confessionem habendam, qui timet prudenter, ne admissi alicujus peccati obliviscatur. Oppositum plane docent plures benignissimi Theologi, inter quos Lacroixius, Leander aliique ab ipsis sive legitime sive incaute citati, & omnium laxissime Gobat Tr.6. n.261. scribens: „ Tametsi differendo usque ad „ articulum mortis, vel Pascha *certus* „ sis, te ob hanc dilationem oblituram „ *multa crimina*, haud tamen inde ori- „ tur tibi obligatio confitendi citius “: hac unica ratione, quia nullum extat præceptum præveniendæ Confessionis ob causam prævisæ oblivionis, & Ecclesia non præcipit, nisi ut ea manifestentur quæ memoriæ occurrunt, cum urget præceptum Confessionis. At hæc doctrina ut falsa & improbabilis est omnino rejicienda, oppositum plane do-

cente

cente & probante Concilii Tridentini Cathechismo P. 2. cap. 5. n. 45. ubi hæc habet : „ Si quid salutis nostræ ratio postulet , consideremus . . . toties confessio prætermittenda omnino non est cum veremur , ne nos alicujus culpæ quam admiserimus oblivio capiat . Neque enim peccata confiteri possumus , cum non meminerimus; neque peccatorum veniam a Deo impetramus , nisi ea Pœnitentiæ Sacramentum *per Confessionem* deleat “ . En igitur 1. quomodo illo eodem Divino præcepto , quo peccata confiteri tenemur , obstringimur curare , ne nos peccatorum oblivio capiat , sed cum hanc prudenter timemus, peccati Confessione periculum declinare debemus. 2. Et revera , si ad Confessionem confugere tenemur , quando vel gravis urget tentatio , vel peccatum aliquod est vitandum , nec alius adeò modus vel vincendi tentationem, vel vitandi peccati quam Confessio, multo magis ad Confessionem tenemur confugere , quando hæc omnino necessaria est ad vitandam peccati alicujus , multoque magis plurium peccatorum oblivionem , cum , ut inquit Catechismus „ nec peccata confiteri possimus , quæ non meminimus , nec peccatorum veniam impetrare sine peccatorum Confessione “ . 3. Qui prævidet se postea impediendum , quominus in anno confiteatur mortalia, vel reservata , habenti potestatem absolvendi , tenetur prævenire , ut diximus cum benignioribus etiam Casuistis Consectario 4. Ergo & qui prævidet oblivionem peccati , confessionem prævenire tenetur ; nam non minor , sed major est obligatio integræ Confessionis , quam annuæ ; illa enim ex divino manat præcepto , hæc solum ex Ecclesiastico : si igitur prævenire tenemur , ut Ecclesiasticum impleamus præceptum , multo magis prævenire adstringimur, ne divinum violemus de integritate Confessionis mandatum . Hinc & ut laxa & falsa rejicienda est Dianæ opinio relata & adprobata a Lacroixio , nec obstringi fidelem ad scribenda peccata ne memoriæ excidant , eo quod hoc sit onus gravissimum , & periculo manifestationis expositum ; quandoquidem sicut gravissime peccaret, qui rationem redditurus dati & recepti , si prævidens vel acceptorum vel expensorum oblivionem , eodem scripto consignare negligeret , multo magis peccat qui sciens sibi reddendam Christo ejusque Ministro omnium commissorum scelerum rationem , & prævidens eorum oblivionem scripto consignare negligeret ; quod profecto ut cap. præced. diximus , nec onus gravissimum est , nec proximo periculo manifestationis expositum , quod & remotissimum est , & vitare quilibet potest insuetis adhibitis signis .

Consectarium Octavum.

VIII. Grave periculum famæ , & honoris , vitæ , vel etiam in temporalibus bonis detrimenti ab annuæ Confessionis præcepto excusat . Ratio est de se manifesta , quia Ecclesiæ præcepta cum tanto onere non obligant , sed eorum impletio differri potest quoadusque periculum quod prudenter timetur evanescat . Ratio tamen periculi & damni habenda est ; quæ certe rarissimæ sunt ; nam si periculum sit in manifestatione alicujus peccati , poterit Pœnitens illius Confessionem omittere , faciendam opportunius , & interim præcepto Confessionis annuæ satisfacere cætera manifestando peccata ; quod si nisi unum illud haberet lethale peccatum , a cujus manifestatione legitime impeditur , adhuc

huc de venialibus confiteri teneretur, & de lethalibus, vel alias commissis, vel in generali ut beneficium absolutionis indirecte, & super commissum peccatum cadentis obtineat, & ita validam & fructuosam, ut ab Ecclesia præcipitur, Confessionem perficiat. Quod si hoc periculum sive detrimentum oriatur ex Confessione tali Sacerdoti facta, apud quem famæ & honoris detrimentum subit, poterit quidem alium adire Sacerdotem, & si non habeat, non excusatur a præcepto Ecclesiæ implendo, cum hoc famæ & existimationis detrimentum sit intrinsece annexum Sacramento Pœnitentiæ, in quo propriæ sunt aperiendæ Sacerdoti turpitudines, & de commissis sceleribus erubescendum est; & ipse Sacerdos hac cognitione nullo modo in pœnitentis detrimentum uti possit.

Consectarium Nonum.

IX. Præceptum sæpius per annum Confessionis habendæ nec omnes fideles afficit, sed solum quosdam divino cultui mancipatos homines, & licet hos ad Confessiones venialium adstringat, non tamen eos obligat sub lethali peccato. Et primo quidem nullum esse commune omnibus fidelibus præceptum sæpius confitendi certissimum est, cum Lateranensis Concilii Decretum solum annuam jubeat confessionem; at certum est in omnibus Religiosorum Ordinum Regulis præcipi Religiosis, ut sæpius confiteantur, licet nullo lethali peccato coinquinati, solis venialibus detineantur, a quibus nullus est qui immunis evadat, ita postulante Statu Religioso, qui status est perfectionis; hoc tamen præceptum, ut ego noverim, in nulla Regula sub lethali culpa mandatur. Sunt præterea in jure, & Concilio Tridentino decreta, in primo quidem in Clementina *Ne in agro* præcipitur Monachis S. Benedicti, ut semel in mense confiteantur, cui mandato parere debent præfati Religiosi, licet nonnisi venialia commiserint, tum quia Pontifex hanc legem ferendo, nunquam credidit præfatos Religiosos lethaliter singulis mensibus esse peccaturos, tum quia solum voluit Monasticam disciplinam communire, & per Sacramentorum frequentiam Religiosorum profectum promovere, cui mandato si non pareant, quando lethalibus coinquinantur peccatis, profecto graviter peccant, cum hujus legis materia gravissima sit, & magni momenti, ne in peccatis sordescant Religiosi; at si venialibus tantum maculentur culpis, non sunt lethalis peccati rei, si Confessionem omittant; tum quia, ut inquit Canus Relect. de Pœnit. p. 6. hoc mandatum indicitur sub levi pœna; quod si non ex gravitate pœnæ, sed materiæ, in præceptis vis obligandi desumatur, Confessio venialium non ita gravis materia est, ut necessario inferat grave peccatum in legem transgrediente. His accedit consuetudo & institutum Religionis Monasticæ, quæ nunquam hoc præceptum tanquam sub gravi obstringens agnovit; quamobrem communiter Theologi docent, Clementinum Decretum nec Monachos sub gravi obstringere, nec esse ad alios Religiosos dilatandum. In Concilio autem Tridentino sess. 24. cap. 10. indicitur Monialibus, ut semel singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant; at hoc Synodi Sacræ statutum legem sub gravi obligantem non inducere, sed meram hortationem, patet ex ejusdem Synodi verbis, in quibus solum indicitur, ut Episcopi & cæte-

teri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium attendant, ut in Constitutionibus eorum *admoneantur* de singulis mensibus confessione facienda, & Eucharistia suscipienda; monitum itaque continet, non præceptum Tridentini statutum.

Consectarium Decimum.

X. Publicæ Meretrices non sunt immunes habendæ a pœnis & in jure statutis, & ab excommunicatione Episcopali, si hæc forte vibretur in violatores præcepti annuæ Confessionis, & Communionis. Aliter sentiunt nonnulli Theologi, qui putant, Ecclesiam permittentem Meretrices, nolle eas in præfatis pœnis subjiciendas, ne miserum eorum statum magis aggravet, eo vel maxime, quod excommunicatio non esset ad eorum emendationem profutura. Verum opposita quam statui doctrina & probabilior est, & unice vera; quandoquidem si Ecclesia juste ferit excommunicatione fidelem præceptum violantem ex malitia quidem, & contumacia, sed quæ firma non est & stabilis, quanto potiori jure Meretrices excommunicare valet, quæ ex status sui perversa conditione ita sunt in malo obfirmatæ, ut hæc præcepta habitualiter contemnant? Nec quia eas tolerat, idest nec temporali nec spirituali pœna ob meretricium punit, immunes vult a pœnis in alios fideles inflictis ob alia crimina a meretricio distincta, alioquin ex iniquitate sua utilitatem & beneficium reportarent; sed ideo tolerat, quia impedire vel non potest, vel non expedit. Et si Excommunicatio non illis prodest, non ex intentione Ecclesiæ hoc profluit, sed ex indurata illarum malitia, a qua tali pœna eas revocare studet Ecclesia. Quamobrem Confessarii harum Pœnitentium, ut optime monet Ferrarius in Bib. V. *Meretrices*, si eas invenerint hac vel alia simili Episcopali excommuninatione innodatas, ad Episcopum remittere debebunt. Ita docent etiam mitiores Theologi, ut de Lugo, Sà, & Fagundez.

CAPUT TERTIUM.

De Paschalis Communionis Præcepto.

Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa Festum Paschæ sumito.

Doctrina.

I. *Datur præceptum de Communione semel in anno sumenda.*
II. *Quinam hoc præcepto obligentur.*
III. *Tempus Paschale designatum pro Eucharistia sumenda.*
IV. *Sumenda est in propria Parochia.*
V. *Et quidem devote & pie, non vero sacrilege.*
VI. *Quinam a præcepto implendo excusentur.*

I. IN illis Christi Domini verbis Jo. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, omnes SS. PP. præceptum divinum agnoscunt sumendi non solum voto & desiderio Eucharistiam, sed realiter & in facto. „ Manifestum est, inquit S. Thom. 3. „ part. qu. 8. art. 11. quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere non „ solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex „ mandato Domini dicentis, *Hoc facite* „ *in meam commemorationem* “. Hujus divini implendi præcepti tempus determinavit Ecclesia olim quidem jubendo, ut ter in anno Fideles ad Sacram mensam accederent, ut legitur in Decretali Fabbiano Papæ tributa, indicente: „ Et si non forte frequentius, saltem in

„ in anno ter laici homines communi-„ cent . . . In Pascha videlicet, & „ Pentecoste, & Natali Domini ". Tertio decimo vero seculo in Lateranensi Concilio indictum est, ut saltem semel in anno, & quidem in Paschate Eucharistiam sumant fideles tam mares quam feminæ. „ Omnis utriusque se-„ xus fidelis postquam ad annos discre-„ tionis pervenerit, saltem semel in „ anno confiteatur, suscipiens reveren-„ ter ad minus in Pascha Eucharistiæ „ Sacramentum ". Quod præceptum Tridentina Synodus confirmavit Sess. 13. cap. 8. can. 9. definiens: „ Si „ quis negaverit omnes & singulos Chri-„ stifideles utriusque sexus, cum ad „ annos discretionis pervenerint, tene-„ ri singulis annis, saltem in Paschate, „ ad communicandum, juxta præce-„ ptum sanctæ Matris Ecclesiæ, ana-„ thema sit ". Hoc autem præceptum sub gravi obstringere nullus ambigit, ideoque graviter peccare, non solum qui illud ex contemptu violat, sed & qui ex negligentia, accidia, aliove vitioso titulo implere omittit.

II. Hoc præcepto illi omnes ligantur, quos superioribus capitibus diximus ad annuam teneri Confessionem. Sed præcipua est quæstio circa pueros, scilicet quando Paschalis Communionis præcepto subjiciantur. Et quidem tum Lateranense, tum Tridentinum Concilium statuunt, teneri cum ad usum rationis pervenerint, & Tridentini Conc. Catechismus docet, hocce judicium de puerorum capacitate & aptitudine ad Sacram Communionem suscipiendam esse parentibus & Sacerdotibus relinquendum. Nonnulli Theologi docent differendam pueris Communionis susceptionem ad annum usque duodecimum, & etiam quintumdecimum, quæ opinio minus certa habenda est, cum pleri que adolescentes ante usum rationis obtineant, quo discernere possunt spiritualis panis a materiali distinctionem, & Sacramenti Eucharistiæ dignitatem, majestatem, & utilitatem. Alii vero, inter quos Suarez, statuunt majorem in pueris requiri cognitionem pro Eucharistia sumenda, quam pro Confessione facienda, proinde prius præcepto annuæ Confessionis, quam Paschalis Communionis obstringi. Huic doctrinæ adversari videtur Clarissimus Concina, quippe qui observat, idem tempus præstitutum ab utroque Concilio Lateranensi & Tridentino, tam pro annua Confessione facienda, quam pro Paschali suscipienda Communione, nec licet probe noverint Conciliorum Patres Eucharistiæ Sacramentum longe excellentius Sacramento Pœnitentiæ, & hoc illo magis necessarium, tamen unum anticipandum, alterum differendum minime censuere. At ni mea me fallit philautia, puto hos binos egregios Scriptores simul convenire, & idem docere, licet dissentire videantur, si completæ & perfectæ Confessionis annuæ ex præcepto faciendæ ratio habeatur. Nam certum est, pueros tunc teneri ad annuam Confessionem, ut ipse Concina scribit cap. 5. num. 5. „ cum primum „ illi affulget lumen rationis, quod „ contingere circa septennium commu-„ niter solet, licet aliquando pueri „ lumen sufficiens habeant ad peccan-„ dum, secus ad pœnitendum; faci-„ lior namque est cognitio turpitudinis „ & malitiæ, quæ naturali verecundiæ „ adversatur, quam notitia gravitatis „ divinæ offensæ, doloris supernatu-„ ralis, & necessarii propositi pro vera „ Confessione . . . Hinc Confessarii si „ istos pueros indolis ingenuæ, & ad „ bonum propensæ deprehenderint, po-

„ poterunt absolutionis beneficium illis „ impertire, secus vero si fuerint vel „ tardioris mentis, vel naturæ vagæ & „ in malum pronæ . . . Sed pro istis „ majorem adhibeant Confessarii dili- „ gentiam necesse est eos sæpius inter- „ rogando, instruendo, absolutionem „ differendo “. Isti itaque pueri, quibus lumen rationis quidem affulget, sed *sufficiens ad peccandum, secus ad pœnitendum, & quia tardioris mentis, vel naturæ vagæ, & in malum pronæ*, non sunt absolutione dignandi, profecto annuæ Confessionis præcepto tenentur, & tamen non illis Eucharistia concedenda: patet ergo manifeste, ipso Concina fatente, prius urgere Confessionis præceptum, quam sumendæ Eucharistiæ. Præterea Confessionis præceptum implent, hi pueri, si eo modo, quo sciunt & possunt, sua pandant Ministro peccata, licet postea Sacerdos vel defectu rationis, vel materiæ, absolutionem illis non impertiatur, atque ita Sacramenti beneficium non suscipiant; at non ita contingit in communione, ubi illam suscipientes ita debent esse dispositi, ut nullum apponant obicem gratiæ Sacramentali, sed revera illius fructum consequantur; longe igitur major cognitio, splendidius lumen, melior requiritur dispositio ad præceptum Communionis implendum, quam ad Exomologesim habendam: quamobrem non importune Theologi tardius idoneos putant ad Eucharistiam suscipiendam pueros, quam ad Confessionem. At si pueris tantum rationis & gratiæ lumen affulgeat, ut vel innocentiam inter pericula custodire valeant, vel fortassis amissam per dolorem & pœnitentiam recuperare, tum profecto non est illis differenda Communio, sed juxta Ecclesiæ præceptum ad eam sumendam in Paschate cogendi in quacumque ætate sint constituti. Nec urgent Concinæ argumenta, scilicet Concilia idem statuere tempus & annuæ Confessionis, & Paschalis Communionis, nimirum cum perveniunt pueri ad annos discretionis; nam ea verba sunt intelligenda accomodate & juxta genus Sacramenti, cum alterum altero majus lumen postulet, majoremque dispositionem; & revera consuetudo fere universalis Ecclesiæ est optima hujusce legis interpres: nam a Parochis pueri septennes, octennes, & novennes ad Confessionem quidem admittuntur, eosque se sistere Confessario docent & urgent, & tamen in ea ætate ad Eucharistiæ participationem non admittunt, quia revera plerumque ad tantum Sacramentum nondum idonei dignoscuntur. Quod confirmat etiam antiquissimus Auctor carminis MS. a Martene laudati de antiquis Ecclesiæ ritibus Tom. 1. lib. 1. cap. 4. artic. 10. §. 14. qui sic canit:

Non pueris infra bis quinque manentibus annis
Des corpus Domini, quamvis sint corpore puri.
Quid sumant cum ignorent, ergo prohibentur.

Et in Rituali Ecclesiæ Parisiensis dicitur: „ Administrari non debet (Eucharistia) „ undatis, quibus nondum adhibitæ „ sunt ceremoniæ, atque etiam pueris, „ qui propter ætatis imbecillitatem hoc „ divinum Sacramentum dijudicare non- „ dum valent, ut ferme accidit ante „ undecimum annum, quod prudenti „ Rectorum arbitrio & conscientiæ re- „ linquitur “. S. Thomas quoque discrimen agnoscit: inter præceptum annuæ Con-

Confessionis, & Communionis Paschalis; primum enim ab Ecclesia indictum dicit, ut quisque se peccatorem agnoscat ut ad suscipiendam Eucharistiam se disponat, & ut Rectoribus Ecclesiæ subditi innotescant. Porro si secundam causam excipias, binæ aliæ pueris etiam minoris ætatis convenire possunt; quamobrem nullum assignat ætatis tempus, quo pueri teneantur confiteri. At cum agitur de præcepto suscipiendæ Eucharistiæ & cognitionem & devotionem in suscipiente requirit, quæ devotio profecto & ex tanti Mysterii notitia, & ex pia in Deum affectione procedat oportet, & in pueris octennibus vel novennibus raro admodum reperitur: eapropter Angelicus Doctor nonnisi post decennium putat pueros ad Communionem idoneos, sic enim scribit in 1v. Dist. 9.q.1. a. 5. quæstiuncula 4. ,, Pueris jam incipientibus habere discretionem etiam ante ,, perfectam ætatem, puta cum sunt ,, decem aut undecim annorum, aut ,, circa hoc, potest dari, si in iis signa ,, discretionis appareant, & devotio- ,, nis ". S. Antoninus utique scribit, ut citatur a P. Conc. III. P. tit. 14. cap. 12. ,, Puer cum est doli capax, ,, cum scilicet potest peccare mortali- ,, ter tunc obligatur ad præceptum de ,, Confessione, & per consequens de ,, Communione quæ simul dantur ", at idem S. Archipræsul laudatus a Concina Diss. 1. C. 1.n. 1.docet II.P. tit. 9.cap. 8. § 2. Pueros circiter undecimum, puellas circiter decimum suæ ætatis annum Confessionis præcepto subjectos esse; cui amen doctrinæ non assentitur Concina. Hanc itaque puto Regulam servandam in administranda pueris Eucharistia, Parentes, Pædagogi, Parochi inspiciant, num pueri bonæ sint indolis, devoti, & præsertim adhuc innocentiæ stola ornati, quos tales repererint de Sacramenti dignitate, utilitate, præstantia instruant, desiderium accendant, & quo citius poterunt ad Sacram Mensam advocent, sic enim fiet, ut in innocentia confirmentur, & meliores evadant; quos autem repererint pravæ indolis, immorigeros, & præsertim impudicitiis fœdatos, eos quidem de præcepto sumendæ Eucharistiæ moneant, at simul indicent, nunquam ad Sacram Mensam admittendos, nisi mores vitamque mutent, ab impudicitiis abstineant, & piis operibus ad tantum bonum consequendum se disponant, & revera Communionem illis differant donec viderint in melius mutatos a vitiis & fœditatibus penitus abstinuisse.

III. Tempus ab Ecclesia ad Eucharistiam sumendam præstitutum est Paschale, idest non solus dies Resurrectionis, ut visum est alicui Canonistæ, sed ut declaravit Eugenius IV. quindecim complectitur dies, a Dominica scilicet Palmarum usque ad Dominicam in Albis; quamobrem quocumque ex illis diebus fideles Eucharistiam sumant, præceptum satisfecisse censentur, & illius violatores habendi, qui licet pluries in anno communicaverint, præfatis tamen diebus sumere omittant, cum non solum annua sit demandata Communio, sed Paschale tempus destinatum. Quod si in aliquibus Diœcesibus diuturnius tempus præstitutum sit, puta a die Cinerum usque ad octavam Paschæ, vel a Dominica in Ramis Palm. usque ad Ascensionem, consuetudini quisque se accommodare licite valet. Animadvertit tamen Summus Pontifex Bened. XIV. de Synodo lib. 12. cap. 6. n. 10. non licere Episcopis nec in suis Synodalibus Constitutionibus, inconsulta Sede Apostolica præfatum commune tempus quin-

decim dierum ultro protrahere, quippe qui ita agendo non decernerent quod est a jure prætermissum, sed contra jus limites ampliarent ab ipso jure præfinitos.

IV. Sumenda est communio in propria Parœcia, vel alibi, sed ex licentia Parochi, ita enim statuit Lateranense Concilium, & confirmant omnium Diœcesum Ritualia, & perpetua praxis, & consuetudo Ecclesiæ. Hinc probabilis non est habenda nonnullorum Theologorum doctrina, affirmantium licere ad implendum præceptum Eucharistiæ sumendæ etiam apud Regulares communicare, quibusdam adductis privilegiis, quæ tamen incerta sunt, & parum comperta. Immo scribit Bened. XIV. de Syn. lib. 9. cap. 16. n. 5. delatam Academiæ Sorbonensi hanc doctrinam a Regularibus traditam, *Parochiani non tenentur in propria Parochia communicare in Paschate*, licet Regulares tueri consueto suorum privilegiorum obtentu pro viribus nisi sint, impedire tamen non valuisse, ne eidem hæc, quam jure merebatur, inureretur Censura: *Propositio falsa est, scandalosa, & temeraria*. Sacerdotes vero celebrantes Paschalis Communionis præceptum implent in quacumque celebrent Ecclesia, ut si non celebrent, tenentur in propria Parœcia Communionem recipere.

V. Communio ad Paschale præceptum implendum est pie, & sancte sumenda; quamobrem præceptum non implent, qui sacrilege communicant. Hæc doctrina modo omnino certa est, & unice vera, cum ab Innocentio XI. proscripta fuerit propositio 55. in ordine asserens: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*. Dum tamen dico, modo esse certam, & unice veram, minime intelligo, ante damnationem vel probabilem fuisse, vel veram cum non ideo falsa & improbabilis sit, quia damnata, sed proscripta & reprobata, quia falsa omnino & improbabilis; hinc licet eam tuerentur ut probabilem plurimi & quidem graves Theologi, nullum tamen ex eorum auctoritate probabilitatis gradum consequebatur falsa & improbanda doctrina, quippe quia certum erat, Ecclesiam non præcipere materialem Eucharistiæ communionem, sed sacram piam, religiosam, quæ in Dei honorem cedat, & in animæ salutem; & in Canone indicitur fidelibus, ut *reverenter* Sacramentum in Paschate suscipiant, qui vero sacrilege communicat, non reverenter, sed prorsus prophane, impie Corpus Christi sumit, & sumendo non honorat, sed dehonestat, conculcat, prophanat. Sed in his non est diutius immorandum, sed solum lectorum menti objiciendum, in quas laxitates plane impias traxerit Theologos modus ille opinandi, quem uno ab hinc seculo deplorabat & detestabatur Alex. VII. in suo Decreto dato die 24. Septembris anno 1665. & ex quo erupturam prævidebat magnam christianæ vitæ corruptelam, quod vaticinium quam verum fuerit ostendunt & hæc impia propositio, & aliæ plures ab ipso Alexandro & ab aliis ejus successoribus proscriptæ, & plurimæ aliæ merito proscribendæ.

VI. Ab hujus præcepti impletione non excusantur nisi qui legitimo detinentur impedimento sive physico sive morali, adeo ut vel absolute non possint, vel sine gravi damno, periculo, & detrimento ad Sacram Mensam accedere. Inter hos recensentur Excommunicati, & Interdicti, cum per has Censuras a Sa-

Sacramentorum usu & susceptione impediantur, modo tamen in causa non sint sua contumacia, ne a præfatis censuris solvantur, sed parati sint mandatis Ecclesiæ obtemperare, & absolutionis beneficium non recusent; alioquin si eorum contumacia obicem absolutioni ponant, profecto ab impletione præcepti non excusantur, sed rei sunt habendi ejus violationis.

CAPUT QUARTUM

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Parentes & alii pueros ad Communionem disponere debent.*

II. *Qui Paschalem Communionem omisit, tenetur supplere.*

III. *Et tempus prævenire qui impedimentum timet.*

IV. *Qui ante Paschale tempus communicavit, iterum in Paschate Communionem sumere debet.*

V. *Non implet præceptum, qui Eucharistiam sumit in Cathedrali, quæ non sit ejus Parochia.*

VI. *Implet qui communicat extra Parochiam de licentia Parochi.*

VII. *Non licet indisposito Communionem Paschalem propria voluntate differre.*

VIII. *Qui de licentia proprii Sacerdotis Communionem post Paschale tempus distulit, adhuc tenetur in propria Parœcia communicare.*

IX. *Quinam possint Paschalem Communionem apud Regulares sumere.*

X. *Non licet Regularibus Communionem dare secularibus nec ex devotione in in die S. Paschæ, nisi de consensu saltem tacito Episcoporum.*

XI. *Qui in duplici Parœcia domicilium habet, potest in alterutra communicare.*

XII. *Quænam pœna indicta non communicantibus in Paschate.*

Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. PARENTES, Pædagogi, Confessarii a suo munere deficiunt, & graviter etiam peccare possunt, si eorum negligentia & defectu pueri rationis lumine sufficienter instructi Paschalis Communionis præceptum non impleant. Nam jure naturæ & lege Caritatis tenentur parentes filios suos per se, si idonei sint, vel saltem per alios in timore Domini educare, ad Dei & Ecclesiæ præcepta servanda urgere. Pædagogi vero, qui in hoc munere loco parentum succedunt, vel ex justitia si pretio conducti sint, vel certe ex caritate & munere etiam sponte suscepto tenentur sibi commendatos pueros ad pietatem informare, ad Sacramenta suscipienda urgere. Quod & de Confessariis dicendum est, præsertim si pueros in numero filiorum spiritualium receperint, & sint illis a Parentibus commendati. Parochi denique ex ipso Pastoris nomine intelligunt, se teneri oves suas præsertim tenellas speciali vigilantia curare, docere, instruere, & ad saluberrima pascua tum doctrinæ, tum Sacramentorum ducere. Ad ipsos præsertim pertinet puerorum lumen & cognitionem expendere, ut videant num sint ad Sacramenta percipienda admittendi, cum nullus extraneus Sacerdos debeat pueros prima vice ad Sacramentum Eucharistiæ admittere sine prævia sui Pastoris notitia, & concessione.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Qui Paschali tempore a Communione suscipienda impeditur, vel ex culpabili negligentia eam omittit, tene-

netur quamprimum præceptum Ecclesiæ implere. Oppositum docent plures etiam magni nominis Theologi, inter quos & S. Antoninus, Sylvester, aliique, hac unica permoti ratione, quia inquiunt, quando affirmativum præceptum de aliquo opere faciendo est certo & determinato tempori alligatum, elapso tempore non amplius urget, & si quidem ex culpa omissio orta sit, peccatum erit transgressionis præcepti, si vero ex aliquo impedimento, nullum tunc erit in omissione peccatum. At posita in Consectario doctrina & longe probabilior est, & certe tuta, proinde in praxi tenenda cum agitur de opinione utrinque probabili, & revera eam tuentur plurimi Theologi non solum ex rigidioribus, sed etiam ex probabilistis & benignioribus, uti sunt Filliucius, Tamburinus, Salmanticenses, Laymanus, aliique, & jure quidem meritoque, nam & ex ipso Lateranensis Concilii Decreto manifeste apparet, ita præcipi sumptionem Eucharistiæ tempore Paschali, ut si omittatur, non desinat urgere præceptum; dicit enim: omnis utriusque sexus . . . suscipiat *ad minus* in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: porro ly *ad minus* non præceptum respicit Communionis suscipiendæ, sed tempus sumendi; quamobrem si in tempore statuto non suscipiat, saltem alio tempore præceptum impleat. Duo igitur in eo præcepto servanda sanciuntur, scilicet & sacræ mensæ participatio, & tempus participationis; porro quando, vel partes, vel circumstantiæ omnes præcepti adimplere, vel ex legitimo impedimento non potuerunt, vel ex culpa non custoditæ fuerunt, illa saltem pars est custodienda, quæ potest impleri, ut patet in jejuniis, recitatione Breviarii, in satisfactionibus a Confessariis impositis, in quibus omnibus qui totum implere non potest, ad partem tamen prout potest implendam obstringitur, nec a toto præcepti onere liberatur. Quod luculentius adhuc patet ex Canone Tridentini Concilii sess. 13. definientis: *Si quis negaverit omnes fideles teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, anathema sit*. Declarat itaque S. Synodus fideles teneri singulis annis communicare, & hoc præceptum saltem in Paschate esse implendum: qui igitur in Paschate vel nequit vel negligit implere, singulis adhuc annis communicare tenetur. Præceptum itaque de Communione sumenda absolutum est, cujus observantia ultra annum non differenda ex Christi mandato, tempus autem ab Ecclesia designatum est Pascha, qui igitur tempus vel servare non potest, vel negligit, a præcepto divino minime solvitur. His accedit communis omnium Ecclesiarum, Episcoporum, & Præsulum consensus, qui non communicantes in Paschate non solum reos admissi sceleris declarant, & pœnis Ecclesiasticis vel Interdicti, vel Excommunicationis feriunt, sed & ad Communionem suscipiendam, & præceptum implendum obstringunt, cui nisi protestentur velle satisfacere, ab Interdicto vel Excommunicatione non solvunt. Nec urget aliter sentientium Theologorum argumentum, nam distinguendum est præceptum sive onus impositum ratione temporis, adeo ut tota ratio præcepti sit ipsa diei sanctitas, a præcepto de ipsa re imposito, & solum præfinitum tempus illud implendi; unde ratio & causa præcepti non est temporis circumstantia, sed ipsum opus. In primo capite elapso tempore cessat præceptum, ut patet in auditione Missæ, quæ ob sanctificationem diei festi indicta

est,

est, in jejuniis Vigiliarum, & Quadragesimæ, quæ ratione temporis indicta sunt, in penso quotidiano orationis in Clericis quasi cultus quotidiani ab ipsis Deo præstandi. At non tale est præceptum annuæ Communionis, quæ absolute præcipitur intra annum, *singulis annis* inquiunt Concilia Laterenense & Tridentinum, teneri ad communicandum, tempus vero appositum est non ad definiendam, sed ad urgendam obligationem, unde subdunt *ad minus in Pascha*, saltem *in Paschate*: quamobrem qui tempore statuto non implet, ab onere præcepti minime liberatur. Præterea in hisce argumentis ex paritate desumptis non tam subtilis est expiscanda differentia, quæ non semper luculenter apparet, quam naturale lumen, recta ratio, bona conscientia attendenda, quæ statim discrimen ipsum recto animo quærenti manifestat, ut patet in hoc duplici præcepto, alterum Ecclesiæ indicentis abstinentiam a carnibus in omnibus feriis sextis totius anni, & in præcepto Confessarii eandem abstinentiam præcipientis omnibus quartis feriis totius anni pro Sacramentali satisfactione, in quo duplici præcepto, si subtiliter discrimen assignari volueris, cur qui primum præceptum vel non observat, vel violat, non teneatur alio die abstinere, in secundo vero certe teneatur, vix reperies, tamen ipsa dictante conscientia, ipsa æquitate naturali suggerente sentimus pænitentem non servantem abstinentiam die statuto, teneri alio die abstinere, nec ab onere præcepti liberari, sicut liberatur in primo, quippe quia ipsum naturale lumen ostendit in priore ita dominari religionem diei, ut ipsa cessante cesset præceptum, in secundo vero non Religionem diei, sed pœnitentiæ virtutem imperare, quæ proinde etiam ultra diem præstitutum suum dilatet imperium.

Consectarium Tertium.

III. Qui se impediendum prævidet a suscipienda communione paschali tempore, & quidem intra statutos quindecim dies, prævenire tenetur; sicut qui ab anteriore Paschate non communicavit; qui vero eodem anno Communionem sumpsit, non peccat si post Paschale tempus Eucharistiæ differat sumptionem. Et primæ quidem partis ratio est de se manifesta, nam urget & præceptum & tempus; qui igitur prævidet fore ut impediatur a suscipienda Communione, nisi in ipsa Palmarum Dominica communicet, tenetur implere præceptum, sicut valde mane Missam audire tenetur, qui prævidet impedimentum postmodum futurum. Ratio quoque secundæ partis mihi luculenta videtur; nam qui a priori Paschate non communicavit, si prævidens impedimentum, tempus non præveniat, nec præceptum implet quoad substantiam annuæ Communionis, nec quoad circumstantiam temporis; nam differendo post Pascha, annum prætergreditur pro Communione statutum, & sic non implet præcepti substantiam, & ea dilatione in paschali tempore Eucharistiam non sumit; tenetur igitur prævenire, ut saltem substantiam præcepti servet, sin modum & temporis adjunctum custodire non potest. Nec obstat quod tempus implendi præcepti non urgeat; immo per anticipationem nec ipsius præcepti impletio habeatur, nam cessante impedimento adhuc deberet in Paschate communicare. Nam si non urget tempus ab Ecclesia statutum, urget tamen tempus divini præcepti non dif-

differendi ultra annum Sacram Communionem, proinde prævenire tenetur. Præterea quando præcéptum aliquo modo impleri potest, licet non adæquate & perfecte, ab ejus possibili observantia nemo liberatur, atqui hic præceptum Communionis potest observare quoad substantiam præveniendo, licet non possit quoad circumstantiam temporis; tenetur igitur eo quo potest modo custodire, tempus præveniendo. Nec obstat quod cessante impedimento iterum teneretur in Paschate communicare (quod tamen aliqui Theologi inficiantur) nam hoc esset per accidens, nam cum tunc posset plene & perfecte implere præceptum & quoad substantiam & quoad modum sive tempus, nec possit modum & tempus servare nisi Communionem repetendo, teneretur communicare. Tertiæ vero partis hæc mihi videtur solida ratio, nam qui alias in anno communicavit, jam præceptum divinum de Communione ultra annum non differenda implevit, proinde superest solum præceptum Ecclesiæ implendum paschale tempus præstituens, quod tamen servare non potest sive præveniat, sive postponat Communionem. Fateor quidem melius fore prævenire quam postponere, quia, ut inquit S. Antoninus, prævenire diligentis est, tardare negligentis; nihilo tamen secius hanc nigligentiam lethalis culpæ damnare non auderem, præsertim si delatio post paschale tempus minime diuturnior foret, at non certe tanta, ut annus elaberetur.

Consectarium Quartum.

IV. Qui vel sanus vel æger ante Paschale tempus Communionem suscipit, tenetur iterum in Paschate communicare, licet ad Sacram Mensam ipso sabbato Dominicam Palmarum præcedente accesserit. Id patet manifeste, quia præfata Communio pietatis & superogationis opus fuit, quæ ipsum præceptum urgens præcessit; quamobrem urgente præcepto ad illud implendum tenetur. Nam vero qui mandato parens Ecclesiæ Communionem Paschalem præcipientis Christi Corpus sumpsit, urgente gravi infirmitate iterum eodem die Viaticum vel sumere possit vel teneatur, expendemus in tract. de Sacramento Eucharistiæ.

Consectarium Quintum.

V. Sacra Communio ita est in propria Parochia, & a proprio Parocho sumenda, ut præceptum non impleat, qui in Cathedrali communicat, vel ab ipso Episcopo inscio Communionem recipit. Et quidem a proprio Parocho esse sumendam Eucharistiam probavimus cap. præced., & hic confirmamus, addentes nomine proprii Parochi intelligi etiam Episcopum, ejusque Generalem Vicarium, nec non alium Sacerdotem ab ipso Parocho deputatum vel in generali, vel in particulari. Num vero impleat præceptum qui Eucharistiam sumit in Cathedrali, olim disputarunt Theologi & Canonistæ, & quidem affirmarunt ex Canonistis Abbas in Caput *Omnis utriusque sexus*, Guttierez. Barbosa de Off. Parochi part. 2. cap. 20. n. 13. Passerinus, ex Theologis vero Felix Potestas, Sa, Gesualdus, Macado, Diana, aliique. At opposita quam statui doctrina & certa est, & unice probabilis, ut egregie ostendit Benedictus XIV. in sua Institutione 18. n. 11. & 12. tum ex declaratione Innoc. XI. statuentis, non implere præceptum Paschalis Communionis, qui Romæ Sacramentum Eucharistiæ suscipit in Eccle-

siis

fiis Patriarchalibus Lateranensi, & Vaticana, & confirmat testimonio Cardinalis de Lugo, qui testatur hocce dubium propositum & discussum fuisse coram Pontifice, & definitum non implere præceptum qui in Cathedrali vel Metropolitana in Paschate communicat, cum cujusque Parœciæ limites sint constituti, nec possit Cathedralis Ecclesia licet Parochialis ultra præstitutos terminos se dilatare, & sicut non licet Parocho Metropolitanæ assistere Matrimonio fidelium alienæ Parœciæ, ita nec illi in Paschate licite Eucharistiam ministrare; præter quam quod cum finis hujus legis sit ut Pastori oves suæ innotescant, plane frustraretur, si liceret Parochianis alias adire Ecclesias, & proprium declinare Pastorem. Pari pacto qui de manu Episcopi etiam Paschali tempore sumit Eucharistiam, nisi ipse Episcopus vel Paschalem Communionem ministret, vel probe noverit Communicantes accedere ad Ecclesiasticum præceptum implendum, non satisfacit, cum Episcopi nunquam sine legitima causa a communi & universali lege dispensare intendant.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Præcepto satisfaciunt fideles, qui extra propriam Parœciam communicant de licentia Parochi expressa, & etiam aliquando præsumpta, quæ tamen præsumpta licentia de facili non est admittenda. Et quidem Parochos concedere posse suis subditis, ut in Paschate in aliis Ecclesiis sumere Eucharistiam possint, nullus est qui ambigat, cum hoc ad eorum ordinariam jurisdictionem pertineat, & qui de licentia Parochi communicat, jam Pastorem suum agnovit, & vicissim ab ipso agnitus est. Num autem sufficiat præsumpta licentia, res est plane incerta, cum enim tacitus & præsumptus Parochi consensus res sit facti, a multis plane individuis, & singularibus circumstantiis pendens, locum quandoque habere potest, at certe non est de facili præsumendus: & certe 1. non est præsumendus, si constet, Parochum se in hac venia concedenda difficilem & morosum præbere. 2. Si nulla adsit legitima & urgens causa communicandi extra propriam Parœciam. 3. Si licentia peti facile potest a Parocho, & ab eo expressa obtineri dispensatio, non enim prudenter operatur: quia ita penes se decernit, si licentiam a meo Pastore peterem, eam profecto obtinerem, at petere nolo, ideo eam mihi arrogo, & obtentam præsumo. 4. Nec legitima est præsumendæ dispensationis causa, quam affert Busembaum, illorum nimirum, *qui cum frequenter communicent apud Religiosos, adduci non possunt ut communicent in Parochia*; nam quinam hic habetur non dicam legitimus, sed nec apparens color præsumendæ concessionis? Non certe quia frequenter communicant apud Religiosos; nam hæc frequens communio ab onere implendæ Ecclesiasticæ legis eos non liberat, immo si frequenter ex devotione apud Religiosos communicant, cur non debent saltem semel in anno ex obedientia & reverentia erga Ecclesiam præcipientem in propria Parœcia communicare? Non quia, ut subdit, *adduci non possunt* ut communicent apud Parochum. At quamobrem adduci non possunt, ut communicent in propria Ecclesia? Num grave illis imminet detrimentum? Num magnum labore subire debent? Nihil prorsus: cur ergo ab observantia præcepti sunt eximendi? Nonne hæc reluctatio manifeste indicat, se nolle debi-

tam præstare proprio Pastori submissionem, vel ex superbia & arrogantia nolle dispensationem petere ? 5. Nec præsumenda est hæc licentia, ut subpit Layman lib. 5. tr. 4. cap. 7. n. 4. in militibus præsidiariis, item in Aulicis, studiosis, aliisque Academicis &c. quia frequenter communicantes extra susciciónem sunt. Sint, si lubet, extra suspicionem: at sunt ne extra legem Ecclesiæ, cui parere non debeant ? Cur eos Parochum ab hac lege dispensare præsumendum, cum nulla sit nec necessitas nec causa ? Cur hanc licentiam præsumunt, quam petere sine incommodo possunt ? Profecto si hæc doctrina admittatur, jam hoc præceptum facile & evanescet, & in desuetudinem abibit, quæ novam suppeditabit benignioribus Theologis causam liberandi fideles ab hoc præcepto.

Consectarium Septimum.

VII. Non licet indispositо ad Communionem paschalem cam propria voluntate differre, quod tamen potest de licentia & consilio proprii Sacerdotis. Qui pravis habitibus detinentur, & peccaminosa consuetudine ligantur, profecto digne sumere nequeunt Communionem, nisi pravos habitus & consuetudines deponant. Ea propter isti Paschale tempus expectare non debent ad amplectendam pœnitentiam, sed statim incipiente Quadragesimali tempore deberent propriæ saluti consulere, & opportuna emendatione se ad Paschale Sacramentum præparare. At posito quod ex culpabili negligentia id omiserint, non debent propria voluntate, & ex suo libito Communionem omittere, sed se debent proprio Sacerdoti sistere, statum suum illi aperire, & tempus ad congruam emendationem obtinere; sic enim aperte statuit Lateranense Concilium indicens, sumendam quidem in Paschate Communionem, *nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus participatione duxerit abstinendum*. Ita docet & D. Thom. 3. p. q. 80. art. 11. ad 3. scribens: „ Licet in peccatis permanentes non excusentur propter hoc „ a transgressione præcepti; (sumendi „ Eucharistiam in Paschate) Pœnitentes tamen, qui, ut Innocentius dicit, secundum consilium Sacerdotis „ abstinent, excusantur “.

Consectarium Octavum.

VIII. Qui de licentia proprii Sacerdotis Communionem post Paschale tempus distulit, adhuc tenetur eam in propria Parochia sumere. Veritas hujus Consectarii primo aspectu manifesta videtur, nullique obnoxia contradictioni, quandoquidem Ecclesia, quæ dilationem concedit, non tamen ab onere & præcepto liberat. At inquiunt nonnulli, frequenter contingit, ut de bono nomine & fama periclitentur Pœnitentes, qui nunquam toto anno ad propriam accedentes Parœciam pro Communione, si eam adire conspiciantur post tempus Paschale, & inibi communicare, sic enim agendo suspicionem ingerunt omissæ Communionis, & denegatæ a Confessario absolutionis, proinde gravioris alicujus admissi sceleris, non sine animadvertentium scandalo; ad hoc igitur vitandum, & ad bono nomini & famæ consulendum, sunt ab onere adeundi propriam Ecclesiam sublevandi. Verum hæc mihi inania videntur terriculamenta, panicique timores, quos philautia exaerat & magnificat. Nam 1. Ecclesia jus habet sciendi, quinam ad Sacram Mensam ac-

accedant, & quinam vel recusent vel repellantur, ideo jussit omnibus fidelibus non solum ut Communionem in Paschate recipiant, sed non ab alio quam a proprio Pastore accipiant; quomodo igitur præsumendum est illi permittere hujus mandati violationem ut lateat, quod ille notum sibi vult atque compertum? 2. In omnibus fere Diœcesibus Christiani Orbis quædam statuuntur servanda, & certa dantur signa, quibus innotescant, qui a Sacra Communionem in Paschate abstinent. Legantur apud Natalem Alexandrum lib. 2. de Euch. cap. 1. art. 5. Reg. 3. Statuta a S. Carolo Borromæo in Conc. Provinciali Mediolanensi I. ut Parochis latere non possit qui a Paschali Communione abstinent. Legantur doctæ Institutiones Bened. XIV. 18. & 43. & 55. in quibus Parochos instruit, quanto studio & diligentia curare debeant, ut sibi innotescant qui a Sacra Commuuione abstinent, quomodo eos monere debeant, & ad præceptum implendum urgere, & contumaces ac inobedientes sacro Tribunali deferre. Legantur in Juvenino, sive in Auctore Theoriæ & Praxis Sacramentorum Tom. 1. de Sacram. Euch. cap. 10. quænam in Gallia adhibeantur a Parochis studia, ut certo nosse possint quinam præcepto obtemperent paschalis Communionis, quinam vero violent. Porro omnes isti studiosissimi Ecclesiæ Presules & Pastores optime noverant hisce studiis periclitari famam & bonum nomen illorum, qui in Paschate a Communione abstinentes suscipionem ingerunt admissorum criminum & denegatæ sibi a Confessariis absolutionis, & nihilo tamen secius ea non omittenda præcipiunt, immo adhibenda jubent, & posthabendam qualemcumque. Penitentis infamiam observantiæ hujus præcepti. 3. Vel in Civitate & Oppido a Parochis aliquod studium adhibetur, ut noverint quinam in Paschate non communicent, proinde schedas Communicantibus distribuunt in testimonium accepto Eucharistiæ, vel de hoc non curant, nullamque adhibent diligentiam. Si primum, jam actum est de bono nomine & fama Pœnitentis, non ex accessione post Paschale tempus ad Sacram Mensam, sed ex ipsa omissione accedendi tempore Paschali, qui propterea non est dispendandus ab onere sumendi Communionem in propria Ecclesia, sed cogendus ut datum scandalum auferat, & bonum nomen ac famam recuperet, accedendo saltem extra Paschale tempus ad Sacram Mensam. Si vero nulla adhibetur diligentia, sicut non innotuit omissio Paschalis Communionis, ita nec innotescet ex Communione post Paschale tempus sumpta, quæ haberi potest etiam ex devotione. Minime, inquiunt, nam Pœnitens nunquam toto anno in propria Ecclesia communicat, immo nunquam ad suam Ecclesiam accedit. Pessime quidem. At sit ita, poterit tamen Parochus vel alius Sacerdos credere mentem mutasse, & velle in posterum Sacramenta a suo Pastore & in propria Ecclesia sumere, poterit etiam credere, non sumptam ab ipso in Paschate Communionem ob legitimum impedimentum. Uno verbo omnia credere debet, potius quam de Pœnitente temerarium judicium efformare. Ineptus est igitur timor, & inanis famæ amittendæ, & boni nominis jacturæ, qui locum habere non potest nisi in mulierculis aliisque inbecillibus personis, quæ instruendæ proinde sunt, & monendæ de præcepto Ecclesiæ fideliter custodiendo. At si revera vel scandalum timeatur, vel grave damnum Pœnitenti immineat ob suscipiendam extra Paschale tempus Eucharisti-

ristiam in propria Parœcia, quid agendum erit? Primum dico non esse ob rarum aliquem & singularem casum, generalem statuendam Regulam de dispensatione concedenda communicandi extra propriam Ecclesiam omnibus, quibus Communio differtur. 2. Addo tunc servandam Regulam quartam quam tradit Natalis Alex. l. sup. cit. per hęc verba: „ Si quis alteri a Parocho de illius „ aut Episcopi licentia peccata confes- „ sus fuerit, ipsique absolutionis bene- „ ficium distulerit Confessarius, aut il- „ lius Communionem ultra quindenam „ Paschalem differendam judicaverit, „ debet nihilominus Pœnitens propriam „ Parochiam adire, ipsique exponere „ conscientiæ suæ statum, aut certe „ Sacerdotis, apud quem peccata de- „ posuit judicium attendere, ut illius „ consilio, & licentia Paschalem Com- „ munionem ad tempus differat. Alio- „ quin Parochus suo jure utetur, & „ pœnas Constitutionis *Omnis utriusque* „ *sexus* ipsum incurrisse declarabit. „ *Quamobrem consultius erit, si Confessa-* „ *rii hujusmodi homines ad proprium Sa-* „ *cerdotem remittant* ".

Notare hic operæ pretium duco nonnullas fraudes, quæ adhiberi solent ad occultandum Pastoribus Paschalis Communionis omissionem, quæ certe minime licitę sunt, immo & perversæ. 1. Aliquando Confessarii a Parochis petunt schedas testimoniales distribui solitas accedentibus ad Sacram Mensam in Parœcia, quas postea dant illis, quibus absolutionem differunt, & ad communionem admittunt elapsa jam Paschali quindena. Hę schedę, si a Parocho libenter concedantur, testes sunt non peractæ Communionis, sed concessæ a Parocho dispensationis, & si non nihil fraudis continere videntur, cum exhibeantur postea tamquam testimonia impleti præcepti, quod verum per se non est; id tamen Parochi vel tolerant vel permittunt, dum schedas confessariis ad hoc petentibus concedunt. 2. Nonnulli confessarii, quibus hæ schedæ a Parochis denegantur, submittunt devotas feminas, quæ pluries accedentes ad Communionem in Parœcia, plures etiam recipiunt schedas, quas postea dant confessario, qui eas distribuit Pœnitentibus, quibus absolutionem differt, & Commnuionem extra tempus paschale & hoc omnino illicitum censeo, nec a gravi culpa excusare audeo, nam est mendacium manifestum in re gravi ad fallendam Ecclesiam, & Pastorem, immo est dare falsum testimonium in judicio non quidem publico, sed privato quidem, at legitimo; jus enim habet Parochus interrogandi subditos suos, num præcepto Ecclesiæ paruerint, & ipsi tenentur veritatem dicere, nec falsum sui mendacii proferre testimonium. 3. Uxor sciens Maritum ad Sacram Synaxim non accessisse, bis ad Sacram Mensam accedit, ut duplicem schedam accipiat, quarum altera pro se, altera pro Marito Parocho suo tempore poscenti exhibet. 4. Sunt & pænitentes, qui cum beneficium absolutionis a Confessario non impetraverint, ac proinde Eucharistiam non audent sumere, vel etiam a Confessione & Communione abstinere omnino velint, ne eorum detegatur contumacia & iniquitas, devotas feminas, etiam data pecunia, submittunt, quæ iterum communicantes in Parœcia, novas quas accipiunt schedas his pœnitentibus cedunt, quas Parochis exhibendo suam tegunt iniquitatem. Et hi gravissime peccant, quia Pastorem suum in re gravissima decipiunt, & graviter peccant etiam feminæ, quæ istis dolis & fraudibus consentiunt, & cooperantur;

tur ; proinde graviter a Confessariis reprehendendæ , & indicendum illis , ne imposterum intra Paschalem quindenam nonnisi semel ad Communionem in Parœcia accedant. Sunt etiam cogendæ , ut iniquum acceptum pretium pauperibus in eleemosynam distribuant , ne lucrum ex sua iniquitate reportent , & ut secreto saltem moneant Parochos de fraude admissa , ne ab iniquis istis deceptoribus fallantur , sed lupos istos & vulpes ab ovibus discernere possint , & vel emendare , vel juxta Ecclesiæ disciplinam punire valeant , & coercere. Sunt fortassis & alii doli mihi minime comperti , quos adhibent Pœnitentes , & forsitan Confessarii non reprobant inani titulo decepti tegendæ famæ , conservandi bonum nomen , scandali vitandi , quos tamen studiosus Sacramenti Pœnitentiæ Minister reprobare debet , fugere , & detestari , & nihil in re tam sacra & divina fraudis , doli , deceptionis tolerare , & permittere ,

Consectarium Nonum.

IX. Regulares ad Paschalem Communionem in propria Ecclesia percipiendam admittere non possunt nisi vel famulos , qui eis actu inserviunt , & intra eorum septa ac domos resident , & sub eorum obedientia vivunt , vel licet non servi , in eorum tamen familiam & consortium cooptati sunt. Ita statuit Tridentinum Concilium sess. 24. cap. 11. de Reformatione : quamobrem aliqua deficiente ex tribus præfatis conditionibus in famulis , minime a parochiali jurisdictione eximuntur , sed in ea debent sacram Eucharistiam suscipere. Decisum propterea fuit a Sacra Congregatione Concilii , ut refert Bened. XIV. Instit. 55. ne immunes a Parochiali jurisdictione habeantur famuli , & famulæ degentes si mansionibus sitis in atriis Monasteriorum , licet muro circumvallatis , & contiguis Monasteriis , & habeant portam quæ clauditur , quia revera non sunt intra Monasterii septa. Multo minus eximuntur , qui solum Monasteriis deserviunt , sed non sunt de familia , nec continui commensales , sed extra Monasterium habitant cum aliis secularibus , sicuti nec Tertiariæ , licet habitum Religiosum gestent , quæ in propriis domibus vivunt ; nam privilegia a Benedicto XIII. in Bulla *Pretiosus* , & aliis , abrogata sunt a Clemente XII. Constitut. incipiente *Romanus Pontifex*.

Consectarium Decimum.

X. Non licet Regularibus in die sancto Paschæ nec devotionis gratia sacram Communionem secularibus ministrare , nisi accedat tacitus saltem Episcoporum & Parochorum consensus. Veritas hujus doctrinæ 1. constat ex Bulla Leonis X. concedentis Regularibus facultatem administrandi Sacramenta in suis Ecclesiis etiam in Paschali quindena , qui tamen excipit expresse *diem Paschatis* ; nec admittenda interpretatio Concinæ , & aliorum Theologorum , qui censent , solum eo die designari observantiam præcepti , seu Pontifices velle , ut fideles in propria Parœcia ad implendum præceptum communicent ; quandoquidem dum concedit Pontifex Regularibus , ut Sacramenta ministrent etiam intra paschalem quindenam , non illis utique concedit ut distribuant ad implendum præceptum , sed solum ex devotione illis , qui vel implevere mandatum , vel implendi voluntatem habent ; ergo dum vetat ne in die Paschæ Eucharistiam ministrent , & ipsam administrationem ex devotione prohibet.

Et

Et revera ita sentiunt non solum rigidiores Theologi .Navarrus, Sylvius, Henricus a S. Ignatio, sed & benigniores, ut novissime Ferrarius V. *Eucbaristia* num. 20. His accedunt plura S. Congregationis Decreta a Benedicto XIV. in suo de Synodo aureo Opere lib. 9. cap. 16. n. 4. recitata. Primo siquidem refert ex Diana', Lezana, & Tamburino de jure Abbatum, sæpius discussum fuisse in Sacra Congregatione Concilii, num liceret Regularibus in quindena Paschali Eucharistiam ministrare fidelibus, & decisum fuisse: „ *Sola die solemnitatis Paschalis* absolute „ prohiberi Regularibus, ne Eucharistiam in suis Ecclesiis porrigant secularibus, etiamsi isti jam antea annuæ „ Communionis præceptum in propria „ Parochia impleverint ". Deinde alias subdit S. Congregationis decisiones, inter quas illam in causa Mechlinensi. Dubium siquidem propositum erat: „ An Patres Societatis Jesu, aliique „ Regulares possint ministrare sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum personis secularibus a Dominica Palmarum usque & per totam Dominicam „ in Albis, & responsio data fuit affirmative, excepto *die Paschatis*. Ita „ tamen ut in aliis diebus sumentes Eucharistiam a Regularibus intra duas „ hebdomadas Palmarum & Paschatis „ non satisfaciant præcepto ". Ex qua doctrina sequitur 1. posse Episcopos Regularibus indicere in solemni Dominicæ Resurrectionis die, ne ulli secularium Eucharistiam audeant ministrare, ut notat laudatus Pontifex n. 5. 2. Ubi hæc viget consuetudo, ut in Galliis, esse a Regularibus observandam. 3. Non esse reprehensione dignos Præsules illos, qui Sacristæ, aliisque Religiosis sibi subditis vetant, ne præfato solemni die secularium Eucharistiam ministrent. 4. Non esse reprehendendos Regulares, qui eodem die fideles ad sacram Communionem in suis Ecclesiis admittunt, quando adest vel expressus vel tacitus Episcoporum vel Parochorum consensus, qui prudenter præsumitur, quotiescumque huic publicæ administrationi jam sibi notæ & compertæ, & a pluribus annis invalescenti non obsistunt nec suis Decretis, nec Synodalibus Constitutionibus.

Consectarium Undecimum.

XI. Qui in duplici Parœcia domicilium obtinet, quia modo in una, modo in alia inhabitat, potest in qua maluerit Paschalem suscipere Communionem. Vagi vero, qui nullibi certam Parœciam habent, possunt ubilibet paschale Sacramentum suscipere; decens tamen foret, ut in ea Parochia Communionem sumerent, in qua eo tempore commorantur, & a cujus Parocho, necessitate urgente infirmitatis vel mortis, Sacramenta petere, & suscipere deberent. Quod & dicendum de Advenis & Peregrinis, qui ad propriam Parœciam reverti non possunt, de quibus & Rituale Romanum sic statuit: „ Alienos vero „ a Parochia fideles (Parochus) ad propriam Parochiam remittat præter Peregrinos & Advenas, & qui certum „ domicilium non habent: quibus ipse „ sacram præbebit Communionem " Qui pariter in Paschali quindena ob aliqua negotia in alia degit Parœcia, & intra illud tempus reverti non valet ad propriam Ecclesiam, præceptum implebit Communionem accipiendo in ea Parochia, ubi invenitur juxta Eugenii IV. declarationem, nec tenetur differre Communionem ultra tempus Paschale ut in sua Parœcia communicet: opor-

portunum quidem erit testimoniales literas de celebrato Paschate ad propriam Parochiam deferre.

Consectarium Duodecimum.

XII. Communio Paschalis non est deneganda amentibus, si lucidis intervallis eo tempore fruantur, sicut nec energumenis, bene quidem publicis peccatoribus tam secreto, quam publice petentibus. Ita docet S. Thom. in IV. ad Anibal. dist. 9. a. 4. ad 5. de prioribus scribens: „ Dicendum, quod furiosus „ aut habet lucida intervalla, & tunc „ potest communicare, aut non, & est „ perpetuo furiosus, & sic non debet „ communicari ". De posterioribus vero l. c. a. 9. hæc habet: „ De baptizatis, qui corporaliter ab immundis „ spiritibus vexantur, est eadem ratio „ ac de aliis amentibus, unde Cassianus „ dicit, *eis, qui ab immundis vexantur* „ *spiritibus, Communionem sacrosanctam* „ *a Senioribus nostris nunquam meminimus interdictam* ". De publicis autem peccatoribus scribit 3. par. q. 80. a. 6. in corp. „ Peccatoribus manifestis, sicut publici usurarii, aut publici raptores, vel etiam per aliquod „ judicium Ecclesiasticum vel seculare, „ non debet etiam petentibus sacra Communio dari: unde Cyprianus scribit „ ad quemdam, *Pro dilectione tua consulendum me existimasti, quid mihi videatur de histrionibus, & mago illo,* „ *apud vos constitutus adhuc in artis suæ* „ *dedecore perseverat, an talibus sacra* „ *Communio cum ceteris Christianis debeat* „ *dari, puto, nec Majestati Divinæ,* „ *nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut* „ *pudor & honor Ecclesiæ tam turpi &* „ *infami contagione fœdetur* ". Et rursum in IV. dist. 9. q. 1. art. 5. quæstiuncula 1., repetit: „ Si peccatum est „ manifestum, debet ei denegari Communio, sive in occulto, sive in manifesto pereat ".

Consectarium Tertiumdecimum.

XIII. Violantibus præceptum annuæ Communionis eadem est indicta pœna ac omitentibus culpabiliter annuam Confessionem, videlicet quod subjici possint Ecclesiastico Interdicto, & Ecclesiaica privari sepultura; quæ tamen pœnæ cum non sint latæ sententiæ, nec ipso facto incurrendæ, locum non habent nisi ex sententia Judicis Ecclesiastici. Possunt etiam Episcopi in contumaces hujus præcepti violatores anathematis fulmen intorquere ut resipiscant, & si in Synodalibus Constitutionibus lata sit, eam incurrunt etiam publicæ meretrices. Hinc Parochi illos, quos noverint in Paschate ad Eucharisticam mensam non accessisse: 1. Debent secreto monere, & si quidem dixerint, se Communionem distulisse de consilio proprii Sacerdotis, illis credere debent, sed tempus congruum definire, quo debeant paschale præceptum implere. 2. Si pertinaces in violatione præcepti reperiant, ex suggestu in communi omnes monere, qui Communionem non susceperunt, ut quantocius scandalum tollant, & præceptum impleant, aliter Episcopo denuntiandos fore. 3. Denique contumaces ad Episcopi Tribunal deferre, qui sua prudentia & justitia viderit quid adversus illos agendum. Ita Parochos instruit Benedictus XIV. in suis institut. 18. 43. & 57. omnino legendis.

REFLEXIO.

Non immerito deflevimus statim in initio hujus disputationis de 3. & 4. Ecclesiæ-

clesiæ præcepto, nihil magis ostendere quantum defecerit in fidelibus pietas, & deferbuerit caritas, quam necessitas, quibus adducta est Ecclesia sub anathematis pœna filios suos cogendi & ad gravem peccatorum sarcinam saltem semel in anno abjiciendam, & ad minus in Paschate cibum vitæ, & alimoniam salutis suscipiendam. Heu quantum hæc nostra sæcula a primis Ecclesiæ sæculis enormiter distent, quam defœdata populi Christiani facies, mutatusque color optimus! Profecto tribus prioribus Ecclesiæ sæculis nullum erat necessarium mandatum, nullum latum præceptum de Eucharistia sumenda, nam fideles sponte ad hunc cibum vitæ sumendum, ad hoc cæleste Manna gustandum accedebant, & quidem non raro, sed frequentissime; erant enim, ut habetur in Actis Apostolorum *quotidie perdurantes & unanimiter in Templo, & frangentes circa domos panem*. Nec ullus sacræ Synaxi aderat, qui divinæ non fieret Mensæ particeps, & qui adesse non poterant, per Diaconos sibi allatam Eucharistiam sumebant, ut testatur S. Justinus Martyr; & Tertullianus scribit domi asservari concessum Eucharisticum panem, ut eo quotidie reficerentur fideles. S. quoque Cyprianus, hunc, dicit, esse illum panem, quem nobis quotidie dari postulamus, & S. Ambrosius suis fidelibus exprobrabat, quod cum *Christi Corpus quotidianus sit panis, tamen nonnulli nisi post annum sumerent*. Et ita quidem postulabat tum fidelium fervens in Deum amor, & in proximos caritas, in operibus pietatis frequentia, & confitendæ fidei & martyrii subeundi inter atroces hostium Christiani nominis persecutores urgens necessitas. At data postmodum Ecclesiæ pace quarto seculo deferbuit quidem Christianorum ardor, at non ita, ut sacræ mensæ participatione diutius abstinerent, sed saltem Dominicis diebus ad sacram Mensam accedebant, a qua pia consuetudine recedere incipientes redarguit Aquisgranensis Synodus II. anno 836. celebrata can. 20. indicens: *Sane Communicatio Corporis Domini omni die Dominico celebrari convenit: ideo necesse est quantum ratio permittit, ut moderna corrigatur consuetudo, ne forte qui longe est a Sacramentis, quibus est redemptus, longe sit a salute, quam fuerat consecuturus*. Quod & confirmatur lib. 5. Capitularium cap. 134. ubi dicitur: *Omnes per dies Dominicos, vel Festivitates præclaras Sacra Eucharistia communicent, nisi quibus abstinere præceptum est*. Conciliorum tamen & Sanctorum Præsulum studia, monita, mandata impedire minime potuerunt, ne fideles adhuc pejus tepescerent, & rarius ad Communionem accederent; quamobrem indictum est ut saltem ter in anno in Paschate, Pentecoste, & Natali hoc cœlesti pabulo reficerentur, quod præceptum iterum necesse fuit ad solum Paschatis festum coarctare, ut factum est in Concilio Lateranensi, & confirmatum in Tridentino.

II. Sed utinam huic saltem præcepto parerent Christiani! at plurimi adhuc sunt, qui nec ad literam præceptum custodiunt, & multo plures, qui ex servato præcepto, spiritualem illum & uberem fructum, quem & exoptat Ecclesia, & quem nata est afferre spiritualis hæc mensa, minime percipiunt. Profecto nec literam præcepti non implent, qui per plures annos ad sacram Mensam minime accedunt, quippe quia vel cupiditatibus & libidinibus indulgere malunt, vel illicita lucra sectari, vel male parta & acquisita minime reddere; pravos habitus, quibus irretiuntur,

tur, deponere, perversa voluntate jam in malo obdurata recusant. Quod si vel urgentibus Parochis, & comminantibus Episcopis, vel compellente anathemate Ecclesia ad sacram Mensam trahuntur, potius quam veniant, præceptum adhuc minime implent, quia nuptiali sin innocentiæ saltem veræ pœnitentiæ veste minime induti, vel enim commissa occultant Ministris crimina, vel dolore necessario non moventur, vel proposito firmo & constanti vitæ mutandæ omnino carent; quamobrem scelera multiplicant, sacrilegia cumulant, & Sacramenta dum percipere devote videntur, revera prophanant. Testes hujus veritatis sunt benigniores illi Theologi, qui iniqua, & crudeli commiseratione commoti, ut aliquo modo sacrilegis hisce Dominici corporis prophanatoribus auxilientur, & in illis conscientiæ aculeatos morsus immane sacrilegium exprobrantes retunderent, docere non exhorruerunt, sacrilega Corporis Christi manducatione fieri satis præcepto annuæ Communionis, & laxitatem laxitati addentes ausi sunt & docere: *Frequentem Communionem & Confessionem & in iis qui gentiliter vivunt, notam esse & signum prædestinationis*: atque ita sacrilegiis addita sacrilegia animam non ad gehennam, non ad judicium, & condemnationem nutrire & saginare, sed ad æternæ vitæ consecutionem disponere. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorem die ac nocte?*

III. Nec lacrymas abstergit, nec dolorem lenit & mitigat frequens illa solum in Paschate communicantis populi turba, quæ licet sincera, &, ut credere lubet, vera pœnitentia purgata ad sacram Mensam accedat, modicum tamen & etiam nullum omnino inde fructum reportat, quod deprehendere licet & ex iis, quæ Paschalem præcedunt Communionem, & quæ subsequuntur. Si enim olim Diaconi ex Altari elata voce clamabant *Sancta Sanctis*, quam sanctitatem quæso ad sacrum Altare afferunt, qui toto anno in peccatorum cœno demersi, plurimis onusti peccatis, violato etiam & ipso præcedente Quadragesimali jejunio, expectatis forsitan postremis quindenæ Ecclesiasticæ diebus, insusurratis in aurem Sacerdotis criminibus, pectoris tunsione, venia a Deo petita, proposita & promissa Pœnitentiæ Ministro emendatione, qualicumque acceptata satisfactione a sacro Tribunali ad sacrum & tremendum Altare accedunt, & Christi Corpus suscipiunt? Quem fructum, amabo, quam utilitatem ex hujusmodi Communione polliceri possumus? Nonne benignissimi sumus, & corde levissimi, si eos a sacrilegio credimus immunes? Audiant hujusmodi communicantes D. Jo. Chrysostomum sic in eos detonantem: „ Non potes dicere nesciebam, „ ignorabam hanc rem plenam esse periculi. Ne hoc uti possis prætextu, „ ea de causa magna voce, terribili „ clamore tanquam præco manum tollens, in altum stans extensus, & omnibus manifestus, & in tremendo illo „ silentio vehementer vociferans alios „ quidem vocat, alios vero arcet Sacerdos, non hoc manu faciens, sed „ lingua, clarius & apertius quam manu. „ Nam vox illa aures nostras incurrens „ tanquam manus alios quidem repellit & „ ejicit, alios autem introducit, & sistit. „ Nam quando dicit SANCTA SANCTIS, „ hoc dicit, si quis non est Sanctus „ non accedat. Non solum inquit a „ *peccatis purus*, sed etiam *sanctus*. „ Sanctum enim facit non sola liberatio a peccatis, sed etiam præsentia spi-

ſpiritus, & bonorum operum abundan-
„ tia. Non ſolum inquit volo vos *a cœ-
„ no liberatos*, *ſed albos eſſe & ſpecio-
„ ſos*. Nam ſi Rex Babylonis juvenes
„ eligens, ex nativitate elegit pulchros
„ ſpecie & vultu decoros, multo magis
„ eos qui adſtant menſæ Regiæ formo-
„ ſos eſſe oportet, mentiſque pulchri-
„ tudine præditos, auro fulgentes, pu-
„ ro mente amictos, regalibus calceis
„ indutos, formoſum animæ vultum
„ ſplendideque ornatum circumferen-
„ tes, ac caritatis zona præcinctos.
„ Qui *talis eſt*, *accedat*, *& pocula tan-
„ gat regia*. Si quis autem pannis ob-
„ ſitus, ſordidus, & ſqualidus ad
„ menſam Regiam velit ingredi, vide
„ quanta patietur, cum non ſufficiant
„ quadraginta dies (Quadrageſimale tem-
„ pus deſignat) ad abluenda, quæ omni
„ tempore ſunt admiſſa delicta. Nam ſi
„ non ſufficit gehenna, licet æterna,
„ idcirco enim eſt æterna, multo mi-
„ nus hoc breve tempus. Non enim
„ validam, ſed imbecillem ſuſcipimus
„ pœnitentiam ".

IV. At quæ ſequuntur ſemel in anno ſumptam Communionem oſtendunt manifeſtius, quam inutiliter, ſine fructu, ſine profectu ſacrum illud Manna manducaverint quidem, at non guſtaverint. Paucis enim elapſis diebus, de pœnitentia peracta, quaſi dolentes, & ſacræ Communionis ſuſceptæ penitus obliti, ceu canes ad vomitum revertuntur, & tanquam ſues lotæ iterum revolvuntur in volutabro luti. Revertuntur Amaſii & Amaſiæ ad priores amores minime platonicos. Iterum Theatra frequentantur, tempus & pecunia in ludos conſumuntur, impudica repetuntur colloquia, luxus, faſtus, paganicæ, immo diabolicæ pompæ in Baptiſmo ejuratæ triumphabundæ in publicum prodeunt, non abrumpuntur iniqua commercia, injuſte parta non reſtituuntur, & ita annus elabitur, donec iterum adveniente paſchali tempore nova confingitur pœnitentia, ſacra iterum menſa polluitur, atque hac plane methodo viginti & triginta & quadraginta annorum decurrit vita illorum, qui ſemel tantum in anno Sacramenta non ex animo & pietate, ſed ex more, & quadam veluti conſuetudine ſuſcipiunt. Audiatur iterum Chryſoſtomus l. l. „ Sicut nutrimentum, quod
„ natura vim habet nutriendi, ſi in
„ eum inciderit, qui malis cibis & hu-
„ moribus eſt plenus, omnia perdit &
„ corrumpit, & morbi fit occaſio, ita
„ etiam hæc veneranda myſteria. Frue-
„ ris menſa ſpirituali, menſa regali,
„ & iterum os tuum luto inquinas?
„ Ungis unguento, & rurſum imples
„ fœtore? Dic mihi cum poſt annum
„ es particeps Communionis, exiſtimas
„ quadraginta dies ſufficere ad emen-
„ dationem peccatorum, at non rurſus
„ præterit hebdomada te dedis pejori-
„ bus? Dic mihi ſi cum quadraginta
„ diebus a longo morbo convalueris,
„ rurſum te dedas cibis illis, qui mor-
„ bos procreant, an etiam perdis prio-
„ rem laborem? Quadraginta diebus
„ tribuis ſanitati, animæ fortaſſis nec
„ quadraginta, & te Deum placaſſe
„ expectas? Jocaris ne o homo? Hoc
„ dico non ut ab uno eodemque an-
„ nuo acceſſu vos arceam, ſed volens
„ vos perpetuo ad Sacra accedere ".
Ita Chryſoſtomus. Unum optandum ſupereſt, ut hæc ſaluberrima monita, quæ Sanctiſſimus Præſul e ſuggeſtu deprædicabat, in aurem repetant confitentium ſacri Pœnitentiæ Miniſtri, ſed non minori zelo, & utinam pari fructu, & utilitate.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE QUINTO ECCLESIÆ PRÆCEPTO.

SUPEREST ad hujus de Ecclesiæ Præceptis Tractatus complementum, ut de Decimis, oblationibus, primitiis a Christiano populo Ecclesiæ Ministris ad Dei cultum, ad illorum sustentationem, ad pauperum subsidium pendendis disseramus, quod præstandum sumimus in hac quarta Dissertatione, nec ita breviter ut apud Morales Theologos, nec fuse adeo ut apud Juris Canonici Magistros, sed ita ut nec ea prætermittamus, quæ & D. Thomas duplici quæst. 86. & 87. in 2. 2. docuit, & magis Tyronibus utilia esse possunt. Hoc autem præceptum sic indicitur:

ECCLESIIS DECIMAS DE MORE PENDITO.

CAPUT PRIMUM.

Decimarum notio, & divisio traditur. Quo jure in Novo Testamento debeantur, expenditur.

DOCTRINA.

I. DECIMARUM nomine designatur pars quantacumque sit fructuum & acquisitorum, quæ per singulos annos est Ecclesiarum Ministris pendenda. Decimas solvendi morem & consuetudinem, sive etiam præceptum locum habuisse in quocumque hominum statu, paret manifeste ex Scripturis, & paucis indicatur in Jure comm. Cap. *Decimas* ex Concilio Moguntino his verbis: „ Decimas Deo & Sacerdotibus dandas „ Abraham factis " (quando nimirum eas persolvit Melchisedecho, ut Sacerdoti, Gen. 14.) „ Jacob autem promissis insinuat, (quando in Mesopotamiam profecturus Deo sibi apparenti, & benedictionem impertienti dixit, *Decimas & hostias pacificas offeram tibi*). „ Deinde lex eas dari statuit, ut omnes SS. Doctores commemorant. In „ lege siquidem Levit. 27. statutum „ erat, *Omnes Decimæ terræ; sive de „ frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur .... „ Omnium Decimarum bonis boris & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt,* „ *quid-*

„ *quidquid decimum venerit, sanctificabi-* „ *tur Domino* ". Decimæ alio nomine & Altaria & Plebes dictæ sunt, ut videre est apud Christianum Lupum, aliosque de Ritibus Ecclesiasticis Scriptores, apud quos vulgatum hoc effatum, *Plebs habet Ecclesiam, Ecclesia Altare, Altare decimam*. Dixi nomine Decimæ designari partem illam, quantacumque sit, quæ Ecclesiarum Ministris penditur, quia licet in veteri Testamento hæc pars fuerit vere decima, verumtamen in Novo Testamento non ita rigorose statuitur, ut sit decima, sed esse potest & vigesima, & quadragesima juxta locorum statuta, morem, atque consuetudinem. Dicitur in Dei honorem, cum ex decimis ea provideantur, quæ ad Dei cultum, ornatum Templorum, & hujusmodi sunt necessaria.

II. In Decimis duo sunt distinguenda, ut observat D. Tho. 2. 2. q. 87. art. 3. scilicet fructus & Res Ministris dandæ, & ab ipsis percipiendæ, quod, ut patet manifeste, est quid mere temporale; & jus in ipsis Ministris eas exigendi, quod est plane spirituale. Hinc expendendum, quomodo Decimæ quatenus temporale bonum sunt, sint percensendæ & dividendæ, & unde jus illud, quod Ministris Ecclesiæ convenit, oriatur. Quoad primum.

III. Decimæ dividuntur 1. in prædiales seu reales, & in personales. Prioris generis sunt, quæ solvuntur ex fructibus prædiorum, agrorum, vinearum, pratorum, hortorum, arborum, domorum, sylvarum &c. Posterioris vero classis sunt, quæ penduntur ex bonis acquisitis proprio labore, arte, industria, negotiatione, mercatura, officio &c. His addunt nonnulli Canonistæ & Theologi decimas, quas vocant mixtas, quia nimirum solvuntur ex fructibus partim ex natura, partim ex industria hominum profluentibus, quales sunt ex caseo, melle, lacte &c. quod tamen genus decimarum a plerisque rejicitur, tum quia nulla de illis mentio in jure Canonico, tum quia & fructus, quos prædiales dicunt, non adeo sunt a natura, ut ad eos producendos necessaria non sit & humana industria; quamobrem ad primum genus eas revocant, & inter reales adnumerant. Duo sunt præcipuæ differentiæ inter reales decimas & personales. 1. Quod hæ posteriores pluribus in Regnis minime in usu sunt, ut de Galliarum Regnis testatur Tournelius, & de Germania Pikler; altera quod reales solvuntur non deductis expensis, personales vero eisdem deductis.

IV. Dividuntur 2. Decimæ in majores & minores. Majores quæ, & *Grossæ* dicuntur, eæ sunt, quæ de frumento, vino, & oleo, siligine, avena, hordeo, & penduntur & recipiuntur, ideo majores dicuntur, quia ex fructibus proveniunt pretio & æstimatione potioribus: Minores vero, quæ & minutæ dicuntur, quia ex rebus pretio & dignitate vilioribus colliguntur, ut sunt quæ vel ex fructibus hortorum, arborum, leguminum, vel ex fœno, lino, canabe, lana, caseo, butyro &c. vel denique quæ carnaticæ appellantur ex agnis, vitulis, pulis gallinarum præstantur. 3. Prædiales decimæ in antiquas dividuntur, & novas, sive novales: illæ exiguntur ex terris, agris, fundis antiquitus cultis; istæ vero de fructibus terræ, quæ noviter coli cœpit, & cujus non extat memoria quod antea fuerit culta. 4. Decimæ aliæ sunt ordinariæ, in qua classe referendæ sunt quas hactenus nominavimus; aliæ extraordinariæ, quæ a Summis

P n-

Pontificibus percipiendæ mandantur ex Beneficiis pro quantitate redituum ad principum, Regumque petitionem in alicujus necessitatis subsidium, & pro determinato tempore conceduntur.

V. „ In veteri lege (scribit S. Th. hic art. 1.) tenebantur homines ad „ triplices decimas solvendas. Quarum „ quasdam solvebant Levitis. Dicitur „ enim Num. 18. 14. *Levitæ Decimarum oblatione contenti erunt, quas in* „ *usus eorum, & necessaria separavi*. „ Erant quoque aliæ decimæ, de quibus legitur Deut. 14. *Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis,* „ *quæ nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini* „ *Dei tui in loco, quem elegerit Deus*. „ Erant quoque & aliæ decimæ, de „ quibus ibidem 28. subditur: *Anno* „ *tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore,* „ *& repones intra januas tuas, venietque* „ *Levita, qui aliam non habet partem* „ *neque possessionem tecum, & peregrinus* „ *ac pupillus, & vidua, qui intra portas* „ *tuas sunt, & comedent, & saturabuntur* ". Ex triplici hoc Decimarum genere animadvertit, in nova lege nec secundum, nec tertium locum habere, nam (subdit in resp. ad 4.) „ Secundæ Decimæ, quæ reservabantur ad „ Sacrificia offerenda locum in nova lege non habent, cessantibus legalibus „ victimis ". Harum tamen loco sub„ stitutæ sunt spontaneæ fidelium obla„ tiones, de quibus infra. Tertiæ vero „ Decimæ, quas cum pauperibus comedere debebant, in nova lege augentur per hoc, quod Dominus non „ solum Decimam partem, sed omnia „ superflua pauperibus jubet exhiberi „ secundum illud Lucæ 11. v. 41. „ *Quod superest, date eleemosynam*. Ipsæ „ etiam Decimæ, quæ Ministris Eccle„ siæ dantur, per eos debent in usum „ pauperum distribui ".

VI. Quando vero pendi incœperint Decimæ Ecclesiæ Ministris, non facile est definire. Certum est in ipsis Ecclesiæ primordiis non decimas pendisse fideles, sed voluntarias oblationes contulisse, ex quibus desumebantur & necessaria ad divinum cultum, ad Altaris Sacrificium, ad Ministrorum sustentationem, in auxilium Viduarum Virginum, pupillorum, immo & Confessorum ac Martyrum, qui vel in squalore carceris detinebantur, vel ad metalla damnati affligebantur. Copiosæ erant hujusmodi oblationes, nam Judæi ad Christum conversi decimas, quas prius ex lege pendebant, libentius erogabant in Christi honorem, & ipsi Gentiles sumptus, quos in ludos, sacrificia & Idolorum honorem facere consueverant, in pietatis christianæ opera convertebant: immo omnia sua bona Ecclesiæ offerebant, ut in communem omnium cederent utilitatem. Verum pia ista consuetudo in sola obtinuit Hierosolymorum Ecclesia, ut in Apostolorum Actis legimus, neq in ea diutius perduravit. Harum itaque oblationum administratores erant Episcopi, qui vel per se, vel per Diaconos, aliosque Ministros eas distribuebant in sustentationem Ministrorum, levamen pauperum, ornatum Ecclesiarum, & Dei cultum. Hæ quoque oblationes etiam a primorum seculorum Patribus decimæ dictæ sunt, non quia revera tales forent, sed quia decimarum Veteris Testamenti solutionem imitari videbantur; quare scribebat S. Cyprianus epist. 66. *Qui in Ecclesia Dei ordinatione Clerica promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur . . . Sed in honore sportulantium fratrum tanquam deci-*

decimas ex fructibus accepientes, ab Altari & Sacrificio non recedant. Sportulæ igitur Clericis dabantur, ideſt partes oblationum, quæ a fidelibus fiebant, & quæ ſimilitudinem antiquarum præferebant decimarum.

VII. At reddita Eccleſiæ pace auctus Chriſtianus populus, aucti & Miniſtri, Templa conſtructa, Dei cultus magnificentius exerceri cœpit, pauperum, viduarum, pupillorum ſuſcepta ab Eccleſiaſticis cura, hinc auctæ fidelium oblationes, qui libenter ſua Eccleſiis largiebantur, quippe qui cernebant bona largius donata ſumma cura, & pietate diſtribui. Quæ tamen cum creſcente plebe Chriſtiana, minime ſufficerent ad omnia ſuſtinenda onera, & etiam tepeſcente fidelium caritate minuerentur oblata, Epiſcopi & Paſtores a plebe & Populo decimas poſtulare cœperunt tanquam ſponte offerendas, & quidem non tam juſtitiæ quam religionis titulo. Hinc S. Jo. Chryſoſtomus ad decimas perſolvendas ſic populum hortabatur hom. 5. in epiſt. ad Epheſ. „ Quid Judæi non faciebant? decimas, „ & rurſum decimas præbebant orphanis, viduis, & proſelytis. Sed mihi quiſpiam de quopiam dicebat, „ hic aut ille dat decimas. Quantum „ plenum eſt hoc probro, & dedecore, „ ſi quod apud Judæos non habebatur „ in admiratione hoc apud Chriſtianos „ factum eſt admirabile! Si tunc erat „ periculum decimas non relinquere, „ cogita quantum nunc ſit ". In quibus Chryſoſtomi verbis apparet, Decimarum ſolutionem plene liberam fuiſſe, cum nec ab omnibus ſolverentur, & qui pendebant, tanquam opus ſingulare & inſigne præſtantes admirationi ceteris erant. S. quoque Auguſtinus ſpe mercedis, & timore punitionis ad decimas ſolvendas plebem ſuam hortabatur ſcribens ſer. 219. de Temp. " Cum „ decimas dando & terrena & cœleſtia „ poſſis munera promereri; quare per „ avaritiam duplici benedictione te „ fraudas? Audi ergo indevota mortalitas. Noſti quia Dei ſunt cuncta „ quæ percipis, & de ſuo non accommodas rerum omnium Conditori? ... „ Conſtat quod ipſe non dederis, ſed „ Deus tamen exigit. Hæc enim eſt „ Domini juſtiſſima conſuetudo, ut ſi „ tu illi Decimas non dederis, tu ad „ decimam revoceris " (ideſt non niſi decimam, novem ſubtractis, fructuum colliges). „ Dabis impio militi, quod „ non vis dare Sacerdoti ": Et rurſum „ in lib. 50. Homil. hom. 48. „ Majores noſtri (inquiebat) ideo copiis „ omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant. Modo quia receſſit *devotio*, acceſſit indictio Fiſci. Noluimus cum Deo partiri decimas, modo totum tollitur per hominem. Hoc „ tollit Fiſcus, quod non accepit Deus".

VIII. His igitur adhortationibus permotus populus Chriſtianus decimas ſolvere tanquam ex Religione debitas cœpit, & invaleſcente conſuetudine ſibi Religioni vertebant eis Eccleſias fraudare, unde orta eſt lex decimas ſolvendi, quam ſeculo quarto, ſexto, & ſubſequentibus uſque ad decimum invaluiſſe, & vim obtinuiſſe obſervant Thomaſinus, Ven-Eſpenius, & Fleury, adeo ut Epiſcopi & Paſtores etiam ſeverioribus pœnis (a quibus tamen abſtinere eos mandarunt aliquando Principes) extorquere non dubitaverint. Abſit tamen ut quis credat, temporales Principes decimarum ſolutionem vel reprobaſſe, vel interdixiſſe, quinimmo eas Eccleſiæ ſolvendas & expreſſe mandarunt, & pœnis fraudantes ſubjacere vo-

voluerunt: in Capitulari enim Caroli Magni lib. 2. cap. 38. indicitur: *Qui decimas post crebras admonitiones & prædicationes Sacerdotum dare neglexerit, excommunicetur*. Denique in Jure Canonico hoc de Decimis solvendis præceptum insertum, factum est omnibus fidelibus commune, & obligatorium, juxta tamen Ecclesiarum & locorum consuetudinem servandum, ut statuit Innoc. III. in Concilio Lateranensi dicens: *Decimæ necessario solvendæ sunt, quæ debentur ex lege Divina, vel loci consuetudine adprobata*.

IX. Superest modo ut explicemus, quo jure & titulo debeantur Ecclesiæ decimæ. Non desunt Canonistæ nedum antiquiores, sed & recentes, qui putant decimas jure divino esse solvendas, & eo usque progrediuntur, ut etiam fere hæreseos criminentur contrarium sentientes. At quæstionem dilucide exponit & resolvit S. Thom. hic q. 87. art. 1. in corp. Et primo quidem animadvertit, præceptum de solutione decimarum in veteri lege partim morale fuisse, inditum naturali ratione, partim judiciale ex divina institutione robur habens. 2. Ostendit, quomodo naturale dici possit scribens: „ Quod enim „ eis, qui divino cultui ministrabant „ ad salutem populi totius, populus „ necessaria victus ministraret, ratio „ naturalis dictat: sicut & his, qui „ communi utilitati invigilant, scilicet „ Principibus, & Militibus, & aliis „ hujusmodi, stipendia victus debentur „ a populo. Unde & Apostolus hoc „ probat 1. ad Corinth. 9. 7. per hu„ manas consuetudines, dicens: *Quis* „ *militat stipendiis suis unquam? aut qui* „ *plantat vineam, & de fructibus ejus* „ *non edit* “? 3. Evincit, determinationem certæ partis exhibendæ Ministris divini cultus, non esse de jure naturæ, sed introductam in veteri quidem Testamento ex institutione Divina, per quam statutum fuit, ut Tribus reliquæ Tribui Levi divinis Mysteriis omnino mancipatæ decimam suorum proventuum solverent, ut honorabilius viverent. 4. Animadvertit, hoc præceptum de decimis solvendis latum in veteri lege, nec omnino *naturale* fuisse, quatenus certam quantitatem solvendam statuebat; nec *cæremoniale*, idest principaliter institutum ad significandum aliquid futurum, quia alioquin adveniente luce veritatis extinctum esset, ut mortiferum factum, cum illicitum sit cæremonialia observare tempore legis novæ; sed *judiciale* „ talis propte„ rea conditionis, quod licet non ob„ liget tempore gratiæ, tamen obser„ vari potest absque peccato, immo „ ad ejus observantiam obligari possunt „ & fideles in nova lege, si statuatur „ auctoritate eorum, quorum est con„ dere legem “. Quam doctrinam confirmat exemplo alterius judicialis præcepti in veteri lege constituti Exod. 22. videlicet, quod qui furatus fuerit ovem, reddat quatuor oves; quod si ab aliquo Rege christiano statuatur, tenerentur ejus subditi obtemperare. 5. Notat determinationem decimæ partis solvendæ esse, auctoritate Ecclesiæ tempore no„ væ legis institutam, & quidem se„ cundum quandam humanitatem, ut „ scilicet non minus populus Novi Te„ stamenti exhiberet, quam populus „ veteris legis ministris veteris Testa„ menti exhibebat; cum tamen popu„ lus novæ legis ad majora obligetur „ . . . & Ministri Novi Testamenti sint „ majoris dignitatis, quam Ministri Ve„ teris Testamenti, ut probat Aposto„ lus 2. ad Corinth. “ 6. Denique ex his

his omnibus rectiſſime & veriſſime concludit : „ Ad decimarum ſolutionem „ teneri fideles „ partim quidem ex „ jure naturali , partim ex inſtitutione „ Eccleſię : quæ penſatis opportunitatibus temporum , & perſonarum poteſt aliam partem determinare ſolvendam “.

X. Non itaque a vero aberrant illi Theologi & Canoniſtæ tum veteres tum recentes , qui decimarum ſolutionem juris affirmant eſſe divini & naturalis , ſi decimarum nomine deſignent & intelligant ſtipendia , ſuſtentationem, alimenta congrua Eccleſiæ Miniſtris ſuppeditanda ; hoc enim eſt , quod D.Paulus inculcat & probat 1. ad Corinth. 9. ſcribens : *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam ? Qui plantat vineam , & de fructu ejus non edit ? Quis paſcit gregem , & de lacte gregis non manducat ? Nunquid ſecundum hominem hæc dico ? An & lex hæc non dicit ? Scriptum eſt enim in lege Moyſis : non alligabis os bovi trituranti . Numquid de bobus cura eſt Deo ? An propter nos utique hoc dicit ? Nam propter nos ſcripta ſunt . Quoniam debet in ſpe , qui arat, arare: & qui triturat in ſpe fructus percipiendi . Si enim nos vobis ſpiritualia ſeminavimus , magnum eſt , ſi nos carnalia veſtra metamus ? . . . Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur , quæ de ſacrario ſunt , edunt ; & qui Altari deſerviunt , cum Altari participant ? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant , de Evangelio vivere .* Hoc eſt igitur juxta Apoſtolum , quod de jure divino , & Chriſti Domini ſtatuto conceſſum eſt Miniſtris Evangelii *de Evangelio vivere* , non vero determinate Decimas accipere . Falluntur igitur , & a veritate longius aberrant , ſi cenſeant, Divinum jus in veteri lege de decimis perſolvendis & in nova lege ſubſiſtere , quod promulgato Evangelio ceſſavit omnino , & ſolum Eccleſia ſua auctoritate , ut docet S. Thomas illud innovaverit , ſtatuens quidem ut pro Miniſtrorum ſuſtentatione decimæ a fidelibus pendantur , ita tamen ut aliter ſtatuere poſſit , & alia determinata parte ſuis Miniſtris conſulere . Qua præ oculis habita doctrina omnia evaneſcunt Adverſariorum argumenta deſumpta ex dictis SS. PP. , & Pontificum paſſim adfirmantium , decimas *eſſe Deo debitas*, eſſe *ex Dei mandato* ſolvendas , eſſe *ſpeciali titulo* Domino reſervatas , & ſimilia , quæ omnia dicta veriſſima ſunt , intellecta & de jure naturali ob alimenta Miniſtris ſuppeditanda , & de jure Eccleſiaſtico decimas ipſas pro eadem ſuſtentatione determinante, eo ferme pacto quo paſſim dicunt , Feſta eſſe Deo ſpecialiter dedicata , eſſe ſpeciali titulo reſervata , eſſe Dei mandato colenda ; quæ utique vera ſunt , ſi abſolute de die feſto intelligantur , non vero ſi de ipſo die etiam Dominico determinate , cum determinatio dierum ſit juris mere Eccleſiaſtici . Sed in his non puto diutius immorandum .

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Falſæ VViclephi & Fraticellorum propopoſitiones damnatæ .*
II. *Decimarum ſolutio quomodo taxanda .*
III. *Licite & valide poteſt Summus Pontifex aliquos a ſolutione decimarum diſpenſare .*
IV. *Sunt ſolvendæ titulo Religionis & juſtitiæ Paſtoribus etiam divitibus & malis .*

CON-

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. FALSÆ sunt & merito ab Ecclesia proscriptæ propositiones Wiclephi, & Fraticellorum. Ille siquidem asserebat, decimas nullo jure esse Sacerdotibus & Pastoribus dandas, sed solo titulo eleemosynæ elargiendas quamobrem eis denegandas & subtrahendas, si mali sint, & peccatores. Hanc doctrinam his verbis contentam: *Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre*; damnavit Constantiensis Synodus sess. 8. art. 16. & jure merito, cum doctrinæ adversetur Apostoli Pauli cap. præced. explicatę, immo & Christi Domini asserentis, dignum esse operarium cibo suo, & docentis reddenda esse Cæsari quę Cęsaris sunt, & quę Dei Deo: porro sicut tributa pendenda sunt Principibus & Regibus etiam iniquis, ita & merces danda Ecclesiæ Ministris, licet a sui status sanctitate declinent. Fraticelli autem docebant, Pastores, qui Apostolorum morem non imitantes in paupertate non viverent, non posse decimas percipere; quod quam falsum sit apparet, quia merces non datur operario quia pauperi, sed quia operanti, & in utilitatem plebis laboranti.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Decimarum solutio obnoxia est consuetudini, tam quoad substantiam, tum quoad solutionis modum: quapropter earum solutio & augeri potest & minui, & etiam non solvendi consuetudine tolli, sicut, & præscriptione. Consequitur hæc doctrina adversus Canonistas ex his, quæ diximus præcedenti capite; nam si revera decimę essent jure divino pendendę, nec abrogationem paterentur, nec diminutionem, quod tamen experientia constat minime verum esse: certe quoad augmentum, vel minutionem patet, cum in plurimis totius Christiani Orbis Ecclesiis loco decimę, vel vigesima vel quadragesima, vel etiam solum quinquagesima pars pendatur; sicut itaque diminutionem infra decimam pati possunt, ita vel ex antiqua consuetudine, vel ex conventione supra decimam excrescere possunt. Quoad substantiam vero difficilius abrogari possunt, immo omnino non possunt, si Ecclesię Ministri aliunde non habeant alimenta, & sustentationem, cum tunc decimæ debitæ sint jure divino, & naturali, quapropter non nisi injuste denegarentur. At si Parochis aliisque Pastoribus vel assignatis certis reditibus, vel ex voluntariis populi oblationibus, vel alia via sufficienter provisum sit, fieri potest, ut fideles sint ab omnimoda decimarum ministratione soluti. Immo & ipsimet rigidiores Canonistæ, qui decimas formaliter sumptas de jure divino pendendas propugnant, concedunt tamen posse Pontificem ab eis solvendis dispensare (salva tamen semper Ministrorum necessaria sustentatione) non quidem privilegium concedendo, quod in iis, quæ sunt de jure divino locum habere non potest, sed per remissionem hujus juris divini, eo ferme pacto, quo & in votis, quæ ad jus divinum spectant, dispensat. Præterea observat egregie D. Thom. posse Ministros Ecclesiæ decimas condonare etiam quatenus sunt ad eorum sustentationem necessariæ, quando ita postulet spirituale bonum suorum subditorum. Sic enim scribit hic q. 87. art. 1. ad 5. „ Ministri Ecclesiæ ma-„ jorem curam habere debent spiritua-„ lium bonorum in populo promoven-

„ dorum, quam temporalium colligen-„ dorum; & ideo Apostolus noluit uti „ potestate sibi a Domino tradita, ut „ scilicet acciperet stipendia victus ab „ his, quibus Evangelium prædicabat, „ ne daretur aliquod impedimentum „ Evangelio Christi: nec tamen pecca-„ bant illi, qui ei non subveniebant: „ alioquin Apostolus eos corrigere non „ omisisset. Et similiter laudabiliter „ Ministri Ecclesiæ decimas Ecclesiæ „ non requirunt, ubi sine scandalo re-„ quiri non possent *propter dissuetudinem* „ vel propter aliam aliquam causam: „ nec tamen sunt in statu damnationis, „ qui non solvunt in locis illis, in qui-„ bus Ecclesia non petit; nisi forte „ propter obstinationem animi, haben-„ tes voluntatem non solvendi, etiamsi „ ab ipsis peterentur". Sed luculen-tius totam de obligatione solvendi decimas doctrinam exponit in Quodl. 2. art. 8. in corp. scribens: „ Nulla „ consuetudo contraria solvit hominem „ ab obligatione reddendi decimas, „ quia hæc obbligatio fundatur (quoad „ substantiam) supra jus divinum, & „ supra jus naturale; unde semper te-„ nentur homines reddere decimas, *si* „ *Ecclesia exigat*, etiam contraria con-„ suetudine non obstante. Et in terris, „ in quibus est consuetudo, quasi expo-„ stulat decimas. Sed in terris in quibus „ non est consuetudo communis, quod „ decimæ dentur, *& Ecclesia non petit*, „ videtur Ecclesia remittere dum dissi-„ mulat, & ideo homines in terris il-„ lis non peccant decimas non dando; „ durum enim esset dicere, quod om-„ nes homines Italiæ, & Orientalium „ partium damnentur, qui decimas „ non solvunt. Et hujusmodi argu-„ mentum possumus ab Apostolo acci-„ pere, cui cum deberentur necessa-„ ria victus ab his, quibus prædica-„ bat, tamen non accipiebat, nec ta-„ men peccabant qui ei non dabant, „ alioquin male cum eis egisset non „ accipiendo, præsertim cum dicat „ Act. 20. *Non enim subterfugi, quo-* „ *minus annunciarem vobis omne consi-* „ *lium Dei*: & ideo Apostolus non exi-„ gebat, quod sibi debebatur, ne da-„ retur aliquod offendiculum Evange-„ lio, ut ipse dicit. Unde non bene „ facerent Rectores Ecclesiarum si in „ terris illis decimas exigerent, in qui-„ bus non est consuetudo dari, si pro-„ babiliter crederent, quod ex hoc „ scandalum nasceretur". Hinc patet locum habere præscriptionem in deci-mis non solvendis, cum enim funde-tur præscriptio in longa consuetudine non solvendi decimas, sicut hæc pro-dest & liberat a solutione ubi introdu-cta non est, ita prodest ubi tacentibus & consentientibus Pastoribus & Præla-tis per desuetudinem est abrogata, præ-sertim si ut docet S. Thom. sine scan-dalo, & animarum offensione instaura-ri non possit.

Consectarium Tertium.

III. Valide & licite potest Summus Pontifex aliquibus privatis concedere a decimarum solutione liberationem. Se-quitur ex dictis in præcedenti consecta-rio. Nam sive Decimæ sint jure divino debitæ, sive solo jure Ecclesiastico, Pontifex, qui habet bonorum Ecclesiæ supremam administrationem, potest in bonum commune Ecclesiæ vel privile-gio, vel saltem remissione, ab eorum solutione privatas aliquas personas exo-nerare. Confirmat etiam Romanorum Pontificum consuetudo & usus, qui pluribus tum Religiosis tum laicis per-sonis justis de causis a decimarum solu-

tio-

tione immunitatem sunt elargiti. Supervacaneum autem puto expendere, num possit Summus Pontifex præceptum abrogare solvendi Decimas; nam Summos Pontifices instruere ad nos non pertinet, & ipsi probe, norunt, amplissimam sibi a Christo concessam esse potestatem non in destructionem, sed in bonum & utilitatem Ecclesiæ: quamobrem si decimarum solutionis abrogatio vel noxia esset Ecclesiæ Ministris, qui sustentatione sibi debita privarentur, vel in Ecclesiæ detrimentum cederet, profecto nunquam nec possent, nec vellent huic præcepto derogare.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Decimæ sunt solvendæ Ministris Ecclesiæ titulo Religionis & justitiæ, proinde dandæ, licet aliunde ex propriis bonis habeant unde vivant, immo & divites sint. Et quidem decimas esse pendendas Religionis nomine constat, cum dentur intuitu divini obsequii, cultus, & honoris; ex his enim divino servitio necessaria providentur; exhibentur enim, ut dicit D. Thom. hic q. 76. a. 2. „ non solum ut eas in suos „ usus convertant, verum etiam ut „ fideliter eas dispensent; partim quidem expendendo eas in his, *quæ pertinent ad cultum divinum*; partim in his, quæ pertinent ad proprium „ victum . . . . partim etiam in usus „ pauperum, qui sunt, quantum fieri „ potest, de rebus Ecclesiæ sustentan„ di “. Hinc & decimarum & solutionem inter actus exteriores Religionis enumerat S. Doctor. Sunt etiam dandæ decimæ titulo justitiæ; sunt enim stipendia spiritualis militiæ, & cibus operariis suppeditandus: quamobrem qui decimas non pendunt, non sunt absolvendi, nisi injuste detenta restituant, ut declaravit Tridentina Synodus sess. 25. cap. 12. de Reform. Nec ab hoc liberantur fideles, quia Pastores vel divites sunt, vel mali. Nam ut docet S. Thom. quodl. 6. art. 10. ad 1. „ Decimarum solutio est instituta „ non solum ad sustentationem Mini„ strorum Ecclesiæ, sed etiam ad su„ stentationem pauperum, quibus debet „ de domo Dei provideri, unde dici„ tur Malachiæ 3. *Inferte omnem decimationem, ut sit cibus in domo mea*; „ & sic Sacerdoti, qui non solum sibi, „ sed pauperibus providere debet, quan„ tumcumque diviti, sunt decimæ ne„ cessariæ: alio modo potest dici, quod „ necessitas sustentationis Ministrorum „ fuit ratio Ecclesiasticæ institutionis & „ de Decimarum solutione. Sed ex „ quo officium est alicui debitum per „ statutum Ecclesiæ, nihilominus ei „ debetur quamvis sit dives “. Nequitia autem Ministrorum sicut eos ab onere & servitio non liberat, ita nec privat mercede, ut consectario 1. diximus ex Concilio Constantiensi Wiclephi doctrinam damnante; unde merito statuit Innoc. III. in sua Decretali cap. 26. tit. de Decimis, „ quod fideles „ prætextu nequitiæ Clericorum ne„ queant decimas aliis quam quibus ex „ mandato divino debentur pro suo ar„ bitrio erogare, cum nulli sit licitum „ aliena cuiquam concedere præter „ Domini voluntatem “.

CAPUT TERTIUM.

Quibus de jure dandæ sunt Decimæ.

DOCTRINA.

I. *Ex Concilio Tridentino quibus debeantur Decimæ.*

II. *Prioribus sæculis Episcopis pendebantur.*

III. *In præsenti disciplina quando dandæ sint Episcopis.*
IV. *Cathedraticum est pendendum Episcopo.*
V. *Parochis debentur decimæ prædiales.*
VI. *Et etiam personales.*
VII. *Debentur & aliis Clericis beneficiariis.*
VIII. *Quando & Regularibus.*
IX. *Aliquando & Laicis.*

I. TRIDENTINUM Concilium sess. 25. cap. 12. de Reform. id solum generali statuit lege, „ ut omnes „ cujuscumque gradus & conditionis „ sint, ad quos decimarum solutio spe„ ctat, eas, ad quas de jure tenentur, „ in posterum Cathedrali, aut quibus„ cumque aliis Ecclesiis, vel personis, „ quibus legitime debentur, integre „ solvant ". Quibus verbis indicavit, decimas pluribus Ecclesiis sive Cathedralibus, sive Collegiatis, pluribusque personis convenire posse; earum vero singularem determinationem juribus & consuetudinibus particularibus a Theologis & Canonistis examinandam relinquit, quod nos nunc præstabimus, ad memoriam revocantes distinctionem decimæ prædialis, & personalis.

II. Et primo quidem antiquioribus Ecclesiæ seculis, sicut oblationem & eleemosynarum, ita & decimarum (si quæ forte pendebantur) administratio penes Episcopum erat, qui tanquam dispensator fidelis eas dividebat Clericis pauperibus, & Ecclesiæ, ornatui, ut diximus Tract. 6. Diss. 3. cap. 9. §. 3. At postmodum decursu temporis facta Beneficiorum erectione, & Ecclesiasticorum bonorum partitione, & decimarum quoque inducta est divisio, illarum scilicet, quæ in prædiis, certisque reditibus fundatæ erant, ex quibus certum quoque constitutum Beneficiariis, cæterisque Ministris stipendium. Hinc nonnullæ Episcopis concessæ, aliæ Cathedralibus, aliisque Ecclesiis, aliæ Parochis, nonnullæ denique Regularibus, & etiam Laicis, de quibus mox dicturi sumus.

III. Debentur itaque 1. Episcopis decimæ prædiales 1. quando aliqua prædia intra Diœcesim sita nulli certæ Parœciæ affixæ sint & assignatæ, ut docent Fagnanus, Barbosa, Pizinghius, & communiter Canonistæ. 2. Si nulla facta sit divisio, vel distinctio Parochiarum, tunc omnes decimæ Episcopo debentur; at non ut eas sibi soli reservet, sed ut in priori casu fideliter Pastoribus animarum, cæterisque Ecclesiæ Ministris distribuat, ut decernitur in jure antiquo in can. 1. Cau. 16. qu. 7. *Decimas sub manu Episcopi esse censemus ut ille, qui ceteris præest, juste distribuat . . . . quia inhonestum videtur; ut alii Sacerdotes habeant; & alii detrimentum patiantur*. 3. Si Episcopus sit etiam immediatus Pastor & Parochus alicujus certæ determinatæque Paræciæ, quam per Vicarium administret, sive Ecclesia sit Cathedralis, sive alia, vel Collegiata, vel Parochialis, ut docent mox laudati Canonistæ; & ratio confirmat, quia eo ipso quod est alicujus Parœciæ Pastor, juribus gaudet Parochi, inter quæ, ut mox dicemus, est prædialium decimarum perceptio. 4. De jure communi debetur Episcopo quarta & singulis decimis, ut ostendit Fagnanus in cap. *Cum contingat* not. 7. tit. de Decimis nu. 23. qui plures affert hac de re Rotæ Decisiones, & revera inter jura Episcopis competentia numeratur *Quarta Decimationum*: quamobrem Cap. *Quoniam* 13. de Off. Jud. ordin. indicitur Episcopo, *ut restituat* de-

Decimas Ecclesiæ Parochialis, sua sibi quarta parte retenta. Animadvertit tamen Barbosa de Off. & Potest. Parochi part. 3. cap. 28. §. 2. n. 11. Parochos quadragenaria possessione immunes se reddere posse a solvenda Episcopo quarta Decimarum. Verum hoc jus in præsenti Ecclesiæ disciplina videtur abrogatum, nullaque portio parochialium decimarum Episcopo penditur.

IV. Debetur etiam Episcopo Cathedraticum, quod licet inter Decimas numerari non debeat, de illo tamen aliquid dicere non inutile futurum arbitror depromptum ex Lib. de Synodo Benedicti XIV. lib. 5. cap. 6. & 7. Cathedraticum itaque est certa pensio, non occasione Ordinationis, ut antiquitus, non sine abusu, & suspicione simoniæ, sed singulis annis Episcopo solvi consueta, in signum subjectionis & honorem Cathedræ Episcopalis, ad ejusdem Cathedræ, seu Episcopalis Officii onera sustentanda. Cathedraticum in hac acceptione nunquam ab Ecclesiæ canonibus vetitum probat luculentissime laudatus Pontifex, animadvertens Concilium Tridentinum novas quidem exactiones Episcopis interdixisse sess. 24. cap. 3. de Reform. non tamen sublatum fuisse ab eodem jus Cathedratici, ut declaratum fuit a Congregatione Concilii; quamobrem S. Carolum Borromæum legem Cathedratici renovasse, quod & ab aliis Synodis factum. Ad tollendum tamen abusum, & declinandam avaritiam in hujus Cathedratici exactione Concilia summam ob hoc pendendam determinarunt, in antiquioribus quidem Conciliis Bracarensi II. Toletano IV. & Honorius III. ad duos solidos taxando, quorum tamen valor nostris temporibus comparatus, ignoratur; in Romano vero Provinciali Concilio anno 1725. habito a beatæ memoriæ Benedicto XIII. ad viginti Julios Romanæ monetæ limitando. Verum cum nil certi hac de re in jure communi colligi possit, non alia certa & universalis regula statui potest circa quantitatem pecuniæ pro ea pensione solvendæ, sed desumenda ex particularibus locorum statutis, & recepta consuetudine, quemadmodum statuunt & declarant celebriores Canonistæ, & præsertim laud. Pontifex Bened. XIV. Solvendum vero est Cathedraticum ab omnibus Ecclesiis secularibus, & quibuscumque Parochis, & Beneficiariis, qui in Diœcesi degunt, & unius Episcopi jurisdictioni subsunt, quoniam æquum est, ut qui ab Ecclesia stipendia recipit, Ecclesiæ Moderatori, ejusque Cathedræ in subjectionis signum tributum aliquod pendat, & quidem solvendum a singulis habentibus proprium & peculiare Beneficium, at non a singulis qui de massa aliqua communi participant; tunc enim sufficit, si unum Cathedraticum ab omnibus ex eadem massa persolvatur; solvendum est ab habentibus etiam simplex Beneficium. Ab eo autem onere immunes sunt 1. Capellaniæ laicales, & ad nutum amovibiles. 2. Excipiuntur Ecclesiæ Regularium, in quibus iidem Regulares divina peragunt Officia. Non vero Ecclesiæ, Capellæ, & Parœciæ etiam pleno jure Monasteriis unitæ, pro quibus est Episcopis, solvendum Cathedraticum, cum nunquam hæ Ecclesiæ subtractæ intelligantur jurisdictioni Episcopi, immo ipsis diserte subjectas declaravit Honorius III. in Cap. *Conquerente* de Off. Ord. statuens, Episcopum jura Episcopalia in Ecclesiis sive Capellis Monasterii habere. 3. Confraternitates Laicorum, quæ propriam non habent Ecclesiam, sed simplicem

tan-

tantum Capellam, vel Altare in aliena situm Ecclesia, alioquin si propriam habeant Ecclesiam, Cathedratico subjiciuntur. Quoad tempus vero solvendi Cathedratici, statutum communiter est tempus Synodi, unde & Synodaticum appellatum fuit, cui tamen non ita affixum est, ut si Synodus non habeatur, cesset obligatio præstandi, sed singulis annis est solvendum, sive habeatur, Synodus, sive non habeatur, cum semper urgeat ratio reverentiæ, & subjectionis erga Cathedram Episcopalem, propter quam Synodatici pensionem jura statuere. Hoc jus in Episcopo adeo ratum firmumque est, ut licet Romanus Pontifex, sicut potest quamlibet Ecclesiam & Beneficium justis de causis & ad commune bonum Ecclesiæ a jurisdictione Episcopi subtrahere, possit multo magis a solutione Cathedratici dispensare: nihilo tamen secius etiam subtracta ab Episcopi jurisdictione Ecclesia, vel Beneficio, non intelligitur sublatum onus solvendæ Cathedraticæ pensionis, nisi expressa de hoc mentio habeatur, & speciale detur privilegium; sicut nec immemorabilis consuetudo non solvendi, ab hoc onere liberandi sufficiens est, cum nullus unquam possit præscribere adversus subjectionem & reverentiam debitam Episcopo, in cujus significationem est instituta Cathedratici pensio.

V. Debentur Decimæ prædiales Parochis, in quorum Parœcia fundi & agri siti sunt. Ita in jure Canonico statuitur Cap. *Cum contingat* 24. tit. de Decimis. Perceptio *Decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertinet*: & Cap. *Cum tua* 30. ib. *Ad Ecclesias Parochiales de jure communi spectat perceptio Decimarum*: & quidem pendendæ non tantum a Parochianis loci, sed etiam ab alienis de agris & prædiis intra limites talis Parœciæ existentibus. Ratio est, quia decimæ prædiales sunt onus reale ipsis prædiis agrisque inhærens: porro in oneribus realibus non colonus inspicitur, sed locus, ubi prædium situm est. Huic tamen juri obstare potest contraria consuetudo, quæ si alicubi vigeat, ita ut Parochiani non alieno, sed proprio Parocho decimas solvant de fundis & agris etiam in aliena Parochia sitis, huic consuetudini standum est, ut definitum est Cap. *ad Apostolicæ* 20. tit. de Decimis, ubi sic habetur: *Decimæ vero messium, vel fructuum arborum si coluerint in alia Parochia, quam in ea, in qua habitant, tu eliges in hoc casu quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum*. Ita docet & D. Thom. hic art. 3. ad 1. scribens: „ Decimæ prædiales rationabiliter magis videntur pertinere ad Ecclesiam, in cujus terminis prædia sita sunt. Tamen jura determinant, quod in hoc servetur consuetudo diu obtenta “.

VI. Decimæ vero personales & licitæ sunt, & soli proprio Parocho pendendæ, a quo Sacramenta, aliaque divina recipiuntur. Et quidem justas esse personales decimas, quamvis non indictas Judæis in Veteri Testamento, ostendit S. Thom. hic. q. 87. a. 2. ad 1. scribens: „ Specialis ratio fuit, quare in veteri lege non fuit datum præceptum de personalibus decimis, secundum conditionem populi illius; quia scilicet omnes aliæ Tribus certas possessiones habebant, de quibus poterant sufficienter providere Levitis, qui carebant possessionibus; non autem interdicebatur eis quin de aliis operibus honestis lucrarentur, sicut alii Judæi. Sed populus novæ Legis est ubique per mundum diffusus,

„ sus, quorum plurimi possessiones non „ habent, sed de aliquibus negotiis „ vivunt; qui nihil conferrent ad sub- „ sidium Ministrorum Dei, si de eorum „ negotiis decimas non solverent. Mi- „ nistris etiam novæ legis arctius inter- „ dicitur, ne se ingerant negotiis lu- „ crativis, secundum illud 2. ad Ti- „ moth. 2. *Nemo militans Deo implicat* „ *se negotiis secularibus*. Et ideo in no- „ va lege tenentur homines ad deci- „ mas personales secundum consuetu- „ dinem patriæ, & indigentiam Mi- „ nistrorum. Unde Augustinus dicit „ serm. 219. de Temp. *De militia*, *de* „ *negotio*, *& artificio redde decimas* “. Esse autem pendendas propriis Parochis, licet lucrum ex negotiatione alibi fiat, patet, quia decimæ personales, non res, sed personas afficiunt, & sunt ex Ecclesiæ lege assignatæ proprio Parocho in ejusdem alimentum & sustentationem, & pro mercede laboris spiritualis Parochiano præstitæ. Sic statutum habetur Cap. *Quæsti sunt* 46. Caus. 16. qu. 1. de Decimis: „ Familiæ vero eo- „ rum ibi dent Decimas suas, ubi eo- „ rum infantes baptizantur, & ubi per „ totum anni circulum Missas audiunt“. Et rursus Cap. *ad Apostolicæ* 20. tit. laud. „ Noveris itaque quod æquum est, „ ut illi Ecclesiæ Decimæ personales „ reddantur ab eis, in qua ecclesiasti- „ ca recipiunt Sacramenta “. Ita sentit & D. Thom. l. c. dicens: „ De- „ cimæ personales debentur Ecclesiæ, „ in cujus Parochia homo habitat “.

VII. Decimæ sunt solvendæ etiam aliis Clericis beneficiariis, licet non Curati, puta Canonicis, Cathedralibus, vel Collegiatis, aliisque etiam beneficia simplicia habentibus, verum secundum portionem eorum Mensis, vel Beneficiis legitima Ecclesiastica auctoritate assignatam, præsertim si eorum Beneficia sint ex Decimis legitime fundata. Postquam enim auctoritate Ecclesiæ facta est communium ecclesiasticorum redituum divisio, unicuique Beneficiario directe jus competit ad Decimarum portionem suo correspondentem beneficio, illique assignatam in sua prima fundatione, pro sua sustentatione, & licet non in Parochiæ cura operam suam impendat, in aliis tamen servitia spiritualia populo, & Ecclesiæ exhibet; propterea sua dignus mercede: quod si Cathedralibus & Collegiatis adjecta sit animarum cura, etiam hoc titulo decimæ sunt illis pendendæ. At ratione solius Clericalis status non debentur Decimæ, cum in jure Canonico solum ex hujusmodi nomine nullæ assignatæ sint Decimæ, nisi specialis accedat titulus eas lucrandi.

VIII. Religiosis vero, sive Regularibus ratione sui status jus nullum omnine competit ad decimas percipiendas, cum nec vi sui status, nec ex obligationa alicujus spiritualis officii populo inserviant, vel spiritualia administrent. Possunt tamen eas percipere aliquo titulo, & primo quidem Ecclesiæ concessione, & largitione. Animadvertit siquidem S. Th. q. 87. a. 3. ad 3. „ Quod „ sicut res nomine decimæ acceptas „ potest Ecclesia alicui tradere, ita po- „ test & concedere, ut dandas decimas „ ipsi accipient, jure accipiendi Eccle- „ siæ Ministris reservato; sive pro ne- „ cessitate Ecclesiæ, sicut quibusdam „ Militibus. Decimæ debentur in feu- „ dum per Ecclesiam concessæ: sive „ etiam ad sustentationem pauperum, „ sicut quibusdam Religiosis laicis, vel „ non habentibus curam animarum sunt „ concessæ per modum eleemosynæ“. 2. Titulo Beneficii curam animarum habentis.

bentis adnexam, nam tunc Religiosi sicut onera Parochi sustinent, ita & jus ac beneficia obtinere debent: quamobrem subdit S. Th. l. l. „ Quibusdam „ Religiosis competit accipere Decimas „ ex eo, quod habent curam anima„ rum ". Pluries autem datas fuisse & prioribus & præsentibus seculis Parœcias Regularibus regendas notum adeo compertumque est, ut probatione non egeat. 3. Tertius titulus, quo decimas obtinent Religiosi, sunt donationes ab Ecclesia approbatæ. Quæ locum hoc pacto habuerunt, ut narrant Thomasinus de Eccles. discipl. Van-Espen, & Christianus Lupus. Seculis VIII. IX. & sequentibus ingruentibus in Europa bellis plurimi Duces & præsertim Nobiles Ecclesiasticas decimas & Altaria vel in stipendia a Principibus obtinuerunt, vel etiam propria auctoritate sibi usurparunt, adeo ut, scribit laudatus Lupus „ in ipsis etiam Romanis Basilicis de„ votas adventantium fidelium oblatio„ nes invaderent, & ipsos adventantes „ in via prædarentur ". Contra hos sacrarum redituum prædones vocem extulerunt Concilia, Episcopi, piissimique viri, & onus restituendi illis inculcarunt, quamobrem & acrioribus stimulis conscientiæ urgentibus, & hortantibus Prælatis de restitutione facienda cogitarunt. Verum cum seculares Clericos ob morum inve&tam corruptionem aversarentur, & ex opposito cernerent, ut scribit laud. Auctor, *Monachorum, & Regularium in Cathedrali, aut Collegiata Claustro, Clericorum disciplinam florentissimam vigere*, non Clero seculari restituere, sed detentas Altarium decimas Monachis aliisque Regularibus donare maluerunt, vel ex ipsis nova fundavere Monasteria, ac Regularia Collegia, quæ opulentissime ditarunt, quippe quia illos videbant *& liberaliores in pauperes, & accuratiores Ecclesiasticorum bonorum dispensatores*, ut testatur S. Petrus Damiani epist. 14. dicens: *ut copiosiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in Monasteriis, & Eremis decimæ, quorumcumque proventuum, non modo pecorum, sed carnium pariter, & ovorum*. Hanc tamen restitutionem, quamvis non ad rectam normam perfectam, necessitati servientes, & tempori se accommodantes Ecclesiæ Præsules, quippe qui nec potentia nec auctoritate valerent ad sua sibi restituenda prædones cogere, approbarunt eo vel maxime, quod non omnes laici sponte & justitiæ litantes gratis eas restituerent, sed non reddebant Monachis nisi accepta ab ipsis pecunia, cujus non magna erogatione opima spolia Ecclesiæ recuperarunt. Hac igitur cessione & donatione ab Episcopis, Conciliis, & Summis Pontificibus adprobata, jus decimarum ad Monachos & Regulares translatum est. Verum postea Pontifices, ut & huic acquisitioni modum imponerent, & jurgia inter Clerum Regularem & Secularem tollerent, non semel decrevere, Monachos & Regulares decimas a laicis recipere non posse, nisi consentiente vel Episcopo, vel Romano Pontifice. Sic enim statuit Urbanus II. in Concilio Romano celebrato anno 1090. „ Nullus laicus „ decimas suas, aut Ecclesiam, aut „ quidquid Ecclesiastici juris est sine „ consensu Episcopi, vel Romani con„ cessione Pontificis, Monasteriis, aut „ Canonicis offerre præsumat. Quod „ si quis Episcopus improbitatis & „ avaritiæ causa consentire noluerit, „ Romano Pontifici nuncietur, & ejus „ licentia quod offerendam est, offera„ tur ".

IX. Laicis jus percipiendi decimas nullo

nullo modo convenire potest, at res ipsas, quæ pro decima solvuntur, obtinere, & possidere valent. Et quidem Laicis hominibus nullo pacto convenire posse jus decimas percipiendi ostendit D. Th. hic q. 87. art. 3. scribens. „ Circa decimas duo sunt consideranda; „ scilicet ipsum jus accipiendi decimas, „ & ipsæ res, quæ nomine decimæ dantur: jus quidem accipiendi decimas „ spirituale est; consequitur enim illud „ debitum, quo Ministris Altaris debentur sumptus de Ministerio, & quo seminantibus spiritualia debentur temporalia: quod ad solos Clericos pertinet habentes curam animarum: & „ ideo eis solis competit hoc jus habere ". Quod certas decimas percipere possint vel ex concessione Summi Pontificis, vel aliquo inito contractu cum Ministris Ecclesiæ, qui perceptionem decimarum alteri locare, cedere, oppignorare possunt, patet manifeste, quia, ut subdit l. l. D. Ang. „ Res, „ quæ nomine decimarum dantur, corporales sunt, unde possunt in usum „ quorumlibet cedere, & sic possunt „ etiam ad laicos pervenire ". Et iterum art. 3. ad 3. „ Sicut res decimæ „ nomine acceptas potest Ecclesia alicui laico tradere, ita potest etiam „ ei concedere, ut dandas decimas „ ipsi accipiant jure accipiendi Ministris Ecclesiæ reservato, sive pro necessitate Ecclesiæ, sicut quibusdam „ Militibus decimæ debentur in feudum „ per Ecclesiam concessæ, sive etiam „ ad subventionem pauperum, sicut quibusdam Religiosis laicis . . . sunt concessæ per modum eleemosynæ ". Hinc sequitur Laicos nunquam nec præscriptione nec diuturna & immemorabili consuetudine acquirere posse jus decimandi. Ita enim statuitur in jure Canon. de Præscription. „ Quia cum Laici Decimas detinere non possint, eas nulla „ valent ratione præscribere ". In quibus juris verbis & ratio assignatur incapacitatis in laicis præscribendi, quia nimirum incapaces sunt possidendi jus decimandi, quod cum spirituale sit, non potest laicis convenire: cum itaque possidere non possint, nec præscribere valent: non enim dari potest præscriptio sine possessione.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Num Cathedratici pensio quoad quantitatem subjaceat præscriptioni.*
II. *In divisione Parœciæ num dividendæ & Decimæ.*
III. *Quando unitur Parœcia Monasterio, Collegio &c. uniuntur & Decimæ.*
IV. *Sunt solvendæ decimæ non detractis tributis, & vectigalibus.*
V. *Non nisi semel in anno pendendæ.*
VI. *Quo in loco dandæ.*
VII. *Qui prædia inculta relinquit, decimas dare non tenetur.*
VIII. *Ad quid teneatur qui fructus indecimatos vel bona, vel mala fide emit.*
IX. *Non licet Parocho per vim cogere ad pendendas decimas.*
X. *Non licet decimas in feudum dare.*

Consectarium Primum.

I. LICET pensio Cathedratici nulli sit obnoxia præscriptioni, nullaque etiam immemorabili consuetudine aboleri possit, sicut nec tolli nec præscribi potest reverentia & subjectio debita Episcopo, subjacet tamen præscriptioni & immemorabili consuetudini quoad quantitatem & tempus pensionis sol-

solvendæ. Hinc si consuetudo sit immemorabilis aliquarum Ecclesiarum pendendi minus quam sit vel in Synodo statutum, vel in communi usu aliarum Ecclesiarum, potest esse legitima consuetudo, & illi se conformare in solvendo Ecclesiastici possunt. Ita pariter si consuetudo sit non solvendi nisi quando revera habetur ab Episcopo Synodus, non singulis annis obstringi poterunt ad Cathedratici solutionem, sed solum tempore coadunatæ Synodi. Ratio est manifesta, quandoquidem ex ipsa Cathedratici solutione aliquando facta, & etiam in quacumque tenui quantitate pendatur, semper servatur honor, reverentia, subjectio Episcopali Cathedræ debita, contra quam nulla dari potest præscriptio, & in cujus gratiam est Cathedratici pensio constituta. Ita egregie docet Bened. XIV. de Syn. lib. 8. cap. 7. n. 8.

Consectarium Secundum.

II. Si Parochia in plures dividatur, decimæ prædiales intra limites novæ Parœciæ constitutæ remanent apud Matricem seu antiquiorem Parœciam, nisi Episcopus in novę Parœciæ erectione una cum limitibus certis, etiam dictorum limitum decimas Parocho expresse assignet. Non desunt Theologi & Canonistę, qui contrarium censent, & dicunt, facta per Episcopi auctoritatem novę Parochię divisione jus decimas percipiendi in limitibus sibi assignatis, jure ipso & facto ad novam Parochiam transire. At assertio posita probabilior est habenda; & 1. quidem ex Decreto Sacrę Congregationis edito 1617. Secretario Fagnano, qui illud refert, quo declaratum fuit, in dismembratione Parœcię decimas pertinere ad antiquiorem cum assignatione tamen competentis portionis novo Parocho. 2. Ex ipso Tridentini Concilii Decreto sess. 21. cap. 4. de Reform. sic statuentis: „ Illis Sacerdotibus, qui „ de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur „ portio arbitrio Episcopi ex fructibus „ ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus ". Ubi notandum, S. Synodum statuere assignandam ab Episcopo fructuum portionem: porro si decimę ipso facto & jure ad novum Parochum pertinerent, necessaria non esset assignatio ab Episcopo facienda, multoque minus, ut subdit Concilium, *arbitrio* Episcopi facienda; nam non haberet locum arbitrium, ubi de jure & facto decimę alicui competerent: immo ut optime observat Reiffenstuel, si portio est assignanda Episcopi arbitrio, necesse non est, ut pro ea assignentur vel Decimę positę in limitibus novę Parœcię, vel omnes assignentur præfatæ decimæ, sed sat erit, si congrua portio in certis reditibus assigatur, vel omnes decimæ, vel illarum pars concedatur usque ad congruam portionem. At non ita sentiendum de decimis personalibus, quæ pleno jure, & ipso facto novo debentur Parocho.

Consectarium Tertium.

III. Quando Parochiales Ecclesiæ alicui Monasterio, Collegio, Capitulo uniuntur, seu, ut ajunt, incorporantur, tam prædiales quam personales decimæ & unitæ habentur & incorporatæ. Ita communiter docent Canonistæ; nam sicut per eam unionem omnia Parochialia onera in Monasterium, Collegium, & Capitulum transferuntur, debent & emolumenta & beneficia transferri, ut qui incommodum sentit & sentiat, & commodum. Dixi tamen transferri in Monasterium, Collegium, Ca-

Capitulum, non vero in Presbyterum sive secularem sive regularem, cui cura adnexa Parœciæ demandatur, qui eam in titulo minime possidet, proinde nec jus adipiscitur ad decimas sive prædiales sive personales recipiendas, sed solum ei danda est portio congrua, & sufficiens ad sui sustentationem.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Decimæ prædiales integræ sunt solvendæ minime deductis sive expensis, sive tributis, sive oneribus. Ita statutum habetur in jure Canonico Cap. *Cum homines* 7. & Cap. *Non est* 22. tit. de Decimis per hæc verba: *Præcipimus, quatenus antequam ullas deducatis expensas, Decimas Ecclesiis cum integritate debita persolvatis*. Et cap. *Cum non sit* 33. eod. tit. de tributis, & censibus sic decernitur: *Ecclesiarum dispendiis, & Ecclesiarum periculis obviare volentes, statuimus, ut in prærogativam dominii generalis exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum, vel saltem hi, ad quos census & tributa indecimata pervenerint, quoniam res cum suo onere transit, eam per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesiis, quibus de jure debentur*. Ita sentiunt & communiter docent Canonistæ, Barbosa de *Offic. & Potest. Paroch.* Piringhius de *Decimis*, Layman, aliique. Et confirmat S. Th. hic qu. 87. art. 2. ad 4. scribens: „Debentur autem Decimæ de fructibus terræ, inquantum proveniunt „ex divino munere. Et ideo decimæ „non cadunt sub tributo, nec etiam „sunt obnoxiæ mercedi operariorum. „Et ideo non debent prius deduci tributa, quam solvantur Decimæ; sed „ante omnia debent decimæ solvi ex „integris fructibus". Oppositum vero docent de Decimis personalibus, quæ solvendæ non sunt nisi deductis prius expensis. Discrimen vero hoc assignant, quia Decimæ prædiales solvuntur ex fructibus naturaliter consideratis secundum se, & quatenus ex terra & fundo proveniunt; & decimę personales debentur de fructibus civiliter inspectis, quorum nomine illi soli veniunt, qui deductis expensis, supersunt.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Prędiales decimæ ordinarie non nisi semel in anno sunt solvendę; & quidem jure communi spectato, statim ac fructus sunt a solo separati, & collecti, vel alias percepti. Et prima quidem pars de se est manifesta, quia plerumque & ordinarię non nisi semel in anno fructus maturescunt, & colliguntur. Quamobrem si extra ordinem idem fundus pluries in anno seritur, fructusque parit, pluries etiam decimę de iisdem fructibus sunt solvendæ; quod intelligendum & de aliis fructibus & animalium fœtibus. Altera vero pars pariter constat, quia fructus solum post collectionem decimari possunt; non enim decima pars decerpi potest, nisi omnium partium factus sit acervus & cumulus; hoc tamen minime impedit, quin Ecclesia jus habeat accipiendi decimas ex fructibus colligendis, licet huic juri non respondeat solutio nisi facta collectione. Ideoque falsam puto & improbabilem doctrinam Filliucii, Bonacinæ, aliorumque Probabilistarum, non teneri ad restitutionem illum, qui noluit colligere fructus jam maturos, sed eos ex sua culpabili negligentia, vel forsassis etiam ex malitia perire permisit, quandoquidem jus decimandi & reale est, & Ecclesiæ competit; quatenus reale respicit fructus prędii decimis obnoxii; quatenus Ecclesiæ convenit,

nit, præcedit eorum collectionem; non enim post collationem decimam legitime acciperet; nisi prius jure percipiendi gauderet; non debet igitur hoc jus legitimum culpabiliter, & ex malitia impediri: eapropter qui negligit fructus colligere, & eos perire sinit, ad damnum Ecclesiæ compensandum tenetur, quæ proinde potest decimam sibi debitam antequam fructus pereant sibi colligere. Huic doctrinæ consentit & D. Thom. qui art. 2. ad 4. quærens num ille, cui fructus furto sublati sunt, teneatur ad decimam solvendam; respondet quidem non teneri decimas solvere, antequam eos recuperet, sed addit, *nisi forte propter culpam, vel negligentiam suam damnum incurrerit, quia ex hoc Ecclesia non debet damnificari*: culpa igitur & negligentia a solutione decimarum non liberat, nec jus minuit Ecclesiæ percipiendi decimas. Dixi, reddendam decimam statim ac fructus sunt separati & collecti, quia peccat non solum qui omnino non solvit, sed etiam qui tardat reddere, cum rem alienam injuste detineat, & ideo Exod. 22. indicitur: *Decimas tuas & primitias non tardabis reddere*. Et Cap. *Decimæ* 66. caus. 16. Glossa dicit: *Si tardius dare decimas peccatum est, quanto pejus est non dedisse?* Addidi tamen *spectato jure communi*, quia fortassis aliquibus in locis consuetudo viget, ut fructus in proprium possessoris horreum invehantur, & excussis granis decimas segreget opportuno tempore Ecclesiæ tradendas; & quædam sunt reales Decimæ, quæ statim solvi non possunt, cujusmodi sunt animalium fœtus, non tradendi nisi quando sine Matre commode vivere possunt.

Consectarium Sextum.

VI. Quoad locum ubi sint tradendæ Decimæ, est consuetudo attendenda. Nam licet plerique Canonistæ censeant jure communi Parochianos, aliosque Decimarum debitores teneri propriis sumptibus decimas prædiales ad domum Parochi deferre, vel ad publicum & commune horreum, si forte pro Decimis collocandis sit constitutum, & quidem hac non contemnenda ratione, quia sicut terreni subditi tenentur tributa & census in signum Domini Principibus debita propriis sumptibus ad ærarium Domini deferre, ita cum decimæ præstentur Deo in signum universalis ejus Dominii, Christiani tenentur eas deferre ad Parochos vel Ecclesias propriis sumptibus; nihilo tamen secius cum postea introductum sit vel decimas in ipso agro relinqui, vel in horreum Domini transferri, & ibi separari, vel Parochum Ministrum mittere, qui collectioni assistens decimas recipiat, & deinde utroque modo datas ipse suis expensis & opere transferat, non est ab hac consuetudine recedendum, nec plus justo gravandi debitores. Excipiuntur tamen fructus animalium, qui frequentius ab istis Rusticis ad domum Parochi deportantur.

Consectarium Septimum.

VII. Qui proprios agros vel vineas incultas relinquit, vel in domum, horreum, stabulum, aliudve ædificium mutat, non tenetur ad Decimarum compensationem. Primæ partis ratio est, quia præceptum de decimis solvendis solum obstringit ad dandas decimas fructuum nascentium & collectorum ex prædiis, non vero onus imponit agros colendi, quos dominus jure suo utens po-

potest & incultos relinquere. Similiter cum dominium sit jus de rebus propriis disponendi omni modo legibus non interdicto, qui illud possidet, potest agros, vineas, & alia prædia, in domum, horreum, stabulum mutare, quod illi nulla lege vetitum est; eapropter facta mutatione ad decimas solvendas non tenebitur, nec compensationem decimarum præstare, cum nulli irroget injuriam.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Qui fructus ante decimationem furatus est, vel mala fide emit, damnum quidem resarcire debet, at si rem furto sublatam restituat, non debet ipse propria auctoritate decimas separare, & novem quidem partes Domino restituere, & decimam Ecclesiæ: qui vero bona fide emit, non tenetur restitutione nisi titulo rei acceptæ. Ratio primæ partis est, quia qui res decimis obnoxias furatus est, damnum revera intulit Ecclesiæ, quam re sibi debita privavit; quamobrem illatum damnum tenetur sarcire: quod & dicendum de illo, qui mala fide fructus indecimatos emit cum furi æquiparetur, hoc solo discrimine, quod si fur rem restituat, integre Domino restituere debet, non enim ipse decimas, quas non debet, solvere tenetur, nec debet de re aliena decimas solvere, sed facta integra restitutione relinquere domino onus decimæ solvendæ: qui vero mala fide emit cum factus sit legitimus Dominus, & possessor novem partium, & solum decimæ sit injustus possessor, non cogitur ad rescindendum contractum emptionis, sed satis est si Ecclesiam compenset, & decimas illi debitas reddendo, & damnum si quod est subsecutum sarciendo. Qui vero bona fide indecimatos fructus emit, debet decimam Ecclesiæ restituere, cujus rem detinet clamantem Domino suo, jus tamen habet petendi compensationem a venditore, qui ad compensandum tenetur. At Ecclesia, ut docet S. Th. hic a. 2. ad 4. actionem habet tam adversus venditorem, quam contra emptorem, ab utroque enim potest decimas repetere, quare sic scribit. „ Si vendat triticum „ non decimatum, potest Ecclesia de„ cimas exigere Ecclesiæ debitas, & „ ab emptore, qui habet rem Eccle„ siæ debitam, & a venditore, qui „ quantum de se est Ecclesiam defrau„ davit. Uno tamen solvente alius non „ tenetur “.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Non licet Parocho per vim compellere vel vi eripere, & extorquere a debitoribus decimas etiam injuste denegatas, vel illos Sacramentorum denegatione vel compellere, vel punire. Et quidem non posse vi & violentia uti, docent communiter Canonistæ & Theologi Navarrus, Layman, Rebuffus, aliique, quia Parochus non habet jurisdictionem temporalem & externi fori in suos Parochianos, nec quis esse potest Judex in propria causa; & quemadmodum nulli creditori licet vi & auctoritate sua bona debitoris occupare, eorumque usu vel possessione illum privare, ita nec Parochus debitores suos possessione & dominio, quo potiuntur in suos fructus, spoliare, sed ad judicem ab utroque negotium est deferendum. Pari pacto nec Sacramenta potest publice subtrahere, tum quia fieri potest, ut jus aliquod, vel justam prætendant excusationem, vel habere se credant non solvendi: tum quia non nisi publicis

cis & notoriis peccatoribus poteſt Sacramenta denegare, & quidem contumacibus, quam contumaciam Judex ſervatis juris formulis ſolus declarare poteſt. Solum itaque poteſt cauſam ad Epiſcopum deferre, qui ea diſcuſſa poterit debitorem compellere Eccleſiaſticis pœnis ad quod debet ſolvendum.

Consectarium Decimum.

X. Olim licebat Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis Decimarum perceptionem in feudum vel emphyteuſin Laicis, etiam in perpetuum concedere, ut conſtat ex pluribus juris textibus, ſed præſertim a Decreto Urbani II. hujuſmodi poteſtatem revocantis. At modo poſt Lateranenſe Concilium ſub Alex. III. celebratum an. 1170., nullo modo eſt ipſis conceſſum niſi de ſpeciali licentia & facultate Summi Pontificis. Valent nihilominus, nec revocatæ ſunt conceſſiones factæ ante præfatum Urbani II. vel ſaltem Lateranenſis Concilii Decretum; quare qui obtinuere, poſſunt decimarum perceptionem retinere. Num vero poſſint eas per donationem, vel venditionem, commutationem, vel per alium contractum in alios Laicos transferre diſſentiunt Canoniſtæ. Negant nonnulli tum auctoritate adducti, tum ratione: auctoritate quidem deſumpta ex Cap. *Probibemus* 19. hoc tit. ubi indicitur: *Prohibemus ne Laici Decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes, in alios laicos poſſint aliquo modo transferre*: ratione, quia inquiunt, ſi permanſiſſet apud Laicum venditorem, ſpes foret ut citius redire poſſet ad Eccleſiam, ad quam ſpectant, illo abſque hærede decedente. Mihi autem meo videri probabilius cenſent licite vendi poſſe. Nam ſemel legitime obtentis a Laico Decimis jam inter ipſius patrimonialia bona computantur, & ut quid plene temporale & prophanum reputandum; proinde ſicut ad hæredes transmitti poſſunt, ita & poſſunt aliis honeſto titulo concedi, præſertim ſi nullo jure prohibeatur. Juris autem prohibitiones, quæ afferuntur, obſcuræ ſunt & valde dubiæ, ut videre eſt in adducto Cap. *Probibemus*, ubi, ut ex verbis patet, ſermo habetur de decimis non juſte poſſeſſis, quæ proinde cum *periculo animæ* detinentur: nos vero loquimur de Decimis juſto titulo poſſeſſis, propterea vetatur, ne ullo modo in alios Laicos transferrantur, quod proinde nec teſtamento, nec legato, quod verum quidem eſt de Decimis iniquo titulo poſſeſſis, non vero de legitimis Decimis, quæ teſtamento in alios transferri valent. Obſtat etiam conſuetudo; nam Laici in Germania Gallia, & Hiſpania Decimas, quas a ſuis anteceſſoribus accepere, libere vendunt, alienant, & pro libito diſtrahunt. Ita docent Barboſa in Cap. *Probibemus* 19. n. 7. Guttierez Pract. qq. lib. 1. cap. 15. nu. 5. 6. aliique. Modo vero licet Prælatis & Parochis fructus decimales ſaltem ad tres annos laico elocare, quin ulla ſit ad hoc a Superiore requirenda licentia; cum enim decimæ, quantum ad fructus ſive reditus ſpectatæ, ſint quid mere temporale, nihil impedit, ne Laicis vendi poſſint aut locari. Dixi ſaltem ad triennium, quia non deſunt Canoniſtæ concedentes decimatoribus ut ad plures etiam annos continuo & per totam Decimatoris vitam poſſint elocare; Barboſa tamen putat ſolam triennalem locationem eſſe conceſſam, cum in jure Can. in Extra. *Ambitioſæ*, omnium rerum & bonorum Eccleſiarum locatio ultra triennium nulla declaratur,

&

& invalida: in hac re tamen mos & consuetudo Ecclesiarum est attendenda.

CAPUT QUINTUM.

De Personis Decimarum solutioni obnoxiis, vel exemptis.

Doctrina.

I. *Omnes fideles decimas pendere tenentur.*
II. *Non vero Infideles.*
III. *Nisi prædia fidelium possideant.*
IV. *Num Clerici decimas solvere debeant.*
V. *Num Parochi, Pastores Episcopi.*
VI. *Num Monachi, & Regulares.*
VII. *Privilegia in corpore juris inserta Regularibus concessa.*
VIII. *Alia extra jus a Pontificibus data.*
IX. *Num laici immunes sint a solutione decimarum post diuturnam consuetudinem.*

I. OMNES fideles, nisi sint speciali privilegio immunes, tenentur decimas vel prædiales vel personales solvere. Ita in jure statutum est Cap. *Ex Transmissa* 23. de Decimis indicitur: *Quivis fidelis homo decimas erogare tenetur*. Et Cap. *A obis* 24. ejusd. tit. *Quilibet decimas solvere tenetur, nisi a præstatione ipsarum specialiter sit exemptus*: vel ut infra dicitur, *nisi ostendat quare sit immunis*. Et quidem jure & merito, cum enim, ut inquit S. Th. hic a. 1. „ radix solutionis decimarum „ sit debitum, quo seminantibus spiritualia debentur carnalia, secundum „ illud Apostoli 1. Cor. 9. *Si nos vobis „ spiritualia sominavimus, magnum est, „ si carnalia vestra metamus?* Super hoc „ enim debitum fundavit Ecclesia determinationem solutionis Decimarum." Omnes autem fideles ministerio indigent spirituali, & spiritualia bona ab Ecclesiæ Ministris accipere debent; æquum igitur est, ut omnes pro eorum sustentatione decimas tribuant: quamobrem omnes Reges, Imperatores, Monarchæ, & omnes alii quavis dignitate fulgentes decimarum oneri obnoxii sunt. Quod sponte in suis legibus fatentur gloriosissimi simul & piissimi Hispaniarum Monarchæ, qui, ut referunt Salmanticenses hic part. 1. tit. 20. scribunt: „ Omnes quotquot in mundo sunt homines „ Decimas Deo pendere debent, & „ præcipue Christifideles, qui veram „ legem profitentur, & supra alias gentes „ Deo conjuncti. Eapropter immunes „ non se habere debent nec Imperatores, „ nec Reges, nec quis alius „ licet potens & sublimis, immo quo „ potentiores sunt & sublimiores, magis „ tenentur, cum omnem potestatem „ & sublimitatem a Deo donante acceperint". Tenentur proinde & hæretici, cum sint & juri divino & Ecclesiastico per Baptismum Ecclesiæ subditi, a cujus jurisdictione per contumaciam non eximuntur. Tenentur & Filii Christianorum licet fortassis in adultam ætatem differant Babtismum, quia ratione paternæ originis ad Ecclesiam pertinere censentur. Non vero filii Infidelium, licet Catechumeni, & profiteantur se velle Ecclesiæ aggregari, quia ante Baptismum non fiunt Ecclesiæ subditi, nec privata & interna fides sufficit, sed publica & solemnis necessaria est, ut quis inter Ecclesiæ membra reputetur.

II. Infideles vero, sive Judæi sint, sive Gentiles, sive Mahumedani, ad decimas teneri censet Reiffenstuel jure divino in contestationem universalis dominii Divini super omnes homines & super cuncta creata bona. Verum hoc jus divinum venerari possunt Infideles qua-

quacumque alia oblatione, cultu & actu, quin decimas solvant. Judæis vero facta est impossibilis observantia præcepti solutionis decimarum, prout in Veteri Testamento decernebatur, cum nec Sacerdotes amplius habeant, nec Levitas, nec Templum, nec Sacrificium. Immo cum ipsis non sint mandatæ decimæ personales, sed prædiales dumtaxat, & modo fere ubique illis minime sit concessum fundos & prædia possidere, decimas de illis dare non possunt: hinc apud Buxtorfium, qui modernos Synagogæ ritus accurate expendit, nulla de Decimarum solutione mentio; quamobrem & ipsi aliis oblationibus fortassis supremum Dei dominium agnoscunt. Hinc minus rerum puto, quod subdit laudatus Raiffenstuel ex Abbate, *De Terris* 16. tit. de Decimis, posse Ecclesiam, si alicujus Provinciæ infideles ad fidem converterentur, non solum recenter conversos, sed etiam Infideles adhuc in sua infidelitate permanentes cogere ad decimas solvendas, immo omnes ad solutionem decimarum præteritarum obstringere, quas antea non solvissent, licet soleat (ut ipse subdit) ex condecenti clementius agere, & præteritas decimas remittere. Hanc doctrinam, inquam, minus veram puto, cum non alia fulciatur ratione, nisi quia præfatus Auctor putat, Decimas esse de jure divino solvendas, quam tamen sententiam superius confutavimus.

III. Non repugnat tamen infideles cogi posse ad decimas solvendas, nimirum si in provinciis & locis Christianorum prædia, & fundos emant ab ipsis fidelibus jam decimis obnoxios, cum enim tunc onus decimarum sit reale, fundis & prædiis affixum, transit cum ipsis prædiis, & fundis & ad omnes devolvitur eorum possessores. Quare juste statutum legitur in jure Can. Cap. *Quarto* 18. ad finem de Usuris: *Judæi compellendi sunt ad dandas Decimas de possessionibus & domibus illis, de quibus antequam ad Judæos, quocumque titulo pervenissent, Christiani decimas dare consueverunt, ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes*: seu, ut habetur Cap. de Terris 16. *ne Ecclesiæ valeant suo jure fraudari*. Quod & confirmat S. Antoninus 2. Part. tit. 4. cap. 3. §. 3. scribens: „Decima prædialis ... debet dari indistincte a possidente prædia, sive juste sive injuste possideat, & non solum si possideantur prædia a Catholico, sed etiam ab Hæretico, Judæo, vel Pagano". De fundis vero & agris, quæ in propriis possident provinciis Christianorum Principum potestati minime subjectis, decimas dare nec tenentur, nec cogi possunt, sicut nec ad Decimas personales, licet habitent in Parochiis Christianorum, cum hæ non debeantur nisi ratione spiritualis Ministerii a Parochis præstiti, cum ipsi nullum spirituale beneficium ab Ecclesia recipiant. Nec tenentur, ut quidam putant Canonistæ, ratione cessantis lucri, seu emergentis damni, quod Ecclesia subit, quæ decimas personales reciperet, si loco Infidelium essent Christiani, quia concesso illis a Principibus domicilio fiunt partes populi, qui non tenetur laborare, negotiari, ut decimas solvat; & sicut Nobiles in Parœcia existentes non tenentur compensare Ecclesias de Decimis, si loco illorum inibi adessent negotiatores, artifices &c. ita nec Infideles ad eam obstringi possunt compensationem.

IV. Clerici seculares sive simplices, sive curati, & in dignitate constituti te-

tenentur dare decimas prædiales de bonis & fructibus titulo temporali, puta hæreditate, patrimonio, donatione, emptione, &c. acquisitis. Ita docet S. Th. hic q. 87. a. 4. scribens: „ Clerici inquantum Clerici sunt, idest „ inquantum habent Ecclesiasticas possessiones, decimas solvere non tenentur: Ex alia vero causa, scilicet „ propter hoc quod possident proprio „ jure, vel ex successione parentum, „ vel ex emptione, vel quocumque hujusmodi modo, sunt ad decimas solvendas obligati ". Et in resp. ad 1. rationem reddit, videlicet quia quantum ad hæc bona in ordine ad Decimas spectantur ut ceteri fideles, qui sine distinctione ad Decimas obligantur, subdit enim: „ Clerici de propriis prædiis, tenentur solvere Decimas Parochiali Ecclesiæ, sicut & alii, etiamsi „ ipsi sint ejusdem Ecclesiæ Clerici; „ quia aliud est habere aliquid ut proprium, aliud ut commune ". At de bonis Ecclesiasticis titulo Beneficii, aut alio clericali non tenentur decimas solvere, ut A. P. l. cit. docet, scribens: „ Clerici inquantum Clerici sunt, idest „ inquantum habent Ecclesiasticas possessiones Decimas solvere non tenentur ": & iterum in resp. ad 1. subdit: „ Prædia Ecclesiæ non sunt ad „ decimas solvendas obligata, etiamsi „ sint infra terminos alterius Parochiæ ". Et confirmat in argumento, sed contra, statutum afferens in jure canon. cap. 2. de decimis desumptum ex Decretali Paschalis II. Papæ, cujus fragmentum habetur Tom. X. Concil. ubi dicitur: *Novum genus exactionis est, ut a Clericis Clerici decimas exigant, cum nusquam in lege Domini hoc legamus. Non enim Levitæ a Levitis decimas accepisse leguntur*. Exceptionem dabimus in Consectariis.

V. Clerici simplices tenentur ad personales Decimas solvendas, non vero Pastores, Parochi, & Episcopi. Cum personales decimæ debeantur ex lucro personali, duplex est in Clericis distinguendum lucrum, nimirum quod ex actione spirituali percipitur, puta Missas canendo, Defunctos tumulando &c. Et hæc lucra non sunt decimationi obnoxia. Alia sunt lucra parta corporali labore, & prophano, sive mere temporali titulo acquisita, puta pingendo, Notarium exercendo & similia, quæ Clericum decent munia, & de his decimas dare tenentur, etiamsi Sacerdotes sint. Cum enim hujusmodi decimæ debeantur, quia spiritualia a Parochis ministrantur, cum & Clerici a Parochis accipiant Sacramenta, æquum est ut illi temporalia ad sustentationem rependant. Ad majores Sacerdotes huic oneri minime subjiciuntur. Non certe Summus Pontifex, cum sit Pastorum supremus Pastor, nec alicui subditus, & ipse aliis Sacramenta conferendi largiatur potestatem. Non Episcopi qui licet Summo Pontifici subjiciantur, & ab ipso ad dignitatem Episcopalem assumantur, & Consecrationis Sacramentum vel ab ipso, vel de ejus mandato percipiant; proinde, ut animadvertit S. Th. hic q. 87. a. 4. ad 3. posset Decimas exigere, & ipsi pendere tenerentur, sic enim scribit: „ Quia sub „ Sacerdotibus Levitæ erant, Dominus „ mandavit, ut ipsi loco primitiarum „ solverent Summo Sacerdoti decimam „ decimæ. Unde nunc eadem ratione „ tenentur Clerici Summo Pontifici decimam dare, si exigeret. Naturalis „ enim ratio dictat, ut illi, qui habet „ cu-

„ curam de communi multitudinis sta„ tu , provideatur de bonis omni„ bus , unde possit exequi ea , quæ „ pertinent ad communem salutem “. His , inquam , minime obstantibus decimas non tenentur solvere , tum quia eas minime exigit , tum quia alio modo ejus dignitati & oneri provisum est . Non denique Parochi & Pastores , quippe qui Sacramenta ab aliis Sacerdotibus suscipiunt , non ut subditi , sed tanquam coadjutores in evangelico Ministerio , non Episcopis, a quibus ad beneficia assumuntur , quia nec jure nec consuetudine tale debitum constitutum est, & suam Episcopali dignitati reverentiam & subjectionem alio modo , scilicet Cathedratico ostendunt.

VI. Monachi omnes , & etiam , proportione servata , Regulares jure communi spectato non minus quam Laici decimis sive prædialibus sive personalibus solvendis forent obnoxii , nisi specialibus Privilegiis tum in corpore juris insertis , tum extra ipsum concessis a præfato onere soluti forent. Prima pars constat & ex pluribus titulis in jure Canonico , & communi , tum Theologorum tum Canonistarum doctrina clara & manifesta ratione comprobata ; eædem enim & pro Religiosis militant rationes pro decimarum solutione ac pro Laicis , cum & ipsi eodem communi jure spectato , & erant olim Parochis & Pastoribus obnoxii , & ab eis Sacramenta & alia divina recipere debebant, & aliquando recipiebant . Regulares quoque , licet statim in limine Fundationis suorum Ordinum sint ab Episcoporum jurisdictione subtracti, & immediate Sedi Apostolicæ subjecti , tamen antequam in unum corpus coalescerent, & perfectam aliquam Communitatem efformarent , & ipsi a Parochis Sacramenta recipiebant . At cum fere omnes in suæ Institutionis initio bonis etiam in communi carerent , solisque eleemosynis viverent , nec habebant unde decimas reddere vel deberent vel possent ex prædiis , addicti etiam prædicationi , aliisque spiritualibus officiis in proximorum salutem , & Episcoporum ac Parochorum subsidium , & levamen , manualibus operibus , unde lucrum perciperent , nullam navabant operam . At decursu temporis & Monachi ab Episcoporum potestate subtracti , & ad Ecclesiastica munia & officia evecti , a propriis superioribus Sacramenta suscipiebant , & Regulares donationes & prædia sunt assequuti , quæ decimis obnoxia , & ab ipsis erant pendendæ . Pluribus itaque privilegiis opus habuere , queis a solutione decimarum liberarentur . Ita docet & S. Th. hic a. 4. ad 2. dicens : „ Religiosi , „ qui sunt Clerici , si habeant curam „ animarum, spiritualia populo dispen„ santes , non tenentur decimas dare , „ sed possunt eas recipere. De aliis Re„ ligiosis vero , etiamsi sint Clerici, qui „ non dispensant populo spiritualia, est „ alia ratio . Ipsi enim tenentur de ju„ re communi decimas dare: habent „ tamen aliquam immunitatem secun„ dum diversas concessiones eis a Sede „ Apostolica factas “ . Ex his privilegiis nonnulla sunt in corpore juris inserta , nonnulla vero seorsum a Pontificibus concessa , de quibus omnibus modo dicendum .

VII. Privilegiis itaque in jure insertis Monachi Regulares , & etiam Clerici in communi viventes immunes facti sunt 1. a decimis omnibus personalibus , ut constat ex Cap. ad *Audientiam* 12. de Decimis : 2. a Decimis etiam præ-

prædialibus, sed solum de illis agris ac prædiis, quæ propriis manibus, vel propriis sumptibus excolerent, præsertim si antea inculta erant, sicut & de novalibus suis & hortis, ut patet in Cap. *Ex parte* 10. tit. de Decimis, ubi Alex. III. indulget Regularibus, ut *de Novalibus suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas non persolvant*: sed simul eodem tenore declarat, *de aliis vero rebus decimas non possint subtrahere*. Immo cum Cistercienfibus, Templariis, Hospitalariis concessum fuisset ab Adriano IV. ut de nullis prædiis ab ipsis possessis tenerentur decimas solvere, hocce privilegium ad ea sola coarctavit prædia & possessiones ipsorum Religiosorum, quas ipsi vel propriis manibus, vel propriis sumptibus colerent, non vero ad illas etiam, quas ipsi conducerent, licet per se aut per famulos colendas. 3. In Lateranensi Concilio Innoc. III. confirmavit quidem præfata privilegia pro prædiis & agris prius possessis ab ipsis Regularibus, sed simul declaravit imposterum solvendas esse decimas agrorum, quos adipiscerentur, licet eos vel propriis manibus vel expensis colerent, & de quibus antea decimæ Ecclesiæ pendebantur. Sic enim decernit Pontifex: *Ne occasione privilegiorum suorum Ecclesiæ ulterius pergraventur, decernimus, ut de alienis terris, & amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus; vel sumptibus excolant, decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerunt componendum; & hoc ipsum ad alios Regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi volumus, & mandamus.* 4. Nunc igitur ex privilegiis in corpore juris insertis Regulares immunes sunt a Decimis solvendis de novalibus, hortis, & animalibus, quæ vel propriis sumptibus, vel opere colunt, cum in Concilio solum sunt decretæ decimæ agrorum & possessionum, quæ prævie ad dominium Regularium decimis erant obnoxiæ.

VIII. Post præfati Concilii Lateranensis Decretum pluribus aliis privilegiis donati sunt Regulares, quæ extra Corpus juris in pluribus Bullis Pontificum habentur. Nam 1. Bullis Pontificum Pauli III. Pii IV. Greg. XIII. Sixti IV. aliorumque confirmata est immunitas a Decimis solvendis de fructibus hortorum, arborum, prædiorum, quæ propriis sumptibus vel laboribus colunt, & quidem non solum quoad fructus, quos ipsi Religiosi consumunt, sed etiam quoad omnes, licet in suum usum non cedant, sed per venditionem aliis distrahantur. 2. Extensa præfata immunitas ad prædia & possessiones etiam post Lateranense Concilium anni 1206. acquisitas, si eas propriis sumptibus vel labore excolant, etiamsi novalia non sint, & decimæ prius ex illis pendentur, ut patet ex Bullis, quas quilibet Ordo pro se obtinuit, & referuntur a Barbosa, Merenda, aliisque juris Canonici doctoribus, qui tamen merito animadvertunt, Regulares hac immunitate non gaudere, nisi in eorum Privilegiis derogetur statuto, & decreto præfati Concilii Generalis, cum nunquam censeatur Pontificem velle Constitutioni Generalis Concilii derogare, nisi suam mentem manifestet, & clausulam apponat derogatoriam, ut docent Barbosa & Fagnanus, quæ tamen derogatio sufficienter pro expressa habetur non solum quando aperte in specie derogatur præfato Cap. *Nuper*, sed etiam cum dicitur, *non obstante aliqua Consti-*

tione, etiam in Generali Concilio edita. 3. Hoc privilegium fuit etiam extensum ad Moniales Constitutionibus Bonif. VIII. Sixti V. Leonis X. Pauli III. Clementis VIII. Pauli IV. ut testantur & referunt Barbosa, Merenda, Rodriquez, aliique Canonistæ.

IX. Laici vero non sunt censendi immunes a Decimarum solutione etiam post diuturnam consuetudinem, nisi adsit consensus & adprobatio Summi Pontificis, ut omnes fatentur ad unum Theologi & Canonistæ. Verum sufficere præsumptum consensum & adprobationem ex taciturnitate diutissima Pontificum Canonistæ plures affirmant cum S. Th. Quodl. 2. art. 8. in corp. dicente: „ In terris, in quibus non est consue„ tudo communis quod decimæ dentur, „ & Ecclesia non petit, videtur Ecclesia „ remittere dum dissimulat, & ideo „ homines in terris illis non peccant „ decimas, non dando: durum enim „ esset dicere, quod omnes homines „ Italiæ & Orientalium partium dam„ nentur, qui decimas non solvunt. Et „ hujusmodi argumentum possumus ab „ Apostolo accipere, cui cum deberen„ tur necessaria victus ab his quibus „ prædicabat, tamen non accipie„ bat, nec tamen peccabant, quia „ ei non dabant, alioquin male cum „ eis egisset non accipiendo, præ„ sertim cum ipse dicat Act. 20. *Non* „ *enim subterfugi, quo minus anuntiarem* „ *vobis omne consilium Dei.* Et ideo „ Apostolus non exigebat, quod sibi „ debebatur, ne daretur aliquod of„ fendiculum Evangelio, ut ipse dicit. „ Unde non bene facerent Rectores Ec„ clesiarum, si in terris illis decimas „ exigerent, in quibus non est consue„ tudo dari, si probabiliter crederent, „ quod ex hoc scandalum nasceretur". Quod & repetit, atque confirmat hic q. 87. a. 1. ad 5. dicens: „ Laudabi„ liter Ministri Ecclesiæ decimas non „ requirunt, ubi sine scandalo requiri „ non possent propter dissuetudinem „ .... Nec tamen sunt in statu dam„ nationis qui non solvunt in locis il„ lis, in quibus Ecclesia non petit; „ nisi forte propter obstinationem ani„ mi, habentes voluntatem non sol„ vendi, etiamsi ab eis peterentur".

CAPUT SEXTUM

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Pauperes quando debeant decimas solvere.*

II. *Aliquando Parochi tenentur decimas pendere.*

III. *Privilegia Regularium sunt stricte interpretanda.*

IV. *Num Regulares teneantur decimas solvere de prædiis, quæ excolenda tradunt.*

V. *Num sint immunes a decimis de prædiis ab ipsis conductis.*

VI. *In communicatione Privilegiorum non comprehenditur immunitas a Decimis.*

VII. *Quot modis amittitur privilegium non solvendi decimas.*

VIII. *Decimas solvere tenentur & locator, & conductor.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. PAUPERES tenentur decimas solvere, nisi extrema vel gravi necessitate premantur. Et primo quidem pauperes, qui communi paupertate laborant, teneri ad decimas solvendas docet S. Thom. Quodl. 6. art. 10. & hic q. 87. art. 4. scribens ad 4. „ Decimæ

„ cimæ debent cedere in subventio„ nem pauperum per dispensationem „ Clericorum . Et ideo pauperes non „ habent causam accipiendi deci„ mas , sed tenentur eas dare " . Et revera sicut hujusmodi pauperes immunes non sunt a solvendis vectigalibus & tributis civili & temporali potestati ; nec a decimis Ecclesiæ solvendis liberandi sunt . Excipiuntur pauperes in extrema constituti necessitate , & jure ac merito , cum tunc sane possint re aliena etiam suæ subvenire necessitati , ut diximus in quinto Decalogi Præcepto , nec quæ tunc consumpsere restituere tenentur , licet meliorem statum nanciscantur . Major est difficultas de constitutis in gravi necessitate , quibus loco laudato docuimus non licere aliena sibi usurpare, unde videtur nec aliena retinere . Verum probabilius censeo pro tempore urgentis gravis necessitatis non peccare , si decimas reddere differant ; sicut enim est immunis a peccato , qui restitutionem rei alienæ sive mala , sive bona fide acceptæ differt , quando restitutio est illi graviter onerosa , ita & in decimis pendendis excusatur , qui gravi pressus necessitate earum solutionem declinat, præsertim cum restitutio sit de jure naturali & divino ; decimarum vero solutio , præsertim quoad quantitatem , locum , & modum solum debeatur ex præcepto ecclesiastico , quod non obstringit in gravi necessitate . Tenentur tamen quando pinquiorem consequuntur statum Ecclesiis decimas reddere . Oportet autem hanc necessitatem gravem & urgentem esse , & veram , non fictam & ex avaritia proficiscentem , quam si Parochis vel decimatoribus isti pauperes sincere exponerent , proculdubio vel decimas condonarent , utpote quæ & in pauperum levamen & sustentationem sunt constitutæ , vel dilationem solutionis concederent .

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Parochi aliquando decimas solvere debent . Et 1. teneri de bonis temporali titulo possessis ostendimus cap. præced. num. 4. & hic addimus etiam de ipsis bonis mere ecclesiasticis , sive in propria Parochia , sive extra ipsam positis , quotiescumque antequam in dotem Parochiæ cederent , erant decimæ alteri Parocho debitæ , ut docent Fagnanus Cap. *Nuper* 34. & Card. de Luca de Decimis disc. 2. n. 5. & Barbosa , aliique Canonistæ . Ita etiam est in jure statutum cap. Eccles. 43. Caus. 16. quæst. 1. ubi indicitur : *Ut Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis , nec ulla possessione priventur , ita ut novis Oratoriis tribuantur* . Et Can. immediate sequente habetur : *Omnino providendum est Episcopo , ut Ecclesiæ antiquiores propter novas , suam justitiam , aut decimam non perdant , sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvantur* . Et juste quidem , non est enim unum expoliandum Altare ut alterum tegatur , nec sua sustentatione privandus Parochus , vel fraudandi pauperes , ut alius Parochus sustentetur , aliisque subveniatur pauperibus . Hinc ut diximus cap. 4. Consect. 2. in ipsa Parœcia divisione , quantum fieri potest , sunt decimæ Matrici Ecclesiæ relinquendæ , nisi novo Parocho per Episcopum decimæ , deficientia aliorum redituum , ad sustentationem in partem assignentur .

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Privilegia Regularium contenta in corpore juris sunt stricte interpretanda . Adversantur huic positioni Salman-

manticenses Tr. 18. de Privil. cap. 2. pun. 2. §. 2. n. 68. qui docent hujusmodi privilegia latissime esse interpretanda, quia non odiosa, sed favorabilia Religioni in communi, & cum summa æquitate in Regularibus per Pontifices concessa, quippe qui in spiritualibus non minus laborant, quam Parochi. Verum positam nostram doctrinam probabiliorem censemus, quam docet & Reiffenstuel. Qnia hujusmodi privilegia sunt & Parochis odiosa, & ipsis nociva, qui certo jure privantur: porro privilegium in damnum & detrimentum alterius est stricte inrerpretandum, ita ut minori quo fieri potest damno illos afficiat, propterea non sunt extendenda ultra casum proprium, aut propriam & naturalem verborum significationem, & ultra eam quam obtinent consuetudinem. Quod tamen impedire non debet, ne privilegia eam consequantur amplitudinem, quam verba præseferunt; unde si universaliter & indefinite data sint, non debent ad determinatum & limitatum usum coarctari, ut in ipso jure declaratur Cap. *Quoniam* 22. de Privilegiis, ubi hæc ratio affertur: *Cum nihil exceperit, & potuerit excepisse, ac in beneficiis plenissima est interpretatio adbibenda*. Quamobrem cap. præced. n. 8. diximus, Regulares omnes esse immunes a solvendis decimis de fructibus prædiorum, quæ suis manibus vel sumptibus colunt, & non de solis fructibus in eorum usum cedentibus, quemadmodum nonnulli Canonistæ privilegium coangustantes docebant, sed & de illis, quos suis usibus superabundantes aliis vendunt.

Consectarium Quartum.

IV. De Prædiis, quæ Regulares aliis tradunt excolenda, decimas solvere tenentur, si illis concessa Privilegia sint tantum personalia, non vero si sint realia. Ad rectam hujus doctrinæ intelligentiam nonnulla sunt præmittenda. 1. Personale Privilegium illud dici, & esse, quod conceditur personis in ipsorum utilitatem & commodum, proinde & sequitur personas, cum eis spirat, nec ad alias transire potest. Reale vero est, quod licet detur personæ, non tamen datur ratione personæ, sed causa vel muneris, vel officii, vel rei quam possidet, & hoc rem sequitur, totoque tempore durat, quo officium, munus, res perseverat. 2. Triplici modo Regulares fundos possessionesque suas aliis colendas tradere possunt, nimirum 1. tanquam nudis Ministris, & famulis, qui mercede sive in pecunia, sive etiam in fructibus posita, conducti illas colendas suscipiunt. Et hoc posito, certum est Regulares non teneri ad decimas solvendas, cum, ut superius vidimus, immunes sint omnino a decimis agrorum, quos Regulares vel propriis manibus vel sumptibus colunt; & hoc privilegium & reale est & personale. Reale quidem, quia bona & possessiones respicit a Religiosis excultas, quas a decimis immunes declarant Pontifices: est & personale, quia ipsis Religiosis excolentibus concessum. Porro prædia hoc modo aliis ad colendum tradita vere coluntur sin manibus, certe sumptibus Religiosorum. 2. Prædia, & possessiones tradi possunt alteri excolenda pro certa annua pensione sive in pecunia, sive iu vino, frumento, aliave re solvenda, ideoque colonus agros proprio commodo, sumptibus, & periculo colit, qui est contractus locationis ex una par-

parte, conductionis ex altera. 3. Vero tradi potest fundus excolendus partiario, ita videlicet, ut de fructibus vel dimidium, vel tertia pars cedat domino, reliquum vero colono, qui si forte nullos percipit fructus, vel grandine pereant, nihil tamen a domino exigere valent pro suis laboribus, sed uterque damnum patiatur & sentiat. Ita vero locatos agros putant Salmanticenses omnino a Decimis Parocho solvendis immunes tam dominorum respectu quam colonorum, quia censent privilegia Regularibus concessa nedum personalia esse, sed realia, & nedum personis favere, sed & ipsa bona afficere. Addunt si Privilegia dicant, *Eximimus talem Ordinem, & illius prædia a solutione decimarum*, palam est tunc & personas, & ipsa prædia privilegio donari, & non minus hoc verum est, si solum in privilegio dicatur *eximimus Religionem* a solvendis decimis, nam tunc si coloni deberent Parocho decimas pendere, revera & in facto ipsi Religiosi eas solverent, quandoquidem coloni minoris conducerent agros decimis obnoxios, quam ab illis immunes, & sic indirecte saltem ipsi Religiosi gravarentur. Verum probabilius judico cum Reiffenstuel, tunc privilegia esse & realia & personalia, proinde prorsus a Decimis immunia, quando in Bulla privilegii & *Religiosi* dicuntur immunes, & *eorum prædia*. At non ita, quando solum immunes ipsi Religiosi dicuntur, tunc enim coarctandum privilegium ad sola bona & prædia ab ipsis Religiosis vel opere vel sumptibus exculta, his permotus momentis, 1. quia certum est vi juris communis non esse immunes Regulares a decimis solvendis de fructibus agrorum, quos ipsi nec manu nec sumptu colunt, ut patet ex Cap. *Licet* de Decimis, ubi statuitur: *Licet de benignitate Sedis Apostolicæ sit vobis indultum, ut de laboribus, quos propriis manibus, vel sumptibus colitis, nemini decimas solvere teneamini; propter hoc tamen non est licitum vobis decimas de terris vestris subtrahere, quas aliis traditis excolendas.* Ut igitur huic communi, & æquissimo juri per speciale privilegium derogetur, necesse est, ut nedum Religiosi, sed & eorum terræ declarentur a Decimarum solutione immunes. 2. Cum in aliquibus Privilegiis solum Religiosi dicantur immunes, in aliis vero & Religiosi, & eorum possessiones immunitate donentur, profecto aliquod discrimen inter hæc privilegia est assignandum, alioquin in altero Privilegio plane essent superflua verba illa *agri & possessiones*, & solum ad membranam implendam apposita, quod certo nemo dicet. Quando igitur in privilegio de solis Religiosis fit mentio, privilegium est personale, & decimas solvere non tenentur, si ipsi agros & possessiones suas suis vel operibus, vel sumptibus colant, at non si aliis duobus præfatis modis colendas tradant. At si in Bullæ privilegio & de Religiosis, & de possessionibus, ac terris mentio fiat, & de utrisque prædicetur immunitas, tunc privilegium est reale, nec decimæ sunt vel a dominis, vel a colonis Parocho persolvendæ. 3. Ratio a Salmanticensibus allata debilis est & inepta ad suadendum; nam alioquin nec de bonis ab ipsis Religiosis, Laicis divenditis solvendæ essent decimæ, nam & tunc verum esset quod Religiosi solverent decimas, nam minoris vendunt possessiones decimis subjectas, quam possessiones immunes; sicut minoris locant prædia decimis obnoxia, quam ab illis soluta;

&

& tamen ipsi Salmanticenses fatentur, bona a Religiosis per venditionem ad Laicos transmissa fieri decimis obnoxia. Sunt itaque accurate expendenda verba & formulæ Privilegii in Bulla concessi, & juxta illa definiendum, ut si de Religiosis solis fit mentio, non si Privilegium ad possessiones extendendum, cum hujusmodi Privilegia utpote odiosa, & alieni juris læsiva, Parochis damnosa, sint stricta interpretatione sumenda, nec dilatanda. At si & Religiosis & prædiis concedatur immunitas, tunc amplissimum Privilegium tueri Regularibus non interdicitur. Quotiescumque vero prædia & possessiones aliis ad culturam tradita, justo titulo decimis Parocho solvendis non sint obnoxia, sunt tamen præfatæ decimæ ipsis Religiosis solvendæ, cum non in favorem colonorum, sed Religiosorum data sint Privilegia, nisi forte in conductione ita pretium sit auctum, ut in illo & decimas contineri præsumendum sit, quod ex particularibus locationis & conductionis contractus conditionibus est colligendum.

Consectarium Quintum.

V. Non sunt Regulares immunes a decimis solvendis de prædiis, & possessionibus, quas ipsi conducunt, vel in Emphyteusim accipiunt, licet eas propriis laboribus vel sumptibus colant, nisi speciali ab hoc privilegio donentur. Afferunt Salmanticenses privilegium Martini V. relatum a Garzia To. 1. tr. 8. Dis. 3. dub. 2. punct. 4. n. 12. sic concedentis: *De quibuscumque possessionibus, & prædiis, quæ in præsentiarum possidetis, & in futurum, præstante Deo, justis titulis poteritis adipisci, etiamsi ea ab aliis conducatis, dum tamen illa vestris manibus, vel sumptibus excolatis, seu pro sustentatione vestra excoli faciatis, decimas quibusvis locis, aut Personis solvere minime teneamini*. Quod amplissimum profecto Privilegium, si aliquibus vel Ordinibus, vel Monasteriis concessum sit, eo libere & licite uti possunt. At non omnibus esse concessum, nec de facili concedi consuevisse testantur & Suarez & Barbosa, ille quidem de Religione lib. 5. cap. 29. n. 8. iste vero de jure Eccles. cap. 20. §. 10. cap. *Dilecti* de Decimis. Nam communiter Privilegia solum eximunt Regulares a Decimis solvendis de *suis agris*, & *propriis* prædiis; prædia autem vel conducta, vel Emphyteutica, *propria* non sunt conducentis vel Emphyteutæ, sicut domus non est conductoris in ea habitantis, sed domini locantis. Præterea perniciosum admodum esse posset Ecclesiis & Parochis hujusmodi Privilegium; possent enim Regulares omnia Prædia alicujus Parœciæ conducere, & ita Parochum decimis spoliare. Et revera publicis constat Monumentis, Sanctissimos etiam Præsules de nimia aliquorum Regularium cupiditate in Laicorum bonis acquirendis, & postea Privilegiorum obtentu decimis denegatis apud Summos Pontifices expostulasse. Quare ipso etiam inspecto naturæ jure constat, quodcumque Privilegium etiam amplissimum, si jura parochialia vel aliarum Ecclesiarum enormiter lædere deprehenderetur, fore ad terminos juris redigendum, ut mox dicemus.

Consectarium Sextum.

VI. In communicatione Privilegiorum etiam ampla & amplissima non communicatur Privilegium exemptionis a solvendis Decimis. Ita docet Fagnanus allatis pluribus Decisionibus tum Rotæ Romanæ, tum Sacræ Congrega-

tio-

tionis apud ipsum legendis. Nam cum hujusmodi privilegium & difficillime. & raro, & paucis conceditur, communicatio ad hæc non extendatur, nisi expresse declaretur, & disertis verbis concedatur. Immo ut observant nonnulli Canonistæ, & præsertim Barbosa, Fagnanus, Felinus licet in communicatorio Privilegio mentio fiat de Decimis, intelligendum est de decimis extraordinariis, non vero de ordinariis, & realibus.

Consectarium Septimum.

VII. Privilegium non solvendi decimas pluribus modis vel amittitur, vel tollitur. Hi autem modi enumerantur a Canonistis. Et primus quidem est, si privilegium enormiter lædat habentes jus decimarum, puta quia Privilegium concessum fuit, quando pauci possidebantur agri, & possessiones, at postea auctæ sint possessiones vel emptione, vel donatione, ita in media vel major pars possessionum alicujus Parœciæ ad Privilegiatos transierit; nam certum tunc apparet, quod nunquam concessisset Pontifex hujusmodi privilegium, si tam grave Parochiæ detrimentum prævidisset. Et si quidem detrimentum ex privilegio sit indubitatum & evidens, cessat ipso jure, & de hoc judicium ferre pertinet ad Episcopum; si vero dubium sit, Summi Pontificis est expetendum judicium, ut statuit Innoc. III. Cap. *Cum venisset* 12. de judiciis dicens, „ Cum super privilegiis „ Sedis Apostolicæ versatur quæstio, „ nolumus de his per alios judicari ". 2. Amittitur Privilegium per non usum, seu per contrariam consuetudinem, quando scilicet Privilegiati per longum tempus decimas solvere consueverunt, ut habetur Cap. *Accedentibus* 15. de Privilegiis statuente: „ Cum enim tan„ to tempore contra Indulta Privilegia „ decimas solverint, eis renuntiasse „ tacite præsumuntur ". Spatium temporis ad amissionem Privilegii requisitum est 40. annorum. 3. Tollitur Privilegium transactione, conventione, vel pacto inito a privilegiatis cum Parocho, vel alio decimatore, nam unicuique liberum est suo juri renuntiare, vel de illo pacisci. Et quidem hujusmodi conventio, vel transactio se extendit non solum ad præterita, sed etiam ad futura privilegia, per quæ nullatenus derogatur priori conventioni, vel transactioni de decimis factæ, ut ostendit Barbosa. Illud solum animadvertendum ad valorem transactionis vel conventionis requiri, ut fiat ab habentibus potestatem transigendi. Si enim privilegium vel toti Ordini, vel Provinciæ sit concessum, non licet privatis Superioribus transigere, sed vel totius Ordinis vel Provinciæ est expectandus consensus; si vero alicui particulari Monasterio fuerit datum, licebit Superiori cum consensu Capituli transigere, & convenire.

Consectarium Octavum.

VIII. Decimas solvere tenentur tum dominus prædia sua locans, tum conductor illa conducens, debita servata proportione. Ita statuitur pluribus in jure canonico decretis, nam Cap. *Non est* 22. hoc tit. indicitur: „ A dantibus & re„ cipientibus possessiones ad firmam de „ fructibus, quos percipiunt, decimæ „ sunt solvendæ ": & Cap. *Tua nobis* 26. „ De cunctis omnino proventibu „ Decimæ sunt reddendæ, sicut colo„ nus de parte fructuum, quæ sibi re„ manent ratione culturæ, sic & do„ minus de portione quam percipit „ ratione terræ, decimam reddere sine „ diminutione tenetur ". Quamobrem si

si dominus prædia sua conductori locavit pro determinata pecuniaria portione, ita ut fructus omnes conductor percipiat, iste de fructibus perceptis, ille de pensione accepta decimas dare tenentur. Si vero dominus partem fructuum & ipse percipiat, puta dimidium, vel tertiam vel quartam partem, tenentur & dominus & colonus proportione servata ad partes perceptas, præfatas decimas solvere, & quidem ut diximus minime deductis expensis, pensionibus & aliis oneribus.

CAPUT SEPTIMUM.

De quibus rebus solvendæ sint Decimæ, & quomodo.

DOCTRINA.

I. *Decimæ prædiales & personales de proventibus & lucris solvendæ.*

II. *De Novalibus an decimæ pendendæ, & quibus.*

III. *De rebus minutioribus quando sint decimæ solvendæ.*

IV. *Decimæ personales num pendendæ.*

V. *De rebus illicite acquisitis quando sint dandæ.*

VI. *Solvendæ licet non petantur.*

VII. *Pœnæ latæ in fraudantes decimas.*

I. DECIMÆ de jure communi sunt solvendæ, si prædiales sint, de omnibus fructibus sive proventibus bonorum omnium tam mobilium quam immobilium, licite acquisitorum. Si vero personales sint, de omnibus lucris & utilitatibus ex hominis industria profluentibus. Ita pluribus in locis juris Canonici statuitur, Cap. Ex transmiss. 23. hoc tit. „ Fidelis homo de omni„ bus, quæ licite aquirere potest, de„ cimas erogare tenetur “, scilicet, ut habetur Cap. *Non est* 22. tit. „ de vi„ no, grano, & fructibus arborum, „ pecoribus, negotiatione, de ipsa „ etiam militia, venatione, & de uni„ versis leguminibus “. Cap. 3. hujus tit. & Cap. *pervenit* 5. „ De proventi„ bus molendinorum, piscinarum fœno: „ & cap. *Decimæ* 22. De negotio & ar„ tificio “. Æquitatem hujus statuti ostendit D. Th. hic q. 87. a. 2. in corp. scribens: „ De unaquaque re „ præcipue est judicandum secundum „ ejus radicem. Radix autem solutio„ nis decimarum est debitum, quo se„ minantibus spiritualia debentur car„ nalia . . . Omnia autem, quæcum„ que homo possidet, sed carnalibus „ continentur. Et ideo de omnibus „ possessis decimæ sunt solvendæ “. Sunt autem in hoc attendendæ consuetudines patriæ, & locorum, & juxta illas pendendæ decimæ.

II. De Novalibus quoque sunt pendendæ decimæ, sive Novalia talia sint proprie dicta, sive improprie. Novalia proprie dicta ex jure Canonico ea dicuntur prædia, de quibus memoria non extat, quod antea culta fuerint, sed vel ex sylva, palude, aliove fundo sterili & agresti in agros, vineas, prata mutata sunt; quamobrem in jure sic definiuntur: *Novale est ager de novo in culturam redactus, de quo non extat memoria, quod aliquando fuerit cultus.* Novale autem improprie illud dicitur, quod in aliud fructuum genus transmutatum est, e. ex. ex agro facta est vinea, ex vinea pratum, vel ager frumentarius. Et de primis novalibus solvendæ sunt decimæ, licet antea ex agresti incultoque fundo nullæ perciperentur, cum ex omnibus fructibus, ut mox diximus, sint decimæ solvendæ; debentur autem de jure communi Parocho, non aliis ex universali Regula, quæ

quæ statuitur Cap. *Quoniam* 13. hoc tit. *perceptio decimarum ad Parochiales Ecclesias spectat*. Si vero Novalia sint improprie talia, distinguendum; nam si prius nullas pendebant decimas, jam facta mutatione sunt pendendæ, & quidem proprio Parocho, licet fortassis ex privilegio, vel alio titulo decimæ aliis darentur. Quandoquidem Parochus in jure potestatem habet percipiendi omnes Decimas, & Decimæ Novalium specialiter appropriantur parocho, proinde ad eas non extenditur privilegium, vel titulus alius concessus percipiendi decimas. Et licet nonnulli Cannonistæ id solum concedant de Novalibus proprie dictis, & negent de Novalibus improprie talibus, tamen & ad illa esse extendendum jus Parochorum percipiendi decimas ex ipsis canonibus satis clare colligitur, quia dum Parochis jus attribuunt, & specialiter addicunt jus percipiendi decimas ex Novalibus, indistincte loquuntur, eapropter juxta Regulam juris *ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus*. Si vero antea solvebantur decimæ, adhuc post mutationem sunt pendendæ, at non semper Parocho, sed illis qui prius ex tali fundo decimas percipiebant. Et ratio est manifesta, qui enim semel est in legitima possessione percipiendi ex aliquo fundo decimas, est in illa manutenendum, quidquid in præfato fundo satum sit, vel plantatum, licet enim cultura mutetur, ejus tamen permanet substantia, & fundum; unde Cap. *Cum duo* 30. hoc tit. statuitur. *Eis proculdubio debentur Decimæ fructuum eorum, cum ipsis terra illa ab antiquo fuerit decimalis*: Et de his Novalibus sermo habetur cap 28. suis tit. item dicitur: *Decimæ Novalium pertinent ad Parochos, nisi rationabili causa ostendatur, per quam appareat, Novalium Decimas ad alios pertinere*. Hæc autem rationabilis causa habetur in illo, qui ostendere potest possessionem, & jus percipiendi decimas ex tali fundo. Ab hac tamen lege solvendi de Novalibus decimas eximuntur Religiosi, aliique privilegiati.

III. De minutis rebus non solvendæ sunt decimæ, nisi aliter ferat patriæ consuetudo, Ita docet & probat S. Th. hic a. 2. ad 3. scribens: „ Ea, quæ „ ordinantur ad finem, sunt judicanda „ da secundum quod competunt fini. „ Decimarum autem solutio est debita, „ non propter se, sed propter mini- „ stros, quorum honestati non conve- „ nit, ut etiam minima exacta dili- „ gentia requirant; hoc enim in vitium „ computatur, ut patet per Philoso- „ sophum in 4. Ethic. c. 2. Et ideo „ lex vetus non determinavit, ut de „ hujusmodi minutis rebus decimæ da- „ rentur, sed relinquit hoc arbitrio „ dare volentibus; quia minima quasi „ nihil computantur. Unde Pharisæi, „ quasi perfectam legis justitiam sibi „ adscribentes, etiam de his minutis „ decimas solvebant. Nec tamen de „ hoc reprehenduntur a Domino, sed „ solum de hoc, quod majora, scili- „ cet spiritualia præcepta, contemne- „ bant. Magis autem de hoc eos se- „ cundum se commendabiles esse osten- „ dit, dicens: *Hoc opportuit facere*, „ scilicet tempore legis, ut Chrysosto- „ mus exponit (vel Auctor operis im- „ perfecti super Matth. hom. 44.) „ Quod etiam videtur magis in quan- „ dam decentiam sonare, quam in „ obligationem. Unde & nunc de hu- „ jusmodi minutis rebus non tenentur „ homines decimas solvere, nisi forte „ propter consuetudinem patriæ “.

IV. Decimæ personales non solvendæ

 sunt

sunt nisi ubi viget consuetudo, & quidem proprio Parocho. Licet D. Th. hic q. 87. a. 1. ad 1. doceat, honestum esse, ut decimæ personales in nova lege persolvantur, licet in veteri nullæ statutæ & præceptæ fuissent; concludit tamen solvendas esse solum *secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam Ministrorum*. Hinc cum paucis in locis obtineat consuetudo personales decimas solvendi, hinc communiter non tenentur fideles ad decimas personales solvendas, nisi hoc omnino necessarium esset ad Ministrorum sustentationem, & alimoniam. Ubi autem vel mos est solvendi, vel Ministrorum ita postulat indigentia, profecto non aliis sunt solvendæ quam Parochis, a quibus Sacramenta, & alia spiritualia habentur beneficia. Hinc solvendæ sunt hæ decimæ personales etiam ab iis Parochianis, qui diu absunt a Parœcia vel causa agendi negotia, vel in comitatu Principis, vel iter habendi ad invisendas Provincias & Civitates, dummodo tamen animum non habeant transferendi domicilium, quod si domicilium mutaverit, jam pendendæ sunt novo Parocho, & inter ipsos Parochos dividendæ pro rata temporis, si Parochianus domicilium habeat in duabus Parœciis.

V. Decimæ non sunt pendendæ de rebus illicite acquisitis: sive lucrum retineri licite possit, sive omnino non possit. Et quidem de rebus illicite acquisitis, quæ vel in se, vel suis fructibus retineri non possunt, quia contra justitiam acquisitæ, palam est non esse dandas decimas, sed dominis restituendas, qui postea de rebus suis decimas solvant (exceptis tamen prædiis ex pecunia fœnoris acquisitis) si vero sint acquisita aliquo perverso titulo, justitiæ tamen non adversante, puta ex meretricio, non sunt pendenda, qui a Ministris rejicienda omnino sunt, & execrandæ, sed solum post pœnitentiam recipi possunt. Ita docet S. Th. hic a. 2. ad 2. dicens: „ Aliqua male acquiruntur dupliciter. „ Uno modo, quia ipsa acquisitio est „ injusta; puta quæ acquiruntur per „ furtum, vel rapinam, aut usuram: „ quæ homo tenetur restituere, non „ autem decimas dare. Tamen si ali„ quis ager sit emptus de usura, de „ fructu ejus tenetur usurarius deci„ mas dare; quia fructus illius non „ sunt ex usura, sed ex Dei munere. „ Quædam vero dicuntur male acquisi„ ta, quia acquiruntur ex turpi cau„ sa, sicut de meretricio, & histrio„ natu, & aliis hujusmodi; quæ non „ tenentur restituere. Unde de talibus „ tenentur decimas dare secundum mo„ dum aliarum decimarum persona„ lium. Tamen Ecclesia non debet „ eas recipere, quandiu sunt in pec„ cato, ne videatur eorum peccatis „ communicare: sed postquam pœni„ tuerint, possunt ab eis de his recipi „ decimæ “.

VI. Decimæ sunt solvendæ etiamsi Parochus eas non petat. Ratio est manifesta; non enim solvendæ sunt decimæ ad petitionem Parochi; sed ex Ecclesiæ præcepto. Quare optime docet S. Th. Quodl. 2. a. 8. in corp. „ In terris, in quibus est consuetudo, „ quod decimæ solvantur, ipsa con„ suetudo quasi expostulat decimas; „ unde peccaret qui non redderet “. Præterea decimæ, ut superius diximus, sunt debitæ ex justitia & Religione. Quamobrem non usquequaque veram puto doctrinam Van-Espen P. 2. tit. 32. cap. 9. n. 25. docentis: „ Cum „ de-

„ decimæ quotannis ex fructibus sin„ gulis excrescentibus debeantur, si „ uno anno petitæ non fuerint, se„ quenti anno duplices peti nequeunt; „ immo pro illo anno, quo petitæ non „ fuerunt, remissæ habentur". At unde colligit eruditissimus Auctor remissas esse? quia petitæ non fuerunt? at etiam non petitæ, fuerant solvendæ, cum ex justitia, ut diximus, & Religione debeantur? Num quia debentur ex fructibus singulis annis excrescentibus? At hæc determinatio est ad designandam obligationem, idest ad determinandam quantitatem decimarum, quæ scilicet fructibus perceptis respondeat, non ad definiendam obligationem, adeout elapso solutionis anno non amplius præceptum urgeat solutionis, cum enim debeantur quoad substantiam ex jure divino & naturali, quoad quantitatem ex præcepto Ecclesiastico; simplex patientia Parochi non exposcentis Parochianos a tam justo onere non liberat. Vera tamen esse potest Van-Espen doctrina, nimirum pro non debitis vel solutis præcedentis anni decimis, non duplices esse in sequenti anno dandas decimas, cum enim non sint semper æquales reditus & fructus prædiorum, non semper æquales reddendæ sunt decimæ, sed modo majores, modo minores, habita proportione ad fructus & reditus: quomobrem qui anno præterito quinque debebat, quia nonnisi ut quinquaginta collegit; non debet hoc anno in quo fructus ad centum ascenderunt, decem reddere pro anno elapso, & decem pro decurrente; hoc enim pacto læderetur ex parte deposcentis justitia, sed quindecim pendere debet, decem scilicet præsenti uberiori collectioni respondentia, & quinque pro elapso anno, in quo a solutione defecit.

VII. Pœnæ latæ contra illos, qui decimas non solvunt, vel solutionem impediunt, ex Tridentino Concilio sunt 1. Excommunicatio non quidem latæ sententiæ, nec ipso facto incurrenda, sed sententiæ ferendæ, & præmissa munitione; sic enim statuit S. Synodus sess. 25. Cap. de Reform. 12. *Qui Decimas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur*. 2. In jure Canonico Cap. *Prohibemus* indicitur & privatio christianæ sepulturæ. Sunt & excommunicationi obnoxii Religiosi, qui decimas ad ipsos non spectantes vel accipiunt, vel usurpant; & suspensione puniuntur Confessarii, qui ex malitia pœnitentes decimarum fraudatores ad solutionem non obstringunt, nec conscientiæ scrupulum injiciunt.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

Consectarium Primum.

I. Si Novalia constituta sint in confinio duarum Parochiarum, ita ut una pars fundi ad culturam redacti sita sit in una Parœcia, altera vero in alia, decimæ sunt inter Parochos dividendæ juxta proportionem terræ in cujusvis Parœcia existentis. Ratio hujus doctrinæ est de se manifesta; cum enim quilibet Pa-

Parochus jus habeat decimas percipiendi de fructibus prædiorum in sua Parœcia existentium, ubi constet prædium in tali parœcia situm esse, statim consequitur ex illo decimas Parocho esse pendendas, & quidem pro rata fructuum ex ipso fundo perceptorum. Ita docet Barbosa Cap. *Quoniam* 13. hoc tit. n. 5. Quod si prædium novale sit quidem in tali loco situm, ut certo constet ad alterutram pertinere Parœciam, at definiri nequeat num ad hanc potius, quam ad illam spectet, præfatus Auctor adhuc censet decimas fructuum esse æqualiter inter utrumque Parochum dividendas. At fortassis melius alii censent, totas pertinere ad Parochum Sacramentalem, ad illum videlicet, a quo fundi Dominus percipit Sacramenta, cum hic præter titulum dubium Territorii, in quo æqualis est alii Perocho, habet etiam sibi faventes Canones, qui de jure communi statuunt, decimas spectare ad Parochum Sacramenta ministrantem, quod non est coarctandum ad decimas dumtaxat personales, nam, ut diximus & ipsæ prædiales debentur Parocho Sacramenta ministranti; eapropter specialis requiritur titulus, ut quis decimas percipere possit ex agris & possessionibus in aliena Parœcia sitis, quæ de jure communi debentur Parocho Sreramenta administranti. Verum cum hæc controversia ab externum forum pertineat, definienda relinquitur Episcopis, qui omnibus inspectis judicare debent utri pertineant. Denique si Novalia intra nullius Parochiæ limites contineantur, ut contingere potest si sylva vel palus sit pro duarum Parochiarum termino constituta, tunc decimæ Episcopo loci sunt pendendæ, qui illas vel certæ Parœciæ, vel pio alicui operi, vel etiam Mensæ suæ poterit applicare, ut statutum habetur Cap. *Quoniam* 3. hoc tit. ubi dicitur: *Alioquin* (videlicet si in nullius Parœcia sita sint) *Ipsas* (decimas) *secundum discretionem a Deo tibi datam, alii Ecclesiæ deputare, vel ad opus tuum poteris retinere.*

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Qui privilegio donati sunt percipiendi decimas ex possessionibus alicujus Parœciæ, non tamen decimas Novalium percipere possunt, immo & si in privilegio concedatur etiam facultas percipiendi decimas Novalium, coarctandum privilegium ad Novalia ipsum subsequentia, non præcedentia. Primam partem communiter docent Canonistæ Barbosa, Guttierez, Covarruvias, & quidem jure merito, cum enim hujusmodi privilegium odiosum sit, & cadens in nocumentum Parochorum, ad quos de jure omnes decimæ, sed præsertim Novalium spectant; non est extendendum, sed coarctandum; quamobrem si cui Monasterio concessæ sint decimæ alicujus Parochiæ, Parochus tamen semper poterit decimas petere, & exigere fructum ex Novalibus post privilegium constitutis. Alteram quoque partem communiter admittunt Juris Canonici Doctores tum adducta ratione, tum quia privilegia futurum respiciunt, & jus alienum imposterum minuunt, non possessum tollunt. At e contra si quis ex privilegio immunis sit a solutione decimarum, extenditur Privilegium etiam ad decimas Novalium, quæ post Privilegium culta fuere. Id patet ex capite *ad Audientiam* 12. ubi Pontifex declaravit Privilegium absolute concessum immunitatis a decimis esse intelligendum & de Novalibus, & de agris omnibus. Cur autem Privilegium percipiendi decimas ad Novalia non se extendat; privilegium vero non solven-

vendi decimas ad Novalia dilatetur, rationem reddunt Canonistæ, quia nimirum privilegium percipiendi decimas est longe magis nocivum Parochis privilegio easdem non solvendi; hoc enim solum Parochum privat decimis unius personæ sive Monasterii, aliud vero ipsum privat decimis: plurium personarum illius loci. Mirum proinde non sit, si Pontifices extensionem, quam uni Privilegio concedunt, alteri denegent.

Consectarium Tertium.

III. Decimæ ovium aliarumque bestiarum, quæ per dimidiam anni partem in una Parœcia morantur, & ovile habent, & per aliam partem in alia Parœcia pascuntur, sunt inter utriusque Parœciæ Pastores dividendæ. Ita S. Thom. hic qu. 87. art. 3. ad 2. scribens: „ Pastor, qui diversis temporibus in duabus Parochiis gregem pascit, debet proportionaliter utrique Ecclesiæ decimas solvere. Et quia ex pascuis fructus gregis proveniunt, magis debetur decima gregis Ecclesiæ, in cujus territorio grex pascitur, quam illi, in cujus territorio ovile locatur". S. Thom. consentiunt Suares de Relig. Tom. 1. tr. 2. lib. 1. cap. 5. num. 8. & seq. & Barbosa de Off. & Potest. Par. P. 3. cap. 28. §. 2. num. 38. Nullæ proinde debentur decimæ Parocho domini ovium, si in ejus Parœcia nec pascua, nec ovile habent, sicut nec Parochis illarum regionum, per quas oves transeunt, sive ad montana ascendendo, sive domum revertendo, licet in transitu in fundis alicujus Parochiæ pascantur, quia hoc nutrimentum cum minimum sit, nulla ejus ratio habetur, cum de minimis non solvantur decimæ. Ita laudati Auctores.

Consectarium Quartum.

IV. Licet, ut superiori capite IV. diximus, decimæ prædiales sunt integre solvendæ absque deductione sumptuum, vectigalium, aliorumque onerum, nihilo tamen secius si forte alicubi vigeat consuetudo, ut ante decimationem ex cumulo semen terræ demandatum detrahatur, licite retineri potest, licet oppositum doceat Soto de Just. & Jur. lib. 9. Nam cum decimarum quantitas sit juris mere Ecclesiastici, ut non semel diximus, consuetudo legitima locum habere potest in quantitate & modo decimationis. Sicut nec damnanda videtur consuetudo elargiendi eleemosynas pauperibus, vel Religiosis ex eleemosynis viventibus ex cumulo ante sive divisionem, sive decimationem; sicut nec decimam defraudant pauperes, qui relictas spicas, vel uvæ racemos post messem, vel vindemiam colligunt. At peccant, & restitutioni etiam decimarum obnoxii sunt qui vel spicas & fructus furantur antequam colligantur, vel famuli, filii-familias, uxores, qui ex cumulo nondum mensurato vel diviso notabilem quantitatem surripiunt, cum non solum propriæ familiæ damnum inferant, sed & domino, si cum ipso sint fructus dividendi, & Ecclesiæ, quam de decimis fraudant.

CAPUT NONUM.

De Primitiis, & Oblationibus.

Doctrina.

I. *Quid Primitiarum nomine designetur.*
II. *In quo a Decimis differant.*
III. *Num detur naturale præceptum offerendi primitias.*

IV.

IV. *Num Ecclesiasticum* .
V. *Oblatio quæ & quotuplex sit* .
VI. *Oblationum usus* .
VII. *Quando voluntariæ, & quando necessariæ* .
VIII. *Quando ex consuetudine obligent* .
IX. *De quibus sint faciendæ* .
X. *Solis Sacerdotibus debentur* .
XI. *Scilicet Parocho* .

I. PRIMITIARUM nomine ii designantur fructus, quos terra, agri, vineæ primo gignunt, quare Num. 18. dicitur ad Aaron: *Quidquid primitiarum, offerunt Domino universa frugum initia, quos gignit humus, & Domino deportatur cedant in usus tuos* . Quatuor primitiarum genera a Judæis offerebantur, nimirum 1. spicarum adhuc virentium omnium frugum, ut habetur Levitici 2. v. 14. *Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino* . 2. Primitias offerebant panis ex novo tritico, de qua oblatione dicitur Levit. 23. v. 15. *Numerabitis ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas . . . offeretis sacrificium novum Domino . . . panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini* . 3. Offerebant & primitias panis, quem ad usum conficiebant, ut habetur Num. 15. v. 20. *Sicut de areis primitias separatis, ita & de pulmentis* (panibus videlicet) *dabitis primitiva Domino* . 4. In festo Tabernaculorum omnium universim frugum primitias offerebant, ut habetur Deuter. 26. v. 2. *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus . . . & dices, idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui* .

II. Primitiæ igitur erant genus quoddam oblationis Deo factæ in hoc a decimis distinctæ 1. quod hæ dantur in Ministrorum & pauperum sustentationem, & subsidium, & in determinata quantitate, quæ, ipso nomine decimæ, taxatur. At primitiæ primo offeruntur in argumentum recognitionis beneficiorum Dei, licet secundario cedant in Ministrorum & pauperum alimoniam, & non in determinata quantitate taxantur, sed voluntati offerentis relinquuntur. Ita docet S. Thom. qu. 86. art. 4. „ Primitiæ ad quoddam genus oblationum pertinent, quia Deo exhibentur cum quadam professione, ut habetur Deuter. 26. *Suscipiens Sacerdos cartallum* (primitiarum) *de manu ejus, qui defert primitias, ponet ante altare Domini Dei tui*, & postea mandatur ei quod dicat, *idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quas Dominus dedit mihi* . Offerebantur autem primitiæ ex speciali causa, scilicet in recognitionem divini beneficii; quasi aliquis profiteatur se a Deo fructus terræ percipere, & ideo se teneri ad aliquid de hujusmodi Deo exhibendum, secundum illud 1. Paralip. ult. v. 4. *Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi* . Et quia Deo debemus exhibere id quod præcipuum est, ideo primitias, quasi præcipuum aliquid de fructibus terræ, præceptum fuit Deo offerre " . Et in resp. ad 3. „ Rationabiliter primitiarum quantitas non fuit determinata in lege quia, sicut dictum est, primitiæ dantur per modum oblationis de cujus ratione est, quod non sint ne-

necessariæ ". Prius tamen dixerat ex D. Hyeronimo „ quod ex majorum „ traditione introductum est, quod qui „ plurimum, *quadragesimam* partem „ debent Sacerdotibus loco primitia- „ rum qui minimum, *sexagesimam*. „ Unde videtur, quod inter hos ter- „ minos sint primitiæ offerendæ secun- „ dum consuetudinem patriæ ".

III. Quoad præceptum vero offerendi primitias S. Th. l. l. illud revocat ad Jus naturale, non tamen in eo sensu, quasi extet præceptum aliquod juris naturalis obstringens ad primitiarum oblationem, sed solum innuens valde consonum esse, ut sicut a Deo cuncta bona accipimus, ita per aliquam rerum a Deo nobis concessarum oblationem gratum animi nostri argumentum illi exhibeamus, unde scribit: „ Pertinet ad jus naturale, ut homo ex re- „ bus sibi datis a Deo aliquid exhibeat „ ad ejus honorem ". Quod quidem præceptum pluribus modis implere possumus præter primitiarum oblationem: quamobrem subdit A. P. „ Sed quod „ talibus personis exhibentur aut de „ primis fructibus, aut *in tali quanti- „ tate*, hoc quidem fuit in veteri le- „ ge jure divino determinatum ". Et hic quoque illa verba *in tali quantitate* non sunt intelligenda de quantitate determinata, sed absolute de aliqua quantitate, cum ipse S. D. ut mox vidimus, neget fuisse in veteri Lege determinatam quantitatem primitiarum, sed ex majorum traditione postea statutum, quod vel ut minimum sexagesima, vel ut plurimum quinquagesima offeratur.

IV. In nova autem lege subdit S. D. „ definitur per determinationem Eccle- „ siæ ex quo homines obligantur, ut pri- „ mitias solvant secundum consuetudi- „ nem Ecclesiæ, & indigentiam Mini- „ strorum ". Ex quibus verbis colligitur, D. A. duo postulare tanquam necessaria ad inducendum præceptum solvendi primitias, nimirum vel consuetudinem Ecclesiæ, vel Ministrorum necessitatem, quibus deficientibus non urget hocce præceptum. Quamobrem cum in præsenti disciplina nullibi fere vigeat consuetudo offerendi primitias, & Ministrorum necessitati aliis mediis consultum sit, non amplius viget Ecclesiasticum præceptum primitias dandi, ut communiter docent & Theologi & Canonistæ, quorum tamen aliqui optime advertunt, consuetudinem non dandi primitias denotare ingrati animi vitium erga Deum bonorum omnium largitorem, & a Gentilibus redargui & confundi fideles, cum illi pluribus in Regionibus, sed præsertim Romæ nova vina, novâsque fruges non prius gustabant, quam falsis Numinibus ex iis aliquod offerrent.

V. Oblationis nomen, ut notat D. Thom. hic art. 1. & *commune* est, & particulare. Commune quidem, quatenus extenditur *ad omnes res, quæ in cultum Dei exhibentur*. Et hoc pacto decimæ & primitiæ oblationes sunt, ut patet ex Scripturis Gen. 28. *Decimas offeram tibi*. Et Num. 18. *Decimarum oblationem* legimus, & Exod. 34. de primitiis dicitur, *primitias frugum terræ offeres*; immo & oblationis nomine sacrificium designatur, ut observat D. Thom. nimirum *quando aliquid exhibetur in cultum divinum, quasi in aliquod sacrum, quod inde fieri debeat, consumendum, & oblatio est, & Sacrificium*. Unde Exod. 29. v. 18. dicitur: *Offeres totum arietem in incensum super altare: Oblatio* est

est Domino, odor suavissimus victimæ Dei. Et Lev. 2. *Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Deo, simila erit ejus Oblatio*. Peculiare autem stricte sumptum nomen oblationis designat juxta S. D. *Quidquid Deo offertur, ut integrum maneat divino cultui deputandum, vel in usus Ministrorum expendendum*. Tres in classes dividi possunt oblationes stricte acceptæ. Prima consistit in donatione alicujus rei inter vivos facta Deo & Ecclesiæ, vel Monasterio. Altera quæ fit causa mortis in testamentis pro redemptione animæ. Tertia denique communis & usitata, qua fideles aliquas res suas offerunt in Ecclesia ad Altare, vel in alio Ecclesiæ loco, sive etiam extra Ecclesiam ad immaginem aliquam prodigiosam. De Oblationibus pro Missæ sacrificio singillatim suo loco, ubi de Missæ sacrificio agemus.

VI. Oblationum usus antiquissimus sane est, & obtinuit in omnium hominum statu, in lege naturæ, scriptæ, & gratiæ. In primo enim legimus Gen. 4. *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis*. In lege vero scripta indicitur Exod. 23. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*. Et Numer. 7. *Singuli Duces per singulos dies offerent munera in Altaris dedicatione*. Præterquam quod innumeris pœne in locis V. T. mentio habetur de oblatis Domino tum a populo sive a Principibus populi, sive a privatis personis. In N. T. legimus & Magos obtulisse munera Infanti nato, aurum, thus, & Myrrham; & in Actibus Apostolorum primos Fideles obtulisse pretium rerum, quas vendebant, Apostolis.

VII. Oblationes, ut notat S. Thom. hoc habent proprium, & peculiare, quod ex voluntate, non ex necessitate progrediantur. „ Hujusmodi oblationes „ (verba sunt S. D. qu. 86. art. 1.) „ de sui ratione habent, quod volun„ tarie offerantur secundum illud Exod. „ 25. *Ab homine qui offert ultroneus, ac„ cipietis eas* “. Subdit tamen fieri posse, ut aliquando ex necessitate sint reddendæ, & hoc quadruplici de causa. Sic enim scribit: „ Potest contin„ gere, quod aliquis ad oblationes te„ neatur quadruplici ratione: Primo „ quidem ex præcedenti conventione: „ sicut cum alicui conceditur aliquis „ fundus Ecclesiæ, ut certis tempori„ bus certas oblationes faciat; quod „ tamen habet rationem census. Secundo „ propter præcedentem deputationem, „ sive promissionem: sicut cum aliquis „ offert donatione inter vivos, aut „ cum relinquit in Testamento Ecclesiæ „ aliquam rem mobilem, vel immobi„ lem in posterum solvendam. Tertio „ modo propter necessitatem Ecclesiæ; „ puta si ministri Ecclesiæ non habe„ rent unde sustentarentur. Quarto „ propter consuetudinem: tenentur „ enim fideles in aliquibus solemnitati„ bus ad aliquas oblationes consuetas. „ Tamen in his duobus ultimis casibus „ remanet oblatio quodammodo volun„ taria, scilicet quantum ad quantita„ tem, vel speciem rei oblatæ “.

VIII. Ad inducendam itaque in oblatione necessitatem hæc requiruntur. 1. Ut vel necessaria sit ad Ministrorum sustentationem, si non aliunde habeant, unde alimenta accipiant; tunc enim locum habet mercedis dandæ sicut temporalibus operariis, ita & spiritualibus. 2. Vel ut sit ex diuturna consuetudine & consensu majoris partis plebis, vel populi, seu Parochianorum. Ut hæc consuetudo offerendi vim obligatoriam nancis-

cifcatur, ex diuturnitate temporis, fufficere putant plures Canoniftæ Guttierez, Barbofa, Reiffenftuel, decennii fpatium; quamobrem quando tanto tempore Plebs vel Populus ex devotione conftanter perfeveravit in oblatione offerenda, præfumi poteft fe voluntarie obligaffe; quod tamen omnino certum non puto, nifi aliunde conftet de voluntate fe obligandi. Requiritur etiam majoris partis populi confenfus, & ad oblationem concurfus, nam finguli, vel minor pars, Communitatis fine ejufdem confenfu obligationem non valet inducere. Quapropter ficut major pars fufficit ad inducendam neceffitatem obligationis, ita major pars fufficit ad implendam: hinc faciendæ oblationis tempore fatis eft fi major pars, vel aliqua ex confenfu Communitatis offerat, licet finguli nihil donent, qui talem oblationem omittendo præfertim aliqua urgente legitima caufa non funt lethalis culpæ arguendi.

IX. De rebus jufte poffeffis faciendas effe oblationes, & ipfa naturalis ratio fuggerit, & docet S. Thom. hic. art.3. loco Proverb. 3. adducto: *Honora Deum tuum de tua fubftantia*, fubdens: „ Ad „ fubftantiam hominis pertinet, quid- „ quid jufte poffidet“. Et confirmat teftimonio Auguftini indicato potius, quam integre recitato, qui ferm. 25. de Verb. Dom. adductis Proverbior. verbis, quæ tamen juxta Septuaginta interpretationem fic legit: *Honora Dominum Deum tuum de laboribus tuis juftis*, fic fubdit: „ De juftis laboribus eleemofynas vel „ oblationes facite, ideft ex eo, quod „ recte habetis, date. Non enim cor- „ rupturi eftis judicem Chriftum, ut „ non vos audiat cum pauperibus qui- „ bus tollitis: Si enim depr̨ædareris „ aliquem invalidum, tu valentior & „ potentior, & veniret tecum ad judi- „ cem hominem quemlibet in hac ter- „ ra, velletque tecum caufam dicere; fi „ tu de præda & fpoliatione illa ino- „ pis, dares aliquid judici, ut pro te „ judicaret, Judex ille tibi placeret? „ Nempe pro te judicavit. Et tamen „ tanta vis eft juftitiæ, ut & tibi dif- „ pliceat. Noli talem tibi pingere „ Deum. Noli collocare in Templo „ cordis tui tale Idolum. Non eft ta- „ lis Deus tuus, qualis non debes effe „ nec tu. Melior eft fi Deus tuus ju- „ ftior eft, fons juftitiæ eft“. Quæ itaque funt per rapinam, vel furtum, vel alio modo juftitiam lædente, acquifita, non funt offerenda, fed dominis reftituenda. Quæ vero alio pravo funt acquifita medio, nec in oblationem danda, nec accipienda, ut docet S. Thom. in refp. ad 2. „ Oblatio de „ mercede proftibuli prohibetur in no- „ va lege propter fcandalum, ne vi- „ deatur Ecclefia favere peccato, fi de „ lucro peccati oblationem recipiat“.

X. Fidelium oblationes folis deberi Sacerdotibus probat S. Thom. hic art. 2. auctoritate Damafi Papæ, qui Can. 3. Tom. 2. Concil. (& refertur in Jure Can. Caufa 20. cap. *Hanc confuetudinem*) fic ftatuit; *Oblationes, quæ intra Sanctam Ecclefiam offeruntur, tantummodo Sacerdotibus, qui quotidie Domino fervire videntur, licet comedere, & bibere, quia in Veteri Teftamento prohibuit Dominus panes fanctos comedere filiis Ifrael, nifi tantummodo Aaron, & filiis ejus*. Deinde in corp. art. fic fcribit D. A. „ Sa- „ cerdos quodammodo fequefter, & „ medius conftituitur inter populum & „ Deum, ficut de Moyfe legitur Deu- „ ter 5. & ideo ad eum pertinet divi- „ na Dogmata, & Sacramenta exhi- „ bere populo; & iterum ea quæ funt

„ populi; puta preces, sacrificia, & „ oblationes per eum Domino debent „ exhiberi, secundum illud Apostoli ad „ Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus* „ *assumptus, pro hominibus constituitur in* „ *his, quæ sunt ad Deum, ut offerat* „ *dona, & sacrificia pro peccatis* “, Addit tamen oblationes, quæ a populo Deo exhibentur, ad Sacerdotes pertinere non solum „ ut eas in suos usus „ convertant, verum etiam ut fideli- „ ter eas dispensent; partim quidem „ expendendo eas in his, quæ perti- „ nent ad cultum divinum, partim ve- „ ro in his, quæ pertinent ad proprium „ victum ... partim etiam in usus pau- „ perum, qui sunt quantum fieri potest „ de rebus Ecclesiæ sustentandi “.

XI. Sacerdotes vero, quibus dandæ sunt oblationes sive intra Ecclesiam Parochialem, sive extra ipsam, in quocumque loco sito intra Parochiam, de jure communi sunt Parochi, nisi aliter disponant vel legitima inducta consuetudo, vel offerentium expressa voluntas. Ita communiter docent Canonistæ Barbosa, Reiffenstuel, Fagnanus pluribus etiam allatis Rotæ Decisionibus, & decernitur etiam in pluribus Juris Canonici textibus, & præsertim Cap. *Pastoralis* 9. *de his quæ fiunt a Prælatis*, ubi aperte decernitur: *Omnes ex Parochia proventus esse Parochiali Ecclesiæ, ejusque Ministris solvendos*; & certe nisi aliter constet de offerentium animo, & voluntate, semper præsumendum est, oblationes fieri habenti animarum curam ob Sacramentorum, aliorumque divinorum administrationem. Immo licet ex consuetudine vel offerentium animo oblationes non ad ipsum spectent Parochum, sed ad alium pium usum, & finem dentur, adhuc ad Parochum pertinet eorum administratio, non quidem ut in suos usus convertat, aut de iis prout libuerit disponat, sed ut in finem vel ab offerentibus, vel a consuetudine indictum expendantur.

CAPUT DECIMUM.

CONSECTARIA PRECEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Emendatur doctrina Bonacinæ.*
II. *Num oblationes, quæ fiunt in Missis a Parochianis, sint in præcepto.*
III. *Aliquando nec de juste acquisitis licet oblationes facere.*
IV. *Ad quem spectant oblationes.*
V. *Oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, ad ipsos spectant.*
VI. *Neomystæ oblationes recipere possunt, & sibi vendicare.*
VII. *Laicis non convenit jus oblationis accipiendæ.*
Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. NON est omnino verum quod affirmat Bonacina, nullum in lege nova dari jus obligans ad primitiarum solutionem. Nam 1. hoc jus in Ministris reperitur, quotiescumque primitiæ in eorum sustentationem sint assignatæ. 2. Certum est extare in Jure Canonico præceptum dandi primitias juxta consuetudinem patriæ. D. Th. citat Canonem *ex parte* de Decimis q. 3. jubentis: *Oportet Decimas, & primitias, quas de jure Sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere.* Et Can. *Præter.* 6. dist. 32. in fine habetur: *Primitiæ fideliter reddantur a Laicis, nisi consuetudo aliud habeat.* Quamobrem S. Thom. docet art. 4. quod sicut in veteri lege jure divino determinatum id erat, qualiter primitiæ darentur, ita in nova lege *definitur per determinationem Ecclesiæ, quod homines obligentur, ut*

pri-

primitias solvant secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam Ministrorum. Quod vero hoc jus consuetudine obsoletum sit, & alio modo indigentiæ Ministrorum provisum sit, non tollit & jus aliquando viguisse solvendi primitias, & modo forsitan adhuc in aliqua Ecclesia vigere.

Consectarium Secundum.

II. Oblationes, quæ in aliquibus Parœciis aut in magnis solemnitatibus, aut omnibus Dominicis, vel aliquoties in mense fieri solent a Parochianis osculo pacis, non videntur debitæ stricto jure obligante. Oppositum docent plures Canonistæ Barbosa, Guttierez, Reiffenstuel, qui putant eam consuetudinem jam pridem invectam vim sumpsisse obligationis & præcepti, & licet fortassis in initio fuerint ex fidelium devotione invectæ, postmodum factæ sunt ex lege necessariæ; & afferunt 1. Cap. *ad Apostolicam* 42. de Simonia, ubi laudabiles consuetudines aliquid dandi & offerendi ex devotione fidelium introductæ observari præcipiuntur, & etiam D. Thom. auctoritatem, qui 4. loco docet oblationes esse de necessitate faciendas *propter consuetudinem, per quam tenentur fideles in aliquibus solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas*. Verum posita assertio mihi probabilior videtur, 1. quia fideles talem consuetudinem aliquid offerendi præfatis temporibus non animo se obligandi invexerunt, sed tanquam liberalem omnino & gratuitam oblationem respexere. 2. Quia revera dum solitam perficiunt oblationem, intimo sensu agnoscunt se nullo obstringi præcepto, & liberum sibi esse non offerre. 3. Revera nec sibi Religioni vertunt, si eas oblationes omittant, nec Parochi, vel Episcopi in suis Synodis ad hujusmodi habendas oblationes ullo pacto adstringunt. Juris autem textus & D. Thom. de iis loquuntur oblationibus, de quibus certo constat, animo se obligandi invectas, quod de facili non est præsumendum, præsertim si Pastores jam aliunde habeant, unde sustententur. Recolantur quæ diximus cap. præced. n. 8.

Consectarium Tertium.

III. Nec de ipsis rebus licite acquisitis concessum est oblationes facere, quotiescumque id in alterius damnum cedat, & detrimentum. Ita docet S. Thom. hic art. 3. scribens: „ Per accidens tamen contingit, quod de „ aliquo licite possesso oblatio fieri non „ possit, puta si vergat in detrimentum „ alterius; ut si filius aliquis offerat „ Deo id, unde debet patrem nutrire, „ quod Dominus improbat Matth. 15. „ vel propter scandalum, vel propter „ contemptum, vel aliquid hujusmodi". Quamobrem peccant, qui ut oblationes faciant, creditoribus non satisfaciunt, mercenariis debitam non tribuunt mercedem, filiis necessaria non suppeditant alimenta; hæc enim omnia utpote titulo pietatis vel justitiæ debita, sunt oblationibus plane liberis præferenda. Hinc Ecclesia etiam oblationes rejicit Infidelium, Hereticorum, Judeorum, immo & fidelium anathemati subjectorum, nec non fratrum dissidentium, ut statutum legitur Cap. Oblatio dist. 90. Publicos etiam peccatores c. ex. usurarios, homicidas, pauperum oppressores offerre volentes ab Altari repellit, ne, ut inquit S. Thom., *videatur favere peccato*. immo recipientes & admittentes ad oblationes, quæ inter Missarum solemnia in Altari fieri consuescunt, excommunicatos a Papa, excom-

communicationi subjacent, si tamen fuerint denuntiati, & ab Ecclesiæ ingressu interdicuntur, qui usuales recipiunt oblationes ab excommunicati excommunicatione majori, vel ab interdictis non toleratis, ut statuitur Cap. *Episcopus* de privilegiis in 6.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Oblationes, quæ a fidelibus fiunt vel in Ecclesia ad Altare tempore Missæ pro Sacramentorum administratione, pro Nuptiarum, vel mulierum post partum benedictione, pro exequiis, aut similibus ecclesiasticis muneribus, ad Parochum spectant. Aliæ vero, quæ fiunt in Oratoriis, Capellis, vel aliis locis, & præsertim ubi sunt Imagines miraculosæ, licet de jure ad Parochum spectarent, consuetudine tamen, & voluntate offerentium non spectans ad Parochum, sed vel ad ipsum Oratorium, vel Capellam, impendendæ pro Fabrica, ornatu ipsius Capellæ, vel in nova construenda pro prodigiosa Imagine Capella sive Altari. Ita docent nobiliores Canonistæ Cardinalis de Luca de Decimis Decis. 19. Reiffenstuel de Oblationibus, Van-Espen P. III. tit. 33. cap. 10. Si Imago prodigiosa posita sit in pariete domus alicujus personæ privatæ, ad Parochialem spectant, intra cujus fines paries situs est, non vero ad ipsam privatam personam dicti parietis dominam, cum oblationes illæ sint ad Dei cultum de se ordinatæ. Dixi de se ordinatæ, si enim offerentes oblationes suas ordinarent in beneficium Domini domus, quia pauper est, quia filias nubiles habet, vel scirent, eas converti ab ipso Domino vel in pios usus, vel ad suæ subveniendum necessitati, tunc ad ipsum dominum ex voluntate offerentium pertinerent tanquam eleemosynæ, ut docent Amostacius, Barbosa, Fagnanus, aliique plures. Si vero locus, ubi picta est prodigiosa Imago, aut non sit intra fines alicujus Parochiæ, aut incertum sit ad quam Parochiam pertineat, oblationes integre ad Diœcesanum Episcopum spectant, nisi aliter constet de offerentium intentione, & voluntate. Denique eleemosynæ, quæ in Cathedrali fiunt tempore Jubliæi, vel Anni Sancti, ad Archipresbyterum seu Parochum, vel alium curam animarum habentem spectant, non vero ad Episcopum, nisi ipse Parochus foret, quia habentes curam animarum jus habent legitimum ad omnes oblationes, quæ in sua Ecclesia fiunt.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, ad ipsos Religiosos inibi inservientes pertinent. Ita statutum est in ipso Jure Canon. cap. 1. de statu Monach. ubi indicitur Archiepiscopo Neapolitano: „ Alicui Monasterio „ tu nec Presbyteri tui præter diligen„ tiam disciplinæ aliquid molestiæ infe„ ratis aut a quid illic diversorum devo„ tione accesserit, vobis vendicare æstime„ tis cum Monachis ibi servientibus debeat „ proficere quidquid si fidelibus taliter „ *offerri contingerit* ". Idem confirmatum fuit in Cap. Nimis de excessibus Prælatorum, ubi reprehenduntur: *Quidquid etiam eis, dum celebrant Missarum solemnia intra domorum suarum ambitum, pia fidelium devotione donatur, ab ipsis extorquere oblationis nomine intendentes*. Quod & confirmatum fuit in pluribus Sacræ Congregationis Concilii Decretis, & Declarationibus, & communiter docent Theologi & Canonistæ, ac confirmat S. Thom. hic art. 2. ad 2. scribens. „ Monachi, sive alii Religiosi pos-

„ possunt oblationes recipere tripliciter. Uno modo sicut pauperes per dispensationem Sacerdotum, vel ordinationem Ecclesiæ. Alio modo si sint Ministri Altaris, & tunc possunt accipere oblationes sponte oblatas. Tertio modo si Parochiæ sint eorum, & tunc ex debito possunt accipere oblationes tanquam Ecclesiæ Rectores „. Et revera Regulares, licet sint in Parochia, non sunt tamen de Parochia, nec divina a Parochis accipiunt, proinde non eis debentur oblationes apud ipsos factæ. Præterea Regulares sunt suarum Ecclesiarum Rectores & Pastores, propterea iisdem gaudent juribus in suis Ecclesiis, ac Parochi in suis, cum hoc solum discrimine quod in illis jus intra muros Ecclesiæ coarctatur, istis autem etiam ad Parochianos extenditur: quamobrem si Episcopus Missas celebret in Ecclesiis Regularium, oblationes non ad Episcopum pertinent, sed ad Regulares.

Consectarium Sextum.

VI. Non est vetitum Neomystis, sive Sacerdotibus primam suam Missam celebrantibus oblationes post Offertorium a sponte dantibus accipere, non vero per Ecclesiam ad eas accipiendas discurrere, & corrogatæ oblationes in ipsius celebrantis, non Parochi beneficium cedunt. Ita decretum fuit a Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium, approbante Summo Pontifice ut refert Fagnanus in Cap. Pastoralis num. 39. & consuetudine confirmatum est, & mente offerentium est, ut laudatæ oblationes ad ipsum celebrantem pertineant. Immo hic Venetiis mos est, ut & Diaconi die quo primo Evangelium solemniter canunt oblationes spontaneas accipiant, non ad Altare, sed loco ad hoc deputato ab accedentibus ad Manipuli osculum, quæ oblatio eleemosyna potius dicenda videtur, vel si vera oblatio sit, dicenda eo solum modo convenire Diaconis, sicut D. Thom. docet: „ Monachos, & Religiosos posse oblationes recipere sicut pauperes per dispensationem Sacerdotum, vel ordinationem Ecclesiæ „.

Consectarium Septimum.


VII. Laicis nullum jus convenire potest accipiendi oblationes. Ita statuitur in Jure Can. Cap. *Perveniens* 16. quæst. 7. „ Hanc consuetudinem, quæ contra sanctam Ecclesiam Catholicam augeri videtur, omnino interdicimus, ut nullo unquam modo, ullo tempore oblationes, quæ intra sanctam Ecclesiam offeruntur, sub dominio Laicorum detineantur, sed tantummodo Sacerdotibus dentur „. Et jure meritoque, cum hujusmodi jus plane spirituale sit, & solis conveniens Sacerdotibus, „ ad quos sicut pertinet (inquit S. Thom. art. 2.) divina Sacramenta exhibere populo, ita ea quæ sunt populi, puta preces & sacrificia, & oblationes per eum Domino debent exhiberi „. Eapropter nec ex diutissima consuetudine jus laici percipiendæ oblationis consequi possunt. Licet vero hujusmodi oblationes aliquando in emolumentum & utilitatem pauperum etiam laicorum ordinentur, tamen ut animadvertit laudatus D. Ang. „ In usum pauperum cedunt non per dispensationem offerentium, sed per dispensationem Sacerdotum „. Nec inter oblationes anumerandus est mos ille in Italia, aliisque regionibus invectus dandi laicis in Festo Purificationis B. Virginis cereos sive candelas, sunt enim so-

ſolum pia munera a Clericis, vel etiam ſi lubet, ab Eccleſia data ad excitandos pios affectus, vel ad grati animi argumentum exhibendum.

REFLEXIO.

I. Duo ſunt tum in dandis, tum in recipiendis decimis, primitiis, & oblationibus plane vitanda. Recipientes ſiquidem Clerici omnem avaritiæ umbram fugere debent, nec nimia ſeveritate, ſubtili ſcrutatione, indiſcreto zelo decimas & oblationes a populis extorquere potius quam accipere; quamobrem & fortaſſis non immerito nimiam exprobrant Fideles Clericis in exigendis decimis auſteritatem, quam majorem dicunt ſe experiri & duriorem a Decimarum exactoribus, quam ab avaris ipſis ſeculi divitibus in temporalibus cenſibus exigendis. Quia & altius inclamant, Clericos & Paſtores de decimis quidem corrogandis ſe ſolicitos ſtudioſoſque oſtendere; dum de ſpirituali populi ſalute nullo tacti ſtudio appareant. Hos jure increpat & redarguit Chryſoſtomus, ſive Auctor Operis Imperfecti in Matth. hom. 44. dicens: „ Nunc „ veniamus ad Sacerdotes. Hi ergo „ avaritia pleni, ſi quis de populo de„ cimam alicujus rei vel minimæ non „ obtuliſſet, ita eum corripiebant, quaſi „ magnum crimen feciſſet. Si quis au„ tem in populum, aut in Deum pec„ cabat, aut alterum lædebat, aut „ aliquid tale faciebat, nemo curabat „ corripere eum, quaſi nullam culpam „ feciſſet. De ſuo quidem lucro ſolici„ te agebant, de gloria vero Dei & „ ſalute hominum negligebant. Sic & „ modo fit. Quia omnes de ſuo honore „ ſoliciti ſunt, de honore autem Dei „ nullus. Et portiones cuique ſuas vi„ gilanter aſpiciunt, & defendunt, ſed „ circa obſequium Eccleſiæ curam im„ pendere non attendunt. Si populus „ decimas non obtulerit, murmurant „ omnes, ſi peccantem populum vide„ rint, nemo murmurat contra eos, „ Ipſi ſunt qui docent populum liquare „ culicem, & camelum deglutire, a „ modico peccato ſe continere, majora „ autem committere ". Oh quantum adhuc hodie (exclamat piiſſimus Landulphus Carthuſianus de Vita Chriſti cap. 38.) cæcitas Scribarum & Phari„ ſæorum regnat (proh dolor) in Præ„ latis tam Religioſis quam ſecularibus, „ qui ſolicite curant de ſolutione deci„ marum, & cenſuum quæ eis deben„ tur, & parum curant ſi ſubditi in „ majoribus involvantur criminibus ... „ Curam animarum negligunt, & ne„ gotia exteriora agunt, non curant „ fructum animarum, ſed excreſcen„ tiam divitiarum ".

II. Præterea illud etiam attendere debent Paſtores, ne decimarum, oblationumque emolumenta in luxus, comeſſationes, epulas, delicias injuſte abſumantur. Dantur ſiquidem decimæ & oblationes, ut vidimus ex D. Thom. *Non ſolum ut eas in ſuos convertant uſus, verum etiam ut fideliter eas diſpenſent, partim quidem expendendo eas in his, quæ pertinent ad cultum Dei, partim in his, quæ pertinent ad proprium victum . . . partim etiam in uſus pauperum, qui ſunt, quantum fieri poteſt, de rebus Eccleſiæ ſuſtentandi*. Alioquin mirandum non erit, ſi plebs chriſtiana iniquam videntes decimarum oblationumque diſtributionem vocem attolant, manifeſtos & publicos abuſus deteſtantes, Paſtoribus maledicentes, ab earum ſolutione omni poſſunt modo ſe ſubducant. Meminerint doctrinæ a S. Bernardo



INDEX

Tractatuum, Dissertationum, & Capitum, quæ in hoc Tomo continentur.

TRACTATUS SEPTIMUS

DE CONTRACTIBUS

TUM IN GENERE, TUM IN SPECIE.

DISSERTATIO PRIMA.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

CAPUT I.

Contractus definitio, ejusque multiplex divisio exponuntur.

DOCTRINA.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT III.

De consensu ad contractum necessario, & de dolo illum corrumpente.

DOCTRINA.

CAPUT IV.

De Contractibus ex errore, vi, & metu celebratis.

DOCTRINA.

CAPUT V.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT VI.

De causa efficiente contractum, seu de iis, qui contrahere possunt.

DOCTRINA.

V.

CAPUT VII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ .

CAPUT VIII.

De materia & forma Contractuum .

DOCTRINA.

CAPUT IX.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ .

CAPUT X.

De Contractuum qualitatibus .

DOCTRINA.

CAPUT XI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT XII.

De duobus adjunctis contractuum, mora scilicet, & pœna conventionali, nec non de fine contractuum.

DOCTRINA.

CAPUT XIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

TRACTATUS VII.

DE CONTRACTIBUS IN PARTICULARI.

DISSERTATIO II.

PARS PRIMA.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS REI DOMINIUM TRANSFERENTIBUS.

CAPUT I.

De Emptione, & Venditione, Emptionis, & Venditionis notio. Quinam hos contractus inire possint. Eorum materia explicatur.

DOCTRINA.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT III.

De pretio rerum.

DOCTRINA.

CAPUT IV.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

CAPUT V.

De quibusdam emptionis, & venditionis adjunctis.

Doctrina.

CAPUT VI.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

CAPUT VII.

De Emptionis, & Venditionis effectibus.

DOCTRINA.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT IX.

De ambio.

DOCTRINA.

CAPUT X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

IV.

PARS SECUNDA.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS IN PARTICULARI, IN QUA DE CONTRACTIBUS USUM, ET USUMFRUCTUM TRANSFERENTIBUS.

CAPUT I.

De Censu Reali, Personali, Mixto.

DOCTRINA.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CA-

CAPUT III.

De Emphyteusi, & Feudo.

DOCTRINA.

CAPUT IV.

De Contractibus onerosis usum concedentibus, scilicet Locatione & Conductione.

DOCTRINA.

CAPUT V.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

PARS TERTIA.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS DOMIMIUM, VEL USUM, VEL USUMFRUCTUM TRANSFERENTIBUS, ET A SORTE PENDENTIBUS.

CAPUT I.

De Societate, & Contractu Trino.

DOCTRINA.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT III.

De Assecuratione.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

CA-

CAPUT IV.

De Ludis, præsertim Aleatoriis & Clericorum: nec non de sponsionibus & sortibus.

DOCTRINA.

CAPUT V.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT VI.

De Choreis, Spectaculis, & Theatris.

DOCTRINA.

CAPUT VII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

DISSERTATIO III.

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS,

CAPUT I.

De Promissione, & Donatione.

DOCTRINA.

IX.

CAPUT II.

Consectaria praecedentis Doctrinae.

CAPUT III.

De Commodato, Precario, & Deposito.

Doctrina.

CAPUT IV.

Consectaria praecedentis Doctrinae.

CAPUT V.

De Fidejussione, Pignore, & Hypotheca.

Doctrina.

V.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ .

CAPUT VII.

De Mandato , Cura , Tutela , Compromisso , Transactione , & Dote .

DOCTRINA.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ .

CAPUT IX.

De Mutuo, & Usura.

Doctrina.

CAPUT X.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

CAPUT XI.

De duobus titulis damni emergentis, & lucri intercepti causa mutui.

Doctrina.

CA-

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT XIII.

Alii tituli auctari accipiendi in mutuo ultra sortem expenduntur.

DOCTRINA.

CAPUT XIV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CA-

CAPUT XV.

De Pactis licitis, vel illicitis, quæ mutuo addi permittuntur, vel prohibentur.

Doctrina, et Consectaria.

CAPUT XVI.

De obligatione, & pœnis fœneratorum, & de cooperatione ad fœnus.

Doctrina, et Consectaria.

CAPUT XVII.

De Testamentis, & ultimis voluntatibus.

Doctrina.

CAPUT XVIII.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

CAPUT XIX.

De his qui testamenta condere possunt, & de heredibus instituendis.

Doctrina.

TRACTATUS VIII.

DE RESTITUTIONE.

DISSERTATIO I.

DE RESTITUTIONIS NATURA, NECESSITATE, MODO, ET CAUSIS.

CAPUT I.

Quid sit restitutio, quomodo necessaria, & quibus ex causis generatim oriatur.

DOCTRINA.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT III.

De restitutione facienda titulo rei acceptæ.

DOCTRINA.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT V.

De Restitutione facienda a possessore malæ fidei, tum ratione rei acceptæ, tum injustæ acceptionis.

DOCTRINA.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT VII.

De restitutione facienda ex contractu.

DOCTRINA.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDEN DOCTRINÆ.

CAPUT IX.

De Restitutione facienda vel ob illatum damnum, vel ob impeditam boni alicujus assecutionem.

DOCTRINA.



CAPUT X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT XI.

De restitutione facienda a cooperantibus ad damnum alterius. Nonnulli cooperationis modi expenduntur.

DOCTRINA.

VI.

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT XIII.

De ceteris modis cooperandi ad damnum proximi, nimirum consulendo, adulando, tacendo, & non manifestando.

DOCTRINA.

CAPUT XIV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

VI.

CAPUT XV.

De adjunctis, & circumstantiis Restitutionis. Nonnulla exponuntur, & explicantur.

DOCTRINA.

CAPUT XVI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT XVII.

De aliis restitutionis circumstantiis, nimirum ordine, loco, & modo.

DOCTRINA.

XII.

CAPUT XVIII.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

CAPUT XIX.

De causis excusantibus a mora restitutionis, & ab ipsa restitutione.

Doctrina.

CAPUT XX.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

DISSERTATIO II.

DE RESTITUTIONE IN PARTICULARI.

CAPUT I.

De restitutione ob damnum alteri illatum in bonis spiritualibus, & stupri causa.

Doctrina.

III.

CAPUT II.

Consectaria praecedentis Doctrinae.

CAPUT III.

De restitutione adulterii causa .

Doctrina, et Consectaria.

CAPUT IV.

De restitutione ob mutilationem, & homicidium.

DOCTRINA.

CAPUT V.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

TRACTATUS NONUS

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

DISSERTATIO I.

DE PRIMO ECCLESIÆ PRÆCEPTO

Sacrum Missæ Officium in diebus Festis reverenter audito.

CAPUT I.

De subjecto præcepti audiendi Missam, scilicet quinam hoc præcepto obstringantur.

DOCTRINA.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT III.

De modo audiendi Missam.

DOCTRINA.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT V.

De loco & tempore audiendi Missam.

DOCTRINA.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

 CA-

CAPUT II.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

CAPUT III.

De prima jejunii parte, abstinentia scilicet a carnibus, & lacticiniis.

Doctrina.

CAPUT IV.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

CAPUT V.

De dispensatione ab abstinentia a carnibus, & causis ab ea excusantibus.

Doctrina.

CAPUT IX.

De tempore concessæ refectionis, nec non urgentis, & desinentis jejunii.

DOCTRINA.

CAPUT X.

CONSECTARIA PRECEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT XI.

De vespertina refectiuncula.

DOCTRINA.

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRECEDENTIS DOCTRINÆ.

CA-

CAPUT XIII.

De Personis lege jejunii solutis vel obstrictis.

DOCTRINA.

CAPUT XIV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT XV.

De caussis a jejunio excusantibus.

DOCTRINA.

CAPUT XVI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT XVII.

De cooperantibus jejunii violationi, & de Pœnis in jejuniorum violatores.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

DISSERTATIO III.

DE TERTIO ET QUARTO ECCLESIÆ PRÆCEPTO.

Annua Confessione, & Paschali communione.

CAPUT I.

De Præcepto Annuæ Confessionis indicto.

Peccata tua Sacerdoti proprio annis singulis confitere.

DOCTRINA.

CAPUT II.

Consectaria Praecedentis Doctrinae.

CAPUT III.

De Paschalis Communionis Præcepto.

Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, atque circa Festum Paschæ sumito.

Doctrina.

CAPUT IV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

XIII.

DISSERTATIO IV.

DE QUINTO ECCLESIÆ PRÆCEPTO.

CAPUT I.

Decimarum notio, & divisio traditur. Quo jure in Novo Testamento debeantur, expenditur.

DOCTRINA.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

CAPUT III.

Quibus de jure dandæ sunt Decimæ.

DOCTRINA.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

V.

CAPUT V.

De Personis Decimarum solutioni obnoxiis, vel exemptis.

Doctrina.

CAPUT VI.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

CAPUT VII.

De quibus rebus solvendæ sint Decimæ, & quomodo.

Doctrina.

CAPUT VIII.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

CAPUT IX.

De Primitiis , & Oblationibus .

DOCTRINA.

CAPUT X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.



nardo epistola ad Fulconem datæ scribens: „ Conceditur tibi, ut si bene „ deservis, de altario vivas, non au„ tem ut de Altario luxurieris, ut de „ Altario superbias, ut inde compares „ frena aurea, sellas depictas, calca„ ria deargentata, varia griseaque pel„ licea a collo & manu, ornatu purpu„ reo diversificata. Denique quidquid „ præter necessarium victum ac simpli„ cem vestitum de altario retines, „ tuum non est, rapina est, sacrile„ gium est “.

III. Plebs vero Christiana cavere debet, ne Pastoribus suis de decimis & oblationibus lites moveat, eas minuere toto conatu studeat, & vel aperte deneget, vel clam surripiat, vel fraudet. Animadvertat se largissimas accepturam a Deo etiam in temporalibus ipsis bonis retributiones, si quæ Dei sunt & Ministris ejus debita prompto animo, hilari vultu, & devoto affectu, & liberali dextera oblationes & decimas reddiderit. Ita pollicitus est Dominus per os Malachiæ Prophetæ cap. 3. v. 10. dicentis: *Inferte omnem decimam in borreum, & sit cibus in domo mea & probate me super boc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ: non erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes Gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum*. Hujus divinæ pollicitationis effectus experti jam fuerunt Israelitæ sub piissimo Rege Ezechia, munera Domino liberalissime offerentes, de quibus sic legitur Paralip. 31. com. 8. *Cumque ingressi fuissent Ezechias, & Principes ejus, viderunt acervos, & benedixerunt Domino ac Populo Israel. Interrogavitque Ezechias Sacerdotes & Levitas, cur ita jacerent acervi. Respondit illi Azarias Sacerdos primus de stirpe Sadoc, dicens: Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & saturati sumus, & remanserunt plurima, eo quod benedixerit Dominus populo suo: reliquiarum autem copia est ista, quam cernis. Præcepti igitur Ezechias ut præpararent horrea in domo Domini. Quod cum fecissent, intulerunt tam primitias, quam decimas, & quæcumque voverant, fideliter*. Dum e contra præter futuræ vitæ justa supplicia & æterna, etiam temporalia detrimenta comminatur Deus fraudantibus decimas oblationesque negligentibus, quippe quia, ut docet S. Augustinus ser. 29. de Tempore: *Decimæ tributa sunt egentium animarum*. Quamobrem subdit: „ Quan„ ti pauperes in locis ubi ipse habitat, „ illo decimas non dante, mortui fue„ runt, tantorum homicidiorum reus „ ante Tribunal æterni Judicis appa„ rebit, quia quod pauperibus a Do„ mino delegatum est, suis usibus re„ servavit. Reddite ergo tributa pau„ peribus, offerre libamina Sacerdo„ ti “. Deinde sic Auditores suos hortatur & terret: „ Cum decimas dando „ & terrena & cœlestia possis munera „ promereri, quare per avaritiam du„ plici benedictione te fraudas? Audi „ ergo indevota mortalitas. Nosti quia „ Dei sunt cuncta quæ percipis, & „ de suo non accomodas rerum om„ nium Conditori? . . . Constat quod „ ipse non dederis, sed tamen Deus „ exigit. Hæc enim est Domini justis„ sima consuetudo, ut si tu illi deci„ mam non dederis, tu ad decimam re-

„ revoceris. (ideſt ut novem ſubtractis „ non niſi decimas ex agris, vineis, „ olivetis colligas) Dabis impio militi „ (arva ſcilicet in bello depopulanti) „ quod non vis dare Sacerdoti ". Et rurſum hom. 48. inter 50. ſcribit: „ Majores noſtri ideo copiis omnibus „ abundabant, quia Deo decimas dabant. Modo, quia receſſit devotio „ Dei, acceſſit indictio Fiſci. Nolumus cum Deo partiri decimas, „ modo totum tollitur per hominem. „ Hoc tollit fiſcus, quod non accipit „ Chriſtus ".

Sint igitur & Paſtores & Parochi decimarum oblationumque providi & juſti diſpenſatores. Sint & Populi fideles, & religioſi in decimis pendendis, oblationibus dandis, & ita fiet, ut utrique & temporalem, & cæleſtem, & perpetuam, & temporaneam a Domino bonorum omnium, munificentiſſimo largitore benedictionem conſequantur.

FINIS TOMI QUINTI.

